UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

urn:nbn:de:hbz:466:1-47032

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th 2784

J.XI
18

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THEOPHILI BERNARDINI
E SOCIETATE IESV
DE RELIGIOSÆ
PERSEVERANTIAE
PRÆSIDIIS
LIBRI XI.

Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *Ad Ephes. c. 6.*

Liber Collegij Soc. Jesu Paderbor. A. 1624

ANTVERPIÆ
Apud Martinum Nutium, & Fratres.
ANNO M. DC. XXII.
Cum Gratia & Priuilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PERILLVSTRI

ET

REVERENDO ADMODVM

PATRI AC DOMINO

D. ANTONIO DE MONTMORENCY

SANCTI ANDREÆ

APVD CASTROCAMERACESIOS,

ET FIDEMIENSI ABBATI.

ANNI iam effluxere sex, Perillustris & Admodum Reuerende Præsul, ex quo tractatum de Eligendo vitæ Instituto, lingua vernacula descriptum, primogenito fratri tuo, nunc Patri Francisco Societatis Iesu Religioso, tunc autem celeberrimæ Cathedralis Leodiensis Decano, dicatum edidi. Quid exinde, præter plurimorum expectatio-

nem, Dei ſpiritu vbi voluerit ſpirante, contigerit noſti: arridente rerum omnium copiâ, prudens Inſpector ſui, vento propè nimiùm ſecundo vela contraxit, & ea noſtræ Societatis incundæ conſilia iniuit, quorum præ ceteris & cognitor, & explorator & promotor fuiſti.

In eorundem communionem conſiliorum cùm & ipſe vocatus eſſem, videremque ad ſuum finem eſſe perducta, non potui non plurimùm gratulari, & hunc ipſum lætitiæ indicem, beneuolentiæ teſtem elaborare Commentarium, quo non eum vnum, (qui firmè ſibi conſtat) ſed eius occaſione quemuis ad celſiora nitentem, & vitæ perfectioris tirocinia ponentem alloquor, firmandæque perſeuerantiæ ſubſidia miniſtrare conor. Pauciora quidem illa, ſed eo diligentiùs obfirmata.

Et verò, haud ſecùs ac ſi quis de vitæ diuturnitate ſcriberet, id ſpectans vt eius tuendæ & prorogandæ rationem commonſtraret; ineptè meo iudicio faceret, ſi de vita, de tempore, de duratione multa Philoſophorum in morem diſſereret: ad rem verò ſuam aptiſſimè, ſi de cibis, de diæta, de otio, labore ad valetudinem conferente, & alijs id genus diſputaret. Ita hoc in argumento, vitandum credidi, ne de Perſeuerantia, Theologorum in morem ſubtiliùs dicerem: ſed eâ obiter perſtrictâ, in ijs morarer quæ maximè

ximè faciunt, vt in benè cœptis ad extremum vsque perstetur. Si enim ex verissima Sanctorum doctrina certum est, minimè subitarias esse hominum ruinas, neminemque derepentè fieri improbum; certè necesse est vt quandocumque lapsus quispiam fuerit, præcesserit quiddam quod perseueraturi præsidia, & firma fundamenta concusserit, adeoque labefactarit, vt denique superstructæ moli imparia fatiscant, & in vagum puluerem coagmentatio dissipata soluatur.

Licet autem in tanta, tum casuum, tum humanorum ingeniorum varietate, præsidia numero plurima sint: sunt tamen potiora quædam, quæ si benè firmaueris, nihil magnoperè pertimesces, & ex ijs minora cetera, paulatim, & sponte manabunt. Eiusmodi sunt virtutes illæ quas Isagogicas, hoc est aliarum conciliatrices, seu procreatrices, harum rerum periti dixere. nec tamen de his agimus, sed de ijs quæ maximè faciunt, vt benè iucundeque, in suscepto vitæ perfectionis genere permaneri queat.

Quod vt aliquousque exequerer, meque latiùs ad omnia vitæ melioris Instituta expanderem, ea sum persecutus, quæ non vni, sed omnibus Institutis conueniant, eo maximè quòd nullum est, quod non ijsdem quibus cetera, præceptionibus virtutis in commune nitatur. Neque aliter videas eundem

architectum, eadem norma, plurimas domos erigere: ijsdemque (vt à priore non recedam exemplo) sanitatis præceptis aduersos curari morbos, valetudinem firmari.

Verùm hæc à me, alijs potiùs quàm R.ª. T.D. dicta sint; perspicacior est, quàm vt his egeat; benignior, quàm vt facilè damnet. Debebatur autem illi liber hic, vt eius cuius occasione scribitur fratri, & arctissima consensione coniunctissimo fratri: quo fit vt næuos omnes benignissimè ferendos sperem, mihique à diuina Maiestate sanctis tuis sacrificijs exorata, donandum vt quod verbis suadeo, rebus præstem. Dominus Iesus R.T. Dominationis sancta vota benigno semper fauore prosequi dignetur. Tornaci è Societatis Iesu Collegio, 2. Febr. ann. 1622.

Perillustris & Adm. R.D. Tuæ

seruus in Christo

Theoph. Bernardinus.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis Iesu in Prouincia Gallobelgica Prouincialis, potestate mihi à Reuerendo Admodum P. N. Generali ad hoc facta, facultatem concedo, vt P. Theophili Bernardini, Societatis nostræ Sacerdotis, liber qui inscribitur, de Religiosæ Perseuerantiæ præsidijs, eiusdem Societatis Patrum iudicio approbatus, typis mandetur. Duaci 3. Nouembr. anno 1621.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO CENSORIS.

HIc R.P. Theophili Bernardini, Societatis Iesu Theologi, liber, præsidia quibus Religiosus instructior, firmior, lætior in vita perfectionis perduret; quin & virtutes in perfecto Religioso potissimùm requisitas, methodo exactissima tradit: vnde dignissimum censeo, qui prælo subijciatur. Datum Bruxellis VI. Idus Octobris, ann. M. DC. XXI.

Henricus Smeyers, S. Theol. Licent. Scholasticus Bruxellensis, librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHilippus Dei gratia, Hispaniarum Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis librum de Religiosæ Perseuerantiæ præsidijs, auctore R.P. Theophilo Bernardino Societ. Iesu Theologo, *præter Martini Nutij Typographi Antuerpiensis voluntatem in Belgio intra sexennium imprimat, aut alibi locorum impressum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemue exponat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 5. Nouembr. anno 1621.*

Signat

Steenhuyse.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIBER I. Quædam complectens quæ ad perseuerantiam propiùs attinent.

CAp.1. *Scribendi ratio & argumentum.* fol.1.
2. *Quid sit perseuerantia.* 4
3. *Quid de perseuerantia Concilium Trident. doceat.* 7
4. *Laus perseuerantiæ.* 8
5. *In quẽ sensum de perseuerantia scribimus, cùm de ipsius præsidiis scribimus.* 10
6. *Quàm sit necessarium, vt qui semel Religionis iugum subijt, in eo semper perseueret.* 12
7. *Qui sint perseueraturi, & quàm sit incerta perseuerantia.* 13
8. *Cur perseuerent qui perseuerant; cur etiam alij non perseuerent.* 16
9. *Quæ ad perseuerantiam faciant.* 19

LIB. II. De primordiis vitæ perfectioris, deque amore vocationis & obedientiæ.

Cap.I. *De prima vitæ mutatione.* 21
2. *Idem ardor Sanctorum exemplis probatur.* 24
3. *Quæ sint ea vitia, quæ ab initio contracta corrigi vix possint.* 29
4. *Ne simus in amore præcipites.* 34
5. *Sit & vigeat Religiosus amor.* 36
6. *Quas in amore conditiones Parisiensis exposcat.* 40
7. *De amanda sua vocatione.* 43
8. *De vocationis præstantia magis æstimanda.* 46
9. *Vocationis propriam perfectionẽ esse sectandam.* 51
10. *Quæ sit propria vocationis perfectio.* 52
11. *Aliæ ad vocationis spiritum obseruationes.* 57
12. *De obedientiæ securitate.* 60
13. *Alia nonnulla quæ ad amorem & cognitionem obedientiæ faciunt.* 64
14. *Quàm integrè & sincerè se oporteat Præpositis credere.* 66
15. *De resecanda propria voluntate.* 71
16. *Quæ sit propria voluntas.* 75
17. *Quomodo propria voluntas, & imaginatio frænanda.* 78

LIB. III. De rerum humiliorum appetentia, in qua certissimum perseuerantiæ præsidium est.

Cap.I. *De cruce & rebus humilioribus appetendis.* 84
2. *Quid ea de re docuerit B. Ignatius.* 87
3. *De duobus primis humilitatis modis à B. P. Ignatio positis.* 93
4. *De tertio & perfectissimo humilitatis modo.* 97
5. *Eorumdem humilitatis graduum in omnes homines vtilitas.* 104
6. *Religiosis quàm sint necessarij.* 108
7. *Hanc sibi perfectionem ob oculos posuerunt Sancti omnes.* 112
8. *Illustria huiusce humilitatis exempla priscorum.* 116
9. *Prænotanda quædam ad progressum in humilitate tentandum.* 128
10. *Quàm præstãs exemplar & ad quã imitationem sit nobis propositum.* 130
11. *Quæ maximè sint quæ in exemplari nostro*

nostro nobis exprimēda spectemus. 133
12. *Quàm conformes exemplari propositosimus.* 144
13. *Eiusdē rei indicium à memoria quæritur.* 147
14. *Idem à voluntate & affectu.* 148
15. *Idem ex votorum Religiosorū obseruatione petitur.* 152
16. *Idē ex sermone, & alijs cōijcitur.* 154
17. *Sanctioris desiderij paradigma.* 156
18. *Quomodo ad eam humilitatis celsitatem perrependum.* 160

LIB. IV. Quatuor potissima humilitatis exercitamēta cōplectens. 169

Cap. I. *De primo exercitamento, quod est, seipsum aspernari. Quid sit.* 169
2. *Cur adeò in nostri existimationē propendemus, & quàm id veritati atque rationi repugnet.* 171
3. *Damnorum ingentiū & ruinæ causam, ex eo esse quòd bona nostra nobis arrogamus.* 176
4. *Qua ratione arrogantia lapsum procreet? auctore D. Augustino.* 183
5. *Eadem veritas è conditione naturæ probatur.* 185
6. *Quàm frequenter aduersa superbiæ labe adspergamur?* 189
7. *Quam humilitatis comparandæ vi ā quidam veterum tradiderint.* 196
8. *Nullis suis bonis gloriari, sed magis aspernari se quemque debere.* 199
9. *Quid sit quod facilē & crebrā eiusce humilitatis exercitationē reddat.* 206
10. *Idipsum plurimarum rerum enumeratione monstratur.* 207
11. *Aspernationis sui frequentatio: & cauenda nonnulla.* 215
12. *Clausula iam antè dictorum.* 220
13. *De secundo humilitatis exercitio, quod est, nemini se præferre: posthabere potius.* 224
14. *Posse hominem se minoris quàm res alias æstimare.* 228
15. *Quàm se quisque bonum nesciat.* 232
16. *Quàm se quisque malum sciat.* 236
17. *Vitiorum turba plurima nos implicari.* 243
18. *Quomodo erga domesticos humilitas obseruanda.* 246
19. *Religiosa familiaritas cuiusmodi veneratione conditur.* 249

De tertio humilitatis exercitio, quod in sui continua accusatione situm est.

20. *Sanctorum id esse proprium.* 253
21. *Improborum esse seipsos excusare.* 255
22. *Quibus in rebus nos accusare oporteat.* 258
23. *Seipsum vbique incusādi modus vnus.* 260
24. *Altera seipsum incusandi ratio.* 263
25. *Cuiusmodi esse debeat accusatio sui.* 267
26. *Quo veritatis impulsu, nos vbique accusare possimus.* 270
27. *De seipso in rebus vilibus exercendo: quod quartum est exercitium.* 274
28. *Quæ sint ista viliora, & quo animo vsurpanda.* 276
29. *Sit ne vltrò ad viliora prouolandum.* 279
30. *Sit-*

30. Sitne è sanctis & vilibus, quàm è profanis & vanis minùs periculosa gloriatio.. 280
31. Quomodo sint vilia assumenda. 284
32. Quid humilitatis exercitia ad perseuerandum conferant. 286

LIB. V. De Timore, & Spe, firmis perseuerantiæ subsidiis.

Cap. 1. Timor Dei commendatur. 289
2. Item timor exacuitur. 292
3. Cur timor adhibendus. 297
4. Quis timor commendandus. 301
5. Quomodo timor commendandus. 306
6. Quomodo timore Dei vtendum. 308
7. De spe, & fiducia in Deum. Ac primò timorem & spem in vnum conspirare. 313
8. De desperatione. 316
9. Quanta possit esse spes. 320
10. Possit ne spes maior esse quàm timor. 324
11. Sit ne iustitia, timoris potiùs, quàm spei causa. 325
12. A Dei in puniendo moderatione, spes exaggeratur. 329
13. Quomodo sperandum & in secundis, & in aduersis. 333
14. In euentibus variis cuiusmodi spes. 336
15. In iis in quibus deficimus, quomodo firmanda spes. 338
16. De timore, & spe ad extremum vitæ exitum. 340
17. Benè sperandi rationes à bonis præteritis suppetere. 343
18 Sperandum ob Dei bonitatẽ esse. 346
19. Tria in sperando præcauenda. 347
20. Spem excitari à diuina prouidentia. 351
21. Quã certa sit Religioso viro spes. 353

LIB. VI. De Orationis præsidio.

Cap. 1. Quid hoc libro tractetur. 356
2. Quid sint, consideratio, meditatio, applicatio sensuum, & contẽplatio. ibid.
3. De consideratione. 358
4. De meditatione & eius materia. 359
5. Quibus præceptionibus meditatio dirigi possit. 363
6. De temeritate in meditationis ingressu cauenda. 365
7. De animi præsentia in fine præfigendo. 368
8. Quomodo memoria sit vtendum. 371
9. Quomodo intellectus ad meditandum adhibeatur. 380
10. De virtutibus expendendis. 386
11. De permouenda voluntate. 392
12. Aliæ in voluntate permotiones. 399
13. De piis illis qui passim afferuntur affectibus. 402
14. De conseruando & augendo affectu. 407
15. Quomodo ex iis quæ ad Sanctos attinent, ad Deum transeatur. 415
16. De materia meditationi apparanda. 417
17. De applicatione sensuum. 419
18. De contemplatione. 422
19. Hæc orationis genera misceri expedit. 423
20. Vbinam antè dicta orandi genera docuerit B. Ignatius. 426

Art.1. Quoscribendi genere liber Exercitiorum comprehendatur. ibid
Art.2. Quando sit scriptus, & quorsum. 428
Art.3. Quas vitæ spiritualis vias complectatur. 432
Art.4. In iis quæ de motibus animi tradit, quanta sustollendo spiritui præsidia lateant. 437
Art.5. Eius quæ mente perficitur orationis, omnia genera complexũ esse Ignatium. 445
Art.6. Quonam orandi genere vteretur Ignatius, quando librum Exercitiorum descripsit. 448
Art.7. An Contemplationis plura sint genera. 454
Synopsis eorum quæ de meditatione tradita sunt. 457

LIB. VII. De præsidio quod obtingit à Patrocinio Virginis, & Imitatione Sanctorum.

Cap.I. De exemplo Sanctorum. 462
2. Quid sit imitatio. 465
3. Quis ad imitationẽ deligendus. 467
4. An in iis quos ad sanctitatem æmulamur, imitanda sint omnia. 471
§.1. A pluribus variam vtilitatem esse capiendam. ibid.
§.2. Quædam in imitatione cauenda. ibid.
§.3. Sit ne exemplum aliquod Sanctorum admirandum, & quotuplex. 473
§.4. Quibus modis fiant admiranda: & primò de instinctu Dei. 477
§.5. De secundo admirandorum modo. 480
§.6. De tertio admirandorum modo. 484
5. Aliarum è Sanctorum gestis vtilitatum enumeratio. 489
6. Peculiaris quædam vtilitas obseruata. 495

LIB. VIII. De Zelo animarum.

Cap.I. De iis qui alienam salutem suis laboribus procurare non possunt. 499
2. Solatia duo, depromta ex iis quæ sibi & aliis præstare possunt. 500
3. Tertium ex aliorum labore solatium. 503
4. Quid sit zelus animarum, quæ munia, cuiusmodi instrumenta. 507
5. Zeli commendatio. 512
6. Quanta zeli necessitas omnibus incumbat. 515
7. Prudentiam zelo adiungendam. 524
8. Sua vnicuiq; tempora præstolãda. 528
9. Cur vsque adeò omnis properantia cauenda. 532
10. Cui maximè obseruanda, quæ proximè dicta. 537
11. Cuiusmodi esse oporteat eos qui se aliorum saluti dicant. 542
12. Qualesnam qui in Societate Iesu aliorum saluti incumbunt. 544
13. Quæ remissio zelum deceat. 556
14. Quando & qua ratione, ad sc ipsum reuocetur animus. 561

LIB. IX. De recta Intentione.

Cap.I. Cur de recta intentione hic. 566
2. Quid sit? ab ipsa natura petitur. 567
3. Quomodo iam dicta quadrent in hominem. 568
4. In homine quid sit recta intentio. 570
5. De intentionis rectitudine, ratione finis & electionis. 573
6. Vnde deprehendetur an sit recta intentio. 575
7. Quotuplex sit recta intentio. 578

8. *Vt recta intentio expeditè frequentetur.* 583
9. *E rebus diuinis eadem intentio frequentatur.* 587
10. *Quænam è recta intentione ortum ducant.* 592
11. *Vtilem atque commodam, nostram esse sententiam.* 597
12. *De signis rectæ intentionis.* 600
LIB. X. De Delectatione Victrice.
1. *Quanti illa referat.* 603
2. *Quid sit vera hominis delectatio.* 608
3. *De eadem ex D. Augst. & D. Thoma Aquinate:* 615
4. *Gradus & varietates delectationis* 629
5. *Ad delectationem victricem quædam conducentia.* 634
LIB. XI. Obedientiam propugnãs.
Cap. 1. *Quæ sint quæ obedienti plus negotij faceſſant.* 630
2. *De primo & maximè necesario obedientiæ fundamento.* 632
§. 1. *Difficile, sed necessarium, in quibusuis Præpositis Deum cognoscere.* ibid.
§. 2. *E diuino & humano esse aliquid mixtũ.* 634
§. 3. *Exactius, & cur exactiùs quæratur.* 635
§. 4. *Priuatæ auctoritatis à publica discrimen.* 637.
§. 5. *Auctoritatis imperãtis quãta dignitas.* 638
§. 6. *Quomodo deriuetur à Deo.* 641
§. 7. *Summa veneratione dignos, qui potestate imperandi prædîti sunt.* 643
3. *Quid benè, quidue malè iubeatur.* 646
4. *Quomodo quouis in euentu, mentis oculos in Deum, eiúsque sanctam prouidentiam conuertere possimus.* 655
§. 1. *Quid sit prouidentia.* ibid.
§. 2. *Qui sint diuinæ prouidentiæ fines: & an omnes æquè sibi proponat.* 656
§. 3. *Quid sit mẽtis oculos, quouis euentu ad Deũ tòtos tere, & quasi ab illo sic eũ excipere.* 663
§. 4. *Sanctos omnia velut à Deo excepisse.* ibid.
§. 5. *Quid Sanctos in ea mente confirmarit, & qui rerum naturam contemplarentur.* 669
§. 6. *Quid sit permissio, & an aliqua permittat Deus.* 673
§. 7. *Cur aliqua permittat Deus.* 676
§. 8. *Quomodo peccata in diuinam prouidentiam referantur.* 684
5. *Quæ à Superioribus proficiscũtur, non secus quam quæ à Deo recipienda.* 686
§. 1. *De iis quæ perferenda contingunt.* 687
§. 2. *De iis quæ agenda perperam iubentur.* 690
§. 3. *De Præpositis quos malos esse constat.* 692
6. *An diuersitas opinionum obedientiæ repugnet.* 702
7. *De rationibus diuersis, vnde Superiores & inferiores mouentur.* 712
8. *Quid sit obedientia cæca.* 717
9. *Cur hic obedientiæ gradus cæcus vocetur.* 720
10. *Quomodo ad eam obedientiæ perfectionem peruenire possimus.* 722
11. *De obedientia ad nutum.* 726
12. *Non Religiosorum obedientia, quid à Religiosa discrepet.* 727
13. *Expediatne imperiorum æquitatem, quæsitis argumentis cõprobare.* 729
14. *Expressior nonnullorum quæ cap. 1. obiecta fuerant confutatio.* 734
§. 1. *Gubernationem sola humana industria non constare.* ibid.
§. 2. *De erroribus & falsis.* 735
§. 3. *De artibus humanis & intercessionibus* 737
§. 4. *De damnis quæ emersura creduntur.* 742

LIBER

LIBER PRIMVS,

Quædam complectens quæ ad Perseuerantiam propiùs attinent.

CAPVT I.

Scribendi ratio & argumentum.

ECce tandem, carissime frater, hora illa tot votis expetita, totiesque nimiæ tarditatis incusata aduenit: opum cõmoda, gentis decora, Religionis humilitate mutasti, & à perituris ad æterna, sapienter amore conuerso, præterlabentis mundi despectum, non minùs verè quàm fortiter, toto ipso mundo maiorem credidisti. Quin etiam, vt te ipse penitus vinceres, maturo consilio, id ætatis & nobilitatis vir, vitam quasi retexere, & ad spiritus incunabula redire cœpisti, tiro inter tirones, Magistro ad nouam palæstram efformandus assides, dicentisque verba rebus ipsis expleturus, memoriæ commendas. Sic leguntur olim Isidori, Arsenij, Damasceni, splendore munerum in rep. gestorum illustres, agrestibus quidem illis, at seueris virtutum exactoribus Ægyptijs, tundendos se atque retundendos, velut ferrum in incude præbuisse. Quorum exemplo si quæ hac scriptione commendauero, præstiteris, erit quòd aliquando epinicia victori Iesu, non sine tua laude decantes.

Sed exemplo & verbis D. Hieron. malo vtilis esse monitor quàm vanus videri assentator. Hęc ergo scribo *vt intelligas tibi exeunti de Sodoma, timẽdum esse Lot vxoris exemplũ. nulla est enim in hoc libello adulatio. adulator quippe, blandus inimicus est. Nulla erit rhetorici pompa sermonis, quæ te etiam inter angelos statuat, & beatitudine* *Religionis *exposita, mundum subijciat pedibus tuis. Nolo tibi venire superbiã de proposito, sed timorem. Onustus incedis auro: latro tibi vitandus est. Stadium est hæc vita mortalibus: hic contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cælo: & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas? quam serpens comedit? Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, & rectores harũ tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus. Magnis inimicorum circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia. caro fragilis, & cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus: cùm autẽ fuerit dissoluta, & venerit princeps mundi huius, & inuenerit in ea*

Ex Hieron. epist. 22. ad Eustoch.

* *Pro* Religionis, virginitatis *est apud Hieron.*

Isaia 34. Gen. 3. Ephes. 6.

Psal. 90. nihil, tunc securus audies per Prophetam, Non timebis à timore nocturno: cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Quòd si eorum te multitudo turbauerit; & ad singula incitamenta vitiorum cœperis æstuare; & dixerit tibi cogitatio tua, Quid faciemus? respondebit tibi Helisæus: Noli timere, quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis: & orabit, & dicet, Domine aperi oculos pueri tui, vt videat: & aperti sunt oculi videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in astra sustollat, & tunc lætus cantabis; Anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium. Psal. 123. laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Quamdiu hoc fragili corpore detinemur; 2. Cor. 4. quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus; & concupiscit spiritus aduersus car- Gal. 5. nem, & caro aduersus spiritum, nullæ est certa victoria. Aduersarius noster diabolus, 1. Pet. 5. tamquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens circumit. Posuisti, ait Dauid, tenebras, Psal 103. & facta est nox. in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. catuli leonum, rugientes vt rapiant, & quærant escam sibi. Non quærit diabolus homines infideles; non eos qui foris Ierem. 29. sunt, & quorum carnes rex Assyrius in olla succendit: de Ecclesia Christi rapere festinat. Habac. 1. Escæ eius, secundùm Habacuc, electæ sunt. Iob subuertere cupit, & deuorato Iuda, ad cri- Luc. 22. brandos Apostolos expetit potestatem. Non venit Saluator pacem mittere super terram, sed Marc. 10. gladium. Cecidit Lucifer qui manè oriebatur: & ille qui in paradiso deliciarum nutritus Isa. 14. est, meruit audire: Si exaltatus fueris vt aquila, inde detrahàm te, dicit Dominus. Dixerat Abd. 1. enim in corde suo: Super sidera cæli ponã sedem meam, & ero similis Altissimo. Missisti manum ad aratrum, ineptus es regno Dei, si respicis retro: magna ergo perseue- Idem ep 10. randi necessitas: fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia; c. 2. ad Fu- (hæc pœnitentis consolatio;) sed finis: (hæc decertantis fortitudo.) Paulus malè riam. cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia; sed finis proditione damnatur: lege Ez- Cap. 18. chielem; Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit: & impietas impij Gen. 28. non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Ista est scala Iacob, per quam angeli ascendunt, & descendunt: cui Dominus innititur, lapsis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans. Sed sicut non vult mortem peccatoris tantum, quantum vt conuertatur, & viuat: ita tepidos odit, & citò ei Luc. 7. nauseam faciunt. Cui plus dimittitur, plus diligit: ab eoque plura reposcuntur, cui Cyprian. plura data sunt. Hortamur igitur per communem fidem, per pectoris nostri veram circa epist. 7. ca vos & simplicem caritatem, vt qui aduersarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus; danda opera est, vt post hæc initia, ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse; plus est, quod adeptus es, posse seruare: sicut & fides ipsa, & natiuitas salutaris, non accepta, sed custodita, viuificat. nec statim consecutio, sed consummatio, hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio suo docuit, di- Ioan. 5. cens: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & *Re- *Pro Religioso Confessorē habet Cyprianus, ligioso suo dicere: Ecce Religiosus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon

Salomon denique, & Saul, & ceteri multi, quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab ijs disciplina Dominica, recessit & gratia. Perseuerandum nobis est in arcto & angusto itinere laudis & gloriæ: & cùm quies, & humilitas, bonorũ morum tranquillitas, Christianis omnibus congruat secundum Domini vocem, qui neminem alium respicit, nisi humilem & quietũ, & trementem sermones suos; tum magis Isa. vlt.
hoc obseruare & implere Religiosos oportet, qui exemplũ facti estis ceteris fratribus, ad quorum mores, omniũ vita & actus debeat prouocari. —— & cari Deo sunt, per quorum disciplinam nomen Domini laudabili testimonio prædicatur; sicut scriptum est, Domino præmonente & dicente: Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, Matth. 5. Philip. 2.
& clarificent patrem vestrũ qui in cælis est. Et Paulus Apostolus dicit, Lucete sicut luminaria in mundo.

En quid tibi, quid ceteris tui similibus loquantur hi sancti Patres: quorum exemplũ æmulatus, inferioribus licet, minimeq; æstimandis vitibus, ijsdé institi vestigijs, deq; illius quam in semel arrepto vitæ instituto tenere debemus Perseuerantię subtilidijs institui scribere. Et quoniã vrget opportunitas, meq; non pauca detinẽt, quæ non valeo excutere, genus erit scriptionis eiusmodi, quale præsens vtilitas, meusque tum in te, tum in ceteros commilitones tuos affectus esse patietur. Nec enim ita tibi scribo, vt soli scribam, solum spectem; communem, & ad plures ab vno manantem vtilitatem sectari præstat. Homines sumus, humanæq; naturæ contagione, iisdem næuis inspergimur; leniùs, acriùs, hic vel ille; at fermè omnes iisdem motibus perturbamur, stimulis incitamur, rationibus trãquillamur: vixq; reperies, imò veriùs non reperies, quod ita vni alicui prosit, nemini vt alteri prodesse possit. non semper, nõ æquè omnibus, imò nec eadẽ iisdẽ semper adhibenda; at quod interdũ nonnullis prodest, in commune dici potest, vt opportunè cùm res, cùm tempus, cùm persona exiget, vel medicina malo fieri, vel bonum conseruari possit & augeri. Adhæc etiam, præcauenda sunt multa ne accidant; præmunienda non pauca, ne impugnari, néue possint subitaria, furtiua, insana hostium aggressione conuelli. Quare hunc mihi ordinem in hoc libello præfixi, vt cùm de Perseuerantia, paucis quæ maximè necessaria sunt dixero, quædam quæ ad perseuerandum potissimè facere videntur addam: quibus cùm nonnulla illi magis aduersantia subiunxero, tum verò argumento proposito factum à me satis credam. Vides quàm arduum, quàm expetendum sit de summa omnium virtute, imò de virtutum omnium corona consequenda disserere: ergo mei, tantum onus in tam debiles humeros tollentis, miseratio te capiat, nec voluntarium seligentis accusa propositum, sed tui caritate & amore, (cuius quanti sit vis quis ignorat?) vt supra vires auderem adactum puta, precibusque à bono Iesu impetra, vt qui linguas infantium facit disertas, is in mentem immittat meam, quæ ad huius argumenti dignitatem, suorum vtilitatem, nominisque sui gloriam conferant.

CAPVT II.

Quid sit Perseuerantia.

QVoniam rectæ operationis, omnisque virtutis tum demum solida fundamenta iaciuntur, si certa & cognita veritate nituntur: nec enim incerta vel incognita, prudenti mentis nostræ destinatione persequi possumus: antequam longiùs progrediar, quid de Perseuerantia sentiendum sit edicam.

Primò ergo sic habendum, Perseuerantiam, vt virtus est, eam denotare fortitudinem & constantiam animi, qua fit vt ne diuturnitate pugnæ fatiscens, cœpta bona abrumpat, fractusque à proposito resiliat: sed quibusuis perruptis obicibus in præfixum sibi scopum inuariato cursu ad extremum vsque decurrat.

Vide Less. de Iust. & iure lib. 3. c. 2. d. 1. & 6.

Quod vt certo tutoque consequatur, duo præstet necesse est: nam & labores atque molestiæ ex diuturnitate rei emergentes exhauriendæ sunt, atque superandæ: & in eo quod semel cœptum est, tamdiu continenter elaborandum, donec finem quem ratio præscripserat assequatur; sin minùs, & proposito & perseuerantia excidisti.

Verùm ista seu perpetuatio seu continuatio operis, non alia est, quàm vt suis statis, & pro rei natura conueniẽtibus temporibus id fiat vnde iudicari meritò possis in eodem proposito permanere: quare diuersa de diuersis rebus erit iudicatio. qui enim ab habitu, à loco, & ab instituto Religioso, vel ad momentum recedet, is defecisse, & à perseuerantia excidisse dicetur; non tamen vel à litterarum, vel à virtutis alicuius studio resilisse censebitur, qui his nonnumquam intermissis, fessas vires honesta quiete reparauerit: istud enim natura sua numquam, hoc interdum potest interrumpi.

Et verò huius diuersitatis indicationem facilè ab ipsis rebus hauriemus. quis enim non videt, institutum vitæ cuiusque sic obseruandum, vt ab eo numquam & nusquam discessionem vllam facere liceat; negotia verò cætera sic nobis esse curanda, vt nequaquam negligi, sed potiùs moderatione prudenti transigi putentur, si suo tempore intermissa, suis occasionibus resumta, vbi licet, & quà licet, vrgeantur? Quin imò, non minima hæc, seu moderationis animi, seu prudentiæ pars est, vt neque intemperantiùs, neque pertinaciùs quàm res aut tempora postulant, conatus tuos vrgeas.

Quædam sunt quæ vbi semel consecutus fueris, factum est satis; id restat vnũ vt ne perdantur: ita scientiæ, & nonnullarum virtutum quidam est terminus. At sunt alia, quæ adeò nobis necessaria sunt, vt numquam absque eis esse sine extrema pernicie possimus: cuiusmodi sunt ea omnia, quibus obseruandis per-

perpetua lege deuincímur: vnde numquam à gratia excidere, numquam sine illa, ex hac vitæ statione discedere possumus; nisi si in æternum perennaturis nos cruciatibus obligare malimus.

Perseuerat igitur seu in virtute, seu consilio, seu vitæ instituto, quicumque suum ad metam destinatam cursum dirigit, siue sit ille continuus, siue pro rei optatæ conditione ita prudenter interruptus, vt suæ, tanto velociùs ad eamdem prouolandi, occasioni vigil incumbat: non sic, si ignauia, si tædio, si pauore & languore victus otiatur, quippe tunc tamdiu à Perseuerantia deficit, quamdiu rectè cœpta enerui mente, nullaque recta ratione destituit. At verò qui indefessus porrò pergit, si in peculiarem illam, quam adamare cœpit, honesti formam itretortos animi oculos figit, vt si castitatis, si obedientiæ, si cuiusquam virtutis decorem deperit, pulcroque conatu non cessat eam persequi; hæc eiusmodi viri laudatissima perseuerantia, est quædam in eadem seu castitate, seu obedientia, seu alia qualibet virtute continuatio, fortisque perduratio: estque eiusdem illius virtutis vel modus, vel gradus & laus præstantior. Erit autem peculiaris & propria quædam virtus, quæ Perseuerantia dicetur, si quando ideo in castitate, vel obedientia, vel quauis virtute perseuerabitur, quia per se honestum atque laudabile putatur, si vsque ad debitum atque consentaneum finem perduretur. Valet autem hæc obseruatio, vt in ipso cogitationum & actionum nostrarum decursu, modò in hunc, modò in illum, modò in vtrumque affectum, incundè & non inutiliter proclinare possumus: nempe amando, vel ipsammet castitatem, obedientiamúe perdurantem, vel eam ipsam quæ in perseuerantia honesti inest honestatem, vel hæc vtraque mixtim & simul oculis mentis obiecta.

Sed est alius Perseuerantiæ significatus, iuxta quem id nominis fermè vsurpare familiariter solemus, vt denotetur eximium illud electorum donum, quo fit vt extremus vitæ limes, nonnisi gratia diuina comitante, tutante, exornante claudatur. Sed & in hac significatione nonnumquam sic nomen arctatur, vt solam illam extremam, omniaque claudentem Perseuerantiam complectatur. Interdum autem, eius complexu, omnem illam diuinarum gratiarum seriem comprehendimus, qua fit vt ab initio ad finem vsque siue sine prolapsione, siue post lapsum felicius resurgendo curratur. *Vide D. August. l. de bono perseuer.*

Et quidem vt humanæ vitæ rationes, partibus plurimis, iisque diuersissimis constant, ita sunt grauiora, leuiora, & varia multa, in quibus perseuerantiæ ratio facilior, difficilior, magis aut minùs exigitur. Minuta sunt non pauca, quæque frequentatione nimia, vel vilescunt, vel humanæ perseuerantiæ metas propemodum exeunt; quis verbo, gestu, cogitatione liberiùs euagante non labitur? Sunt, à quibus cùm excideris, contra boni quidem viri, & in officio benè sibi constantis munus feceris, vt quando in peccati aliquanto grauioris frau-

dem implicatis: at nondum tamen ab omni fortis perseuerantiæ laude deiectus esse censeris. Verùm sunt alia, vel suo genere tam singularia, vel dignitate tam eximia, vel solicitudine tam propugnanda, vt qui semel ab illorum possessione exciderit, ab perseuerantia excidisse, omnibusque vertumnis iniquissimis infeliciter agitari putetur: quid enim dixeris, aut speraueris aliud de Christiano, qui semel à fide in Deum excidat; de Religioso, qui instituti quod semel singulari Dei beneficio amplexus est, fœdus deserror euadat? credésne, vllius vmquam rei dispensatorem, vel conseruatorem bonum esse posse, qui tam certæ salutis, thesaurum tantum, tam nulla (quamcumque enim prætexuerit, præ tanto bono nulla esse debuit) qui inquam cælestem thesaurum illum, tam nulla causa sic perditè prodegit, sic ignauè manibus eripi, aut vltro etiam dilabi sit passus? vel extremæ istud est dementiæ, vel stolidissimæ ignorationis, vel improbitatis planè depositæ. Summus igitur in retinendis rebus tantis, est nobis conatus adhibendus: summa res agitur, si cedis cadis, potius est vita, quàm loco cedere; fortis miles, quid expauescis? sub oculos imperatoris Dei depugnas, eo præsente nemo vincitur, qui nolit vinci: sta, perdura, obsiste, & hoc solo debellasti.

Sed vt ad institutam Perseuerantiæ explanationem redeam, nequaquam omittendum quod benè animaduertit D. August. Aliud esse donum perseuerantiæ, quo quis perseuerare potest, quale donum in Adamo fuisse, vt in iustitia primigenia perseuerare posset, nemini dubium est. Aliud verò donum, quo aliquis re ipsa perseuerat, quod quicumque nunc à Deo accipiunt, si non lætiore, quàm Adamus, at potentiore gratia fruuntur: per hanc enim in natura fragili victorem hostem vincunt, & carnem insultantem depresso spiritui subiugando, in antiquam se libertatem vindicant. Quippe vt sanctus ille Doctor præclarè scripsit, Tanta est hæc gratia, vt non solùm per illam recuperet, quam perdiderat libertatem, & sine illa nec apprehendere bonum, nec permanere in bono possit; sed etiam eò vsque efficaciæ procedit, vt volentem hominem ad bonum volendum inducat. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam, non solùm in bono recipiendo & perseueranter tenendo posse quod volumus, verùm etiam constanter & perseueranter velle quod bonum per eam possumus. *Nunc ergo Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, tale adiutorium perseuerantiæ datur, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint.* Et mox vt doni magnitudinem ostendat, *Maior*, inquit, *libertas est necessaria aduersus tot & tantas tentationes (quæ in paradiso non fuerunt) dono perseuerantiæ munita atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis, vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique Adam & terrente nullo, insuper & contra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi*

Libr. de corrept. & gr. c. 11. & 12.

di facilitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterunt in fide: cùm videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus; isti futura, quæ acceputi erant, non viderent. Vnde hoc, nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles essent, à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis, & caritatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo, nempe Adamo, *sine peccato vllo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit; Si vos filius liberauerit, tunc verè liberieritis. & accipiunt tantam, per istam gratiã* Ioan.8. *libertatem; vt quamuis quamdiu hic viuant, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisq; nonnulla surrepãt, propter quæ dicant quotidie, Dimitte nobis debita nostra; non tamẽ vltrà seruiunt peccato quod est ad mortem.* Denique concluſurus hunc locum, *Subuentum est igitur,* inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Fortißimo* (Adamo) *dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictißimè quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictißimè nollent.* En igitur quanta, quæ per Ieſum Chriſtum hominibus donatur gratia, quibus illa votis arceſſenda, quanta ſollicitæ mentis cautione retinenda?

CAPVT III.

Quid de Perſeuerantia Concilium Tridentinum doceat.

GRauiſſima eſt ſacroſancti Tridentini Concilij de Perſeuerantia ſententia, quam totam totidem verbis referam, ſuumque illi locum à cæteris eximium relinquam. Ergo ſeſſ. 6. cap. 13. ſanam contra fatuos hæreticorum errores doctrinam ſtatuens, ita loquitur: *Similiter de perſeuerantiæ munere de quo ſcriptum eſt, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmißimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleëmoſynis, in orationibus & oblationibus, in ieiunijs & caſtitate: formidare enim debent (ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti; Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus; ſi enim ſecun-*

Matth. 10. & 24.

Philip. 2. 1. Cor. 10.

1. Pet. 1.

Rom. 8.

secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Iterumque Canone 16. definit; *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum, absolutæ & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali reuelatione didicerit: anathema sit.*

Hæc igitur vt fundamentum, vt norma dicendorum, ita posita sint, vt ab illis recessisse sit nefas. Meminerimus autem nostri temporis refutari hæreticos, qui de salute, de perseuerantia, de prædestinatione docuerunt, tam esse certum quemque debere, vt se prædestinatum debeat fide credere, eaque de re dubitare, infidelitatem esse & incredulitatem, grauissimumque peccatum. Igitur hoc esse temerarium, sana Ecclesiæ sanctæ docet auctoritas, ita tamen vt velit vnumquemque firmissimam in Dei auxilio spem collocare, in timore & tremore moderato (qualis filiorum Dei esse solet) salutem operari suam, certamque sanctis operibus facere vocationem: quod nobis per meritorum omnium fontem Iesum Christum, præstare dignetur is, à quo omnis paternitas, atque adeò omnis filiatio, omnis adoptio, & in cælo & in terra.

CAPVT IV.

Laus Perseuerantiæ.

NIhil est profectò quod ad virtutis alicuius vel adeptionem vel conseruationem nos acriùs moueat, quàm si eius præstantiam, fructus, necessitatem penitus & præ cæteris introspexerimus: hæc autem sic in Perseuerantia elucet, vt vel solo eius vocis auditu, protinus in mentem vltrò veniant. Quis enim vsque adeò tardus est, vt, cùm perseuerantiam audit, non eam virtutem cogitet, sine qua ceteræ deficiunt omnes, quæ quodammodo sola coronatur, omniumque reliquarum est extrema quædam & consummata perfectio? Ergo exquisitiore nulla probatione, sed neque longiore sermone est opus: est tamen vir sanctior audiendus, qui præclarè & breuiter in illa verba, *Sic faciebat Iob cunctis diebus vitæ suæ*, commentans ita subdit: *Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & frustrà velociter currit, qui priùs, quàm ad metas veniat, deficit.* *Hinc enim est, quod de reprobis dicitur, Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Hinc electis suis Veritas dicit, Vos estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis. Hinc Ioseph qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos, vsque ad vitæ nos terminum tegit. Hinc est, quòd per Moysen caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicèt omne bonum quod incipimus, etiam perseueranti fine compleamus. Bene igitur cœpta, cunctis*

Gregor. extremo l. 1. Moral.

Eccli. 2. Luc. 22. Genes. 37. ex vers. LXX. Exod. 29. & Leuit. 3.

cunctis diebus agenda sunt, vt cùm malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantiæ manu teneatur. Ita ille.

At etiam floridè concinentem D. Bernardum iuuat adnectere: is in quadam epistola Ianuenses alloquens, *Et nunc quid restat*, inquit, *carissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saul cùm esset paruulus in oculis suis, rex est super Israël constitutus: non perseuerans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuissent, nec is profectò priuaretur sapientia, nec ille viribus. Hoc summæ honestatis insigne, hanc totius probitatis vnicam fidamq; custodem, custodiri à vobis firmiter, hortor & precor.*

Monstrum est si humano capiti ceruix equina iungatur, aut supernè homo in atrum draconem desinat: quippe principia medijs, media extremis leni connexu, & conueniente modo aptari debent: omnino igitur monstrificum fuerit, si fortibus initijs ignauus finis attexitur. Dimidium facti, dicit quidam, qui cœpit habet. cœpisti, dimidium habes: at quid iuuat, habuisse dimidium, si potiore, quæ supererat, parte non adiecta, frustraris incœptis? numquid non iactura tanto grauior, quo etiam acquisita deperdis? tanto turpior, quo celsiore de gradu deturbaris? tanto probrosior, quo procliuius erat hostem iam prostratum, iam protritum debellare? Ecce, primo impetu, in arcem prouolasti, deiectis hostibus, effractisque repagulis, eam occupasti; annon eandem defensare, te intra munimenta continere facilius est? Constans esto, attende tibi, circumspice teipsum: sola nocere potest securitas, teporis mater, inimica vigilantiæ. Sed opportuniorem locum ista postulant: nunc autem id sit satis, vt, quoniam nihil est quod tanta perfectione inchoetur, vt possit verè & ad extremum, sine perseuerantia esse laudabile, cùm in omnibus & maximè, vniuersum rerum decursum exoptemus suo debito fine concludi, ita perseuerantiam, & quæ ad perseuerantiam faciunt excolamus, vt in ea sola, vitæ & salutis nostræ momentum omne reponamus.

At hoc ipsum quantopere ab omni anxia solicitudine segregatum esse oporteat, in tempus aliud differo.

CAPVT V.

In quem sensum de Perseuerantia scribamus.

VArium, huic Perseuerantiæ nomini, intellectum subesse capite secundo dictum est, vnde meritò quæri possit, quod ergo Perseuerantiæ genus tractandum susceperimus? Interrogatio sanè necessaria: cui tamen è primo capite responsio petenda est. hîc enim perseuerantiæ mixtum quoddam genus, & ex alijs omnibus conflatum spectato, estque ad vltimam vsque vitæ lineam, in consiliorum Euangelicorum statu constans & firma permansio. Quis enim dubitare possit, quin quicumque vitę suæ terminum in huius Religiosi stadij decursione posuisse deprehensus fuerit, is idem sanctæ perseuerantiæ numeros omnes expleuerit; vt vnum idemque censeri possit, vltimum vitæ diem in benè morata Religione peregisse, atque vitam totam laudabilis perseuerantiæ sancto fine clausisse?

Quid enim? cùm remoris & pedicis huius mundi omnibus dissectis, cùm ambitionis & voluptatum fomite restincto, cùm voluntatis propriæ effreni libertate sub iugum missa, id omne quod attrectas negotium, omnes illi quibuscum degis homines, infimi, æquales, præpositi, quasi conspiratione inita, in cælestia, in æterna trahunt; quis ab illis ad peritura respicere, & perire possit, nisi qui vitæ melioris que æternitatis oblitus prodigus, volens & sciens, perpetuandos dolores amet? atqui hanc amentissimam desperabundæ mentis insaniam, in quopiam, qui in proba Religione non reiectaneus vixerit, vmquam exstitisse quis credet? Viuunt ergo, Deoque viuunt, Deoque moriuntur, qui in sacro eiusmodi statu, Deo viuunt, Deoque moriuntur. Spes ingens, secura beatitatis arrha: tene quod tenere cœpisti; & tenebis quod numquam amittes. Esto fidelis vsque ad mortem, inquit Iesus in Apocalypsi, & dabo tibi coronam vitæ. O consolationem, ô certissimam ad omnia perferenda animationem! Ecce semitam teris illam, portam ingressus es angustam, quæ certò ducit ad vitam; caue tantùm ne aberres, ne aliorsum deuius deflectas, & hac semita ad vitam peruenies.

Ac vt ne dubites, vadem præbeo testemque Gregorium. *Quid*, inquit, *angustius est humanæ menti, quàm proprias voluntates frangere? de qua fractione Veritas dicit, Intrate per angustam portam? Quid autem latius, quàm nullis proprijs voluntatibus reluctari, & quaquauersum impulsus arbitrij duxerit, se sine retractatione diffundere?* Atqui cùm hoc summè & pænè propriè Religiosorum sit, suam vt abdicent voluntatem, in eoque toti habitent; quis non videt, quanto id accuratiùs effecerint, tanto rectiore & celeriore penna ad æternæ gloriæ metam eos prouolare?

latet? *O vita,* inquit Bernard. *ſecura, vbi pura conſcientia! O, inquam, vita ſecura, vbi abſque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione!* Felix, de illo agens qui omnia abdicaſſet, exclamat Hieronymus, *felix, & omni dignus beatitudine, quem ſenectus Chriſto occupat ſeruientem, quem extrema dies Saluatori inuenerit militantem, qui non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta: cui in introitu paradiſi dicetur, Recepiſti mala in vita tua, nunc autem hîc lætare! nec enim vlciſcetur bis Dominus in id ipſum. — Difficile, imò impoßibile eſt, vt & præſentibus quis, & futuris fruatur bonis; vt & hîc ventrem, & ibi mentem impleat; vt de deliciis tranſeat ad delicias; vt in vtroque ſæculo primus ſit; vt & in cælo & in terra appareat glorioſus.* Hoc vidiſti, intellexiſti, cauiſti, ideoque ſpretis ſæculi diuitijs & delicijs, humilius vitæ genus amplexus es: hunc delectum perpetua vitæ conſtantia ſi confirmas, en quod loquimur, Perſeueraſti. *Qui non contradicit, ſpontaneus eſt:* ait Bernard. *qui retro non abiit, perſeuerat. Securus potes pugnare, vbi ſecurus es de victoria. O verè tuta pro Chriſto, & cum Chriſto pugna, in qua nec vulneratus, nec proſtratus, nec conculcatus, nec millies ſi fieri poßit occiſus, fraudaberis à victoria! tantùm ne fugias. Sola cauſa qua perdere poßis victoriam, fuga eſt. Fugiendo potes illam amittere: moriendo non potes: & beatus, ſi pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Væ autem, ſi declinando pugnam, perdis & victoriam ſimul, & coronam.* Religio, terra eſt ſancta, quæ putentia non poteſt ſinu ſuo retinere cadauera, viuas Deo vegetaſque animas arcto complexu fouet: ſanctitudinem eius, malè olidi ſcarabæi non ferunt, aut ſecludantur, aut ſe ipſi ſecludant neceſſe eſt. Vitam amas? ſanctitatem amas? hæc te Religionis paſcua delectent, hoc viuo fonte potêris. Audi quid de cella Bernard. & quamquam id cellæ nomen minùs apud nos frequẽtatur, res tamen eſt eadem, Religioſumque ſignificari crede cubiculum, ſeu thalamum: *Cellæ, & cæli habitatio cognata ſunt. — A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur, & quod celatur in cælis, hoc & in cellis: quod geritur in cælis, hoc & in cellis. Quidnam eſt hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm ſecundùm ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, ſancti angeli Dei cellas habent pro cælis, & æquè delectantur in cellis, ac in cælis. — A cella in cælum ſæpè aſcenditur, vix autem vmquam à cella in infernum deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta, Deſcendant in infernum viuentes, videlicet, ne deſcendant morientes. Hoc enim modo ſæpè cellarum incolæ in infernum deſcendunt. Moriens autem, vix aut numquam aliquis à cella in infernum deſcendit, quia vix vmquam aliquis, niſi cælo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſiſtit. Filium enim gratiæ, fructum ventris ſui, cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit: alienum verò vel ſuppoſitum, abdicat à ſe citiùs & proijcit. A ſe inquam proijcit, tamquam abortiuum, euomit tamquam inutilem & noxium cibum, nec diu talem pati poteſt in viſceribus ſuis, officina pietatis: venit̃ pes ſuperbiæ, & abſportat eum manus peccatoris, & mouet eum, & expulſus non poteſt ſtare, ſed fugit miſer, nudus & tremebundus, ſicut Cain à facie Domini, expoſitus vitijs & dæmonibus,*

Ad milit. temp. c. 1.
Epiſt. 34. ad Iulian.
Nahum 1.
Homil. 28. in Cant.
Bernard. epiſt. 1.
De vita ſolit.
Pſal. 54.

monibus, vt qui prior inuenerit eum, morte animæ eum afficiat & occidat: vel si aliquamdiu durauerit in ea, non virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic ei cella est quasi carcer, aut sicut viuenti sepultura. Quanta sunt ista Religiosæ habitationis commoda, quanta securitas! sed ijs qui puro & sincero Iesu Christi D. N. amore semel susceptâ, eodem, atque in dies inflammatiore animo persequuntur.

Quid enim? non lenta & vacillante spe, sed ipsa propè manu, ipsis oculis & auribus, futuræ vitæ præmia præcipiunt. Quippe illis quædam numquam obliuiscenda iucundissima Veritatis vox insonuit, quam vbi penitissimis medullis mentis hauserunt, per dura, per aspera, per quæuis confragosa eunt alacres, & laboribus vires integrant. Merces, (ita sibi quisque loquitur) merces erit operi tuo: ecce propè est, fidelis est, venit citò qui dixit; *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, & fratres, aut domum, & agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Vis etiam significantiùs? *Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Erítne vt mendacij ipsa prima Veritas argui possit? erítne vt in promittendo iactantior, quàm in reddendo liberalior existat? sed apage blasphemiam. Verax est, liberalis est, & in promissis maximè. *Tene ergo quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam: miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors, ille redimet de interitu vitam tuam, & coronabit te in miserationibus, præueniet te in benedictionibus, & desiderium cordis dabit tibi; & supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur.* Nihil vt Religiosis deesse videatur, nisi vt *collaborantes gratiæ quæ eos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundùm opera eorum, sed secundùm propositum Dei, & gratiam quæ data est illis in Christo Iesu, in qua vocatione vocati sunt, in ea perseuerent*: audiantque monentem Apostolum, *Has ergo habentes repromissiones, carissimi, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed mundate vos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Matth. 19.
Luc. 18.
Apoc. 3.
Psal. 102.
Psal. 20.
2. Tim 1.
1. Cor. 7.
2. Cor. 6. 7.

CAPVT VI.

Quàm sit necessarium, vt qui semel Religionis iugum subijt, in eo semper perseueret.

HOc omnibus hominibus inditum est à natura iudicium, vt eo turpiorem putent ad inferiora descensum, quo glorioſior fuerat ad superiora conscensus: imbellis enim, omnino quę imbecillimi, nec sibi satis constantis animi est, si ab eo gradu quem semel occupasti, quemque solapotes voluntate retinere, deiici te inerti terrore patiaris. Idque locum habet maximè, in rebus eis quæ

quæ deliberantur diu, & quæ maioris ad vitæ summam momenti sunt, semelque statuuntur: quippe hîc omnis aberratio periculosior, probrosior inconstantia, effeminatior, viroque indignior ignauia. Quibus è causis alijsque quæ passim afferentur, fieri puto vt communi Christiani populi sensu, grauissima pureturi nominiæ nota, in Religione vixisse, nec viuere: nec vsquam credunt fore bonos, qui in tali sanctorum societate nequaquam boni esse potuere. Accedit vt rei optimæ sit corruptio pessima, & retrimenta putidissima: quæ ardens lucerna delectat, exstincta tetriùs exhalat: è lucidissimis angelis, tenebricosissimi dæmones: fermeque id hominum genus est pessimum, quod in melleis sanctæ Religionis fauis, venenato defectionis felle potuit inamarescere: quantopere putas ambitione, libidine sæculique vitijs in sæculo scatebunt; qui non tantùm ea in Religione numquam deponere, sed potiùs eapropter Religionem ponere voluerunt?

Sed quoniam fortiter & eleganter, in aureis de Bono statu Religiosi libris, hoc ipsum argumentum P. Platus edisserit; actum non agam, ad illum remittam in epilogo ad Religiosos, vt viro tanto sua laus integra maneat, & nonnemini fortassis incitamento sit ad totum illum à capite ad calcem sedulò volutandum. Id vnum ex eo obseruatum velim, firmis & varijs probationibus sic argumentum ab eo probari, vt frequenter & apertè, in eandem naufragantis propositi tabulam, compingat eum qui Religiosi instituti susceptionem voto firmauit, & qui nondum quidem firmauit, at firmaturus accessit. Verè etenim ab eadem inconstantis animi labe, ab amore rerum vanarum, à superbiæ tumore, à languore nimio spiritus, à neglectu salutis æternæ, à sanctæ perfectionis contemtu, ab ingrato in Deum animo, exoritur omnis illa à suscepti status perpetuitate defectio. Indeq; fit iustissimum esse, vt & ijsdem pœnis vrgeantur, & eadem Dei contemtione (quo malo quid lamentabilius singi potest?) vtrique negligantur. Sed huius rei causam ab ipsis mox fundamentis, vbi de vocationis amore agetur, arcessemus: nunc ad cætera pergendum.

CAPVT VII.

Qui sint perseueraturi: & quàm incerta sit Perseuerantia.

ET quidem id potissimè quærendum occurrit, Qui sint perseueraturi. Excitantur hac interrogatione studia, auidæq; mentes vt respondeatur vrgent: certè, affirmare nil verebor, perseueraturos eos qui suos ad huius libri præscriptum mores composuerint. Quod quia breuiter, distinctè, dilucidè (multis enim constat partibus) non nisi percursis omnibus dici potest: dicamus magis, Quàm & cur incerta sit perseuerantia.

Sic tamen ex Concilio Tridentino incertam intellige, non vt vacillantem, trepidantem, & mox imminentis casus pauore anxiam; hoc eorum sit qui de Domino in bonitate sentire nesciunt: sed incertam, hoc est eiusmodi, vt quamuis firma cum fiducia, sanctam sibi quisque de se, vel de alijs perseuerantiam, non temerarius promissor spondeat, & firmis niti videatur argumentis, falli tamen, omnisque illa quamuis probabilis spes in irritum cadere possit. Quis enim vel omnia, quæ in æuum euenire possunt tentamenta præuideat, vel præuisa, numquam laxato robore victorem se depulsurum sciat, & ad quosuis euentus, ad quascumque dubij martis pugnas, eam quæ sola victrix est, potentem Dei gratiam, secum semper permansuram, pro certo sumat? Certè cedros Libani ventorum vi euulsas, eosque qui iam altero pænè pede cælestem regiam intrarant, ad inferna detrusos luximus, vt nemini tutum sit, triumphum canere ante victoriam: victoria verò perfecta consummataque nulla sit, nisi mortali vita exuto æterna in cælis laurea donetur. Hic demum portus, hæc benè fida statio, interea spe filiorum Dei gloriemur, lætemur quia nobis dicitur, Vos amici Dei, in domum Domini ibitis, replebimini ab vberibus consolationis eius: nondum tamen peruenistis, vt perueniatis videte.

Ex D. Aug. de correp. & gr. c. 13.

Interim quamdiu in hac mortalitate viuitur, in prædestinatorum numero esse nemo de se præsumat: spe ambulet, fidelem & benignum Deum credat, qui animas nostras quas illi sincerè committemus, in beatum æternitatis diem potenter secureque seruabit. At quamdiu adhuc peregrinamur; quod nobis futurum sit æternum, occultari opus est, quando tantopere est nobis elatio cauenda, vt etiam per colaphizantem Satanæ angelum cautum fuerit, ne magnus extolleretur Apostolus. Hinc & Apostolis quasi in incertum dicebatur, Si manseritis in me: idque ab illo dicebatur, qui & mansuros sciebat, (iam enim se ipse proditor excluserat) & efficere poterat vt manerent. Nec aliter Propheta loquitur, Si volueritis & audieritis me: cùm vtique sciret ille qui per Prophetam loquebatur spiritus, quinam essent voluntatem & auditum perseuerantem præbituri. Sunt & multa in diuinis Scripturis his similia, quæ cùm sæpiùs dubitanter iterentur, non obscurè huius vtilitatem secreti nobis commendauit Deus, ne videlicet extollatur quisquam; sed quoniam occultum semper est, qui peruenturi sint, timeant semper qui benè currunt, & eo cautiùs currant, quo iustiùs timent, sitque timor stimulus & moderatio cursui, vt neque lentescat animus, nec in præcipitia decurrat, neque confragosa & intuta sectetur.

2. Cor. 12.

Ioan. 15.

Isa. 1.

Hinc etiam non solùm cadentibus miscentur stantes, fortes ignauis, boni improbis: sed etiam interdum ipsi quoque non in finem perseueraturi, tantos ad virtutem præferunt impetus, subitaque cælum rapturi videntur violentia, vt pudorem prædestinatis inferant, timorem omnibus cumulent: si enim cecidit qui

qui manè oriebatur Lucifer, si qui ambulabant in croceis stercora sunt amplexi; quis non expauescet, & infirmitatis humanæ conscius de sua sorte trepidabit? Trepidaret nemo, si nemo à benè cœptis resiliisset: & nemine trepidante, securi deinceps omnes viuerent, & benè cœpisse contenti, parum de progressione soliciti viuerent. *Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas.* Tunc demum erit illa securitas, quando (quod nunc est in angelis) in ipsis etiam hominibus erit, vt nulla possit esse superbia: quare non immeritò credi possit, ideo futuræ salutis incertum occultari exitum, vt hinc præsentissimum sit tum lentitudini, tum verò superbiæ nostræ medicamentum. Sed ipsa S. Augustini verba referamus. Is enim lib. 2. de Dono perseuerantiæ, ita loquitur: *Dilucidè ostenditur, & inchoandi, & vsque in finem perseuerandi gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari: sed donari secundùm secretissimam, eandemq; iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam Dei voluntatem: quoniam quos prædestinauit, hos & vocauit, vocatione illa, de qua dictum est: Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. ad quam vocationem pertinere, nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisi cùm de hoc sæculo exierit. In hac autem vita humana, quæ est tentatio super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe non perseueraturi, perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore, & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.*

Aug. sup.

Tom. 7. cap. 13.

Rom. 11.

Iob 7. 1. Cor. 10. Rom. 12. Philip. 2.

Deo igitur, iuxta huius sancti Patris consilium, totum demus: Deo nostro benignissimæque eius gratiæ fidamus, certiùs illi quàm nobis fidimus. Maledictus enim qui sperat in homine, qui carnem ponit brachium suum, & innixus est super virtute sua; conteretur contritione prævalida, & nomen eius è sancta Dei ciuitate delebitur. At sperans in Domino etiamsi collabascat, non collidetur, supponet Dominus manum suam, & eriget eum, & supra petram eum statuet, & firmabit gressus eius ne moueatur in æternum. Sed quoniam qui perseueraturi, qui non perseueraturi sint, definire non possum: vrgebis, credo, quod proximum est,

CA-

CAPVT VIII.

Cur perseuerent qui perseuerant, cur etiam alij non perseuerent.

CVm enim causa vel perseuerantiæ vel retrocessionis animaduersa fuerit, illam tenere, hanc cauere promptum fuerit. Quid ergo? veriúsne, & apertiùs dici potest, quàm si dixero,

Omnes qui perseuerant, ad vltimum vsque perseuerare velle, & quia ad vltimum vsque voluere, perseuerauere? At verò qui retrorsum abierunt, ideo non perseuerarunt, quia aliò conuersa voluntate, in eodem vero bono permanere noluerunt. Velis ergo, & fac vt semper indeflexa voluntate velis, (quis te volentem, vt nolis, coget?) faciendoque vt semper velis, perseuerabis. Numquid, inquis, sine Deo? absit, imò maximè cum Deo, ideoque oprabiliùs, quia cum Deo: qui si optionem dederit, vel nonnisi cum eo, & per eum bonum posse, vel etiam sine illo posse; certè longè potius est, sine illo nihil posse, & cum illo posse, quàm sine illo aliquid posse: nimis enim periculosè stat, quicumque creaturæ cuiusuis auxilio solo stat. Sine illo igitur non poteris, cum illo poteris: dedit velle, dedit incipere, dedit in hanc diem posse; idque dando, quod difficilius erat dedit: quippe facilius est inceptum bonum persequi, quàm nondum cœptum, multisque inaditu difficultatibus obseptum, aggressum esse, cœpisse, promouisse. hæc non cogitanti qui dedit; cætera, volenti, petenti, instanti non negabit: nec vmquam ille te deseret, illum nisi prior deseras.

Attamen vt prior illum non deseras, gratia, & magna eius gratia opus est; non negabit, si benè petieris, si semper gratus & humilis fueris; vt autem benè petas, vt semper gratus & humilis degas, & hoc ipsum gratia Dei nostri est: vt omnino nihil sit quod nos à nostris malis liberet, nisi gratia Domini nostri Iesu Christi Saluatoris optimi. Cùm autẽ in eius liberalissima potestate hoc esse positum sciamus, ô quantum hinc nobis firmissimæ spei accrescit! qui enim semetipsum pro nobis donauit, quid nobis denegare de suis donis posset? negat nolentibus, volentibus donat, sed & volentes facit. quid enim? Conuertimini, inquit, ad me, & conuertar ad vos: planè fideliter, liberaliter, benignè: sed & Cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur, respondet animus verax, humilis & gratus. Conuertitur, si conuertimur; conuertimur, si conuertit; adhærescimus si adhærescit, adhærescit si adhærescimus. ô profundum! ô mysterium & abyssus! ô iustissimam à diuina semper misericordia pendendi, ad eam in omnibus confugiendi occasionem!

Sed

Sed ita se rem habere, idq; quo fructu vt sciamus; occurrat nobis innumerabilia propè esse, quæ hominũ alijs dantur, aliis non dantur à Deo, apud quem nõ est acceptio personarum, neq; tamen aut tribuuntur aut negantur voluntatum merentium, aut non merentium respectu pensato. eiusmodi sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capax natura: item q́ue quæ accedunt extrinsecus, vt opulentia, nobilitas, honores, & cætera huiusmodi, quæ quisque vt habeat, nonnisi in Dei est potestate: minimè verò vel in electione, vel in hominum meritis. Iam si in tam multis hæret ratio humana, si cur vnũ alicui detur quod alij negetur, ignorat, nec huius ignorationis dolore tangitur: quid mirum si in excellsiorum gratiæ donorum diribitione cæcutiat, causamq́ue cur id ita fiat, reperire nõ possit? sed ea, vt benè quidam dixit, cur non satis rationem videamus, est optima ratio, nostræ rationis infirmitas. Hoc benè obseruauerat ille idem August. cùm scriberet: *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, quibus eã qua Christianè viuerent, dilectionẽ dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscẽs modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantum verò abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus.* Et quibusdam interiectis: *Mirandum est quidem, multumq́; mirandum, quòd filiis suis Deus quibusdam quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam, cùm filiis alienis scelerata dimittat, atque impartita gratia sua, faciat filios suos. Quis hoc non miretur? quis hoc non vehementißimè stupeat?*

August. de corrept. & gr. c. 8. *Greg. l. 9. Mor. c. 11.* *Ibidem.* *Rom. 9.* *Rom. 11.*

Ita quidem sanctus ille Pater, nihil de bonitate, liberalitate, misericordia & gratia Dei detractum putans, si merè gratis, pro diuinæ voluntatis beneplacito, efficacem perseuerantiæ gratiam illis dari assereret quibus vmquam datur. Neque verò hinc animi contrahuntur, attolluntur potiùs: numquam enim virtuti repugnare, quin potiùs nonnisi suffragari solet veritas. Quid enim? *an timendum est ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in seipso, superbißimus & infelicißimus poneret?* absit hoc à Christianis, absit à Religiosis: quos verius & sanctius est eiusdem Sancti verbis excitatos monere; *Vos*, inquit, *etiam ipsam obediendi perseuerantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo, considerẽ non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine. Et, Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniam de vita æterna quam*

Aug. l. 2. de pers. c. 22. *Ibidem.* *Ierem. 17.* *Psal. 117.* *Psal. 2.*

filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet nos perseuerare in se, vsque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem.

Quod igitur, vel timemus vel diffidimus, non de illo timeamus, non diffidamus, sed de nobis tantùm: nemo alia quàm sua culpa, nequaquam autem Dei, à perseuerantia excidit, nemo alium quàm se ipsum iure cauſſari poteſt. Qui ſuam in bono voluntatem obfirmauerit, quamdiu obfirmauerit, à bono non receder, perdurabit, perſeuerabit: te ergo obfirma; obfirmatum non reuellet Deus; firmabit magis.

Sed cadunt multi, homo ſum, humani à me nihil alienum duco; ſcio, ſi ceciderit alienum ab homine non fuerit; ſed numquid alienum fuerit ſi ſtetereris? numquid non perſtant etiam multi? fortes quàm ignauos æmulari præſtat: nec eſt capitalior victoriæ hoſtis, quàm torpens deſperatio. Panicum hunc & verè fatuum pauorẽ refellit aliquando, Græciæ os aureum Chryſoſtomus, docuitq; ſi de perſeuerantia timendum foret, iuſtiores multò cauſſas eſſe de ſæcularibus quàm de Religioſis timendi, optimæque ſpei hos eſſe longè pleniores. Primò itaque referens quid alij obijciant, ita loquitur: *Vnde nobis constabit, inquiunt, quòd stabit ille, perseuerabit, neque proposito decidet omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo: Vnde verò tibi constat, quòd non persistet, neque perseuerabit? Multi enim sunt qui perseuerauerunt, & quidem longè plures, quàm qui exciderunt. Itaque istorum gratia magis confidendum est, quàm illorum metuendum.* Docet deinceps, difficilius eſſe (quod in confeſſo relinquimus) perſeuerare in ſæculo, multis in negotijs ac implicamentis, quàm in Religioſa quiete; & addit, *Quàm igitur iniquum simul & indignum est, vbi quidem sunt spei optimæ pleraq; indicia manifesta, & viciniora, ibi desperare & tremere: vbi verò spes ipsa & longinquior est, & tantis impedimentis intercipitur, illic non desperare; imò verò rei difficillimæ spes sibi maximas proponere?* & mox; *An verò si cum vrbe, & vxore, & familia & domo, seruari quis potest; non longè id faciliùs, aptiùs, meliùs poterit, si fuerit is liber? Quid est ergo quòd salutem ibi desperes, vbi minimè debueras: ibiq; non metuas, vbi maximè pauere debuisti?* Et ſanè hoc ipſum non falsè minùs quàm lepidè à B. illo Ægidio (qui in primis Franciſcanæ familiæ enituit) viris ditiſſimis, & honore florentibus reſponſum eſſe Religioſis annalibus ſcribitur: cùm enim Ægidij preces apud Deum, pro ſe viri illi petiiſſent: Quin potiùs, inquit, meum eſt, veſtras enixiùs implorare. Mirantur illi; ſuaſque, hominum omni commodorum copia fruentium, orationes, Religioſi, & ſibi præſeueri hominis precibus non conferendas contendunt. at ille; Quid enim? pannoſus, pauper, ieiunus, aliena lege, alieno nutu viuens, æternitatem gloriæ vix trepidus expecto: vobis verò fiduciæ tantum ſupereſt, vt per honores, diuitias, & omnia ſecundiſſima, ad æternitatis palmam manus interritas porrigatis. nónne igi-

Lib. 3. cõtra viiup. vita monaſt.

igitur æquum est, vt meticuloso præsidentiores, auxilio sint & præsidio?

Certè si seposita prauæ consuetudinis corruptela, & deceptore affectu se quisque consulat, non erit qui neget, cum bonis bonum esse; sepositis ad vitia inuitamentis vitiosos mores effugere; vnà cum currentibus, rapi & currere, longè facilius esse, quàm inter malos esse bonum, inter omnis generis illecebras continentem, inter cessantes, vel etiam in contraria currentes à recto cursu non deflectere, non cessare. Ex his autem quod consequens est, confectum volo, vt, si quibus perseuerantia est facilis, illa sit Religiosis; si quibus est illa speranda, expectanda, sit sanè Religiosis, quorum vita, vt ne in prauum corrumpi, vtque in recto semper vigere possit, omni præsidiorum genere videtur obuallata. Diuina sunt, à vocatione, à prouidentia Dei, à Beatissimæ Virginis, Angelorum & Sanctorum patrocinio auxilia; diuina, an humana dicam, vel si ausim θεάνθρωπα, aut θεανθρώπινα, quæ à regulis diuinitus inspiratis, quæ à statu, quæ à præpositorum vices Dei gerentium gubernatione permanãt? & verò humana, quæ confirment, non desunt plurima, Religiosus ipse conuictus, sacrum domicilium, exempla domestica, occupationes piæ, fermeque præscriptæ: vt lædi nequaquam posse videatur, qui vel vnicum id diligenter cauerit, vt intra sua se munimenta clausum teneat, foras non euagetur incautus.

Id est, ex humano & diuino mixta.

Vide hæc in Platone l. 1. de Bono status Relig.

Magnæ sunt, fateor, & expauescendæ, huius vitæ quasi procellosi maris tempestates, sed macte animo sis, nauem conscendisti, vel veriùs, diuina largitate in eam nauem allectus es, quæ firma compage solui nequit, armamentis & omni commeatuum genere instructa est, ductoreq; sancto Spiritu, seu lene spirantibus, seu furentibus in aduersa ventis, cursum tenet, portum denique subit. Insanientis igitur mundi procellas, in tua Religionis naui quietè residens, non despectabis tantùm, sed & ridens respectabis: ingentes, montium instar, minabuntur vndarum moles, at illisæ dissilient, & in gracilem spumam dissipatæ vanescent: tu verò siccus, integer, intactus nauigatione peracta securo gaudio triumphabis. Sed verbo concludamus, perseuerabunt, qui in sua probata & verò proba Religione permanebunt. Vt autem permaneant, facient imprimis quæ sequentur.

CAPVT IX.

Quæ ad Perseuerantiam faciant.

SEd iam ad enumerationem quorumdam, quæ ad perseuerantiam maximè conducunt, veniendum nobis est. Erit quidem, quòd vel alium rerum ordinem, vel alia plura & diuersa nonnemo desideret: sunt enim plurima quæ perseuerantiam muniunt, quippe illi virtus omnis, prudentia omnis

nis ancillatur: ideò etiam plurima sunt quæ in illam insurgunt, quidquid parum, nimiùm, vitiosè appetitur, omnis perturbationum caterua, vis omnis & fraus omnis dæmonum, solam præ cæteris perseuerantiam vel aperta vi demoliri, vel occulta fraude subruere nituntur: quiddam quoque in singulis fermè hominum reperitur, quod vel nodosius & prædurius est quàm vt mollem virtutis inserendæ surculum complectatur & foueat; vel ita molle est & tenerum, vt aut primâ tentationis pruinâ emarcescat, aut vndecumque inspiratum venenum ita penitus in vitalia recondat, vt illi idem sit emori, quod eiusmodi telo impeti. Iam, id genus hominibus, vel nulla perseuerantia est speranda, vel curandum vt prædurum illud molliatur, molle istud & effeminatum duretur. quod hac scriptione nostra si non facimus, annon operam ludimus?

Sanè, si certo numero, certáque ratione, hæc morborum Ilias comprehendi posset, vtiliter in eis perscrutandis labor noster desudaret: at quomodo de animi morbis id sperare possumus, quod in ipso, licet sensu & manibus attrectetur, corpore nondum perfici potuisse perspicimus? Satis ergo sit nobis, si potissima quædam perseuerantiæ firmamenta persequamur, ea videlicet quæ maximè faciunt ad vitam suo in arrepto vitæ instituto securè pacatéque peragendam: quibus animum nostrum si probè instruxerimus, erit vnde quibuscuis vndecumque incursantibus obsistere, eodemque in gradu persistere valeamus.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Primordijs vitæ perfectioris, deque Amore Vocationis & Obedientiæ.

CAPVT I.

De prima vitæ mutatione.

QVoniam refert in omni re plurimùm, à quibus ducatur initijs, primum hoc sit perseuerantiæ subsidium, vt vitæ meliori secuturæ exordia prima concordent. *Vita Religiosa*, inquit Climacus, *in intimo sensu cordis exercetur, in operibus, in verbis, in cogitationibus, in moribus, in omnibus denique; sin verò aliter fiat, Religiosa sanè non erit.* — *Cunctorum mortalium lux, Religiosa est disciplina; si lux vertatur in tenebras, tenebræ ipsæ, id est homines sæculo addicti, quantum putas prætereà obtenebrabuntur?* Hinc meritò existimes his maximè dictum esse, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Omnino nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem.* —— *Nam & ideò plus sub Religionis titulo Deum lædimus, quia positi in Religione peccamus.* — *Criminosior culpa, vbi honestior status: si honoratior persona peccantis, peccati quoque maior inuidia.* — — *Atrociùs enim sub sancti nominis professione peccamus. Vbi sublimior est prærogatiua, maior est culpa, & ipsa etiam errores nostros Religio, quam profitemur, accusat.* Hincidem Saluianus meritò in illos acriter inuehitur, qui titulo sibi sanctitatis (hoc est Religionis) inscripto, alij sunt professione nõ conuersatione, nomenq; demutauêre non vitam, vestemq; exuêre non mentem, quasi non tam pœniteat, malè aliquando egisse, quàm emendationem promisisse. *Nouum prorsus conuersionis genus, licita non faciunt, illicita committunt.* Turpe admodum, & detestandum facinus!

Gr. 26.

Monasticã eodem sensu nuncupat.

Salu l. 3. de prouid.

Idem l. 4.

Lib. 5.

At eiusmodi quod nonnisi ab elanguida torpentis initij remissione ortum ducat. *Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* adolescentior in via spiritus est, quicumque veterem hominem exuens, nouo in genere perfectioris vitæ nouum induit: audireque debet Prophetam hortantem, *Si conuerteris Israel, ad me conuertere*, hoc est, perfectæ conuersionis culmen apprehende, ita incipe, ita ad me conuertere, vt prorsus ab aliis desinas, ad me solum totus conuertaris, aliò nusquam respectes: si de veteri morum cõsue-

Prou. 22.

tudine aliquid retines, dicitibi potest quod senatori cuidã pauca quædam reseruanti dixit Magnus Basilius, Et senatorem perdidisti, & Monachi statum non inueniſti. Dicis, Inueniam, Proficiam: at verè dico tibi, Nisi à primis initiis omnia quæ mundi sunt exhorres, nisi quæ retrò sunt prorsus obliuiscaris, nisi ad summam perfectionis ardes, nisi rumusculos & existimationem humanam penitus contemnis, posthac non facies; quin potiùs, latentia nunc, virusque suum dissimulantia, cupiditatum semina se prodent, latiusque ramos propagando diffundent.

Epist. 06. Lege Tritem. orat. 5. de 12. excid. obseru. regularis, causa 2. 32. Moral. c. 11. Audi Bernardum, & initiis tuis salubriter timere, te concitatiùs instigare incipe, *Multò*, inquit, *facilius reperias multos sæculares conuerti ad bonum, quàm vnum quempiã de Religiosis transire ad melius. Rarissima auis in terris est, qui de gradu quem fortè in Religione semel attigerit, vel parum adscendat.* Cur istud, audire si lubet, Gregorium illum Magnum referam; *Quia*, inquit, *difficile est malè inchoata corrigere, & semel formata deformiter, in melius reformare; de ortu suo Iudæa reprehenditur, quæ dum in Deo nata est, impræcisum vmbilicum retinuit.* Sed quid est impræcisum vmbilicum retinere, nisi illarum quæ in priore vita viguerant cupiditatum fibras fouere, roborare, nec elidere? Certè vt in tenellis & ab vtero recèns fusis infantibus, molle quid est & tenerum, ac in quamuis partem flexile, quod si in prauum detortum sinatur ire, mox indurescet, corrigiq; numquam, numquam in primi decoris formam redire poterit: sic eorum animis qui nouum vitæ genus auspicantur, quædam inest seu mollitudo seu ad induendam morum formam propensio, quæ dum nouitio feruore molleſcit, quamcumque quasi sigilli formam aut characterem non inuita sequitur, imbibit, alteque impressam arctissimè detinet. Tanti ergo initia tua facias, quanti vitam totam, progressum tuum omnem, cœlestisque gloriæ modum æstimasse volueris.

Doctr. 10. *Qui principio sibi ipsi vim fecerit*, inquit Dorotheus, *atque restiterit, & paulatim pugnare perrexerit; proficiet sanè, & deinceps pacem & quietem consequetur.* Sed facit huius auctoris nomen, vt, quoniam illi solenne est sua documenta, veterum dictis factisque comprobare, mihi etiam nunc allubescat nonnullorum veterum hanc in sententiam sensa depromere. In priscorum Patrum gestis lego, *Vita SS. Patrum p. 3. c. 21.* hunc in probatissimis Ægypti monasterijs viguisse morem, neminem vt in suum adlegerent numerum, nisi decem, pluresue dies præforibus monasterij perdius pernoxque perdurasset, singulorumque genibus aduolutus, repulsa contemtuque tolerato, humilitatis, perseuerantiæ, patientiæ, constantiæ specimen præbuisset. Adlectum verò (multa vt omittam) nudabant suis vestibus, monachicis induebant, non tantùm pristinum exuere hominem, sed etiam nouum, qui secundùm Deum est, induere docentes, idque vt perfectiùs efficeret, ab eo quod collibuisset arcebant, admouebant ad id à quo magis abhorrebat. Nec dissimiliter scribit Climacus venisse se aliquando ad monasterium, vbi *Gra l. 4.* mirabilem in vasis fictilibus Dei sapientiam repererit: nempe tironum recèns

à mun-

à mundi ad Christi vexilla translatorum, in ignominijs, in contumelijs, quin & persecutionibus incredibilem tolerantiam, & insuperabilem patientiam, cùm non ab Abbate solo, sed à quibusuis, triginta totos annos acerbis imperijs, conuitiis, modisque quàm possent dirissimis exercerentur. Profectò grandis Dei caritas, illa fortia pectora armabat. nec mirandum si eiusmodi tirocinio posito, exstitere tam strenui milites, tam omni perfectionis absolutione singulares. quis hodie vel sic probat, vel sic probatur? At, inquies, alia nunc tempora, alij mores aliud exigunt. Sed & alia tempora, alij mores alium fructum proferunt. Redeamus ad veteres, quorum, (vt quod sentio dicam) quàm remissiorum, te similiorem velim.

Ac in eundem sensum, deque eorumdem monasteriorum more accipe nonnulla è sancti viri Pynuphij ad eum quem inter suos cooptabat adhortatione: Noueris, inquiebat, hodierno die te huic mundo, & actibus eius ac desideriis esse defunctum, teque secundùm Apostolum, mundo huic esse crucifixum, tibique hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cuius deinceps sacramento oportet in hac luce versari, quia iam tu non viuis, sed ille viuit in te, qui est crucifixus pro te. Sed fortè dicas: Quomodo potest homo crucem suam iugiter portare? vel, quemadmodum viuens quis, possit esse crucifixus? Audi rationem breuiter. Crux nostra, timor Domini est. Sicut ergo crucifixus quis, iam non pro animi sui motu, membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras ac desideria, non secundùm id quod nobis suaue, ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quò nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur; nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniuriis, non præteritarum iam recordatur, seque cùm adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc immittens cordis sui intuitum, quò se non dubitat illico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id est non solùm carnalibus vitiis, verumetiam ipsis elementis mortuos esse: illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos. Caue ergo, ne quid aliquando eorum resumas quæ renuncians abiecisti. Caue ne parentum, ne affectionis pristinæ recorderis. Caue ne superbiam quam nunc incipiens ardore fidei, ac pia humilitate calcasti, paulatim elatus resuscitare mediteris. Angusta est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam: vnus è paucis esse ama, exemplo, & tepore multorum ne refrigesce; viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, sed pauci electi: Pusillusque grex cui complacuit Patri hereditatem dare. Hæc

Cass. l. 4 de instit. renunt. c. 34.

Matth. 20. Luc. 12.

&

& plura incipienti vtiliſſima præcepta dabat. Sed à docente ad facientes tranſeamus.

CAPVT II.

Idem Sanctorum exemplis probatur.

Vitæ SS. Patr. p. 2. §. 145. & p. 4. c. de infirmit.

QVantum putas eũ exſtitiſſe Ioannem, qui duodecim ipſos annos, Ammoni ſeni in afflicta eius valetudine ſedulum obſequium præſtitit, quamuis numquam ei ſenex niſi aſpera & immitia loqueretur? quam ſic exercitæ patientiæ conſtantiam miratus, cùm iam extremum vitæ ſpiritum, multis præſentibus ageret; Ioannem manu prehenſum ter ſalutauit, claraque voce edixit, Iſte non homo, ſed angelus eſt, qui tot annos tale mihi obſequium præſtitit numquam blandiùs compellatus. Ita ille. Sed heu nos iſtorum comparatione mollicellos & delicatulos, ita delatiunculis, opinionibus, vultuque ſeueriore deterremur! nihil agimus, niſi hominum comprobationibus excitati: vela contrahimus, ceſſamus, cœpta abrumpimus, ſi quando minùs placuiſſe coniicimus.

Vitæ SS. Patr. p. 2 §. 36. & 207. Sur in vita eius in Iulio. Doroth. doct. 10.

Vitam duxerat doctrinæ laude, opum copia, honorum ſplendore clariſſimam Arſenius. ſexageſimum quintum ætatis annum degens, iam propemodum metam attigiſſe (quantumuis ad quinquaginta quinque annos alios præterea vixerit) non immeritò videri poterat, quando perfectioris vitæ tanto eſt ſuccenſus ardore, vt penitus omnium oblitus, nihil niſi vitam nouam ſpiraret: viliſſima præ cæteris omnibus habebat indumenta, quia pretioſis olim ſplenduerat: cùm ſportas texeret, à puero, ea in arte peritiore, doceri ſe patiebatur: ad nucerãda vimina, aquam graue olentẽ adhibebat, rogatuſq; vt eam mutari, nouamque refundi ſineret, fœtentem illam malle ſe profeſſus eſt, idque pro thymiamate, pro ſuaue olentibus vnguentis, quibus aliquando vſus fuerat, ſe Deo ſuo in pœnam repenſurum, ſi fòrs inenarrabilem gehennæ fœtorẽ vel ſic euadere, & cum delicato diuite non condemnari poſſet. Cùm autem virtutibus abundaret, exiſtimabat ſe omnium vltimum: cumque eſſet plenus omni eruditione, videbatur eſſe quidam ruſticus & indoctus, & præ ſe ferebat nihil ſcire, niſi, vt dixit Paulus, Ieſum Chriſtum eumque crucifixum. Ideoque ſolemne illi fuit vt ſibi (quod alij deinceps feliciter imitati) ſæpè diceret, Arſeni ad quid veniſti? cur egreſſus è ſeculo es? nonne vt mundo morereris, placeres Deo? Totus igitur in eo habitabat, adeoque totus, vt cùm aliquando teſtamentum quo heres inſtitutus erat, ei eſſet oblatum, Quid? reſponderit: ante illum ego ſum mortuus, id verum eſſe non poteſt. illudque laceraſſet, niſi aliorum preces obſtitiſſent. Cumque ægrotanti adeò deeſſent omnia, vt eleëmoſyna fuerit ſuſtentandus, *Gratias*, inquiebat, *ago tibi Domine, quia me dignum feciſti,*

1. Cor. 2.

ad

ad hoc paupertatis deuenire, vt pro nomine tuo eleëmosynam peterem. Ecce quàm perfectè omnem prorsus mundi affectum exuerat, quàm in virum alium prorsus abiuerat.

Beatus verò Laurentius Iustinianus, in primis nouæ vitæ initijs non prudentiùs quàm fortiùs ad futura se comparans, proposuit animo hinc omnia fortunæ bona, nobilitatem, magistratus, honores, vxorem, liberos, pecuniam, & omnis generis voluptates: illinc inedias, vigilias, æstus, algorem, seruitutem, & sub præfectis obedientiam. Tum deinde, non secùs ac si medius inter illa sederet iudex: Considera, inquiebat, Laurenti quid agas: Putásne, hæc perferre poteris, aut illa contemnere? Tum aliquanto pòst ad Domini crucem conuersus: Tu es, magna cordis voce clamabat, Domine spes mea: in te posui certissimum refugium meum. Hanc elegit, hanc amplexus est, vitamque omni virtutum genere, ac maximè humilitate conspicuam transegit. *Surius in Ianuar.*

Clarus erat tum doctrinæ, tum gestorum munerum laude, sed absciſſæ & sanctissimæ Dei genitricis fauore, restitutæ dexteræ prodigio, longè clarior Ioannes Damascenus, quando vitæ monasticæ instituta subire decreuit. Præsulem adiit, noui tirocinii magistrum & palæstritam petiit, senem accepit, sanctum illum, at perseuerum. hic Ioanni leges obseruandas indixit: Nihil arbitratu suo faceret, preces, labores, sudores, lacrymas, veteris vitæ placamēta Deo offerret, mentem ab omni tumore alienam seruaret: rerum huius mūdi cogitationem nullam animo admitteret, sed in Deum omni se contentione transferret. Has Ioannes non secùs quàm Dei leges, accuratissimè obseruabat; sed subinde durioribus exercebatur. missus est Damascum, vbi illustrior fuerat, sportarum diuendendarum causa, & quidem ea lege, vt omnes simul, pretioq; longè quàm par esset maiore vænirent: quæ vtraque conditio diuturniori illū risui exponebat. subiuit libens, probraque & contumelias, similiorem illum Christo Domino reddituras, longum bibit: donec eius misertus quidam, qui olim in eius famulitio vixerat, persoluto pretio hominem dimisit. Graue quidē istud, at profectò longè grauius & enarratu horridum, quòd, cùm aliquādo importunis cuiusdam precibus flecti se Ioannes passus esset; ad versus aliquot præter senis mandatum pangendos; id adeò acerbè senex tulit, vt & grauissimè increpuerit, prostratumque, veniamque suppliciter deposcentem, cella eiecerit. Hîc se Ioannes deflere, alterumque Adamum è paradiso eiectum credere, interceſſores ad senem mittere, exambire, nullum pœnæ genus detrectare, cum hoc vno, vt admittatur iterum. quid austerus ille senex? Non admittam, inquit, nisi in inobedientiæ pœnam, sua manu, monasticarum tota Laura cellarum excrementa purgauerit. Exhorruêre qui id audiuerunt, pudebatque, tali viro tam dira responsa ferre: non sic eum, cuius res agebatur, Ioannem puduit. vt audiuit, gaudio exilijt, vel humilitatis exercitio, vel paternæ iræ placatione lætus: continuò abijt, nobiles illas manus, vnguentis antea delibutas; dexteram il-

lam, eruditissimorum librorum artificem, & ab ipso Deo redonatam, continuò fœtidissimo stercori, putentibus excrementis immergit, absportare, emundare summa cum animi alacritate incipit. Sed tantam in viro clarissimo summissionem conspicatus ille senex, obuius expansis vlnis accurrit, amplexatur, collo pendet, oculosque & manus exosculans, O me, inquiebat, beatum, qui talẽ obedientiæ pugilem in Christo genui! sic ille quidem, & meritò beatum prædicabat Ioannem. At nobis id peruidendum, vt ad eandem, eâdem forti obedientia, beatitudinem adspiremus, perfectique tironis initia propiùs aliquando sectemur.

Theodor. Stud. in eius vita.

Sed neque tacendus est magnus ille Studitæ Platonis animus, qui deliberata sæculi, diuitiarum, honorumque contemtione exultans, fidissimo quodam de famulorum grege selecto, densam in siluam abijt, nigro habitu quasi trabea se induit, attonsaque quam de more nutriebat coma, lugentem dimisit famulum: in monasterium pulla veste candidatus contendit, instat precibus, genibus aduoluitur, vt nouæ & Religiosæ vitæ rudimenta liceat inter eos ponere. Sed Abbas, cùm patriam, genus, educationem, clara omnia, & vel delicijs vel honoribus cumulata deprehendisset; Non poteris, inquit, in hac regione, in hac non mediocri vitæ duritie, monachi laborem sustinere. At protinus contrà Plato; Omnia tibi, Pater, trado, mentem, voluntatem, corpus: vtere famulo tuo vt vis, in omnibus tibi obtemperabo: iamdudum labores omnes mente præcepi, duri non erunt, quos Dei mei causa elegi, desideraui, & venio amplexurus. Nec facilior, quàm veracior fuit in promissis: sobrietatem, vigilias, humicubationem, manuum laborem, preces, geniculationes, psalmorum continuatorum cantum, tam cõtentè exercuit, quàm ceterorum nemo: at verò summa humilitate, cogitationum omnium apud Superiorem retectione, simplici obedientia, & extirpandis propriæ voluntatis affectibus enituit, adeoq; in cibo sumendo, in opere perficiendo, in sermonis charactere, & in rebus omnibus, promiscuè, communiter, & modestissimè se gerebat, vt nihil in se præ cæteris elucere vellet. Nec enim quia genere illustris erat, aut multorum ministerio vsus fuerat, viliora officia detrectabat, affectabat tanto instantiùs: sinum humeris portabat, prædium stercorabat & irrigabat, farinam subigebat, & eiusmodi plura studiosè inprimis diligenterque obibat. Quam eius ad virtutem contentionem obseruans Præpositus, currenti calcar addebat, duris eum exercebat imperijs, coram hospitibus peregrè venientibus increpabat austeriùs, ille verò increpationes non minori excipiebat lætitia, quàm ceteri laudes. Cùm interdũ audientibus fratribus Plato prælegeret, idque peremendatè faceret, iubebatur (ac si perperam legisset) alio quodam tenôre, seu, vt vocant, accentu pronunciare, ipse verò verecundè & timidè voce sua emendantis tonum quàm poterat proximè imitabatur. Rusticum eum, ignobilem, infimæ sortis hominem nuncupabat aliquando Pater spiritualis; annuebat: ignauus & monasterio inutilis si au-

si audiret, ita sibi videri, fatebatur. dixisses eum pasci conuitiis, contemtu erigi, contumeliis enitescere. Denique sic exarsit imitandi Christum, voluntarieque patiendi desiderio, vt multis precibus ab Abbate contenderit, vt pugnis & alapis cæderetur. diu multumq; rogatus Abbas, videntibus & admirantibus multis id concessit, spectaculo pænè fidem excedente. iubebatur frater quidam alapas, pugnos, verbera incutere: vrgebat iussio, percutiebatur; at percussore lacrymante, ridebat, lætabatur, gestiebat præ gaudio percussus, id vnum sibi iucundum & glorioſum credens, si pro Christo dolere, pati & contemni daretur. Ecce animos, verè ab omnibus huius mundi rebus abhorrentes: ecce iudicia, humanis nostris iudiciis cupiditatibusque quàm diuersa: ecce quam dixit quidam, sapientem insaniam vidimus, laudauimus: & vsquequo quod laudare delectat, imitari pigebit?

Longiùs me abripiunt, prolixioremque faciunt hæc heroica sanctè incipientium, sanctiusque pergentium Sanctorum facta, te tamen Carolomanne præterire non possum; nimius est, seu tui nominis, seu exempli splendor, cæcus sit cuius in oculos non incurrat. Patruus Caroli Magni Imperatoris fuit, Pipini regis frater natu maior, & ipse Germaniæ rex, rerum fortiter feliciterq; gestarum laude clarus, rebellantes Aquitaniæ & Baioariæ principes contuderat, grassantes Saxones prælijs fregerat, noua tentantes Alemannos coërcuerat, partaque victoriis plurimis pace, nominisque gloria, modestè & sanctè ad diuini cultus propagationem vtebatur: cùm ecce celsæ illi menti, nec iam habenti quò in terris adspiraret excelsiùs, diuiniores faces subiecit Deus, & in nouas flammas nobilis animi fomes exarsit. Parum visum est, labores bellicos, pacis opes & consilia sacrasse Deo, se quoque & sua omnia perfectissimè abdicata Christo Domino suo tradere decreuit: relictoque regno, & patria, Romam abiit, & in Soracte ædificato monasterio, monachi habitum, sed multò magis animum induit. Quippe generosus ille athleta, non inchoatam, sed absolutam consummatamque perfectionem adamans, ad sublimem Christianæ perfectionis verticem euolare gestiebat, non sibi blandiebatur externis, nec latentem includi animo principem sinebat; sed antiquo homine depulso, in hoc intentus incumbebat, vt ab omnibus quæ mundi sunt esset alienissimus. Cùm igitur in Soracte degere sciretur, famaque, quod necesse erat, tanto celebraretur, quo rarioris & mirabilioris esset exempli, & vnde contemtione minuebatur, inde verior illi gloria crescceret, eumque venerabundi plurimi inuiserent: cœpit qui nec hostiles vmquam incursus expauerat, nec arridentis fortunæ blanditiis illectus fuerat, amicorum interuentiones quietis Religiosæ nimis inimicas extimescere, & insidiosas vanæ gloriæ tendiculas, periculosumque, quo & fortissimi ceciderunt, superbiæ pedem vereri. Clàm igitur inde se subducit, nullaq; re secum asportata, egenus & inops Cassinum petit, Abbatem euocat, ad eius genua ignotus ille rex prouoluitur, moxque in terram

Baron. tom. 9. anno Christ. 747.

quàm longus erat corruit; se multorum criminum reum, pœnitentiæ locum poscere, in alieno solo exilium eligere, vt ne in æternum cælestis patriæ extortis esse cogatur. Tanti ergo, vt rebatur, peccatoris misericordia permotus Abbas, eum suorum numero adscribit, iubetq; tanto virtutem, animumq; illius periclitari accuratiùs, quòd barbaræ ignotæque gentis homo videbatur: at semper & patientia, & omni virtutum genere claruit, ad vilissima coquinæ ministeria promtus, ab insolente coquo & alapas & acerbas verberationes æquissimo animo tulit: hoc vnum molestissimè tulit, hoc fusis lacrymis à se amoliebatur, quando mox pro Carolomanno agnitus à Fratribus honorabatur. Verùm qui venerat opprobria Christi secuturus, illis carere noluit; sed cùm semel extra castra exisset crucis improperium portans, iisdem vilissimis mancipari seruitiis exoptauit. nec Abbas Petronax tantæ virtuti exercendæ defuit, monasterij ones ad pastionem educendas, custodiendas, reducendas ei tradidit. ô mutationem! annon dexteræ Excelsi? itáne rex in opilionem, sceptrumq; mutatur in vile pedum! felices, id si nossent, tanto pastore ouiculas! quàm gratũ fuit sanctis angelis adspectare regem, Christi sui summi pastoris amore, pastorem ouium factum, tantaque, quanta numquam regnum, cura illis assidere, instare, prouidere, & in vile istud ministerium omnes animi corporisq; vires cum gaudio effundere, quasi tum demum beatum se crederet, si quàm abiectissimis Dei causa perfungi posset! Irruerunt aliquando in gregem, ouiculas direpturi latrones: at bonus hic pastor, nullam penitus auferri passus, eis occurrit, minorem sui quàm ouium curam gerens; itaque homines efferi, malè acceptum despoliant, sed nuditatem nudo Christo, magna animi alacritate consecrauit. ad monasterium rediit, tantamq; patientiam & exstimulaturus & periclitaturus Abbas, vt fatuum, segnem, improuidum obiurgat: at patientissimus vir nusquam obluctando, non aliud quàm se peccatorem, se reum esse profitetur: ergo quasi inutili, quin & detrimentoso, contemtim, tegendo corpori, vilia panniculamenta traduntur. Mirandi finem non facerem, nisi noua magis miranda succederent. ô virum mundo mortuum, suæq; contemtionis celebriora documenta dare promtum! Oues à pastu cùm aliquando reduceret, ægra quædam claudicare cœpit: vrgebat serus vesper, ad caulas, nisi festinando, reduci non poterat; cæteras hæc vna morabatur, nec poterat claudicante gressu consequi. quid ergo nobilis opilio? ægram sustollit in humeros, pioq; onere alacrior vrget reditum, citatiore passu reuertit; at ecce, vt ad virtutis cumulum nihil deesset, quæ humeris deportabatur ouicula, copioso gestatorem suum lotio perfundit. quas ille sordes sentiens nihil offensus est, nihil commotus, non eam deposuit, non se fœdatum putauit, ad stabulum vsque perseuerans portauit. Obstupuit tanti viri mansuetudinem, ac regiam humilitatem Abbas, eumque diuino spiritu plenum animaduertens, à tam operosa curatione, ad aliam quietiorem transtulit. Hæc sunt, hæc omni imitatione, sedulaque recogitatione digna facinora!

nos

nos verò perbeatos, si ad eiusmodi incipientium normam conantes, vltima dies deprehendat!

Omne imperfectum, & solummodo inchoatum, inquit S.Basil. *molestè fero. nam & iniucundum spectaculum est, imago ex dimidio expressa: inutilis verò est professionis labor, viatore ad propositum finem & præfinitam stationem non perueniente. Et qui in stadijs currunt, vno sæpè passu relicti à brauio excidérunt.* Si igitur nihil in tota vita Religiosa esse oportet imperfectum, omnino conuenit vt principiorum ratio maxima habeatur; nam, vt prouerbio fertur, magnorum fluminũ sunt etiam fontes nobiles: ingentis & ad cælos vsque attollendi ædificij firmissima sunt fundamenta iacienda, &, si vsquam, hîc certè valet, vt paruus error in principio, euadat in fine permagnus. Macte igitur animo, eiusq; quæ per te in cælum erigenda, & æternitati sacranda est totius ædificationis expressam ex hoc nunc delineationem describe, solidiora fundamenta pone, nec nimium ab eo quod futura, quod exoptanda est, abludentem adumbrationem exsculpe. Orat. in Iulittam.

CAPVT III.

Quæ sint ea vitia, quæ ab initio contracta, vix deinceps corrigi possunt.

SEd aduersus ea quæ tum aliunde, tũ è D.Greg. & D.Bernar. protuli, occurret subtilior quispiam: Itáne initia vocas, fundamenta dicis, quæ totã exædificationem complectuntur? quid enim? si propè nemo Religiosorum est, qui à primo nouitij feruoris gradu, vel tantillum adscendat, numquid non idem est & initium & finis? exædificasse, & fundamenta iecisse? Hoc autem parum certè probabiliter videtur dici: quid enim aliud est, quàm desperatione sui, Religiosos à cura perfectionis arcere, quàm veteranis nouitios exæquare, infructuosos vitæ longioris annos pronunciare, nouaq; & ab omnibus explodenda doctrina statuere Religionem non quidem perfectionis adipiscendæ, sed vel statim adeptæ, vel numquam adipiscendæ statum esse? Quæ si, vt concedi necesse est, falsissima sunt, id quoque vnde ista sequũtur euertendum est, & asserendum faciliùs esse in Religione, quàm in sæculo, à deterioribus ad meliora conuerti: indeverò præterea conficietur, primorum quidem initiorũ, si præclariora fuerint, magnam omnino, vt in alia re quauis, vtilitatem esse, at nequaquam necessitatem tantam quanta dicebatur.

Grauis hæc est, at quæ dilucidiùs rem totam commonstrabit obiectio: quippe pro verissimo est habendum, quædam esse perfectioris vitæ fundamenta, quæ nisi ab initio iacta, aut si oscitantiùs iacta sunt, ægrè admodũ ædificatio spiritualis assurget, eiusmodiq; Religiosus etsi in perfectionis acquirendæ statu viuat,

viuat, eam tamen suo ipsius vitio, sed vitio radices ab initijs ducente, numquam acquiret. Ideoque licet eiusmodi viro actionibus ex mediocri quadam virtute repetitis possit meritum numerosius accidere, id tamen vniuersum ad perfectionis summam nihil proficit, iacet in postremis, eoque quo primùm cœpit in gradu consistit. Quæ autem sint hæc tantopere in primo vitæ melioris exordio fundanda, diuino fauore fretus enumerare aggredior.

Refert sanè plurimùm, longeque quàm dici potest, pluris æstimandũ, quem sibi quisque in rei alicuius aggressione finem statuat. quippe ratum est optata consequi; perfrequens verò, intra vota subsistere; sed inauditum, vt adblandiens felicitas, vltra metas desiderij prouehat. Beatum se quisque credit, cùm id quod volebat, obtinere potuit, cumq; obtinuerit, laboris curam ponit, partis lætus fruitur. Videat igitur quisque quem sibi perfectionis finem ponat, qua de rebus sæculi, Religionis, aut suis existimatione imbuatur: vix enim fiet vt alius euadat quàm pro huius æstimationis modo. Is ergo qui Religioso iugo ceruicem subdere vult, mente sic affici debet, vt ardenti summæ perfectionis desiderio flagret, nihil elanguidum aut modicum conatibus præfigens: omnino permagni faciat quidquid ad spiritum attinet, nihil paruum reputans quod perfectioni officit; ideoque seria peruigilis animi solicitudine preces & orationes obeat, conscientiæ abditiora scrutetur, erratorum pœnas exigat, neque sibi vlla in re blandiatur. Præterea sibi certò persuadeat, aspera, humilia, crucem & mortificationem amplectendam, Christum crucifixum sequendum, ideoque nihil præter spem euenturum, nihil à vitæ suæ rationibus alienum, quandocumque in eum asperiora multa, etiam quasi agmine facto, numeroque & grauitate obrutura irruent. Ex hoc nunc desisse se suum esse, non sibi se, sed Religioni, & in ea Deo, & mori, & viuere: omnis vt sit vel negotij, vel otii, vel valetudinis, vel mortis, vel vitæ cura ponenda, sed Præpositis & spiritualibus patribus tota committenda. Ipsos autem Superiores, eorumque iussa omnia diligere, venerari, & vt planè Dei auctoritatem maiestatemque referentes, cum omni iudicij summissione obseruare consuescat; parique in ceteros omnes affectu redundante, fratres omnes, siue seniores, siue iuniores adamet, colat, vt Dei filios, sibique præpositos, quorumque consortio sit indignus, diiudicare caueat, quin, miretur semper & collaudet. At verò, ab omni penitus rerum sæcularium cogitatione, æstimatione, desiderio abhorreat; quo loco, quibus sit parentibus satus, propemodum si fieri potest ignoret. iudicia humana, blandiorem laudationis auram auersetur & pro nihilo ducat, hominum contemtione quàm existimatione securior.

Ecce quæ prima existimo Religiosæ vitæ fundamina, mundanæ, & suis arbitrijs, commodis, ambitioni assuetæ vitæ prorsus aduersantia: quæ quo certiùs firmata fuerint, eo sustentandis summæ perfectionis culminibus erunt aptio-

aptiora: nec dubium, quin quicumque sic cœperit, dummodo sibi inuigilet, longè admodum in perfectione sit progressurus. Progredietur autem (quantum capere possum) eodem quo cœperit in gradu, id est eadem via, methodo & proportione progrediens. Sic enim intelligendum, & ex hoc sensu verum fructum percipiendum puto, vt dicatur Religiosus non vltra gradum cui primò institerit pergere, non quidem quòd in vno & eodem semper quasi vestigio fixus inhæresçat, sed quòd ab eo à quo semel cœperit virtutis gradu, id est remissione, languore, incitatione, vel feruore, & huius ipsius remissionis, languoris, incitationis, aut feruoris modo vix tantillum se patiatur dimoueri. Quod non absimile est abs illo itinere, quod cùm aggrederis in plura admodumque diuersa discinditur, planum vnum, cœnosum aliud; aliud in montes, aliud excurrit in siluas; at eiusmodi sunt singula, vt vallis & fossis circumscripta, transcursum ex vno in aliud haud præbeant: certè & antequam vni te committas, dispiciendum, inquirendum accuratè quò ferat, quibus lacunis, anfractibus, præcipitijs & periculis pateat; sin autem audes temerè, serò lugebis, &, si auiam selegeris viam, in ea progredieris quidem, at eadem, & nullo progressu, nihilque tibi nisi labor accedet. Haud secùs hîc accidere credo, qui spirituale stadium decursurus, viam aliquam certis limitibus comprehensam ingreditur, ista procedet, nec facilè fuerit vt semel initam vitæ rationem & modum meliore commutet. retrocedere, elanguere, aberrare, & ab incepto resilire facilius est; at susceptas penitusque hausstas, de modo viuendi persuasiones, quasi colores quibus prima & pura lana infecta fuerit, abs obscurioribus & nigricantibus in illustriores & purpurascentes emutare, quantæ id operæ, quàm mirabilis artis fuerit!

Sed apertiùs hoc totum fiet, si vt feruidiora & probatiora, ita remissiora & à quibus cauere debeamus proposita, breui summa recensеam. Sunt enim qui ad Religionem accedant vecordi quadam, præque segnitie emarcida mente; humi reptantes, nihil magnum, excelsum nihil audentes: maius aliquid & dignius de perfectione non cogitant, nullumque ad eam ardorem animi sentiunt, calonum & lixarum de frumentatione & prædatione, non verò militum de victoria deque hoste fundendo solicitorum similes. Hinc illos videas humana de se iudicia formidare; crucem, humilia, aspera cautè subterfugere; non alijs obsequi, sed suis alios rationibus obsecundare velle; sectari molliora, honoratiora, carnique placentia: quæcumque spiritualia sunt negligenter & remissè fiunt, oratio tepidior est, conscientiæ discussio sine accuratione, emendatione, dolore vero: non abdicant eas quæ à rebus creatis hauriuntur consolationes, putant sibi eos quærendos esse socios qui lepidiores, ad risum & iocos proniores, maturaque suæ sint gratiores: amicitias & familiaritates domi foriscj; contrahere appetunt, cognationis & consanguineorum res magno affectu complectuntur, se libenter ad exteriora diffun-

diffundunt, mentemq; inani vanissimarum cogitationum turba confundunt: industriæ suæ confidunt, amicos & patronos habere magnæ auctoritatis viros, pulcrum & securum putant, quare omnibus modis hos obseruant, adulantur; res suas sincerè & plenissimè Deo non committũt, sed prouidentiæ humanæ, & Superiorum affectibus omnia tribuunt; se magnos aliquos futuros esse credũt. At sanè quicumque eiusmodi est, vix ac ne vix quidem in Religione perseuerabit, aut si quadam naturæ mollitie perseueret, ne hilum quidem à primis initijs proficiet.

De quo vt iudicari possit, certum est rarò ista vitia ita se statim prodere; sed vnusquisque explorare se rigidè debet, quàm præclarè de perfectione sentiat, quem sibi progressus finem ponat, an mortificationem adamet, voluntati & iudicio alieno potiùs quàm suo obsequi cupiat, spiritualia diligenter obire desideret, defectus minimos magni faciat, Deo confidat, Superiores suspiciat, nihil suũ, nihil suorũ quærat, cupiatque neminem ex hoc nunc nisi solum Iesum nosse crucifixum: si quid animo suo reperit inlatêre, quod à perfectione maiore, à sui perfectissimo contemtu etiamnum sit alienum, id funditus exstirpare, planeq; nihil quod mundum, quod veterem hominem sapiat, fouere conetur. Nocet & plusquam dici potest nocet, omnis sui ipsius, suorumq; iudiciorum existimatio & cura, omnis in perfectione generatim amanda tepor, omnis Superiorum depressio, aut de ijs diffidentia, omnis minor in diuinam prouidentiam fiducia, omnis in humanas artes præfisio, amor omnis cognationis & sanguinis, & denique omnis in remissiones, in res carni iucundiores cum veræ mortificationis horrore profusio. quòd si harum rerum neglectum exigui momenti esse, nec de earum depulsione sollicitum esse oportere putatis, qui vitæ spiritualis tirocinium ponit, & eam tabificam opinionem, antequam roboretur, non statim à primordio deponit, profectò nihil vnquam magni perfectiue abs illo expectandum erit.

Hos igitur torpentes, alteróque quasi pede claudicantes, nec Dei, nec mundi totos, refuge; præclaros illos, æternaq; laude dignos, quos antè memoraui, athletas æmulare, teq; ipsum perfectionis omnis desiderio tam vegeto, tamque latè patente succende, vt ab illa in posterum vestiganda numquam cesses, idque omne, id solum tibi sit iucundum, quod carnis edomandæ, spirituum comprimendorum, perfectionisque in vita Religiosa consequendæ materiam præbeat. Perge porrò, nec vnquam cesses, attende tibi ipsi ne deorsum delabaris, ideoque vsurpa frequentissimè celeberrimum illud, Ad quid venisti? quod quamdiu sedulus audies, numquam ab altiore gradu ad inferiora labêris.

Verùm priusquam hæc concludo, duo in vniuersum monebo: Primum, Vnicuique prouidendum esse, vt eam ingrediatur viam, qua semper ad altiora sit progressurus: eiusmodi autem via esse videtur illa, quæ moderata solicitudine & timore castigante, ad summum perfectionis culmen auida contendit, quæ

quæ partis otiosa non incubat, nec pacis securitate solutior, cauere sibi desinit, at semper spiritualibus lucris inhians, sua ex omni re compendia venatur. Hanc inexplebilem perfectionis sitim quicumque incipiens secum attulerit, quique illam crebris desiderij flabris iritare perrexerit, dubio procul is in virum suis omnibus numeris perfectum euadet.

At (quod alterum est) si quo modo iter eiusmodi non arripuerit, inferiora tepidioráque secutus, eritne quasi re conclamata desperandum, omnisque de perfectione consequenda cogitatio deponenda? minimè sanè; nimis enim pernicioſum est, si ad meliora aditus occludatur, quippe, vt benè dixit quidam, *Nemo se mutat, qui se mutari posse desperet.* Verùm non hæc tibi, non aliis incipientibus loquor, quos minimè oportet vana in futurum dilatione delusos, languidiores in re præsenti conatus afferre. Illis loquor qui sua remissiora damnantes initia, assueto & veteri generi vitæ, inassuetum nouumque vitæ feruorem, quasi sterili oleastro fertilem oleam, inocularе prægestiunt. *Mart. Dumiensis de morib.*

His ergo paucis edico, vt teporis inoliti causas omnes acutissimè præuideant, modos & vias vincendi statuant, leges condant, & cauendorum faciendorumque seriem statam constanter decernant: ingenti animo sibi vim inferât, omnique anteriora retractandi pudore depoſito, palàm verbis factisq; profiteantur, nunc se alios induere mores, respuere pristina, perfectiora vestigare. Arduum videbitur, risus excitabitur, iritamenta insidiabuntur, potenter vetus assuetudo retrahet: at mens obduranda, perfringendi primi aditus, rumusculi aspernandi, concitatior gressus vrgendus, perstandum, durandum, euincendum est: ac si fòrs comperire possint, quo in egregio facinore suos valeant animos frangere, singularem de tepore, deque iudicijs hominum victoriam reportare, si constanter & magno animo aliquoties ipsi se ipsos ita superarint, multùm ad victoriæ summam, vitæque nouæ laudem profecerint.

Arduum sanè est, vbi eadem omnia in sensus incurrunt, eadem in domo, ijsdem conuictoribus, occupationibus & occasionibus ijsdem, à laxiore vitæ disciplina ad seueriorem redire, eundem, in ijsdem, alium tamen euadere: ardens tamen & serium, diuina protegente gratia, propoſitum, id non solùm imperabit, sed impetrabit etiam. At sicubi quibusdam interuallis in quemdam nouum gradum itur, sicubi habitationis & occupationum initur nouus quasi decursus: tum sanè consultissimum est attentè præmeditari, quid tibi adhuc defuerit, quod additum voles postmodum; qualem te, quibúsve virtutum numeris absolutum præstare voles: id verò omne quod contenta prece, intentaque plurium dierum consideratione obseruaueris, scriptoque, ne memoria excidat, commendaueris; quadam sapiente pertinacia tene mordicus, neque inde te vel latum vnguem, donec insueueris, patiare diuelli.

Huius autem quasi post quædam internodia capessendæ mutationis opportunitatibus nostra Societas abundat: quis enim, si modò benè velit, id non possit in Collegiorum, aut Professionum mutandarum tanta crebritate? quis idipsum cumulatiùs non præstet, dum toto tertio anno vitam relegit, nouamque spiritus decursionem quasi à carceribus exorditur? sunt aliæ plurimæ vel ab ordinibus, vel à gradibus, vel à variis vicissitudinibus opportunitates, quas quilibet non indiligens progressionis amator obseruabit: ijsque ita prouidè vtetur, vt quamuis nos mutationum in meliùs malè subpudere soleat, eam à se calumniam dispellat, magisque à rebus ipsis in consilia noua inductus, quàm præteritorum pœnitentia permotus fuisse videatur.

Tunc autem, & quandocumque nouam vitæ redintegrationem aggredimur, summa illa, quam diximus, principiorum ratio est habenda, vt feruentissima, vt perfectissima, vt ab omni eo quod carnem, sanguinem & mundum redolet, sint quàm maximè aliena: cùm enim hæc instauratio sit quædam vitæ spiritualis repetita natiuitas, non minoris & ipsa solet esse momenti. Habet (quod ipsis primordijs inesse diximus) suo etiam quodam modo, molle quiddam & tenerum, quod vbi in formam certam iuerit, nec aliam potest induere, nec imbibitam potest exspuere. præterea primi illi in omni negotio impetus, si valentiùs incubuerint, potissimis nobisque penitissimis perfectionis obicibus perrumpendis, viaque ad cætera omnia complanandæ aptissimi sunt: vim etiam & motionem excitant, ex qua postmodum eodem incitatu pergatur; persuadent, & quodammodo cogunt, vt, nisi leues & inconstantes haberi velimus, eâdem celeritate pergamus; cumque ardentiores animos & vegetiorem spem aggressio prima secum ferat, si eam quoniam elanguida est, victoria exoptata destituit, languor & desperatio æternùm obsessura & oppressura consequetur. tantum in omni re prima valet aggressio. Det nobis summa Dei bonitas, & semper bona omnia fortiter aggredi, & fortium initiorum non degeneres exitus consequi.

CAPVT IV.

Ne simus in amando præcipites.

POsitis quæ diximus initijs, proximum videtur vt inde præcauendi ducamus initium, vnde omnis affectuum & operum originatio profluit. *Grandem vim obtinet vera dilectio*, ait quidam, *& qui perfectè amatur, totam sibi amantis vendicat voluntatem. nihil est imperiosius caritate. Itaest, fratres, neminem suspicit amor: sed ne despicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè se amant: & in seipso celsos, humilesq; contemperat; nec modò pares, sed vnum eos facit. Amor sibi abundat; amor vbi*

Ep. 14. apud Hieron.

Bern. homil. 59. in Cant.

vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus. Propterea qui amat, amat, & aliud nouit nihil. Regius omnino est, & vbique imperare natus: si vsquam violentior incubuerit, modum nescit, torrentis in morem rapit omnia: si introrsum semel in animum irrepsit, dominatur, nequit excuti, tam initio blandus, quàm occupata mentis arce ferox. Magnum, si rectus fuerit, ad bona omnia præsidium! nec reperit certius ad exscindendas prauas cupidines scalprum vllum Magnus ille Basilius, quàm si meliora in delicijs essent; quippe vt clauus clauum, sic amor amorem pellit. *Idem hom. 83.* *Quæst. 30. breu.*

Quid ergo? An de amoris natura, gradibus, prauitate, rectitudine, vniuersaque, quanta quanta est, varietate disseremus? ingentium hoc esset voluminum, nec satis huic nostræ commentationi conueniens. Quare tria tantùm de amore cupio commendata, sed tanto commendata fortiùs, quo fuerint tradita breuiùs, vtiliùs obseruata.

Primum ab eodem Magno Basilio desumatur. Vt, si volumus inuulnerati ad immarcescibilem gloriæ coronam peruenire: quis autem id nolit? animæ nostræ oculos, vndequaque vigilantes circumagamus, omniaque quæ iucundiùs arridere viderimus, suspecta & velut insidiosa caueamus, statim prætereamus, nulli mentem adhibeamus. quid enim? nouit insidiator animæ nostræ dæmon, nullo præsentiore toxico illam infici posse, quàm si desideria, concupiscentiam, amorem nostrum venenarit. ergo communis ille hostis, sub omnibus iucundis rebus delitescit, respectat an aspectu, an affectu, alicuius rei deliniti possimus inescari, eamque protinus obijcit, vt hausto amoris hamo inuitos trahat, nec iam possit excuti, qui intima penetrauit aculeus. *Orat. ne rebus temporalibus affigamur.*

Sic igitur amori nostro cauendum, vt ne vmquam ad illa quæ naturæ nostræ blandiùs inserpunt, facilem se adplicet; horreat potiùs, & admittat numquam, nisi acriter priùs & seuerè, ne quid subesse fraudis possit, excusserit. O quantum, ad certam perseuerantiæ coronidem, valet hæc cautio! vix reperias, qui aperta vi, qui derepentè volens & sciens, ab incepto perfectionis tramite desciscat. At verò cupiditatis fomitem tenuioribus initijs incalescentem, nisi reprimimus; in flammas abit, secum aufert, rapit omnia, viresq; acquirit eundo, & quæ primùm, adpressâ manu, opprimi poterat flammula, mox tantopere sæuiens debacchatur, vt vel solo cogitatu tentata irritetur, multisq; sudoribus, longos per annos, erectum virtutis ædificium, luctuosam in fauillam redigat.

Casum hunc infelicem quicumque perhorrescis, fidelis Christo miles, consuesce iucunda formidare; ardua, molesta, sensui naturæque ingrata præ cæteris elige: duci tuo similior, illi gratior; eius præsidijs confirmatior euades; *reprobauit malum, elegit bonum*, quando diuitijs, honoribus, commodis omnibus (quibus affluere poterat) despretis, pauperem, contemtam, laboribus & doloribus exercitam vitam selegit. Qui hoc habuerit, annon erit sicut mons Sion qui non commouebitur inæternum? quid enim tam forti animo iniucundum, nisi fortè

ipsa iucunditas incidet? quis illum *à caritate Christi separabit? tribulatio, angustia, fames*, opprobria, timor, tentatio, aduersi rerum exitus, hominum siniſtra iudicia, corporalis languor, graues intus & foris afflictationes? quin potiùs in his & similibus conquiescet, amorem suum amara sitientem leniter sedabit, gaudebit inamarescere temporaria, quo plenius & certius à fugientibus ad æterna se recipere, & in his totus habitare pergat.

Certè istiusmodi hominis perseuerantiæ quid magnopere timendum sit haud video: quippe in sic affectum animum, vniuersarum virtutum chorus protinus illabetur: illi enim neque in tolerandis aduersis fortitudo, neque animi ad res arduas aggrediendas excelsitas, neque ad non ambiendos, imò fugiendos honores moderatio, neque sui præ cæteris contemtio, neque diuinæ gloriæ vndequaque propagandæ studium ardens, neque vlla illustrior alia virtus deesse poterit, vt cuiuis in rem ipsam propiùs contuenti patet, & ex eo consequi necesse est, quòd se totum à perituris abstractum, ad æterna & diuina sola conuertit.

CAPVT V.

Sit & vigeat Religiosus amor.

SEd addamus & alterum, quod recti amoris naturam explicatiùs proferat. Tuus in quacumque re amor, sit AMOR RELIGIOSVS: nihil velis, agas, suscipias; nihil fugias, auersetis, impugnes, euertas, nisi verè & sincerè amore Religioso ductus; omnem animi tui motum præcedat, comitetur & sequatur amor verè & sincerè Religiosus. hoc si seruaueris, perpetuam & innubilam mentis serenitatem spondeo, aut si fortè nonnumquam infuscabitur, caliginem omnem dilucidior huius amoris radius, clariore splendore dispellet.

At quæris, Quis iste tam potens, tam laudatus RELIGIOSVS AMOR? Verbo dicam, Amorem eum Religiosum nuncupo, quem insitus propriæ Religionis amor inspirat, procreat, moderatur, regit & conseruat. Hunc amorem si in rebus omnibus adhibes, si integrum vegetumque conseruas, efflorescet mira quædam, in res omnes, in homines, & euentus, perpetuò sibi constans animi æquitas: quamuis cuiusuis rei curam sumere, ponere, promtus eris. Malè cesserit? nihil angêris: vt qui non euentum, sed diligentem curationem ex obedientiæ præscripto spectabas. benè si cesserit, non gaudio efferêris. quid enim ad te, qui non exitum, sed obedientiæ præscriptum & intuebaris, & solùm amabas? munere aliquo si perfungeris, nulla te solicitudo carpit, intrepidus iudicia humana contemnis, in hoc vnum incumbens, vt pro tua virili quod in te est præstes.

At

At crede mihi, multa opus est vigilantia: nisi sæpè, nisi subtiliter, & seuerè quosuis amoris nostri motus excusserimus, latentes vbique laqueos non euademus: munus omne, omne negotium, contracta cum aliquo amicitia, mali arcendi, boniúe promouendi susceptio, corporis & vitæ commoda, honor qui nobis alicubi defertur, scientiæ auiditas, diuturna loci habitatio, lectio, studium, scriptio, ipsa etiam (qua nihil sanctius est) oratio, pietatisque exercitationes omnes, vbi illis aliquanto ardentiùs animum adiunxeris, nisi caueris, hamatæ sunt, amorisque nostri rectissimam illam vim sibi agglutinant, vel alicunde deflexam intorquent. Inde fit vt ad omnia & semper paratissimum esse, nulla quæ vel eueniant, vel euenire possint imperia, pro molestis habere, non postremum hominis perfecti sit argumentum: atqui si viguerit is quem describimus amor, profectò talem præstabit, & casus nullus poterit externare.

Finge, si voles, subitò Superiorum iussu, è medio literarum, quibus oppidò delectabatur, cursu, quasi minùs aptum auocari; ab vrbe celebri, in qua fauentibus auribus fama secunda concionabatur, ad ignobilem viculum velut imperitum amandari; à publica domus gubernatione, in qua domi foriscq; omnium conciliabat animos, in ordinem, quasi re malè gesta, redigi, priuatumque in neglectu haberi. finge, hæc omnia in eundem, vicissim conspirare, eumque qui ea omnia præclarè præstare posset, iusto Dei iudicio (nec enim à vero abhorret) cunctis ingenij dotibus destitutum videri, nihil vt sperare possit maius, quàm vt cæteram vitam ignauo emarcidam otio ducat. accedat ad iusti doloris iritamentum; vt videat æmulum vices suas obeuntem, eumque (qui casus humani sunt) licet verè minùs rectè agentem, quin & in pluribus deficientem, secundi rumoris flatibus ferri, eaque in æstimatione perdurare: quis erit huic viro animus? nempe sic se ipse solabitur, si tamen solari dicendus est: Quid quæris anima mea, quid amas? Amor tuus, obedientia est: amor tuus, est nihil velle, nihil nolle, nihil iudicare; est otiari, negotiari, vocari, reuocari, depelli, cõtemni, ex maiorum & Præpositorum tuorum arbitrio. Si quid in rebus amas, solam Præpositorum voluntatem amas; hanc vbi reperisti, quod amas habes: at quod amas si habes, acquiesce, delectare, amorem tuum exsatiare potes. quis vmquam non acquieuit, quando suo potiri potuit amore? amore tam iusto, tam honesto, cui quid ex æquo adiungas non habes? Certè ita est, verùm, vt monere cœperam, id nobis est, medijs in rebus, in mentem sæpiculè reuocandum: Quò ferris anima mea? quid hac in lectione, oratione, studio, habitatione, quiete, actione, quid amas? obedientiam volo, Dei volũtatem volo, quid mihi cum hisce mundi rebus? profectò non adhæresceret illis amor meus, non me perituris subiungam: quidquid, quantocumque impetu à me cœptum fuerit, statim, quouis momento temporis, ad nutum Superioris, intermitto, resumo, euerto, vtcumque visum illi fuerit.

Et quidem ad naturæ nostræ peruicacitatem flectendam, hoc etiam hic amor

euincet, vt nulla nostri ad postremos reiectione, reprehensione, muniorum abrogatione turbati, quidquam de prima ad obediendum & agendum alacritate perdamus, siue reuocemur ad eadem, siue alijs aut minùs speciosis, aut diuersis occupemur. Omnino id efficiet, verè & sincerè Religiosus amor; quippe nõ res, at obedientiam in rebus amat, quam cùm reperiat in rebus omnibus eandem, eodem omnes alacritatis affectu complectetur. O mentem in qua hîc dominatur affectus, Deo gratam, Superioribus amabilem, omnibus admirandam! ô Religionem, in qua eiusmodi plures reperiuntur, (& verò in tua reperies, teque talem reperire debes) gubernatu facilem!

Non est autem id quod hîc expeto, in minimis reponendum: magnã ad hoc animi æquitatem, fortitudinem, cõtemtionem popularis auræ, obedientiæque propter Deum dilectionem oportet adhibere. Deiectio suiipsius, desperatio, indignatio, mentis elatio, impatientia, & huiusmodi vitiorum cateruæ, animum obedientia & humilitate non satis obuallatum, omni alacritate despoliant. At præclarum est, eodem in loco, in conspectu & luce ciuitatum clarissimarũ, pari immotæ mentis ardore, immutata nõ solùm vultus, sed multò magis animi specie, talem ad infima prouolare, qualis eras in summis: à concionarijs pulpitis, à Doctorum exhedris, à primariæ gubernationis clauo, ad prima Grammaticæ rudimenta, ad nosocomiorum pædorem, ad putentem publicarum custodiarũ situm, ad tenellæ iuuentutis catechisinos, quasi de supremis ad ima relegari, & vulgi opinione detrudi; paribusque vel etiam maioribus animis, absque vlla tergiuersatione, iucundè, promtè, alacriter, hæc infima subire, & deoneratum non dehonestatum se credere; sanè Religiosi amoris, nihil nisi obedientiam in omnibus adamantis, illustre præbetur argumentum.

Erit mussitator nonnemo, vel acerbus in populo derisor, qui naso suspendet adunco, qui contemnendum digito monstrabit, qui velut turpiter abiectum, & nullius spei hominem canino dente rodet; sed aurem patientem Religiosus amor obsepiet, & quæ alij dispendia, ille magna sibi compendia esse obedientiæ amore fruens putabit, omnique stultorum irrisu superior, ab incepto constantiæ tramite non deflectet. Iterum, iterumque si ad superiora, quodam necessitatis articulo cogente reuocetur, indeque mox infrà detrudatur, semper sumere, semper ponere curam omnem, arbitrio Præpositorum æqua mente paratus est: statione nullam seligit, nullam retinet, nullam refugit, sed instar fortissimi militis ad omnia Ducis imperia sine tergiuersatione excubat, dumq; in vnius, quam deperit, obedientiæ dignitatem intuetur, æstimationes rerum nescit, & amore pretia exæquante, solam in magnis & in paruis obedientiam respectare nouit. hinc sibi omnia facit paria, negotio non postponit otium, quocumque loco & munere fungatur, obedientiã si defungitur, æquali honore, & perpetua consolatione lætatur. Heu quàm falluntur multi, qui se rebus potiùs quàm obedientiæ addicunt, toti in scriptionibus, orationibus, excursionibus, rebus-

rebusque quamuis sanctis occupantur! ad alia vt se conuerterent, optaret Superior. at quid facies? inde si illos abstraxeris, parebunt, graui tamen mœrore se conficient, languore tabescent, sibi permittendi sunt. ô animos, si non malos, at amore Religioso parum instructos! Id illis, id nobis elaborandum est, vt nullus mentem insideat amor, nisi quem & genuerit, & perpetuò foueat ac moderetur obedientia, sine qua nullus sit, & (si quando sit aliquis) ad eius tamen nutum continuò suffocetur & desinat. Verùm vt ne meam solius commendationem habeas, audi quid apud D. Bernard. l. de Nat. amoris dicatur: *Ideo rotæ in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec reuertuntur ad faciendam suam: si iubentur præesse, præsunt in sollicitudine; si iubentur subesse, in humilitate; si aliquibus coësse, in caritate: si Prælati sunt, sicut patres ad filios; si subiecti, vt filij ad patres suos; si conuiuentes, omnium seruos se faciunt: pius ad omnes affectus, dulcis in bono consensus, occursus in hilaritate, cohabitatio in gratia, discessus in ostensione caritatis. — non quæ sua sunt quærunt, sed quæ sunt omnium.* Vnde ista? quia sui amore non tenentur, sed in omnibus Religioso amore permouentur. Cap. 8. Ezech. 34.

Magna sunt hæc, inquis. Magna sanè, sed ad quæ sicut vir succinxisti lũbos, & exultasti ad currendam quasi gigas viam tuam. Iuuat celsa virtutũ iuga suspectare, magna exambire iuuat; quamuis primo impetu non assequaris, scopum tamen si vides, non aberrabis; ardentique desiderio longiùs breui momento prouolatur, quàm annorum multorum diuturno languore perreptetur. Viæ tamen, fauente Deo, compendia demonstrabo, vbi postremùm hoc commendauero, vt etiam tuo isto AMORE RELIGIOSO GLORIERIS, illum vendites, illo te præ cæteris insignitum exornare appetas. Non quòd affectatæ sanctimoniæ opinionem aucupari, vel bonorum tuorum vanum ostentatorem esse te velim. longè aliò, quæ dixi, abeunt: etenim AMORE RELIGIOSO GLORIARI, est palàm, pudoreque rustico posito, profiteri, nihil se amare, velle, suscipere, tueri, conari, nisi moderatrice & gubernatrice obedientia: in eo gloriam suam, honoremque summum repositum censere, si subiectioni, si demississimæ in Superiores obseruantiæ retinentissimi simus. Videas Religiosos aliquando quosdam, qui si fortè rogentur, quiduis promittunt, addicunt, donant, recipiunt, multaq; promouenda suscipiunt, & ab eis quæ semel cœperint auelli, aliorsum vela cõuertere, ne quidem Superiore iubente volunt: eos pudet apertè profiteri, nihil se vel donare, vel recipere, vel addicere, vel suscipere, sine Superioris voluntate posse: pudet eos, palàm edicere, Hæc quidem ita facere institueram, at improbauit Præfectus, Rector, Prouincialis meus, itaque in posterum aliter agemus: pudet vltro præmonere, (quod tamen vtilissimum iudico) Homo sum sub potestate constitutus, itaque licèt meis (si quos mihi commissos habeo) hæc aut illa imperauero, licèt quiduis spopondero, quandocumque Superior meus aliter statuet, audiendus est ille, non ego. Hæc profiteri dispudet, quos non pudet Religioso nomine gloriari? ô infantiam! dici Religiosi volunt, haberi nolunt,

lunt, aut certè solo nomine, & non re, haberi volunt. Si enim veri, si boni, si quì suæ vocationis numeros expleant haberi & esse volunt, quid magis Religiosum est quàm à Præpositorum nutu pendere, quàm nõ erubescere se subditum, se non sui arbitrij, non suæ esse potestatis? in huius rei, huius (vt ita dicã) parentiæ deiectione gloriari, vera est & non inanis gloria: sic enim est de gloriæ contemtione, de sui abiectione lætari, gloriari. Quantum autem ex hac animi affectione, pacis & tranquillitatis, quantum in omnem partem commodi redũdet, experiendo melius est, sed & propè facilius, quàm verbis aut cogitatione assequi. Sed de hoc satis, ad alia transeamus.

CAPVT VI.

Quas in amore conditiones Parisiensis exposcat.

PRimum in amore dixi, vt Cautus, vt Prouidus, vt ne sit præceps. Alterum addidi, vt sit Religiosus. Tertium restat, vt, quoniam ista de creatarum rerum amore dicta sunt, de ipsius Creatoris amore, qui fons & regula istius esse debet, aliquid addam. A doctissimo & subtilissimo viro Guilielmo Parisiensi, quatuor quas tibi proponam amoris in Deum conditiones mutuabor.

Lib. de virt. c. 1.

Prima est, vt sit amor tener: duros enim & efferos illos amatores, qui eius quẽ amant contumelijs, doloribus & aduersis nõ tangantur, quis ferat? humanitatis sensu carent, hominemq; videntur exuti. quod adeò molestũ est, vt etiam Propheta conqueratur, *Optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super cõtritione Ioseph.* En homines nimiũ delicatos, sibi solis viuunt, dumq; suis voluptatibus perfruãtur, aliena mala pensi non habẽt: *viscera impiorum crudelia*: at verò *benefacit animæ suæ vir misericors.* proprium amoris est, nec aliunde magis amor esse sentitur, quã si bona, si mala ita sunt amicis cõmunia, vt malis condolendo, bonis cõgaudendo, vterque vtraq; æquè sentiat. Sit ergo eiusmodi erga Deum tuũ amor tuus, vt omnia illi bona eius impensè, auidè, lætanter gratuleris, eorumq; sæpè repetita cõmemoratio te præ cæteris lætiùs oblecter: gaudeas, imò sancti gaudij hæc tibi propè sola sit relicta seges, si diuinã gloriam latiùs amplificari audias, vel ipse amplificare possis. Miseriarum verò quoniam Deus capax esse non potest; non est quidem cur illi propriè condoleas: at abunde est quod ad Christi Iesu Domini nostri tam dirè cruciati, tam crudeliter patibulati, conuitiis opprobriisq; proscissi, & mortis infami supplicio addicti, idq; tua causa, tua dum vult eluere peccata, illisq; debitas pœnas luere, abunde inquam est cur ad tantos Domini tui dolores intuẽs, totus eas in lacrymas, in suspiria, in planctus, nec alibi quàm in sanctis vulneribus, in foraminibus petræ habitare velis. Te felicem, id si volueris; erunt vulnera vbera, teque, candidior lacte, sanguis Agni dealbabit.

Amos 6.

Prou. 12.

Prou. 11.

Hoc

Hoc oro, hoc obtestor, hoc vnum instar omniũ sit, Perpetuam Iesu Christi patientis memoriam circumfer: nec erit qui animæ tuæ pacem & perfectionem interturbet hostis. At ecce quod etiam defleas, tam multa impiissimorũ hominũ in optimũ & beneficentissimũ Deum peccata, quæ in dies aggerantur, quibus tantam Maiestatem stultitia sua & proteruia iritant, quasi, quantum in ipsis est, de sua eum sede, potestate, æternitate deiectum vellent, & adima detrusum. His ergo siue Dei bonis, seu in Deum malis, tuus vt decet afficiatur amor.

Iam verò, vt strictim & breuiùs pergamus, altera huius amoris conditio est, vt amplè & latè pateat; hoc est, quæuis tempora complectatur, in omne æuum amoris terminos dilatando; aspera non refugiat, inimicos propter Deum diligat: adeoque angustiores limites horreat,

Vt potiùs (quæ tertia & vicina est amoris conditio) Immensus esse conetur, illorum execrans languorem, qui Dei causa volunt quidem aliquid, sed tantillũ, sed angusto fine concluſum; sua omnia, fortunas, famam, valetudinem, vitam, & animam, & si quid anima carius esse potest, id omne Dei amore ponere, exponere, quiduis agere & pati, nequaquam parati sunt. at hoc perferet amor immẽsus, metas nescit, exterreri non potest, nullo fine cohibetur, quidquid obieceris perrumpit: quem amorem, Nimiam caritatem nuncupauit Apostolus, eamque *Ephes. 1.* Dei erga homines propriam & primigeniam esse docuit, decetq; nos tot beneficijs, tamque munifici patris amore tam potenter allectos, si non parem, at certè quem possumus, & quantum possumus, redhibere amorem.

Verùm audiamus quid de quarta amoris conditione idẽ Doctor cõtemplet-tur. Stultitiam eam vocat, quãdo instar insanientis amasij, qui patre, patria, omnibusq; relictis amicam persequitur, ita spretis honoribus, reiectis diuitijs, hominum & mundi fauore contemto, vnum Iesum, eumq; crucifixum sequimur. Hoc est stultum Dei, quod sapientius hominibus dixit Apostolus; hæc stultitia, *1. Cor. 1.* qua se stultum propter Christum dixit: & nonne sic insanos (vt idem auctor *1. Cor. 4.* ait) etiam hodie mundus deputat eos, qui secundioribus blandientis fortunæ flatibus prouecti, modestè vela contrahunt, & infidi sæculi naufragia præcauẽtes, ad Religiosi portus stationem tutissimam conuolant? ecce vnus istorum sapienter insanientium factus es, caue ne iterũ insanè in sęculo desipere vmquam velis. At quid mirum, (pergit idem auctor) si de his ita mundus iudicat, quando ipsum Dominum Iesum pro insano sui habuerunt, ex eo quòd ita continenter, ita feruidè prædicando instaret, vt nec cibi nec quietis partem vllam caperet? hinc enim, ait Marcus, *exierunt sui tenere eum; dicebant enim, Quia in furo-* *Cap. 3.* *rem versus est.* Quid suos, suos quidem, sed homines miror? audebo (Parisiensis ait) maius aliquid & mirius, attamen verum eloqui, si angelis nondũ ea, qua nunc beati sunt, glorioſa luce colluſtratis, cælorum Dominus quasi consiliaturus dixisset, Prostibularia quædam est in terris meretrix, fœdissimè constuprata, turpissimarũ libidinũ cœno conspurcata, suasq; sordes illas ita perditè

amans, vt illis immersa imputrescat, nec se inde patiatur auelli: hanc ego misericordia motus adamaui, scelera eius susceptis in me pœnis eluere, illique indulgendo, in me solùm illa punire decreui, in carissimam spōsam illam seligam, cælorum reginam throno stabili collocabo, mihique vsque eò coæquabo, vt omni discissione sublata in personæ vnitatem veniat. Proculdubio ista si diceret,

Matth. 16. cum Petro responderent, *Absit à te Domine, non erit tibi hoc:* huius enim, vt ita dicam, stultitiæ profundissima, & ininuestigabilis est sapientia, quippe *Christus*

1. Cor. 1. *crucifixus, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis — Dei virtus & Dei sapientia* est. Huic igitur Domini tui amori, tuum serui & sic redemti amorem similem redhibe, tibique, quod initio dicebamus, mundus amarescet, creata cuncta desipient, vnum quæres, vnum in omnibus reperies Deum.

Et hæc quidē, ita paucis habeto: sed amoris nostri frænandi, & ex ratione moderandi, vel incitandi modum postulas: latiùs tradidi in tractatu de meditanda vita Sanctorum c. 21. vbi de permouenda voluntate; hîc autem summatim accipe quod in rem nostram faciat. Omnino id euincendum est, vt, quoniam amor impetu naturali fertur in bonū, quæ sit veri boni vera ratio intelligas, penitusq; in animi medullis imis reconditum habeas, nihil tibi bonum esse posse, quod non ad æternitatem conducat, quantumuis vel sensum oblectet, vel desideria pascat: bonum verò, lætabile, & expetendum id omne, quod æternitati, veræ virtuti, animique à perituris auocationi conducit; id autem Religioso propriè bonum est, quod Religiosam perfectionem sapit, exercet, promouet. Et quoniā deliciaria est natura nostra, sensuque plurimum, sed & inueteratis vulgi opinionibus abducimur; prima rerum amariorum, carni molestarum, existimationi vel desiderationi nostræ contrariarum incursatione, cohorrescimus, expauemus, abiectoque virtutis clypeo à pugna discedimus, nisi sedula, & frequentissimè repetita horum propositorum meditatione, diuinique maximè fauoris imploratione ac impetratione firmemur. Ergo si eius, quem antè descripsi, Religiosi amoris formam veram, in animo tuo expressam cupis, vide vt egregiè firmeque tibi persuadeas, vnam tibi Dei voluntatem amandam, quærendam & esse complectendam; hanc tibi per Superiores notam fieri, ita vt quidquid à te voluerint effici, inchoare, omitti, resumi, peragi, impugnari, quidquid te voluerint pati, quocumque haberi loco, id & quiduis aliud putes esse voluntatis diuinæ; in qua sola cùm tuum totum bonum sit, in qua deserenda cùm summa tua sit miseria, eam solam ama, nihil cæterorum ames, nihil oderis, nihil exhorrescas: id vnum scias, id sentias, summum tibi esse bonum, Deum tuum si habeas, si acquiras; id verò malum vnicum, ab eo si recedas, eum si perdas. Ecce, si verè sic es affectus, (eris autem si verè, si constanter quid verum sit bonum iudicas) amorem Religiosum possedisti.

C A-

CAPVT VII.

De amanda sua vocatione.

NEmo est qui negotii quod inuitus tractat, curator exactus esse possit: quod enim non amatur negligitur; quod negligitur, perfunctoriè fit, magisque vtrùm de manibus excuti, quàm vtrùm perfici exornarique possit inquiritur. Cùm igitur omnis Religiosi hominis cura & industria, in statu suo dignis virtutibus exornando consumi debeat, numquam id perfectè, proque rei dignitate complebit, nisi flagrantissimo suæ vocationis amore teneatur: huic autem exstimulando imprimis conueniet, præcipua & potissima quæque de Religiosi status dignitate, vtilitate, iucunditate argumenta benè pertractata memoriæ commendasse. poterunt autem è P. Hieronymi Plati libris verè aureis depromi. Vnum verò, quod maximi momenti, & quodammodo cæterorum radicem esse autumo, nempe quàm eximium Dei donum sit vocatio, diligentiùs perpendendum propono.

Oculos igitur in diuinæ Maiestatis perfectissimam & nullius creaturæ indigam naturam conuertamus: ab æterno in æternum, sola sibi ad omnem beatitudinem sufficit, cumque nihil extra eam, vel esse vel fingi possit, quod non infinitis parasangis inferius sit, nihil boni, perfecti, iucundi vel vtilis esse possit, nisi id totum perpetuò, & instar tenuissimi radij participet à Deo: tanta tamen eius fuit bonitas, vt bona sua latiùs amarit effundere, totque rebus, quot magno in hoc orbe, sua singulæ vicissitudine exstant, sui quædam vestigia imprimere, viribus & donis plurimis decorare decreuerit. At verò in hominem, vt ad diuinæ naturæ similitudinem factum, ampliores liberalitatis thesauros depromsit, eiusdemque, quam ipse naturâ possidet, beatitudinis participem gratia sua fieri, & quasi in alterum Deum (quid enim Beati nisi quidam Dij sunt?) aliquando voluit prouehi. Sed hîc hæreo, estque quod æterna sit admiratione dignum, quanta sit hominis beatitudo, quo pretio, quo labore conquirenda. profectò tanta est, quantus Deus: tantusque quodammodo fit homo beatus quantus Deus. *Quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati*, ait Boëtius, *beatitudo verò est ipsa diuinitas: diuinitatis adeptione fieri beatos, manifestum est. Sed vti iustitiæ adeptione iusti, sapientiæ sapientes fiunt; ita diuinitatem adeptos, deos fieri simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus, Deus; sed natura quidē vnus, participatione verò nihil prohibet esse quàm plurimos.* Hinc autem apertissimè consequitur, vt cùm tanta, & infiniti pretij sit huius infinitæ beatitatis consecutio, at nesciamus an ad illam omnino peruenturi simus, ac vndique periculis insidijsque simus expositi, qui- *De consol. l. 3 pr. 10.*

bus ad extremam miſerrimamque conditionem pertrahamur, id erit nobis plurimi ac præ reliquis omnibus faciendum, & propemodum ipſius beatitudinis dignitati coæquandum, quod certam ſecuramque illius conſequendæ viam præſtabit. Qui ambitione, certique honoris cupiditate flagrat, vix minoris, quàm honorem ipſum æſtimabit, rationem certam eum conſequendi reperiſſe; quippe vis quædam & efficacia illi rationi & viæ ineſt, cuius interuentu honorem illum adipiſcaris. aurifodinam ſi cuipiam dederis, quis id donum ingentis theſauri inſtar habere non credat? atqui eruendum eſt aurum? ita quidem, ſed certum, ſed copioſum, quem tamen laborem qui refugit, per me licet, longum torpeat, ab arboribus fructum non decerpat, egenus, inglorius, omni ope deſertus degat. Et quid conuenientius illi homini optes, qui, cùm infinitæ illius & æternæ beatitatis certò conſequendæ viam commonſtraueris, vel in ea progredi pigritetur, vel in alias deuius deerrare malit? dignus profectò eſt, quem agminatim malorum omnium æterna colluuies inuoluat.

Sed quæres, Ergóne mihi ad iucunditatis æternæ felicitatem, certum iter commonſtrabit quiſquam? planè commonſtrabitur, niſi veriùs dixerimus, commonſtratum eſt. quod ipſum vt videas, ſic habendum eſt: Adeò rebus omnibus eminere Deum, vt ad tantæ celſitatis culmen adſpirare, ac longè magis pertingere res nulla creata poſſit, niſi ſingulari ſua benignitate idem ipſe Dominus, & ad hoc ipſum volendum excitet, & viam ac rationem ad ſe veniendi, vireſque & animum in ſuſcepto perſeuerandi ſufficiat: illius vt ſit, & excitare nolentem vt velit, & volentem illuſtrare, vt quà velle debeat videat, & videntem animare vt progrediatur, & progredientem roborare vt perueniat, atque ita ab illo, in illo, per illum ſit, conſeruetur, perficiatur omne noſtrum bonum, & maximè hoc bonum, bonorum cæterorum ſeminarium, quo cognoſcat & ineat viam illam, quæ ad æternam patriam redeunti eſt aptior.

Ferebatur ſecundiſſimo flatu, pacato mari, firmatiſſima compage, nauis humani generis, antequam primi parentis incuriâ, in ſcopulos illiſa miſerando naufragio deperiret: at ex illo, non ſolùm mors omnia peruagata eſt, ſed adeò afflicti, procelloſum huius vitæ mare ingredimur, vt eadem nos æternæ morti addicat, quæ temporariæ vitæ hora donat: ſimul naſcimur, & Deo morimur, parentum miſerabili clade lugendi. Sic ergo progeniem totam vno damnante Adamo, erat hic ingreſſus ad vitam, certus ad ſupplicia luenda & augenda progreſſus, niſi vel ſic, in ingratiſſimum hominem miſericordiæ infinitæ largitatem depromſiſſet Deus. Prouidit igitur primigeniæ illius culpæ reparatorem, in eoque & ſalutem propoſuit omnibus, & nonnullis certam, abundantem, eximiam deſtinauit, eiſque firmiſſima illam ſalutem conſequendi præſidia, pariterque pro variæ naturæ, variæque gloriæ

riæ modis varias vias posuit: in quarum selectione, si diuinæ prouidentiæ sapientissimam bonitatem, quasi certam ad vera bona prænoscenda ducem prælucentem, sincero corde quæsiuerint, eiusque sanctis impulsibus, nulla obliquatorum affectuum colluuione susceptâ, purè, integrè, sincerè & fortiter obsecundarint; omnino fieri non potest, quin bona, compendiosa, & cæteris fructuosior ea via sit futura, quam optimus, liberalissimus & sapientissimus Dominus ostenderit.

Quando verò eiusmodi aliquam eligendam inspirare dignatur, profectò æquissimum esset, vt diuinæ huius voluntatis insinuationi summa cum animi exultatione, summissione, solicitudine, constantia se & sua omnia quiuis homo conformaret. Quid enim hoc aliud est, quàm summa suauitate, non minando, non cogendo, sed leniter consulendo commonstrare, quid sectando, immensos gratiæ thesauros tibi reconditos eruas, præsidiis ad illa tibi custodienda dispositis cingaris; atque ita, probè sancteque peracta vitæ tuæ catastrophe, ad æternæ felicitatis adyta præmiandus transmigres? Est enim vocatio eximium & singulare Dei beneficium, quo suam homini, nec volenti nec cogitanti, voluntatem indicat Deus, & ad volendum ac cogitandum excitat, ostendens vitæ genus aliquod, quod si elegerit, è diuinæ voluntatis arbitrio fecerit, ibique tutus erit à naufragio, quamdiu vocationis initijs insistet; gratiam verò accipiet, vt secundùm eam viuat, vt status illius molestias iucundè perferat, vt perfectionem illi insitam assequatur, lætusque ex hoc vitæ mortalis carcere, quasi è fida statione, ad summum, per quem in ea collocatus fuerat, Imperatorem euolet: adeò vt vocationis gratia, vel non vna quædam sit gratia, vel vna sit plurimarum, longèque maximarum proseminatrix, cùm ex illa totius reliquæ vitæ componendæ, traducendæ, leniendæ, rectèque finiendæ gratia, atque adeò æternitatis modus & mensura dependeat.

Iam, quando vocatio, vel tanta est gratia, vel tot in se vna gratias complectitur, quàm ingratus, infelix, ac pænè dixerim quibus non diris deuotus esse credendus est, qui vocatione sua, dono tanto, per infirmæ mentis imbecillitatem & inconstantiam deiectus, in deteriora delabitur? qui in eiusmodi sibi commisso thesauro fuerit infidelis, contemtor, prodigus, incurius, illine securè prudenterque aliquid vilius ausis fidere? Certè si verax Deus est, nonne aberrat quisquis aliam ab ea quam ipse monstrauit viam sequitur? si verò viam vitæ docuerat; aliam qui sequitur, quid nisi in mortem ruit? si nullæ sine Deo, rectè agendi, æternamque gloriam consequendi, vires homini sunt, si vires liberè & vbi voluerit præbet, præbebitne vbi ab eo deflexeris, vbi alia quàm qua volet incedes via? sed aliam adamasti, aliam rectam iudicas? adamato, iudicato vt lubet; non sic tamen Deus, qui te tuis amoribus, tuis iudiciis vbi derelictum tradiderit, heu misero quid fiet? sine Deo, Deo solum-

modo non defensante, quàm infeliciter cum homine agitur? in quot erubescenda prolabitur? quot circumuallatur angoribus? quàm amarulentis, hostis inferni ludibrijs, iacet irridendus? Hoc ingratitudinis primo fonte, cùm à vocatione desciscitur, cùm benignissimi Dei lenissimè ad se vocantis, & multarum gratiarum largitione retinentis, amicæ voci obsurdescitur, copiosa diuinæ liberalitatis dona sensim exarescunt, Deique quem reliquit amica protectione nudatus homo, in alia omnia diuersus abit, in errores videlicet, in vitæ labes, in mortem, extremamque & nullius ope reparandam perniciem: quò enim aliò abeat qui luce, qui sanctitate, vita, felicitate neglecta, his contraria malè sanus amplexatur? Verè ita se res habet: bonorum omnium fons & origo Deus est, proptiusque Deo accedere, eum audire, illi obsequi, bonitatis & felicitatis, tum initium est, tum augmentum: at verò quantum à Deo recesseris, tantum prauitati & infelicitati accessisse te credas; minimoque à summo bono recessu, timendum, ne ad æternum recessum, in quo miseriæ summa est, gradus fiat. Iam, vocanti Deo cùm obaudis, audis viam demonstrantem, qua, ipso securitatem præstante, ad eum accedas: at si auersatus, aut deterritus, aut elanguescens retrò reuerteris, nónne à Deo tuo, à consilijs eius, à salutaris viæ commonstratione discedis? & quem sequeris, ô quisquis eò vsque desipis, quem inquam sequeris, quando Deum non sequeris? quando Deo reclamante, contra eius consilium audes? contra eum estne sapientia, estne consilium, pax animi, salus, aut felicitas?

CAPVT VIII.

De vocationis præstantia magis æstimanda.

EX ijs quæ superiore capite diximus efficitur, vt, quemadmodum eximium est Dei donum vocatio, tantoque insignius, quo perfectiorem ad statum vocat; ita insignitè ingratus, meritoque omnibus Dei donis & fauore priuandus ille sit qui vel Deo vocanti obsurdescit, vel mox vt aliquamdiu obsecutus fuerit, tædio vincitur, ad imperfectiora respectat, paulatimque tepore superante, vt canes ad vomitum, sic ad sæculi retrimenta procurrit. Sed quid his Religionum desertoribus accidit? vulgi sunt fabula, sapientum risus, terrarum & cæli odium, vel illis infeliciter cuncta cedunt, vel si quando ex voto cesserint, grauiore demum ruina corruunt, vixque illorum vllum videas alio vitam, quàm tragico fine concludere. Quod cùm adeò sit solenne, omniq; superiorum ætatum memoria contestatum, expedit etiam vocationis amorem, contra fluctus vndecumque insurrecturos, salutari hoc timore firmari:

mari: certè enim non potest Deo non esse gratissima, cuius neglectæ tam certus & acer exsurgere solet vindex.

Atque vt ad vocationis Religiosæ præstantiam commendandam reuertar: sic in huius vitæ enauigatione cum hominibus communem vitam degentibus agi existima. Per huius mundi, quasi turbulenti maris procellas, tenuem virtutis cuiusdam, vt eleëmosynæ, vel temperantiæ affectum, velut firmam tabulam rapiunt, illi se committunt, laboreque & periculo magno, seminudi per cæcam noctem fluitant, multis frequenter dæmonum, quasi rapacium piscium, patent morsibus, cupiditatum liuore, quasi scopulo subterlatente, lacerantur, & tentationum crebris assultibus, quasi exstantium rupium allisu, adeò quassantur, vix vt rari, & laceri, ad portum tandem enatent. beati præ cæteris prædicantur illi, qui plurium virtutũ, quasi tabularum, rate compacta, non vsque adeò fluctibus alluuntur: at quantus hiante commissura vndasque admittente, in sentina exhaurienda labor, quanta in velificando industria, in gubernando peritia, in tot periculis per vnum hominem declinandis prudentia opus est, vt minùs mirum sit non paucos, vel inopina tempestate deprehensos, vel in non præuisa breuia & syrtes impactos, & errore sæculi delusos, medio in cursu, fluctibus obrutos, omni spe salutis excidisse. Hac tu conditione, meliore neutiquam, forsan & peiore, medijs in fluctibus voluebaris; tumescentibus vndis, periculoque increscente, vltrò altiùs in mare mundi inuehebaris, tuate vel pericula delectabant, vel ne pericula viderentur assuetudo impetrarat; deuotum lero caput, iam teréque quaterque fluctus obruerant, quis nouit, annon & mox æternùm obruissent? quando ecce auxiliatricem potentemque manum ex alto demisit misericors Deus, mentisque stupore sublato, pericula vndique obuersantia contueri, expauescere, declinare velle, & ad declinandum opem cælitus implorare dedit. & verò quæ insinuauerat liberationis desideria, in longum differri non est passus, periculosa, ramque propè naufragante iactatione ereptum, ab vndis, & incertis tabulis, in Religionem, quasi in nauim benè firmam, & copioso remige instructam adlegit, vbi securus, lætus, facilis, plurimorum septus copijs, firmatus viribus, velificante & gubernante Spiritu Dei, æternæ gloriæ portum subeas; nec mergi possis, nisi nauis temerarius exsilias. Quàm diuersa, quantoque felicior hæc est cõditio! non alterius, quàm dexteræ Excelsi est mutatio, cuius misericordiam semper, & grata cum recordatione, loquatur os tuum.

Sed & hoc etiam perpendere memento; vt istis, quæ vel ignorabas, vel ignorare fingebas, periculis te misericors Deus eriperet, quàm admirabili, suaui, patiente, leniter à minimis ad maiora prouehente inspirationum modo est vsus! & (quod in omni vocatione assolet) volentem, nolentem, dubitantem, restitantem, dissimulantem, nonnunquam & obsistentem, excitauit, permouit, impulit, eò denique adduxit, vt vltrò & impensè velles quod nole-

nolebas, idque à quo totus abhorrebas, adeò vrgeres, vt eo non expleto, nullam quietis partem posse te consequi crederes. Validæ sanè fuerunt illæ diuinæ voces, assiduæ, constantes, penetrantes, & ad naturam sic accommodæ, non dico vt illas refutare non posses, sed vt denique non posses, suauissima illarum modulatione non deliniri, delectari, & ad quamcumque perfectionis palæstram ducerent, alacriter & fidenter sequi.

Et verò, quo pluris id æstimes, vasto in illo mari, periclitantibus tecum adeò multis, nec dubium quin melioribus haud paucis, cur te sic ereptum fluctibus, illis derelictis voluit Deus? cur tam firmæ, facili, nobili, instructæ naui cõmisit, non carioſæ, non fatiscenti cuidam? vide quantam hæc omnia mentis gratitudinem, vocationis amorem reposcant.

Ad hæc vt in omni republica duo quædam sunt hominum genera, populare & plebeium vnum, ijs constans & conflatum, quibus nulli ad res excelsiores animi, sed sua sorte contenti quietè viuunt: alterum verò illorum, qui mentis celsitate superante, maius aliquid affectant, belli vel pacis artibus, præ cæteris inclarescere, suique nominis gloriam rectè factis propagare contendunt. Ita, semotis quidem quæ dedeceant, sed simili quodam modo, duo beandorum hominum genera in cælesti regno futura crediderim; vnum eorũ, qui nullo præ communi beatitudinis ratione, insigni honoris incremento donandi sunt, futuri tamen in illa republica ciues, vbi potentes, beati, glorioſi, sint Dei, sunt omnes: alterum eorum, quibus præterea singulares quasdam & eximias coronas ab æterno sepositi Deus, futurumque est, vt ijs insigniti, quasi stellæ, vel quasi soles, in cælesti regno rutilent. Iam verò, cùm his vtrisque ad suam beatitudinem pertingendi via quadam sit opus, & diuino conueniente præsidio: vtroſque decenti & illis apta vocatione Deus euocat. Et quidem prioribus, præter eam quæ Christianis omnibus est communis, vocationem ad fidem, & præcepta seruanda, existimo passim fieri (interdum enim ob commune bonum, vel emersurum commodum aliter contingit) vt ad vitæ communis, & ab Euangelicis consilijs alienæ statum diuino impulsu agente, non vocentur propriè, impropriè tamen vocentur, & se eò vocatos, & suam illam esse vocationem vulgò possint dicere, ad aliquam sui consolationem, & ad meliora incitationem. quodideò fit, quia cùm ad statum aliquem, vel natura, vel consilio, vel exemplo feruntur, vel etiam de aliquo deligendo deliberant, nullos penitus ad perfectius vitæ institutum inclinatus persentiscunt: & quamuis aliàs de castitate, de rerum omnium contemtu præclarè sentiant & differant; cùm tamen in rem ventum est, serioque de se cogitant, exaresçunt subitò, videnturque densa caligine offundi menti tenebræ, cumque altiùs euolare, & longiùs prospicere non valeant, hærent in infimis, & proxima amplexantur. estque hoc iudicium neque infrequens, neque intutum in multis, vt quando ad alia non vocat Deus, in eo quod huma-

humanum est se stabiliant;idque ex Dei voluntate saltem acquiescente, approbante, & nequaquam repugnante fieri credant: quod quando huic hominum generi damus,quod verum,& quod sit satis,concedi credo. Sed ne quà in errorem inducantur,necesse est, vt perdiligenter caueant,ne dum licita, sed multis illicitis vicina,sectantur, vel voluptate illiciente,vel cupiditate præcipitante,id seligant quod abs æquo & recto transuersos abducet:nec enim satis esse debet, quòd vitæ statui diuina voluntas non aduersetur,sed oportet etiam, vt vel consentiat, vel saltem ne dissentiat ceteris, quæ ad eius professionem requiruntur. quare primus in matrimonio error est,si inde ad perfectiora reuocat Deus; at, si non vocat,atque ita non dissentit, error tamen erit, si præcipiti consilio, si improbis moribus,voluptatis,diuitiarum causa vxor seligitur.atque ita vt licitus sit status eiusmodi,videndum ne quis incurratur vortex, vbi transuersum acta primò ratis,in imum deinde contorta deprimetur.

At verò,longè præclariùs de te,deque illis quos ad perfectiora vocat,consulit Deus: vocatio tua non eius est generis, vt te relinquat infimis, & versantem terrena non aspernetur; ad nobiliora erigit, cælestisque gloriæ celsiori gradui destinatum,ad glorioſa certamina,æternasque coronas promerendas vocat, rerum omnium perituraru , imò creatarum omnium , nisi si ad Deum duxerint, contemtionem menti insculpit, cunctisque te rebus eminentiorem , vni Deo , vna caritate, vnoque spiritu immergit : in hac tibi loquitur , te regit,fugienda, sequenda commonstrat , perpetuoque bonus adest Deus ; quo duce, comite,defensore,omnis inimica cohors pauida diffugiet, in securitatem pericula,tristia in iucunditatem,fatigatio in virium reparationem mutabitur. neque verò ad maiora virtutum incrementa,& spiritus delectamenta, prouehere desinet Deus,donec posita huius fragilis vitæ sarcina, post emensi stadij legitimum cursum,te Beatorum sedibus inserendum coronet. ô mirabilem vocationis dignitatem!ô energiam,à Deo,in Deum vsque,sine fine manantem! Velim igitur vt intentissimus, vt delicatissimus tibi sit tuæ vocationis, & amor, & sensus: in hac persuasissimum sit, animæ tuæ sitam esse salutem , hac spiritus tui contineri vitalia.quare nihil vmquam in animum admiseris quod vocationi tuæ non dico aduersum,sed ne diuersum quidem esse possit; si quid eam impetens aliunde inserpere,aut suaderi videris,id verò protinùs exsecrans longiùs expellito , exclamato; Inueni quam diligit anima mea vocationem,nec dimittam eam.Bona hæc mansio, bonum est nos hîc esse: hîc habitabo, quoniam elegi eam. Quis det mihi,vt sit hæc requies mea in sæculum sæculi? Si oblitus fuero tui,Societas Iesu, obliuioni detur dextera mea: diripiant alieni labores meos , si conuersus fuero retrorsum.Ibo,perfringam,& in Domino sperans non infirmabor.

Quamuis autem amorem vocationis vix putem posse esse nimium, quando vnicuique, verè, & nobilissima hac vocatione vocato , est vena vitæ, iugis bonorum fons, gratiarum promuscondus, arx munitissima virtutum , scala cæli,

æternæ felicitatis arrha, ſecuraq; cæleſtis hereditatis feneratio; adeò vt inſtiſſimum ſit, quàm poſſis latiſſimè, in ea diligenda, ſinum amoris expandere, in exornanda & defenſanda, vires omnes & induſtriam effundere: ſic tamen eam cupio diligi, ſuſpici, collaudari, vt ne de cuiuſquam ſtatus alterius laudibus detractum eas: laus illa nequaquam placet, quæ alterius detractione, vel imminutione ſordeſcit. Tuam ipſe conditionem lauda, illi totus acquieſce; nemo arguet, inuidebit nemo; at ſi cęteris præfers, neſcio quid ſuperbum & arrogans redolet; omninoque, vt quod leniſſimum eſt dicam, temerarium eſt: tua tibi placeant, alios quoque ſuis delectari ne prohibe; quid in alienas domos inuolas, eorum abdita ſcrutaris, hæc minùs, illa magis commoda, facilis arbitratorem renuncias? & verò, nonne planè inconſequens eſt, vt qui hominem homini conferre non auderes (quis enim interna dignoſcit?) ſtatum ſtatui, Religionem Religioni, quod longè intricatius eſt, præferre audeas? Canon Apoſtolicus ille tibi ſit norma: quid enim? quærebatur, an ſeruitutis, an libertatis conditio melior eſſet? at Apoſtolus, *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* 1. Cor. 7. *— Pretio redemti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.* Idemque alio loco; *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Rom. 14. *—— Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. —— Nemo noſtrûm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. — Tu autem quare iudicas fratrem tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* cur tempore non ſuo, cur Deo ſoli conueniens iudicium vſurpamus? Hoc eſt caritatis, hoc modeſtiæ proprium, aliorum laude lætari, de ſuis rebus modicè ſentire, parcè loqui, vbi pròpriè priuatimque nos tangimur: at quia inſtituti noſtri laus, non eſt noſtra, ſed beneficium eſt nobis collatum, tam decet illud verbis extollere, quàm ſolet accepti beneficij recordatio, & amplificatio quaſi grati animi indicium comprobari. Cauendum ergo id vnum, ne minùs honorificè de ceteris loquendo, tuum illud inſtitutum in inuidiam voces; immeritò, fructu nullo, nonnumquam & damno maximo, ſi videlicet læditur caritas, & alienationes gignuntur animorum.

His igitur omiſſis, prudentiùs alia vocationis amandæ firmamenta frequentabis, crebram videlicet bonorum, quæ ab illa præſtantur, conſiderationem & commemorationem; eorum qui in ſæculo degant commiſerationem; feruentem vanarum & relictarum rerum contemtionem; obedientiæ, caritatis & Religioſarum functionum exercitationem alacrem; ac denique, ex imo cordis affectu, ſæpè fuſam, ob vocationis beneficium, gratiarum actionem. Sed iam nobis claudendum eſt hoc caput, & ad alia, quæ tamen hinc conſequantur, tranſcundum.

CAPVT

CAPVT IX.

Vocationis propriam perfectionem esse sectandam.

SI quando duos inter reges belli tempestas, sæuiente discordia exarserit, solent maximè regni confinia hostili incursione vastari, nullaque est hoste vicino statio tuta, nisi viris, armis vallo que muniatur, latiusque vastitas propagatur, donec bellis positis vel vtrimque optata pax redintegretur, vel alterius exuberante potentia, in victoris ditionem pars victa concedat. Quod si acriùs exitiali bello exacerbantur ducum animi, nec alia conditione, quàm vel hostium euersione, vel deditissima subiugatione pacisci volunt, vtrimque verò non exiguis copijs, incitatis animis, præsidijs communitis, instructo & exercitato milite, commeatu abundante certetur, necesse est vt diuturnum & ancipitis exitus bellum expectetur. Hîc autem incolarum prouidentissimus quisque, vel dolos hostium, vel improuisos insultus, vel prævalidas vires, tempori declinans, quàm poterit procul, ab impacato regni limite recedet, ibique etiam omnia tuta, & ne qua eum longiùs procurrens hostilis frumentatio deprehendat timens, intra sua se munimenta, dispositis per apta loca vigilijs continebit; sin minùs, non ægrè accider, vt inermem & securum circumfusi subitò hostes opprimant, suamque in potestatem redactum, aut sæuo carceri mancipent, aut multo vulnere concisum trucident.

Sed quorsum à me ista dicantur, & quàm tibi, quàm omni Religioso sint attendenda, licet vides; ne quis tamen minùs videat, explicatiùs edisseram. Perpetuum Religiosorum quiuis, & nullo fœdere sociabile bellum, carni, mundo, dæmoni, potentissimis & fraudulentissimis hostibus indixit, olimque cùm in eorum castris medius teneretur, eorum in se rabiem forti eruptione, & ad Dei militiam transitione proritauit. diuturnum est bellum, nec alio quàm huius vitæ fine terminatur, & singulis ad extremum partibus, sua vel victoria, vel clades, æternùm stabit, magna vt cuiuis necessitas imposita sit fortiter depugnandi; quando maximè solos fugaces, incurios, timidos, inconstantes, cadere & vinci certum est; vicit, qui fortiter restitit, qui hosti, ne quidem in ipsa morte concessit. Verùm subdoli, potentes, importuni, vigiles hostes instant; minas blanditijs, vim dolis miscere norunt, pacem simulant, securitate sepiunt, vt imparatos terrore subito opprimant: mille eis nocendi artes, quouis penetrant & persuadunt, votis potiundi spe numquam excidunt: vbi vicisse, vbi bellum elanguisse putes, acies instaurant, acerbioribus odijs recrudescunt. ergo inermis numquam, numquam sis incautus, à vallo, à præsidijs, à socia cohorte ne longiùs abscesseris: & verò, quæ planè salutaris est cautio, in hostium confinijs ne moreris,

ad remotiora & interiora regni Dei, hoc est, ad vitæ spiritualis & Religiosæ penitissimam perfectionem te recipe: hîc ab omnibus hostis incursibus tutus delitescès.

Profectò, in hostium confinijs is Religiosus habitat, qui veterem & perturbationibus obnoxiam mentem haud exuit, qui ea quæ sunt hominum volens respectat, laudis amans, honorum appetens, commodorum auidus, mortificationis osor, iudicij sui retinens, voluntatis propriæ & cupiditatum explendarum cupidus, denique gestu, moribus, aut animo, mundani & inoliti spiritus reconditum nescio quid tacitè fouens. Hæc igitur reuellenda, in alium hominem abeundum, in aliam & nouam Dei militiam transcripto, alia lege, alijs moribus penitusque pugnantibus est viuendum: ita demum ad huius regni intima, ad loca munitissima, vbi magis timeant quàm timeantur hostes, fauore diuino prosequente penetrabis.

At hîc nonnemo interpellabit; Dictu quidem facile est, & cuiuis fortè promptum, magnifica iactare promissis, & vniuersè loquentem multa polliceri. Verùm omni ambage sepositâ, clarè velim edicas, quid hæc voces regni intima, qua certa istuc pertingam via? Dicam sanè perlibens; id tamen à me audire si voles, meo more me dicentem, sensimque altiùs assurgentem patienter audies. Dicerem verbo vno, Vocationis incitatum sequere, vocem audi: sed conciſiùs id dicitur, quàm vt multum prodesse possit: ergo planiùs & fusiùs. Et quoniam ad belli similitudinem monitio hæc nostra deflexit, in ea pauxillum prouehi non fuerit alienum.

CAPVT X.

Quænam sit propria vocationis perfectio.

FIngamus animo fortissimos, eosdemq; crudelissimos hostes, quendam prædatoribus opportuniorem abduxisse captiuum, quem turpissimæ morti destinatum, suæ, vbi collibitum fuerit, libidini ludibrio futurum asseruent: ne autem vel fuga, vel astu se in libertatem asserat, loco munitissimo, multis cinctum præsidijs, intentissima vigilia obseruent, atque vt delinitum cautiùs fallant, vultu amorem simulent, iocis, lusibus, epulis, varijsque oblectamentis ineſcatum eousque dementent, vt libertatis & salutis oblitus, hostes & carcerem amicis & patriæ præferat. De huius hominis vita, quis non putet esse conclamatum? Sed ecce tibi, dum salutares de se ipso cogitationes captiuus ille deposuit, suæque se lanienæ ludibundus asseruat, si quisquam experientissimus belli miles, omniumque hostilium insidiarum peritissimus, forti manu, industria, celeritate, felicitate inuicta, declinatis insidijs, aduersantibus copijs fugatis, transmisso vallo,

vallo, distractis munimentis, sese in arcem inimicam penetret, captiuum vinculis exsoluat, manuque prehensum, ac lentè volentem, per medios, & nequidquam frendentes hostes ad amica regna perducat, ibique miserandæ captiuitatis, & insidiosissimarum blanditiarum fraudes aperiat; iamque sibi restitutum, & sua, licet serò, aliquando tamen, salute gaudentem, fortis ille miles, minusque facinoribus iactandis, quàm benè faciendo assuetus, in hæc verba alloquatur: Certæ & crudelissimæ morti, capitalissimi hostes tui te captiuum deuouerant, periculum tuum ipse nescire amabas; at amore tui veni, tibi decertaui, offusam menti caliginem dispuli, amicam in regionem ereptum transtuli; tuæ partes sunt reliquæ, tibi vt in posterum consulas: ferox est hostis, astutus, audax, longioribus excursionibus insuetus, tuaque (qui genius eius est) liberatione iritatus, nihil intentatum relinquet, quo minùs in eius iterum casses incidas. suadeo igitur, vt ne vnquam inermis, ne incomitatus incedas, quàm longissimè ab ijs omnibus fugias, quæ vllo proximitatis iure ad hostes attinent: & quoniam de mea in te beneuolentia, nulla tibi dubitatio intercedere potest, etiam hoc in cumulum addidero, firmissima quędam arx mihi est, longiusculè hinc dissita, in quam hostilis pauor vix nisi auditu tenui penetrare potest, omni armorum, commeatuum, militum & ducum copia instructissima; in eam admitti si voles, me sanè perquàm lubente fiet. Quid ad hanc amici sapientisque militis orationem responderi par esset? quid aliud, quàm vt non tantùm demississimæ, ob tantum beneficium, gratiæ agerentur, sed & enixè rogaretur, vt, quando ea fuisset ipsius virtus & beneuolentia, vt vltrò seruaturus aduenerit, hostes fuderit, manu asseruerit, quod reliquum superest viæ, securum præstet, ipseque, arcis deprædicatæ custodibus, integrum, certaque in statione collocandum commendet? quis enim reperiatur alter, qui ea fide, auctoritate, securitate id perficiat?

Idem & nos in hac nostra belligerandi ratione si obseruamus, in tuto sunt omnia. Atque vt videas quàm ad viuum suis hîc depicta coloribus imago vitæ Religiosæ exprimatur; sic habeto, strenuum illum, amicissimum, liberatoremque militem, gratiam esse vocationis, omnia illa beneficiorum officia explentem: est enim hæc gratia minimè omnium otiosa, actuosa potiùs, & semper longiùs prouehens, multis quasi ancillulis comitata, virtutibus, & donis spiritus, fida, constans, præfidens; diuinæque prouidentiæ, quibus nititur, viribus inuicta, perseuerantiæ in primis amica & euocatrix, perfectæ sanitatis inuentrix, æternæque gloriæ conciliatrix potens. Hæc est quæ tibi de medijs mundi castris erepto, malè amicos inimicauit hostes; quæ mendaci præterlabentis gloriæ luce præstrictos oculos, ad æternum cælestium coronarum splendorem contuendum exacuit; quæ vanitatis iugo assuetum, Ægyptiæ seruitutis dura imperia detrectare, & ad libertatem filiorum Dei adspirare, nec adspirare tantùm, sed in eam etiam forti ausu teipsum vendicare

dedit: ergo nullius quàm huius amiciora, salubriora, tutiora esse consilia possunt. amorem enim, quo te vltro prior occupauit, expertus es, diffidere diuino dono, luciq́ue sancti Spiritus non potes; illius verò potentiæ quanto pere aduersa omnia cedant, res ipsa iam docuit, adeò vt nihil tibi iam sit satius, quàm illius comitatu gaudere, ductum sequi: cumq́ue insidiarum atque periculorum plena sint omnia, quæ vix ac ne vix quidem videri, caueri nisi illa duce possint, videndum vt ne transuersum quidem digitum absei us monitu discedas.

Quod vt sanctiùs pleniusq́ue obserues, verè aperteq́ue denuncio, hunc tibi tam beneuolum, fidum, potentem vocationis satellitem, esse tamen imperiosum, multæq́ue in dicendo, in monendo libertatis: at si recta suadenti obsecundas, si præeuntem æquo passu assequeris, nihil eo comite hilarius fingi potest, nullas cum hostibus patitur inducias, perpetuoq́ue debellat; morarum, segnitiei, torporis est impatiens, hostilia dona omnia, afflatus affatusq́ue tenuissimos execratur, diuerticula non quærit, alienas non ingreditur vias, marte proprio pugnare & debellare consueuit. Habet enim vocationis gratia vim eam, vt ea quæ ad statu, per eius impulsum susceptu, perfectionem spectant, continenter vrgeat; nihil aduersum, diuersum, periculosum, otiosum, languens, distortum ferre possit, quamdiu vegeta mentem insidet. quòd si quid irrepat huiusmodi, tum subitò videas, mentis excitatæ spiritualem vigorem emarcescere, grauia reddi omnia, onusq́ue illud Christi, quod vocationis gratia subleuante, & iucundè portabatur, & secum portabat cetera, eâdem gratia flaccescente, naturaq́ue torpore subeunte, humeris reddi importabile, magisq́ue, quomodo turpiter excuti, quàm quomodo fortiter perferri possit excogitari.

Vigeat igitur, perfecteq́ue vigeat, perfectus vocationis amor, in id mouens & perducens quod vocationis illius proprium, optimum, perfectissimum est. Dixi, si ductum, si incitatum gratiæ huius sequeris, pertinges: at vrges, Quòtandem? iuuat enim cursus Religiosi metam certa descriptione definisse. Cùm igitur certum sit, earum rerum omnium quæ definita quadam, certoq́ue limite comprehensâ naturâ constant, & à ceteris distinguuntur, vim quandam, & munia, proprietatesq́ue, ac perfectionem ab alijs distinctam esse debere, cumq́ue Religiosæ vitæ institura, nequaquam indistincta confundantur, sed pulcherrima varietate, in vnam Dei gloriam conspirante, propagentur; necesse est vt vniuscuiusque instituti Religiosi natura, certa quadam proprietate atque definitione constet, per quam & ab alijs omnibus distinguatur, & ipsa in se suis omnibus partibus constans, integrè perseueret. Et verò in ijs, quæ natura non arte existunt, arduum non est obseruare, quid illud sit quod & perfectionem, & à ceteris distinctionem parit: etenim anima bouis, anima equi, anima & spiritus hominis, eodemq́ue modo id in qualibet re, quod formam propriã philosophi nũcupant, singulas res à ceteris discriminat, conseruat, & quantũ datur perficit. At profectò, nõ pari procliuitate aliquã eiusmodi formam comperias, in ijs quę

ho-

hominum instituto & moribus existere noscuntur. quod ex eo fortasse contingit, quòd per se existentem, & ab omni alia re naturali separatam naturam sortiri non possint, sed immersæ vel adiectæ subiectis varijs, destinatione, opinione, consensione hominum, eaque persæpè admodum variâ, stabiliuntur: nec aliunde videas, artes, munia, officia, dignitates, reipublicæ gubernandæ, seu politiarum genera diuersa, ijsdemque in generibus plura vel pauciora, variarum gentium arbitratu permixta, quorum singulorum rationem aliquam vt coniectando assequi facile est, ita certam definitamque sententiam affirmare difficillimum. Sed vt quantum diuina gratia concesserit, rem hanc elucidare coner,

Duo formarum genera in rebus naturalibus animaduertimus, per quas à rebus alijs secernuntur: vna est, quæ in sensum exteriùs cadit, primoque & planissimè contuentibus occurrit, & cuius adminiculo ipsæ etiam animantes rem vnam ab altera discriminant: ita est externa quædam in boue, equo, homine, in feno, pomo, pyro, quæ in sensum incurrat species, quæ à brutis ipsis absque errore percipitur. est autem hæc forma exterior, illius quæ in intimis latet, vel administra, vel effectus, vel adminiculatrix, ac subinde conseruatrix & ornatrix. quod apertè conijcias ex hominis externa figura, nec prolixiùs id exequar. At occultior, à sensu remota, & in intimis latet alia forma, quæ ipsissimam rei naturam constituit, vel potiùs ipsa natura est, nec sensu, sed ratione & intelligentia sola percipitur: huius dignitati & propensioni, modus & habitus externæ figuræ accommodatur, vires & qualitates omnes futuris & conuenientibus vsibus inseruiunt, nec in alium finem omnis illa externa forma concessa est, quàm vt interior, & (vt cum Philosophis loquar) substantialis forma meliùs, perfectiùs, accommodatiùs perduret. Iam si oculos ad nostra conuerteris, protinus hæc vtraque forma, in Religioso instituto se sensibus ingeret: si enim quempiam occurrantem Religiosum offenderis, non secùs quàm bouem è corio, cornibus, corpore, sic mihi illum è vestitu cultuque corporis, licet moribus ignotum agnoscas, suoque illum Ordini, Benedictino, Dominicano, vel alteri tribuas: atque externam solam videras, quæ internæ & longè præstantiori, Religiosæ formæ exornandæ subseruiat. Internam autem illam, singulisque propriam videre, certaque descriptione complecti si velis, rem sanè arduam, meisque, vt quod res est fatear, viribus maiorem aggrederis.

Vniuersè quidem id mihi videor definire posse, formam vniuscuiusque instituti propriam germanamque eam esse, quæ vocationis eius proprio germanoque spiritu continetur, efficitur, eiusque natiua vi effloresçit. Spiritus autem ille, est quidam peculiaris vigor gratiæ, impulsu suo incumbens, vt animus virtute & habilitate multiplici, ad omnia illius vitæ onera perferenda, & munera vtiliter ac ex virtute perfungenda, imbuatur ac instruatur, idque omne aptè, & conuenienter illi statui fiat. nec tantùm, sed, si vires ceperit, iucundè quoque, facilè atque constanter.

Hic

Hic ſpiritus à Deo datur, à Deo exoritur, &, ſi quid aliud, precibus eſt poſtulandus, grata mente complectendus, ſanctis operibus exornandus, confirmandus, & ad maiora prouehendus. Quod vt fiat, partes eius potiſſimas diſtinctiùs menti obijcere, in ijſque comparandis operam omnem & induſtriam adhibere oportet: eas autem vt tibi obijcias perueſtigâ inſtituti leges, munia, labores, finẽ & modum, quid ſit quod ad horum ſingulorum perfectionem requiritur, quid ſenſerit inſtituti auctor, quibus virtutibus quaſi fontibus ſuorum perfectionem emanaturam pronunciarit: cumque hoc totum in pauca, latiùs deinceps propaganda, contraxeris, fallor ſi non inſtituti naturam & primigenium ſpiritum verè perfecteque deſcripſeris.

Atque vt ne peraliena longiùs vagemur, tuæ quam profitendam ſuſcepiſti, Societatis Ieſu ſpiritum in eo eſſe definio, imò verò definijſſe videtur Ignatius, vt qui verè perfecteque Societatis aguntur ſpiritu, Ieſu Chriſti Domini noſtri imaginem in oculis habeant, ad eius exemplar mores animumque fingant: & quoniam hoc exemplar eſt multifariam imitabile, hæc potiſſimè in ſe traducãt, obedientiam iudicij voluntatiſque quàm maximam, quæ eſſe tanta non poteſt, niſi omnis omnium rerum affectus exuatur, & vna regnet voluntas Dei: præterea ſalutis animarum zelus ità vigeat, vt nullo loco, regione, conditione circumſcribatur, vt quantoſcumque labores, ipſiuſq; vitæ pericula, exemplo Domini qui pro nobis vitam poſuit, ſubire amet: ſibi verò & mundo adeò ſit mortuus, vt contumelias, ignominiam, malam famam, contradictiones, & omnis generis aduerſa, eaque maximè, quæ opinioni, & apud homines exiſtimationi contraria ſunt, vehementer exoptet, cum eo tamen, vt culpa & peccato ſuo, nullam cuiquam ita malè ſentiendi occaſionem præbeat: ſic enim & zelo, & rerum ad ſenſum & naturam acerbarum cupiditati moderatur huius vocationis gratia, vt nuſquam vel latum vnguem à prudentia & diſcretione, eum quem dirigit, exorbitare patiatur. En tibi deſcriptum paucis vocationis tuæ ſpiritum, virtutem, & vim natiuam, cuius perfectionem cordi tuo penitiſſimè inſculptam gerere oportet.

In hæc autem, licet verbis & enumeratione pauca, eò vehementiùs eſt intendendus animi conatus, quòd ab illis vniuerſa ſtatus perfectio, mentiſque tranquillitas pendet: cùm enim duæ res inter ſe pugnantes, ſimul ſine pugna & lite eſſe non poſſint, non poterit affectus aut amor vllus vocationi aduerſus, non perturbare pacem eius hominis, in quo vigeat melior, & intus latens vegetior ſpiritus. Quod ipſum in Religioſo inſtituto longè eſſe veriſſimum obſeruo, eoque veriùs quo ſinceriùs, nullaque penitus innouatione, primi inſtitutoris leges & ſtatuta ſeruantur. Etenim credendum eſt, eiuſmodi præſtantiæ virum, familiæ ſuæ leges, quibus perfecta perennare poſſet, condentem, ſiue prudentiæ naturalis, finemque ſpectantis ductu, ſiue potiùs eius quo iſta vocatio continebatur, ſpiritus incitatu, eas res ſanciuiſſe, & in mores induxiſſe, occupatio-

tionum & laborum ea genera selegisse, conuictus & gubernationis eam formam descripsisse, ceteraque omnia ita temperasse, vt ad conseruandum augendumque vocationis spiritum, hoc est perfectionem in illo vitæ genere descriptam circumscriptamque, conspirent, cessantes vrgeant, procedentes exerceant, perfectosque multa consolatione demulceant, numquam autem quietos esse patiantur eos, qui sensus mundique illecebris adhuc capti, alienum à vocatione sua spiritum latenter fouent; sed tot spinis eorum circumsepiant vias, ita vndique conatus infringant, tot eos procellis susque deque vexatura sint, donec euicto eiectoque qui venis insederat mundi veneno, purum & viuidum vocationis hauriant spiritum, hoc solo viuant, regantur & gaudeant.

Iam ergo quod initio volebamus, ope diuina confectum est, vt scopum tibi ob oculos positum habeas, quò tua omnis vita collimet, & in quem, prudenti virtutum, quasi sagittarum coniectu, intento cogitatu, directaque continui amoris linea pertingens, nusquam à decoro & perfecto aberres: sed eodem semper vocationis spiritu comite, duce, auspice tutus & lætus, in eam virtutum arcem & consummationem transcendas, quò nullis, nisi admodum debilitatis, hostium incursibus peruenire valentibus, de summa nonnisi optimè sperare possis perseuerantia. Quis enim vnquam ab eo discesserit instituto, in quo plana & prona sunt omnia, cuius ardentissimo amore flagrat, vim genuinam possideat, tranquilla delectatione perfruitur, desiderata perfectione ornatur? Magna prorsus ista sunt, & quibusuis laboribus mercanda, votis exoptanda: & quoniam tanta sunt, facilè persuadent, vt aliquantulum præterea immoremur.

CAPVT XI.

Aliæ ad vocationis spiritum obseruationes.

HVnc vocationis spiritum, vt & ipsam vocationem, sic à Deo dari diximus, vt eius primitias, radicem, & initia, nullâ nostrâ præcedente vel promerente actione laudabili, dare soleat: hoc autem ea conditione, vt donum illud, quasi pecuniam, multiplicato fenore reddamus, diligenterque vigilando, laborando, nitendo, in maius perfectionis augmentum perseueranter exornemus. Quare, cùm otiosis, accepto incubare sit nefas, addo quæ ad roborandum illum spiritum plurimum conferant.

Ac primò quidem, cuiuspiam in eo vitæ genere præstantis, ac in primis institutoris, & quoniam de nostris agimus, B. Ignatij imitatio valet plurimùm. Cùm enim ab eo, veluti fonte & origine, tum institutum ipsum, tum reliqui de instituto omnes fluxerint, ab eoque spiritum hauserint, non priùs, neque ampliùs in alios exundasse credendus est, quàm ipse sibi abundarit: cumque

primus luce diuina collustratus, totius istiusmodi vitæ perfectissimam ideam, sua in membra aptè distributam, suis coagmentatam partibus, viribus instructam, fini proposito accommodam, non mente sola, sed etiam descriptis vsurpatisque legibus sit complexus, proculdubiò, defixo in res tantas animo, tam multiplicia prouidente, tam ardua voluente, mundoque & dæmoni renitenti obluctante, aliter esse non potuit, quàm vt is qui talis familiæ caput existeret, totus exuberantia illius spiritus grauidaretur, illoque vsque adeò compleretur, vt eius fragrantissimum odorem quæcumque ab eo viro proficiscerentur exhalarent. Quare ipse mihi persuadeo, nihil minutum, otiosum nihil, nihil non obseruatu dignum, in institutoris Ignatij memoria esse, & ex eius cùm factis, tum dictis, non adumbratam quandam, sed expressam, suisque numeris omnibus perfectam, verùm in Societate Iesu Religiosi, imaginem esse deformatam, cuius ad normam quo propiùs accesseris, eo pariter perfectioni propior euaseris. Quod autem tibi, in eius instituto degenti, de illo dixi, idem alteri, aliud institutum amplexo, de alio institutore dictum cupio.

Verùm quæ sunt hominum, omittamus, vocationis tuæ gratiam, aut si mauis spiritum, subtiliter inspectemus, eiusque partes, naturam, decora, & adiumenta signatè obseruemus, & exinde quid cuique præponendum, qua via & methodo sit aggrediendum iudicemus. Vt enim in homine quidam est insitus vitalis & natiuus calor, cuius à conseruatione & vigore, tota hominis vita necessariò pendet, eoque exstincto cetera emoriuntur omnia: ideoque illi conseruando prouidus naturæ artifex Deus cor, iecur, aliasque potissimas partes, vt proximè ministras adhibuit: his deinde, vel integumenta, ossa & carnem; vel subsidia, manus, pedes, sensus; vel ornamenta, cutem, colorem, pulcritudinem attexuit. Ita in hominis Religiosi, quasi fabrica, videas mihi, vbi lateat spiritus ille vitalis, quo exstincto nonnisi putidum Religiosi cadauer exhorreas: at verò dum vegetus est, suos habet neruos & venas, quibus vigorem in omnes muniorum partes diuidat; suas conseruandæ vitæ potissimas virtutes, vnde vegetetur; exercitationes varias, quibus roboretur, aut defensetur; ornatum item & decorum instituto consentaneum. Quod vt expressim ad tuum Societatis institutum contraham, dicam quod sentio, sic tamen vt in hoc meo sensu neutiquam abundare velim, cupiamque à quouis qui rectiùs & enucleatiùs senserit eruditi. Annon satiùs benè præeuntem sequi, quàm malè præeundo in præceps ruere? pertinacem hanc ambitionem, Domine Deus meus, à seruorum tuorum cordibus procul amoue.

Primam ergo vitæ nostræ spiritualis, institutique radicem statuo, sanctum D.N. Iesu Christi amorem, qui omnem alium sibi officientem amorem expellat eo longiùs, quo perfectior & contentior fuerit; virtutes etiam, omnémque vitæ spiritualis consummationem eo copiosiùs infundat, quo se penitiùs in animi intima penetrarit: cúmque hic amor & admodum sit efficax & otiosus esse non

non possit, hominem quem occupauerit, in aliquem certum, diuinæ de illo prædestinationi congruentem, affectionis modum flectit, & propriam quamdam lucem sic menti insinuat, vt iudicationibus, ad finem vitæ suscipiendæ consentaneum, tendentibus imbuatur. Sic videas hunc D.N. Iesu Christi amorem eorum omnium qui ad Societatem Iesu diuina benignitate vocati fuerint, animos ita suis donis ornare, vt ex eo ad omnes instituti partes explendas expediti euadant: protinúsque tria hæc, quibus huius instituti vita foueatur, ex hoc amore Iesu pullulent, nempe obedientiæ nullo personarum, rerum, locorum, laborum discrimine summus amor: Secundum, crucis, hoc est contemtionis, ignominiæ, contradictionum, rerúmque existimationi nostræ contrariarum, próque Christo Domino multa patiendi ingens desiderium: Tertium, honoris diuini apud omnes quàm maximè promouendi zelus ardens, prudenti circumspectione firmatus. His tribus, quasi vitæ primariæ, quasi spiritui principali fouendo, augendo, decorando, cetera inseruiunt omnia. Quædam sunt, quasi vitales partes, quibus exstinctis vitam spiritus emori necesse est, quales sunt castitas, paupertas, humilitas. Ossium instar sunt, magnanimitas, æternitatis memoria, rerumque duriorum & difficiliorum crebra exercitatio. Venas & fibras, quibus ad membra, seu operationes varias permeat vis interna, repræsentant sancta desideria, & sincera diuini honoris intentio. Multiplex in se ipsum disquirendi, & conscientiæ latebras vestigandi ratio, vicem sensuum bona prosequentium, mala explorantium explet. Statæ & solennes variæ exercitationes Religioni propriæ, multitudinem membrorum vel motionum corporis referunt. Est retinendi, concoquendi, & alendi salutaris facultas, in oratione; noxia verò excernendi, in mortificatione. Mollitudinem carnis, qua duriorum ossium aspredo leniatur, fraternæ caritatis amicabilis lenitas, multaque Religionis oblectamenta præbent. Exornat denique, & gratissima pulcritudine, totam spiritus vitam perspergit modestia. atque ita rerum diuersarum sancta conspiratione spiritualis hominis perfectio existit, tanto absolutior, quo pauciora desunt, & vigent singula.

Istam tu mihi absolutionem mentis oculis aspice, probéque perspectam in tuam animam traducere contende; sic tamen, vt in ea magis incumbas, è quibus ad reliqua manare vigorem oportet: non secùs atque in corporis humanæque vitæ conseruatione, nihil quidem negligi, sed impari tamen solicitudine multa solent prouideri. nemo prudens leuiculæ reduuiæ, vel protuberantis extremo digito veiculæ causa, medicos accersiuit, pharmaca exhausit; prudentiùs ista tempori sananda committuntur. at imprudenter faceret, qui minimam in corde vulnerationem, non maximopere caueret. Quædam sunt in vita Religiosa minima, quæ licet negligenda numquam sint, leuiore tamen cura vel ex alijs quasi sponte manatura sperantur; at nihil est in paruis reponendum, quod ipsam Religiosæ vitæ radicem, vel partes

quasi vitales petat. De his verò singillatim agere prolixum foret, nec fortasse satis proposito congruens, sed non videtur omittendum quin de nonnullis seu fundamentis, seu vitæ nostræ Religiosæ fontibus aliquid quasi in transcursu notem. In secundo operosiùs immorabor, cùm & initio maximè comparandum sit, & illud minùs explicuerim.

CAPVT XII.

De securitate obedientiæ.

DE obedientiæ virtute & natura ita multa scribenda forent, & à plurimis scripta sunt, vt videar mihi de illa meritò tacere posse. Sed quando id institutum aggrederis, cuius partes omnes, munia omnia, conseruatio, & perfectio, vnius obedientiæ vi, apta & coagmentata continetur, perspectum tibi esse debet, quanta obedientiæ à te desideretur integritas, qualis, quàm perfecta, in quibus, & quousque postuletur. Hoc vero non erit admodum obseruatu difficile, si quæ B. Ignatius de illa præscripsit, quæ descripsit & tradidit, attentiùs euoluas.

Interim hoc tibi vnicè commendatum velim, vt credas, in vna obedientia, tuæ salutis æternæ securitatem esse positam. Cuius vt rationes plurimas omittam, hæc est meo iudicio firmissima: quòd quicumque obedientiam Dei causa, Dei nutu, voluntate, ac propemodum iussione susceptam sequitur; sic autem eam sequitur, qui Deo consultore, auctore, duce, Religiosæ vitæ institutum est amplexus; proculdubio Deum, cuius vicem perfungitur, cuius personam homo iubens refert, Deum inquam, qui via, veritas & vita est, sequitur. quare aberrare, decipi, emori non potest, nec potest certior vlla esse ad salutem via. Et quantos facit animos, Deum sui operis, otij, negotij, studiorum, laborum instigatorem & impulsorem intueri? quantum præsidij sibi à iussione, quasi à Dei voce, vendicat obediens, diuinæ liberalitatis, copiosa, *ijs* quos ad opus euocauerit, auxilia largientis conscius? quantum certæ fiduciæ, cùm agnoscit prouidentissimi Domini sapientiam decere, vt à recto & vtili fine numquam exerret, numquam nisi in nostrum commodum cedat, quod diuinæ voluntatis nutu per Superiores indicato, susceptum vrgetur? Quod si probè ipse tibi persuaseris, omnem omnino propriæ & ab obedientia non excitaræ voluntatis motionem exhorresces, pertimesces, & procul auersaberis. vt enim omittam quàm in deuia, fallacia, letifera deceptos abducat, hoc solum quanti terroris est, quòd qui sua voluntate in partem aliquam permouetur, diuinam sibi opem certò promittere non potest; qua tamen quicumque destituitur, is omnibus casibus, hostibus, dæmo-

monibus, tentationibus & peccatis iacet expositus. Atque vt quod sentio, clarissimè & rebus ipsis ostendam, faciamus, cuiuspiam negotij, itus, exitus, ambulationis, collocutionis, potionis, medicinæue hauriendæ occasionem offerri; si id vel præter obedientiæ nutum, vel contra, vel eo non expectato ausus fuero: sic mecum ipse ratiocinari, eiusmodi me, neque id ex vano, terroribus pauitare debeo: Egóne ista sine Deo sum ausus? Sanè ausus sum sine Deo, quando obedientiâ non consultâ sum ausus. At non consulto Domino, nonne à Gabaonitis deceptus est Iosue? nonne durus vxori Ieroboam, alium quàm Deum verum consulturæ, missus est nuncius? Deo non auspice, quid non cedet pessimè? res prosperæ in aduersas, iucundæ in tristissimas, vita ipsa in mortem ibit. Sine Deo neque vtile, neque optandum mihi potest esse quidquam; insidiosa, periculosa, exitialia sunt omnia. Sanitatem, quietem, scientiam, honorem, vtilitatem, Deo istac non ducente, quæsiui; ecce inde mihi inualetudo, perturbatio, ignorantia, ignominia, damna multa creabuntur. Et cui meliùs, cui tutiùs & fidentiùs, quàm Deo meo possum, & verè debeo dicere, In manibus tuis sortes meæ? si me illi totum reliquero, ille de me toto benignissimè consulet; vbi me illi subtraxero, meæque incertæ prouidentiæ commisero, ibi necessario præsidio nudus, illudentis dæmonis fraudibus ludibrio exponar: perdam, & perimam, quorum salutem non præscripto ab obedientia labore quærebam; euertam negotium illud omne, quod exquisita propriæ voluntatis industria, ex voto confectum volebam. Sic mihi, nec immeritò, exaduersum ibunt omnia, Deo per obedientiam non afflante; at secundo cursu & æternitati frugifero fluent, quoties aspirante ad Superiorum vocem numine, sponsorem quodammodo & vadem felicis exitus, ipsummet laboris auctorem Deum inuenero.

Ita verè est, ac vehementer optarem Religiosis omnibus, vt verissimum, ita persuasissimum esse, ingratè admodum, sed & periculosè id omne ab eis suscipi, cuius non sit auctor obedientia. Etenim cùm ab optimo Domino Deo nostro, in eam felicissimam vitæ sortem vocati sint, vbi rerum omnium agendarum initia, progressiones & absolutio, Deo per Superiores excitante, promouente, perficiente speranda sunt: vbi posita omni de se suisque sollicitudine, *cogitatum iactent in Domino*, qui eorum qui sibi confidunt, res omnes paterna prouidentia lenissimè in fines optimos destinat: quid aliud, in eiusmodi vitæ genus eos vocando præstitit, quàm quòd singulari beneficio à sua ipsorum incertissima curatione dimouit, iussitque sui securos, absque omni sollicitudine, se diuinæ prouidentiæ tradere, quæ vicissim in tutelam semel à se receptos, numquam (nisi voluntarij recesserint) in errorem induci, vel tentatione superari sinet? Nunc autem, cuius vel insipientiæ vel temeritatis est, in periculosissima procellosi huius sæculi iactatione, tanta nostra cæcitate, infirmitate & inconstantia, prouidentissimo, eodemque fauentissimo Deo relicto, nostris

imbecillimorum & ignauissimorum viribus nitentes, industriæ fidentes, vltrò ad clauum assidere, & æternitatis gubernacula occupare? Heu miseram ita nauigantis conditionem! quàm præcipiti cursu fertur in ruinam! latentes non vitabit scopulos, Syrtibus absorbebitur, vel miserandum in modum quassa naui marinis præda fiet belluis. Ista conditione nauigas, quisquis vel ad breuissimum momentum, tuæ voluntatis ductu in Religione nauigas; diuina gubernatione desperata, tua ipsius regeris: qua dum regeris, teque solo, arundineo baculo, niteris; potes ne quietis partem vllam capere, nec expauescere, te nudum tot circumfrementium hostium inimicis telis exponi? Quid? quòd non solùm non fauentem, sed iratum habes Deum? quàm enim Religionem ipsam suo in flore cupit conseruatam, tam debes pertimescere ne te velit perditum. quippe neruus, vigor, vita Religionis ipsa est obedientia: quam cùm labefactet, elidat & euellat propriæ voluntatis vsurpata libertas, eodem etiam impetu Religionis totius, vel quantum in ipsa est; vel quoniam à paucis ad plures facilè serpit malum, neruos, vigorem, vitam omnem labefactat, elidit, euellit. Eadem igitur prouidentiæ potentissima vi, qua Religiosi Ordinis conseruationi incumbit Deus; eadem credendum fore, vt Religiosos propriæ voluntatis amatores, atque adeò Religionis euersores, idem Dominus auertatur, impugnet, ac denique, nisi ad saniora reuertantur, iusta seueritate disperdat.

Præterea, certissima & indubitata fide fatemur, nihil vlla in re virium esse, nihil efficaciæ, quod non à Deo sit, conseruetur, & (si quando agat) illo adiuuante agat, & vegetum sit. Nec tamen Deus, quasi lege dicta, ita creaturis ad illarum efficaciam exerendam adesse cogitur, vt non liberrimè, quando sapientissimæ ipsius bonitati visum fuerit, vel earum conatum infringat, vel effectum sustineat, vel per illas diuersum aut etiam maius quiddam efficiat. eiusque rei exempla perfrequentia licet animaduertere in consilijs, industria, labore, opere plurimo & vario, vbi non solùm diuersissimos exitus, sed & non rarò infelices fortiuntur, quæ pari vel etiam maiori industria curata fuerant. tantæque istius varietatis (postquam eædem omnes causæ naturales adhibitæ fuerint) nulla verior, vel saluti nostræ conuenientior ratio reddi potest, quàm si in primæ, vt liberrimæ, ita prouidentissimæ causæ voluntatem, cuncta referantur. Sic igitur habendum est; cetera omnia, sine Deo nihil posse, Deum solum sine ceteris, imò ceteris omnibus contrà tendentibus, quiduis posse. quare in eum, vt supremum omnium dominum; vt omnium potentem, spem omnem & fiduciam reponam: eius nutu, voluntate, obedientia si regor, (regor autem cùm ab ijs regor qui vicem eius funguntur) nihil erit quod ad vtilitatis, iucunditatis & salutis meæ commoda maiora non conspiret; at si ab obedientia recedo, non dubium quin auxiliatrice Dei mei prouidentia, sese causarum

crea-

creatarum implexionibus insinuante, easque vbi libuerit in secundissimos exitus inflectente priuabor: alliciam fortasse quosdam vt me diligant; at derepentè amorem excipiens offensiuncula, in graues inimicitias desinet: permouebo non neminem, vt à praua consuetudine resipiscens, ad meliorem frugem redeat; at mox veteris voluptatis dulcore inescatus in pristina relabetur, fientque hominis illius nouissima deteriora prioribus: languorem aut morbum corpori insidentem, remedio præter obedientiæ præscripta quæsito depellam; at vel succedet grauior alius, vel ipsa illa corporis valetudo inualetudinem animæ creabit. sic in ceteris omnibus quæ meaipsius voluntate perfecero, futurum credam, vt retro in meam perniciem lapsura sint omnia, vel saltem frustrante conatu, Deoque non adspirante, in irritum sint casura. O quàm multis improuisis casibus, & quæ perennatura videbantur, subitò conciderunt; & quæ penitus desperata putabantur, erecta sunt! quàm sæpè quibus minimè rebamur consilijs, vel disiecta, quæ nolebamus, vel quæ volebamus constabilita suspeximus! Nihil igitur vndecumque tutius, beatius, optatius est, quàm incertæ & erranti & infirmæ humanæ prouidentiæ despondendo, certissimæ, sapientissimæ, potentissimæ, obedientia duce, diuinæ prouidentiæ adhæresce re: sic tibi omnis creatura militabit, sic tuis omnia votis obsecundabunt.

CAPVT

CAPVT XIII.

Alia nonnulla quæ ad amandam obedientiam & cognoscendam faciant.

Lib 14. de Ciuit. c. 12. SEd pauca quædam de tanta virtute addamus: & id sit primum quod D. Augustinus breuiter, at significantissimè de obedientia sic eloquitur, *Quæ virtus in creatura rationali, mater quodammodo est omnium custosq; virtutum: quandoquidem* natura rationalis *sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile; perniciosum autem, suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem.* Cui consonans Magnus Gregorius lib. 35. Moral. cap. 10. multa latè & præclarè de obedientia differit. Diadochus verò, *Obedientiam,* inquit, *esse omnium virtutum introducentium principem exploratum est: repudiat enim arrogantiam, parit autem nobis humilitatem: vndeianua atque aditus caritatis in Deum efficitur, ijs qui libenter eam amplectuntur.* Et mox addit, obedientiam omnes nobis virtutum vias absque errore demonstrare. Quam in sententiam; & plura præterea lectu dignissima gradu 4. Ioannes Climacus; quem tamen auctorem, vt scientiæ in vita spirituali reconditissimæ, non facilè ab incipientibus & Nouitijs in manus assumi velim, perfectiorum, & eorum est qui sensus exercitatiores habeant.

At non est vnum illud prætermittendum quod ab illo verissimè dicitur, in hoc obedientiæ sanctæ cursu, vnum & solum latere scopulum, ἰδιορυθμίαν, seu sui moderationem, cùm sibi quisque idoneus ad se regendum & moderandum videtur. *Est enim,* inquit, *obedientia, numquam sibi, ne in his quidem quæ videntur optima vsque ad consummationem vitæ credere.* Beatus vero Nilus præclarè monet, vt obediens vel sit instar corporis quod & animæ obedit, & ab anima vitam & functiones accipit; vel instar materiæ quæ artifici, cudenti, recudenti, ad infima, ad summa adaptanti obsequitur. In cuius rei commendationem multus est varijs in locis Basilius, nolens eum, qui semel suæ gubernationis alium voluerit esse arbitrum, sibi aliquid quasi bonum eligere, at prorsus omni cura posita, alienæ se potestati curæque committere, propensioribus animis amplectendo infima, sed neq; in speciosiori munere reluctando: asserens omnem voluntariam rei impositæ fugam, quandam sui ipsius in libertatem vindicationem, alienique imperij detrectationem esse, veramque humilitatis speciem superbiam. Et verò vt non verbis tantùm, sed & rebus id ipsum asserentem spectemus, occurrat quid de eodem B. Basilio memoriæ prodidit Dorotheus: Obibat aliquando suæ dedita disciplinæ monasteria vir beatus, in id incumbens, vt omni spiritus infirmitate depulsa, magna omnes contentione ad perfectiora contenderent.

in asect.

doctr 1.

Hic

Hic in primo cuiusdam laudati cœnobij ingressu, eum qui cunctis præerat, & Abbatis munere fungebatur, interrogauit, Quem suorum crederet saluandum? at alter, nihil cunctatus, respondit, Credere se, saluandos omnes. ô nobilem cælo destinatorum cœtum! Sed vrget, vnum aliquem, de quo præ cæteris probè fidat, sibi designari: fecit Præfectus, & quemdam, per omnia Superiorum dictis audientem, nominauit. Ergo periculum eius facturus Basilius, eum euocat; iubet aquam deferat, defert; sibi pedes lauet, lauat; tum deinceps, assidere suo loco hominem iubet, continuò sedet; aquam defert Basilius, pedes illi lauare constituit, id ipsum nihil reluctans patitur; altera quinetiam die, se ministro, Sacris illum operari iubet, & ne verbulo quidem detrectans, veneranda mysteria peregit. Tantam verò in parendo sinceritatem vsque adeò probauit Magnus ille, vt ex eo peregrinationis, & rerum agendarum, illum sibi socium & comitem esse voluerit: tantum in obedientia momentum esse credidit, tanti docuit obedientem esse faciendum.

Quoniam autem obiter & ad scopi propositi finem hæc virtus est mihi perstringenda, duas tantùm Gersonis addam sententias rebus magis turgidas, quàm verbis floridas, & verè dignas quæ seriò pensitentur. Ad quemdam Religiosum scribens, ita loquitur: *Consideret Religiosus quoniam Deus bonorum nostrorum non eget: ac proinde melior est obedientia quàm victima. Propterea censeri debet pro regula generali, illud esse melius, illud pulcrius, illud nobilius, illud vtilius, delectabilius & honestius, quod est obedientiæ proximius, sit licet illa res in qua obeditur vilis, abiecta, turpis, inutilis, laboriosa, vana, stulta, quantumlibet inhonesta, solo peccato excluso. Exemplum habemus in Domino nostro Iesu Christo, qui sacerdotali & regio genere, ac spiritu prophetico insignis, nudis ambulabat pedibus, aliisq; maximæ humilitatis gestis se deiecit, hanc existimans summam nobilitatem, videlicet Deo Patri obedire.* Tom. 1 in 12. consid. ad quemdã Religiosum consid. 3.

Sed & idem alio loco plura docet, quæ cùm vtilitatis plurimum contineant, obseruabo summatim potissima: *Notandum*, inquit, *quòd persona deuota, quæ circa curam rei familiaris, & erga exteriorum dispensationem multum est occupata, non debet cum nimia anxietate conari ad habendum talem pacem, tranquillitatem, & puritatem cordis, qualem persona soli Deo, & spiritualibus vacans potest & debet habere. Nec Deus requirit hoc à tali. — Ad hoc enim conari nimium esset signum superbiæ, & labor inanis, perditio temporis inutilis. Ergo persona sic exterioribus occupata, pro sua & aliorum salute, ex diuina haud dubium prouidentia, non tristetur multùm, si deuotionem tantam non habuerit, quantam libenter haberet, & qualem alios habere considerat. Impleat ipse tantùm fideliter ministerium suum ad quod Deus vocauit, & satis est.* Tom. 3. l. de exerc. deuot. simpl.

Pergit docere quàm omnes in eodem Christi mystico corpore, non sibi sed toti corpori seruire debeant, sibique magis seruiant, omnibus seruiendo, quàm si sibi solis. *Nemo ergo*, inquit, *deputatus operibus inferioribus desperet, nullusq; intendens maioribus, superbè se eleuet. Quia omnia in Christo Iesu Domino nostro erunt nobis communia.* Additque rationes apprimè notandas, nempe quòd neque omnibus prosunt omnia, nec omnia pos-

sunt omnes, vnde fit vt desideretur nonnumquam, quod perficinequeat, vel etiam quod tentatum noceat: Itemque quod humano conatu, nemo potest sine Deo quidquam efficere, quis autem nouit cui, quando, cuius operis gratia, diuina bonitas, nostris conatibus vim insinuare, fauoremque velit adspirare? *Sit ergo*, concludit, *quilibet contentus de situatione sua in corpore Christi mystico, etiam pro quocumque reputetur membro infimo, & studeat fideliter agere in ea vocatione, qua Dominus eum vocauit.* Pergensque ea subdit, quæ propter vsum frequenter occurrentem non potui quin referrem, institutæ quidem disputationi non necessaria, percommoda tamen & perutilia. *Exprædictis*, verba eiusdem accipe, *apparet error illorum, qui in Religionibus ex obedientia deputati ad exteriora, officia sua cum murmure, & inuoluntariè, imò quandoque vix ex coactione, & per consequens, negligenter & infideliter implent; spiritualia sibi furtiuè, contra bonum obedientiæ, vltrà quàm ad eorum statum pertinet vsurpantes, & id quod aliorum est, superbè sibi vendicantes, quódque suum est negligentes; & sic, & istud, & illud, non solùm saluti suæ infructuosum, sed & sæpè per propriæ volũtatis & inobedientiæ vitium, damnosum facientes. Apparet quoque ex præmissis, quòd incautè agunt nonnumquam Religiosi, modicam compassionem cum suis fratribus ad exteriora explenda deputatis, si quando in spiritualibus minùs promti inueniantur, habentes, ipsos temerè quandoque tamquam indeuotos, non solùm corde diiudicantes, sed, quod peius est, sæpè gladio linguæ suæ detractoriè percutientes, non attendentes illud vulgare prouerbium; Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Nec recogitant, quòd si ipsi explere deberent talia, scilicet temporalia & spiritalia, neutrum horum facere fortè ritè possent. Neque aduertunt, quantum deberent esse Deo & hominibus grati, quòd ipsis ad seruiendum Deo, in pace & quiete ordinatis, alij coguntur seruire cum multa fatigia & tribulatione, & Deo, & sibi, & alijs: & quòd ipsi, velut domini, recumbunt; alij, velut serui eorum ministrant ipsis, & in temporalibus de necessarijs eis ministrare habent. Timere deberent hi tales, quòd spiritualium operum suorum fructum, non ipsi, sed alij, officiales scilicet exterioribus occupationibus propter eos detenti, apud Deum iustum iudicem percipient, propter suam potissimè ingratitudinem, quæ Deo maximè in nobis displicet.* Hactenus Gerson.

CAPVT XIV.

Quàm integrè & sincerè suis se Præpositis oporteat credere.

EST in obedientia admodum obseruatu necessarium, vt Superiori tuo quasi Deo te totum credas, nullamq; vel tenuissimæ diffidentiæ leuem vmbram tibi finas inserpere: hoc enim est venenum, hæc pestis, qua nulla capitalior, nulla exitialior fingi potest; nulla, vbi semel insederit, difficilior expugnatu. vn-

decum-

decumque foeuendo malo captantur argumenta; benè, malè; gratè, ingratè; lèniter, duriter imperatum aut actum quid fuerit, habet animus maleuolentia saucius, vnde omnia in prauum, suspicione proritante, detorquet: vbi exaduersum, si beneuolentia, si fiducia in Superiores adest, iucundè excipiuntur omnia, diligenterque & alacriter, non tantùm ad demandata decurritur, sed læta subtilique sollicitudine, nutus quoque & desideria vestigantur, vt expleri etiam ipsa possint. vsqueadeò in omnem partem valet amor. Saluberrimè igitur præcipit Climacus, vt, cùm ingressi fuerimus obedientiæ stadium, nihil planè institutorem nostrum dijudicemus; non locum, non ingressum, non initium, cogitationi contra illum demus. *Gradu 4.*

Hoc vt fiat, condocefaciendi sumus, vt placidissima & æquissima mente, quidquid à Superiore profectum fuerit, amanter amplexemur, putemusque diuinæ prouidentiæ impulsu, ac sancti Spiritus afflatu incitatum, ista excogitasse, voluisse, mandasse: futurumque vt fine optatissimo, & ad Dei gloriam accommodatissimo imperata concludantur. Cùm verò Dei personam Superior referat, ipsumque quodammodo Deum repræsentet, non minore, certè vigiliantiore conatu (proniores enim ad id natura sumus) illicò auersari, & ne quidem responsione dignari debemus, quidquid fortè in sinistram partem de Præposito quacumque probabilitate suggeratur; nec secùs id auersandum est, penitusque de memoria delendum, quàm cogitata blasphema, de Deo Sanctisque occurrentia solemus.

Si quid à te fieri, quopiã te ministerio occupari iubeat Superior, simpliciter id perficere cura; rei præscriptæ intende, nec cur præscripta fuerit inquire. Si occurrerit; Propter eiusmodi meã imperfectionem, vel in experimentum, vel quia hæc aut ista dixi, aut feci, eiusmodi incentore, in talem finem, ista mihi imposita sunt; caue id genus deliramentis insuescas. plena sunt vanitatis, falsitatis, inanissimæ, sed & sæpè iniurioſæ, suspectionis. ah, quoties incertæ coniectationis opinione, dum subtiles aliqui videri affectarunt, Religiosa omni quiete, vanissimis vmbris externati, exciderunt! Sed neque in alijs vllis rebus, vel curiosè omniscium, vel agendorum coniectorem te esse velim. Quid istud rei? inquis. vtinam id ne vnquam scieueris: ne quo tamen casu scias & non caueas, vitium explico, opinione mea maximum, at eiusmodi, vt, nedum in sæculo, vix etiam à Religiosis quibusdam vitium esse credatur. Vno verbo, Vitium istud, est, coniectoriam facere, seu mauis, coniectorem te, & secretorum perscrutatorem venditare. Hoc multi factitant, sciendique præstantissimâ & diuinitus homini inditâ propensione, ad nugacissimam, & non rarò peccatis inuolutam curiositatem abutuntur. Quid enim? citatis equis pertranseat vir nobilis, adueniat Cõsiliarius, euocetur, conuocetur Magistratus; continuò ad coniectationes recurrunt, quid noui acciderit, quid negotij interuenerit, boni an mali aliquid portendatur, multa conferendo suspicantur, inquirunt, explorant. Nec secùs in

Religiosis; aduenias alicunde nouus, videas mihi illico nouarum rerum cupidos istos, aure sitiente assidere, imminere, vrgere, fatigare aduenam, dicenda, tacenda importunè sciscitari, & ad ea quoque quæ nesciat, seu narranda, seu fingenda cogere. Vacat munus aliquod? de successore coniectant, regiones peragrant, hunc aptum, ineptum istum temerario iudicio definiunt. Remouetur quis à munere? causas rimantur, deq; suo, vbi aliud non suppetit, cerebro cõfingunt: illis si placuerit, ad maiora prouehendum; si minùs arriserit, in ordinem & meritò redigendum succlamabunt. Mutationes aliquæ personarum, aut munerum si fiunt, nempe id à se longè antè præuisum dictitãt: norũt quid quisque, quo loco, qua hominum adgratulatione, quibus de causis, quo fauore, qua offensione versetur. Itáne ad hoc illis datum est intelligendi munus, vt diligãt vanitatem, & quærant mendacium? vt mentis ad æterna prognatæ vigorẽ nugaci rumusculorum inanitate exhauriant? breuis est vita, angusto limite humani ingenij vis coërcetur, quamplurima sunt auditu, lectu, scitu pernecessaria, quibus vestigandis, ne multorum quidem hominum multæ sufficiant ætates; huc vis ingenij, huc est omnis industria deuergẽda. Quid ergo? Augustinum audiamus, qui epistola quadam, amicè amico loquens, ait, *O vtinam possem assiduè tibi aliquid dicere? Id autem aliquid est, vt curis exueremur inanibus, & curis indueremur vtilibus.* Sed propiùs in rem nostram B. Ignatius, dum vnumquemque suorum monet *vt sibi & muneri suo attendant: quidquid de se atque alijs constituendum erit, tamquam de manu Dei exspectantes.* Qui sibi, qui suo muneri totus intenderit, qui sui, qui aliorum omnium curam posuerit, qui non humanis artibus, sed occulta diuinæ prouidentiæ potestate omnia gubernari crediderit, indeq; vitæ suæ sortes exspectarit, profectò numquam se istiusmodi suspicace sciendi auiditate torquebit.

Epist. 63.

Et sanè hac diuinæ prouidentiæ sancta fuspectione, integraque in eam fiducia, adeò firmari debet omnis in obediendo securitas, vt hic sit quasi cardo, quasi firmissimum fundamentum, quod nulla arte, nullo errore, nullo cuiusquã vndecumque obnitente molimine labefactari queat. Sed multa in hanc sententiam in libro de obedientia suo loco reperies.

Reuertor ad id vnde digressus fueram, nempe vt æqui semper boniq; consulas, quidquid de te, deque rebus omnibus statutum fuerit, neque vllas rerum imperatarum causas, vel coniectando comminisci, vel cogitãdo reuoluere consuescas, vbi maximè causæ illæ vel odiosæ essent, vel in prauos aliorum affectus deriuarentur. Esset autem præcæteris illa propè dixerim letaliter noxia, qua fingerem, de me hoc vel illud à Præposito statui, quòd aliàs, dum simpliciter & cãdidè mei animi statum illi indicaui, quosdam meos defectus aperuerim, minùs grata quædam dixerim, quæ postquam memori mente recondita seruauit, nunc demum dissimulanter, captata occasione puniat, vlciscatur, persequatur. Exitialis est hæc cogitatio, nec in Religiosum animum admittenda: quàm multa, quàm variis ignotisq; causis, in commodum subditorum imperantur, quæ cùm blan-

blandissima sint, hac tamen insidiantis dæmonis deceptione, amarissima reddantur? certè qui Superiorem patrem, qui amantissimum filiorũ, qui non proditorem eum & Religionis pestem, non omnem Dei timorem posuisse crediderit, inducétne in animum id ab eo tantum facinus excogitari posse, vt amicum, vt fidentem, vt sua prodentem, vt filium ab ipsa Religione, quin & à Deo fidei suæ commissum, fraudulentis artibus perdat? Quis non perfidiæ crudelitatisq; tantæ crimen exhorreat, putetque vix in hominem, nedum Christianum, Religiosum, Superiorem, cadere posse? & erit qui illud alteri, imò etiam illi quem vt Dei personam gerentem venerari debet, temeraria suspicione audit affingere?

Verùm nihil est cur pluribus agã: si quid enim in te noui, alienissimũ te ab isto vitio noui, procliuemq; vt omnia mente optima suscipias; eousq; vt iam rebus ipsis, quod iam dicturus sum, sæpè præuerteris. Illud autem est, existimare me, boni Religiosi, Deoq; præsidentis esse, omnia sua Confessario, Superioriq́ue suo, tanto animi candore reuelare, nihil prorsus vt clausum teneat, adeò vt ne quidem sacratissimo Pœnitentiæ sigillo arcanum vllum ita tegi velit, quin inde regi, inde quoque ad suam gubernationem cognitio & ratio à Superioribus peti possit. Sed hæc tanta, tamque libera retectio, nemini præcipi, multis potest consuli. Quid enim? ob mea me peccata sursum deorsumq; versabunt? ab omni gratiore munere repellent? durius aliquid, humilius, contemtius imperabunt? quidni faciant? possumne indignari si pro meritis tracter? æterna supplicia promeritus, leuissimis opinionum vmbris consternabor? & verò, si Deo nitor, si à Superioribus omnia velut à Deo excipio, rerum mearũ curatore Deo, quid expauesco? consultissimum est, vt rationes omnes meas, cogitationes, affectus Superiori recludens, me totum si fieri queat prodigam Deo meo, & penitus effundam: certò scio, tenuitatem meã liberalitas diuina superabit, si, quod tanta bonitas meretur, me illi integrè committo, immensos, quos non mereor, gratiæ thesauros, plena in me manu effundet. His animis, hac fiducia, constanter, perseueranter, in quemuis Superiorum vtere, nec vllis obtrectantium susurris, aut suspicionum coniecturis, ab sancto isto proposito, te vel minimum dimoueri sine. Forsan erit olim, vbi virtutem tuam periclitaturus prudens animarum gubernator Deus, tam inexpectatò res inuolui, ita tui gubernationẽ permisceri, adeò parum beneuolè & æquè te haberi, vel permittet vel facier, vt propemodum iustissima ratione, certisq; argumentis de quouis amicissimo diffidere posse videaris, animiq́ue sic apertè, sic candidè retecti pœnitere incipiat: accedet quinetiam, ad intendendam pugnæ molestiam, vt redundantem, & labores omnes edulcantẽ gratiæ suæ succum deneget Deus, occultoq; tantùm, nec foras erumpẽte auxilio te sustẽtet. Tu verò hîc murus aheneus esto, tantoq; magis caueto ne abs eo quem semel presseris, virtutis gradu vllus te tempestatis turbo dimoueat, quanto de futuris aliquando insultibus præmonitus, armatiorem,

tiorem & præsentiorem animum afferre debebis. Tunc existima, illud teipsum probandi, fortiterq; depræliandi tempus aduenisse, quo & exercitium virtutis intendas, & quàm curta tua sit supellex, Deiq; tibi gratia necessaria, & ardentissimis votis humillimè imploranda cognoscas. quod vbi perseuerando perfeceris, auribusq; amore obedientiæ circumseptis, venenatos omnes susurros explosseris; tum verò lætissima rerũ omnium facies, serenitas priore tranquillior, verissimeque pax illa Dei quæ sensum omnem exsuperat, animam tuam iucundissima dulcedine delinitam fouebit. Hic ergo esto Superioribus fidendi modus, vt in eo ne sit modus: idque commendandi sicà me finis fiat, vt eam exercendi, nec à te, nec ab vllo Religioso finis fiat.

Maioribus his de obedientia præceptis, frequentioris exercitationis vnum addo, Vt ne quid facilè à Superiore petieris, præter ea minima & vulgaria, quæ passim peti & solent & debent: & si quando petendum fuerit, tum verò non tàm petentis & impetrare nitentis, quàm Superiorem consulentis speciem tua præ se ferat oratio. quod consequêris, si non quidem institeris vt vel ambulare, vel negotium aliquod procurare liceat, sed perpensa ratione cur id postulandũ putas, Superiorem adeas, clareq; & neutrò indicata (si de negotijs agitur) animi propensione dicas, eiusmodi tractandi negotij occasionem & rationem occurrere, probaretne vt eius causa huc vel illuc adires, ista vel illa susciperes? Tum verò vel affirmatè, aut concedet, aut negabit, vel interrogando in hanc aut illam partem obiiciet: si hoc postremum, respondebis quod æquũ fuerit; si prius, affirmationi aut negationi acquiescens, existimans illud ipsum de quo nihil inquirit, nihil dubitat, illi satis esse notum, & peculiari Dei instinctu in illam partem ferri. Video equidem, in tanta quanta est hominum, rerum, temporum, varietate, esse vbi hos agendi loquendiq; modos obseruare minùs oporteat; at certè vt plurimùm, & vbi certarum rationum vis inde non abduxerit, obedientiæ decorum, & Superiorum obseruantia, exiget vt seruentur.

Vt verò pacata & obsecundante mente id quidquid responsum fuerit excipias, conferet plurimùm, si tibi antè persuaseris, partẽ eam in quam propensior es, tibi esse denegandam, addita quinetiam obiurgatione peracri, quòd in eam mentem & postulationem veneris: idq; meritò, ob eas quas antè excogitabis rationes, vel, si tibi nullæ occurrant, ob eas quas diuiniore luce & sanctiore impulsu, Superiorem animaduersurum putabis: eiusque negationem cum gaudio excipies, credens per eam fieri, vt ne quo improuiso & latente dæmonis laqueo induaris. solent enim, vel in sanctis operibus, latêre plurimi, ac etiam vnde minùs credidisses, inde intricatiùs implecti. Plura non addo, opportuniùs enim aliam in dissertationem hæc reseruo; vehementer tamen hoc postremum vt summoperè ad perpetuam æquabilitatem conducens, & alacritatem in obediendo conseruans, commendatum velim.

Sed sanctorum Ægypti Patrum nobilissima sententia caput hoc concludamus.

mus. *Pronunciant enim monachum nullatenus iram, tristitiam, spiritum fornicationis posse superare, qui priùs per obedientiam suas voluntates mortificare non didicerit; sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus concordiam, nec in monasterio perseverantiam posse retinere.* Ita quidem illi: vnde videas quàm verè, & quantas *vir obediens loquatur victorias*: quamque nihil agat Religiosus, qui hac minùs observata, prępostero in alijs labore fatigatur. Vita SS. PP. p. 3. c. 21.

CAPVT XV.

De propria voluntate resecanda.

MVlta passim hac de re in obuiis & optimis auctoribus reperies, pauca saltuatim, quæ memoriæ recursabunt accipe.

Gersonis illud vtilissimum: *Pro quadam regula generali tenendū, vt omnia ad quæ voluntas cum quodam impetu & vehementia, sine præuia deliberatione inclinatur, quantumcumque appareant bona, habeantur suspecta: quia communiter sunt motus sensualitatis & paßionum, quibus hostis antiquus persæpè se immiscet.* Cuius axiomatis vsus, & ad prudentiam vtilitas, & ad perfectionem securitas, latiùs propemodum spectat, quàm credi valeat: eiusque rationem è dicendis haurire mox licebit. Extremo t. con. pusill.

Generatim quoque præcipit D. Bonauentura: *In bonis & indifferentibus, alterius potiùs quàm tuam stude adimplere voluntatem: imò semper in exterioribus actionibus te studeas abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere, & hoc circa omnes, maximè circa Superiores studeas exhibere.* Ita quidem ille. Cuius præcepti rationem si vestigare volumus, non eam tantùm & quidem optimam, reperiemus, quòd vsu & frequentata exercitatione, ad iugum perpetuò ferendum aptanda sit voluntas, ipsaque consuetudine, tam ad parēdum promta reddatur, quàm ad imperandum, & aliena imperia detrectandum, naturæ vitio solet esse procliuis. Sed est quoque eiusdem rei alia altiùs repetenda, & inprimis notanda ratio, nempe vt decorè, & suscepto vitæ instituto cōsentaneè viuatur. Religiosa enim vita, vita est quæ alieno nutu imperioque traducitur, seque totam alteri quasi nexu & mancipio tradit; æquum igitur est vt quidquid ab homine religiosè viuente proficiscitur, nihil habeat quod suum sensum, suos proprios impetus redoleat. Intuere, amabo, viros illos, qui sibi quiduis arrogant, quid verba eorum, quid facta sonant? quodcumque in aspectum vel auditum inciderit, continuò id iudicant: domum alienam ingrediuntur? hæc benè, ista malè sita sunt. aliunde gesta referuntur? hæc prudenter, ista imprudenter admissa: ipsius etiam Ecclesiæ & regnorum gubernatio iudicatur: sibi contradici nolunt, in suam alios sententiam instando pertrahunt, summumque votorum illis est, si, quod volunt, hoc agunt; hinc illis perpetuum est in ore, Sic volumus, Cap 4. de remed. defectuum.

lumus, sic iubemus, in eoque auctoritatis eximiam quandam vim latêre putant. Id verò vnde est? nisi ex eo quod pulcrum & valdè singulare crediderũt, videri verè dicere quod quidam, Iudicia, *linguam nostram, magnificabimus, Labia nostra à nobis sunt, Quis noster Dominus est?* Tu verò, Religiose, qui nihil tui habere te profiteris, qui & iudiciũ & voluntatem tuam, sanctissimo Deo tuo in Superiorum manus tradidisti, apertè quod professus es profitere, emissíq; semel verbi veritatem, omni sermone, omni opere affirma, nihil eorum quæ in oculos, quæ in aures & sensus incurrũt iudica, hoc benè & ex arte factum aut secùs, commodum aut incommodum, vtile aut detrimentosum, vel aliud eiusmodi ne dixeris, ne cogitaris. Hoc volo, istud nolo, non tantùm loquendo, sed multò magis in agendo, etiam in leuissimis & quotidianis, velut scopulum cauero, aliorum semper, vbi licuerit, voluntati consentiens, tuæ semper obnitens. Hoc si præstiteris, verè mundum omnem, & quod in mundo tibi carius & proximus est, teipsum exuisti.

Fugienda igitur quantũ in nobis est omnis propria volũtas: *Cùm enim Dominus dixerit*, inquit Basilius, *Descendi de cælo, non vt faciã voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit Patris; quidquid secundùm voluntatem propriam quis fecerit, hoc, facientis quidem proprium est, verùm à pietate alienum.* Sed præ cæteris vtilis est in hãc rem Dorotheus, à quo plura doceri expediet. hic igitur ita doctrinâ priscâ loquitur: *Dimisimus mundum, dimittamus pariter & eius affectiones: amor enim nimius & immoderatus, plerumq; nos ob vilia & tenuia iterum colligat; nósque cæci & miseri vix aduertimus. Si liberari perfectè volumus, & ab hoc sæculo discedere, oderimus imprimis voluntatem nostram, & sic breui diuino præsidio ad impassibilitatem animi perueniemus: nihil enim adeò hominem ad hoc adiuuat quàm sensus suos odisse. Atque ita sese habet hæc ratio ad omnem virtutem, vt si viator iter aggressus scipione inuento cui innitatur, iter magis acceleret, & præoccupet viam: sic enim qui viam hanc incedit, si propriam voluntatem abscindat, abscindit & pristinas affectiones, quibus præcisis fit Dei opere omnino impassibilis. Nec quisquam hoc putet arduum, & impossibile, cùm breui compendio & spatio quis possit seipsum (si velit) decies abnegare; quod quo pacto fiat edocebo. Obambulat aliquis, & quidpiam conspicatus, persuadetur à cogitatione, vt id aduertat; at is cogitationi, & non bonæ persuasioni repugnat, seq; auertit. Rursus, inuenit nugis & vanis rumoribus occupatos, persuadetur vt se quoque turbæ immisceat, & verba pariter inferat; negat id se acturum, & auersus alio propriam voluntatem abscindit. Item, succurrit illi vt coquum adeat, interrogétq; quid paret obsonij; non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culina, quis illud attulerit solicitatur interrogare; comprimit appetitum & vocem, & nihil percunctatur. Sicq; dum parua quæque præscindit; sensim quæcumque præcidere aduenientia consuescit, & iam summa cum requie nihil præter voluntatem suam se sentit habere: & quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua euenisset. Qui enim proprium nihil habet, aut suum; quidquid factum fuerit, id proprium putat. — Aduertite igitur quãtum pusillum hoc proficere nos faciat; & propriam abscindere voluntatem, quantum conferat.*

Quæst. 138. comp.

Nota, multos veterum impassibilitatem laudare, eam intelligẽtes, qua sint passiones edomitæ, vix vt rationi molestia sint.

ferat. Neque verò id asseruisse satis habuit, nisi etiam Dosithei cuiusdam discipuli sui exemplo probaret, qui rerum sanctiorum rudis, molliter & delicatè in sæculo viuens, cùm se in cœnobium transtulisset, non potuit quidem ille, præ naturali corporis infirmitate, vel ieiunia, vel grauiores afflictationes frequentiùs vsurpare; at breui tamen, ad summam perfectionem peruênit, & cuidam ex sanctissimis viris, Deo reuelante, visus est in cælesti gloria, inter Diuorum cateruas præcellenti gloria fulgens. erat autem id consecutus, perseuerante, & intentissima suis voluntatibus ac desiderijs obnitendi contentione; quam nemo non potest, etiam imbecillimus afferre, dum tamen anxias eius rei curas, naturæque violentam continuationem, ac spinosas disceptationes caueat.

Quippe quando (vt allato exemplo vtar, & rem explicem) coquum de obsonijs interrogandi libido pulsat, si eius qui in animo insidet, quemque mihi sæpè commendauerim, mortificationis amore, voluntatique repugnandi desiderio, me ipse cohibeo, coquum nõ adeo, vel si illi adsum sileo: id ago quod quiuis & nullo labore, & nullo fatigationis incommodo possit. At si ea cogitationis curiosæ specie animum pulsante, protinus excrucior & contrahor, indignorque adhuc in medio mei viuere Iebusæum, meq; reculis istis & stramineis vinculis illigari; si seriò grandibusq; excogitatis & vndique corrogatis argumentis id expugnare aggredior, si sæpè & sollicitè ipse mihi in rerum agendarũ diurno decursu ingemino, Caues is, propriam voluntatem (grande nempe malum!) ne audiueris: nónne hoc ineptire est, & in spinas voluntariè se induere, mentisque aciem, rebus dignioribus acuendam, crebro & molesto tenuissimarum astrictu obtundere?

Quòd si quando, vt assolet, & humilitati tuendæ conducit, si quando igitur cedente ratione, à propria voluntate victus fuero, cùm primùm eam à me clademacceptam animaduertero, cauendum vbi pusilla eiusmodi res agitur, ne inde me grauiùs excruciem, ne animos contraham, ne grauiore tristitia angar. ignauus ille miles est qui leuiter perstricta cute clypeum abijcit, fugam circumspicit; at fortis ille, qui acrior cooritur, subitarioque insultu incursantem, & leui præda præfidentem hostem, latè fugat, fusumque debellat. Nihil igitur ille lapsus me mouebit, iucundéque & alacriter existimabo, inde mihi meæ imbecillitatis argumenta esse sumenda, sperabóque me breui feliciore Marte, diuino comitante præsidio instauraturum prælia, victorias relaturum.

Nihilne ergo, inquies, me lapsus illi mouebunt? mouebunt, inquam, sed leniter & molliter, ad diligentiorem vigiliam, spem & animos fidentiores. Est enim quod sedulò aduertas, & ad cætera perfectionis adiumenta traducas, vniuersè & generatim volũtati & desiderio suo sic obsequi, vt vix vlla eorum comprimendorum, rationique subiugandorum cura tangat, non idem sed longè ab eo diuersum esse, quòd cùm omni voluntati à recta ratione non profectæ, re-

pugnare quispiam velit, interdum tamen in re perexigui momenti se vinci sinat: quippe primum illud, nolle se vincere, omnem ad perfectionem viam præcludit; atin nonnullis leuibus vinci & offendere, est fragilitatis humanæ infirmitatibus teneri, fermeque ad intentiores vigilias excitari, non secùs quàm qui leuiter in via cespitat, nulla grauiore læsione, id haurit commodi, vt somnum excutiat, acriùs circumspiciat. Et verò leues offensiunculas exaggerare à beneficiis diuinis, multiplicatis inspirationibus, obligationéque illis & peccata affingere, hominum est parùm sanè sentientium & scrupulis agitatorum. Vbi grauiore socordia animus obtorpuerit, alijs est calcaribus ad meliora fodicandus.

Doctr. 5. Sed nobis ad Dorotheum redeundum est, qui alio loco ait, *Quomodo Dei voluntatem, vel cognoscere, vel quærere possumus, cùm nobis ipsis credimus, cùm proprium appetitum sequimur? Quare Abbas Pastor præclarè solitus erat dicere, propriam voluntatem, parietem esse æneum inter Deum & homines. Aduerte animum ad ea quæ dixit. Adiecit quippe rursum; Petra est repercutiens, & ex opposito reuerberans diuinam voluntatẽ. Quam*

Psalm 17. *protinus vt apprehenderit homo, statim ait, In Deo meo transgrediar murum, Deus meus immaculata via eius. quàm præclarè dixit! tunc enim intelligit viam Dei nullam habere maculam. Cùm autem non apprehenderit propriam voluntatem, non intelligit viam Dei immaculatam.* Sed & aliquanto pòst, *Nihil grauius*, inquit, *nihil perniciosius quàm seipsum regere. Protexit me Deus, fateor, & semper tutatus est ab hac ruina, & ab hoc periculo. Cùm essem adhuc cum ceteris in cœnobio, reponebam semper omnia apud Abbatem Ioannem seniorem, nec aliquando sustinui quidquam facere præter eius voluntatem. Quòd si mihi aliquando cogitatio & mens mea suggessisset, dixissetq;, Quid nunc turbare senem pergas? hoc tibi dicturus est quod ego: iratus in cogitationem huiuscemodi meam, referebam, Anathema tibi: quidquid iudicij est tibi, quidquid discretionis est, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ, id tibi à dæmonibus est. Recta igitur ad patrem statim proficiscebar; sæpiusq; accidit vt idipsum mihi senex responderet, quod antè cogitatio mea præmeditata erat. insultabat igitur illa postmodum mihi: Quid ergo? en, vt dixi, est. quid senem importunus perturbasti? Cui ego contrà respondebam; Nunc id tibi bonum est, nunc id tibi fuit à Spiritu sancto: quidquid enim tuum est, omne malum est, à dæmone, & ab habitu vitioso. Sicq; sustinui, numquam cogitationi meæ credere: — quo factum est (credite quod dicam fratres) vt in tanta semper quiete & securitate essem, vt plerumq;*

2 Cor. 8. *pœniteret me tantæ tranquillitatis. Cùm enim non ignorarem, opus esse nobis per multas tribulationes intrare in regnum cælorum, sentiremq; me ne vnam quidem afflictionem pati, angebar mirum in modum, fateor, dubius insciusq; vnde hæc tantæ quietis causa esset. Quod mihi tandem senex aperuit, monuitq; ne mœrerem: dicens, Quicumque sese traderet in Patrum obedientiam, hanc tantam quietem & securitatem necessariò à Deo consequi.* Sed hæc ibi. Idemque aliis locis commendans, ait, *Cogè te ipsum incunctis*

Doctr. 12. *& vince, & voluntatem tuam in primis abscinde. Si enim consueueris voluntatẽ propriam amputare, per Christi gratiam & misericordiam acquires, vt omnia sine molestia, sine*

con-

controuersia facias, fiasq; omnino tui iuris. Ne optes ad vota tua res euenire, sed eas velis & optes vt eueniunt, & sic in omnibus pacem habes. Præterea de eodem hæc in doctrina 19. referuntur obseruatu dignissima, hisque verbis: *Aiebat Abbas Dorotheus eũ qui proprij sensus & voluntatis esset, haud vmquam parêre posse, vel vtilitatibus proximi adhærere. Cumq; simus omnes peccatores, non debere nos semper & in cunctis menti nostræ credere: obliquam enim regulam etiam ea quæ recta sint inflectere & intorquere. Eum verò qui non contemserit mundi gloriam, & corporis quietẽ, & iustitiæ denique opinionem, haud posse vmquam propriam voluntatem à se remouere, vel liberari ab ira & tristitia, aut proximo quietem afferre. Dicebat de vnaquaque re libenter se consultare cum proximo, & illius sententiæ suam accommodare, etiamsi contraria & aduersa videretur. Numquam se, quidquid sibi contigisset, voluisse humano sensu discutere, sed cùm pro virtute sua fecisset, omnem postmodum euentum commisisse Deo. Eum enim qui non habuerit propriam voluntatem, nihil etiam exteriùs proprium habere, contentum esse quacumque re, & ita numquam propriam voluntatem facere, neque velle res sibi euenire ad vota, sed eas velle vt euenerint.* Ista quidem vir ille, in tradendis de perfectione præceptis accuratus: quæ si probè expensa, animoque impressa fuerint, ad quamplurima valere, vimque suam latiùs fundere deprehendes.

CAPVT XVI.

De cognitione propriæ voluntatis.

TOties repetita propriæ voluntatis mentione videor audire postulantem, vt quid sit propria voluntas definiatur: sic enim fiet vt neque in obscuro lateat, & luce palàm deprehensa facilè vinci valeat. Dicam igitur, non sic tamen, vt ex eius descriptione futurum credam, vt apertè cùm in rem ventum fuerit noscatur, & nota fugiatur: cauta enim est, & subdolè nouit mentiri speciem, virtutisque tam solet induere habitum, vt ipsa etiam honestate honestior appareat, oculósque minùs acutum cernentes, adscititio splendore præstinguat.

Cæterùm vt quid sit propria voluntas definiatur, valet Bernardi audire doctrinam, qui aureo illo quem perscripsit de Deo diligendo libello, quibusdam interdum interiectis, sed his verbis & hoc sensu ait, *Vbi proprietas, ibi singularitas. Cui de proprio nihil est, totum profectò quod habet Dei est. Lex ergo Dei immaculata, caritas est, quæ non quod sibi vtile est quærit, sed quod multis. Caritatem autem dico, substantiam illam diuinam, dicente Ioanne, Deus caritas est. Hæc est lex æterna, creatrix & gubernatrix vniuersitatis. Siquidem in pondere, & mensura, & numero per eam facta sunt vniuersa, & nihil sine lege relinquitur. Tunc autem dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatem. Peruersè vtique volens suum imitari creatorem, vt sicut ipse sibi lex, suiq; iuris est, ita is quoque seipsum regeret, & legem sibi suam faceret voluntatem,* 1. Ioan. 4.

tem, graue vtiq; & importabile iugum super omnes filios Adam, heu inclinans, & incuruans ceruices nostras, adeò vt vita nostra inferno appropinquarit. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? quo vtique premor, & pænè opprimor, ita vt nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaßet in inferno anima mea. Sub hoc onere grauatus gemebat qui dicebat: Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi grauis? vbi dixit, Factus sum mihimet ipsi grauis, ostendit quòd lex ipse sibi esset, nec alius hoc quàm sibi ipse fecisset. Quòd autem loquens Deo præmisit, Posuisti me contrarium tibi: Dei se tamen non effugisse legem indicauit. Hoc quippe ad æternam iustamq; Dei legem pertinuit, vt qui à Deo noluit suauiter regi, pœnaliter à seipso regeretur: quique sponte iugum suaue, & onus leue caritatis abiecit, propriæ voluntatis onus importabile portaret inuitus. Miro itaque & iusto modo, lex æterna fugitiuum suum, & posuit sibi contrarium, & retinuit subiectum: dum videlicet nec iustitiæ, pro meritis, legem euasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subiectus potestati, submotus felicitati. Domine Deus meus, cur non tollis peccatū meum, & quare non aufers iniquitatem meam? vt abiecta graui sarcina propriæ voluntatis, sub leui onere caritatis respirem: nec iam seruili timore coërcear, nec mercenaria cupiditate illiciar, sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filij tui; qui testimonium reddat spiritui meo, quòd & ego sim vnus ex filiis, dum eadem mihi lex fuerit quæ & tibi, & sicut tu es, ita & ipse sim in hoc mundo? Ita piè, more suo Bernardus.

E cuius verbis id omnino præclarum agnoscimus, duo quædam, eorum omnium quæ eueniunt, esse principia, sed inter se quàm maximè pugnantia, adeò vt nulla vmquam, vel minima consensione coire possint, voluntatem scilicet diuinam, & voluntatem propriam. Cumque de contrarijs contraria sint asserenda, necessaria ratiocinationis veræ complexione colligemus, vt quando voluntas diuina omnis boni, perfecti, pulcri, honesti, beatique causa, norma, modus, conseruatio est & perfectio; voluntas propria ex aduerso, omnis mali, peccati, imperfecti, fœdi, inhonesti, summæque ac æternæ miseriæ sit parens, origo, & fons perennè fluens, siue, vt B.P. Ignatij simili vtar, pestilens apostema assiduum putorem, & saniem purulentè euomens. Indeque vt diuinæ voluntati amor, obsequium, laus & gloria debetur, ita propria voluntas odium, detestationem, ignominiam & omne vituperium meretur: vt in illa adimplenda omnis perfectio, sic in hac resecanda funditusque tollenda certa securitas; in adimplenda & sequenda, certa est pernicies, & in omne vitiorum genus fœda prolapsio. Iam verò, cùm & ipse status Religiosus, & quæ in eo sunt omnia, in id maximè conspirare videantur, vt imperio omni & potestate voluntas propria exuatur, Dei verò sacratissima voluntas, in omnibus, vbique nullo repugnante dominetur: quod quid aliud est quàm malorum omnium tæterrimum fontem obstruere, donorum verò diuinorum, gloriæ, & vitæ, exundaturas catarrhactas aperire? annon vel hinc apertissimè videmus, quantum nobis à statu Religioso

ligioſo præſidij, omnium vitiorum originem auertendo, quantum etiam vtilitatis & felicitatis accedat, propiùs nos ad boni omnis principium admouendo?

Hinc autem nemo eſt qui non clariſſimè videat, quantopere nobis noſtra eſt voluntas propria cauenda, deteſtanda, ſummaque & continua contentione ſubiuganda. Sed & alteram obſeruato rationem quæ ad id acriter mouet: Ita eſt decernente ſapientiſſima Dei prouidentia factus homo, vt ratione regi, ratione perfici debeat, & quoties à rationis imperio deflectit, toties à naturæ ſuæ præſtantia deflectat: & quoniam non mente, atque ratione ſola conſtat, ſed corpore, ſenſu, varijſque facultatibus præditus eſt, quæ magis appetitu & impetu quàm ratione ducuntur, ſuaque tamen, & ſubinde prævalida vi pollent, eiuſque impulſione in partem alteram, non conſulto, non expectato rationis imperio feruntur: inde (neque mirum) contingit, vt ſenſu vel cupiditate illectis, aut in id iritatis quod rationi veriùs iudicanti repugnat, quædam in ipſo homine ciuilia & inteſtina bella conſurgant, acriterque pugnetur, vt vel (quod turpiſſimum & belluinum eſt) cupiditati ac ſenſui victa ratio ſeruiat, vel (quod naturæ corruptela arduum fecit) ſeuero rectæ rationis fræno, motus & impetus omnes coërceantur. Cùm autem in hac pugna, totius hominis agatur ſalus, ſolerter videndum, vt ab illis maximè caueamus, quæ latiorem ducerent ruinam, quæque ſi ſemel inſoleſcunt, aut victoriæ relatæ guſtu efferantur, neque cicurari, neque domari poterunt. quod ne fiat, conſtanter & fortiter, animoque peruigili, recidenda in illis eſt omnis ad euagandum libertas, curandumque, vt nuſquam foràs impunè, ne quidem ad res optimas, iniuſſæ, & ratione non præcedente, non eas emittente, procedant: quòd ſi neglexeris, & iniuſſas ideò pererrare ſiueris, quòd nihil mali perſecutæ fuerint, conceſſam libertatem, mox vt propriam vendicabunt, nulloque (quem ſibi ponere neſciunt) boni vel mali limite obſeruato, quacumque libuerit errabunt, cogeriſque ſerò ſequi, quas vltrò improuidus emiſiſti, & non ſatis refrænando roborasti. Sunt quidem in vnoquoque noſtrûm ſenſus & facultates variæ, quæ ſunt à ratione cohibendæ: & quamquam nulli earum, libera eſt ſuiipſius facultas concedenda, non eſt tamen pari in omnes, tamque vigili & ſeuero imperio neceſſariò vtendum. at duæ ſunt quibus nihil vmquam, ne quidem minimum eſt dandum, voluntas videlicet & imaginatio ſeu phantaſia, quæ vtræque in parendo, & rationi obſequendo ita continendæ ſunt, vt nullam vmquam imperandi dulcedinem deguſtare, eiuſque illecebroſa libidine ineſcari ſinantur.

CAPVT XVII.

Quomodo voluntas propria, & imaginatio frænanda.

EST vtraque hæc facultas natura sua cæca, alieno ductu regi debet, boni maliq́ue rationes & discrimina haurit aliunde, si verò in aliquam partem vehementiùs incumbit, impetu fertur, secumq́ue rapit cætera, & eo rapit acriùs, quo incitatiore fertur impetu: quo fit, vt quoties vel auerso, vel à caligine obscurato mentis oculo bacchantur, miseras virtutum strages, lugendasq́ue tragœdias, ratione de imperij arce deturbata, non secùs edant, quàm tyranni solent, qui legitimo Regi improuisò irruentes, ferro flammáq; omnia deuastant. Itaque nihil est tam nefandum, in quod propria voluntas suo impetu non decurrat. amor impurus, ambitio, superbia, contentio, rixa parua sunt; omne impietatis genus, hæresis, atheismus, vel in illa nidulantur, vel ab ea germinant. Phantasia verò vel imaginatio, id etiam sibi vendicat proprium, vt instando, importunè vrgendo, nec vllam quieti certæ partem relinquendo, prudentiæq́ue atque rationis moderationem nullam admittendo, non tantùm in singulis appetendis immodica sit, sed, si inualescere sinitur, certa sit ad insaniam via, & quamdiu vehementiùs dominari, & nos exagitare sinitur, tamdiu ab omni frugifera occupatione abstractos, vmbris expugnandis, & mormolyciis auertendis fatigatos, insudare inanissimo labore cogat.

Quòd si vel vtraque, vel harum altera, sibi in alicuius animo dominatum vendicarit, non potest qui sanari cupit, nisi alieno ductu sanari, dum sic ab eo seregi sinet, vt nullo discrimine, nulla iussionum ratione perpensa, id omne exequi, vel cauere consuescat, quod alterius iussu acceperit. Hic enim primus ad sanitatem est gradus, vt quoniam ipsæ se, peruersè volendo, & sapere putando, perdiderunt, nihil ex se volendo, nihil iudicando, sed se regi sinendo, alienam sapientiam veluti suam paulatim induant: nec enim in alijs tantùm, sed in his maximè verissimum est illud, Nisi credideritis, non intelligetis: quem ordinem si nõ obseruas, operam ludis. Videas mihi id genus homines, cùm hæc vel illa vt facessere sinant consulueris, consilij rationem postulare, nõ quidem, aiunt, quasi dubitent, sed vt vniuersè intellecta ratione vti in alijs euentis possint. Tu verò caue credideris, rationemq́ue reddideris, nisi tranquilliore iam mente perfruantur: aliàs vbi à te recesserint, continuò plurimis aceruatim imaginationibus, vanisq́ue terroribus obruentur, persuadebunturq́ue eam consilij rationem sibi nõ quadrare, quandoquidem noui aliquid in eorum imaginationem incurrit, quod illa neutiquam ratione comprehenditur: atque ita non in præsens tantùm, sed in futurum quoque eius consilij vtilitate priuaberis. Sin autem eos ratiocinatione,

tione, & erroris demonstratione componere conaberis; fallor, ni falleris: nec enim tua capient. estque in æstimatione, iudicatione, voluntate propria obseruandum, vt ne iritatione vires acquirere sinantur, sed primo in ortu obruantur, & auctoritatis prærogatiua singulari compescantur: ideoque omnis est fugienda contentio & disceptatio, magnaque sunt grauitate cohibendæ, nec ipsa, si fieri potest, responsione dignandæ. Exemplis declaremus.

Cùm ipsa imaginaria vis, turbulentis & obscuris motibus agatur, fermè abs ea oritur vel incitatur quidquid horridum, terrificum, tenebrosum, ac etiam illecebrosum est, veluti subitarij peccati terrores, desperatio, vanæ hæsitationes atque dubitationes, anxiæ in partem omnem formidines, obligationum votorumque figmenta, implexarum intentionum inuolucra, ambiguitates, captiosæque fallaciæ: quibus vndique circumsepta mens humana, quasi vel quodam inextricabili Mæandro, vel Ægyptijs tenebris deprehensa, miserandum in modum iacet, ignauo lethargo oppressa torpet, nec ad viuificæ lucis radium contuendum tenebratos oculos erigit. quidquid aggreditur peccatum est, dubitat, hæret, cespitat; si nihil aggreditur, vel hanc ipsam cessationem peccatum putat, vel otiosis, imò certè negotiosissimis & periculosissimis angoribus, de Dei iudicijs, de sua salute cruciatur: si pensi diurni partem è sacro officio persoluit, quid dixerit, quid non dixerit, inexhausta sollicitudine, & plusquàm Sisyphia reuersatione perpetuò reuoluit, parique modo anxiè, perturbatè, sine ordine, sine discrimine, cogitatione in vagos timores alienata, suspensè cuncta peragit. Inde paulatim, & iudicandi vis debilior redditur, & omnis rerum sacrarum tractatio amarescit, & ingeminati, nec repressi, imò incitati terrores affligunt. è quibus malis omnibus pronus admodum ad quæuis mala maxima lapsus apparatur: quid enim his vicinius est, quàm vt sanctarum rerum exercitatione damnata, blandientis & illicientis carnis suaues illecebras amplexetur, à Deo etiam ipso impiè audax auertatur, deque sua salute desperando, in tætram se vitiorum omnium voraginem præcipitem agat? Faceret sanè, ni potens & misericors Dei dextera, impotentes frænaret impetus, cæcóque furori modum poneret.

Sed nostrum est, quoniã ita efferam agnoscimus, seueris eam imperijs coërcere, nec illi vlla in re minima vel cedere, vel credere, quantumcumque in res optimas videatur impellere: cùm enim aut naturæ deceptricis, aut insidiantis hostis fraude, ex recti nonnumquam suasione, auctoritatem captare, suumque, quo etiam abuti, & ab eo deijci non possit, dominatum firmare tentet; blandæ isti tyrannidis affectatrici obuiàm est eundum, omneque quod ab ea nobis obtrudetur bonum, hostis donum, & nonnisi perniciem inferens habendum est. Protinus igitur vbi eiusmodi vllum imaginationis impetum senseris, imperiosè & integrè animum tuum ad alia conuertito: ma-

ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα.

imaginationi, seu imaginosæ cogitationi, nihil nega, nihil affirma, sed præteritam, nullaque responsione dignatam contemne, aliaque non quidem contraria, (facilis enim à contrario in contrarium recursus est) at penitùs diuersa, nullamque affinitatem habente, te distine: ex eaque sic electa, sic vsurpata, efficito vt oblectationem animi capias, & certam victoriam consequeris. At, si te quidem aliò, verùm respectando & tergiuersando conuerteris, procliue fuerit, vt subitò repetita imaginationis procella inuoluaris, & saltem, molesta erit, continuò vellicabit, nec vrgere desinet, nisi omni cessante impetu pacata omnia conticescant, totusque in alium cogitatum abiueris.

Faciamus igitur, (quod in re vulgatissima perspicuitatis causa referam) in legendo psalterio vehementer mihi incursare, Non accedis recto proposito & intentione, Non legisti illum hymnum, istum versum, illud verbum: quid faciam? si hæreo, & ambigo, cæteruatim eiusmodi infinita occurrent, remque ago perturbatam & confusam, temporique non congruam: ergo pergendum. sed si pergo quasi respectans, insimulque mihi insusurrans, Fortè omisi, non omisi, en argumentum vnde certus sum me non omisisse; proculdubio cogitatio instabit, Quid si tamen omisisses, nonne satius esset repetere? ergo, Deum offendes? ecce dubitas, in debito dubio, dubia solutio num sufficit? His & similibus tamdiu vrgebit, donec victus, ad iam lecta recursauero; iterumque post aliquot lecta, iisdem sæpiùs dubitationum fluctibus fatigabit, tantumque à me impetrabit, vt semper actum agens, nihil agam, & in circuitu ambulans, inani labore frangar, finemque nullum laudabilem consequar. At profectò in expedito fuerat victoria, si, quando id occurrebat, (Non accedis recto proposito, Non legisti illud verbum) inquieta illa instimulatione contemta, nihil penitus in eam intendissem, sed ad sequentia pergendo, psalmis cum animi sensu, veraque pietate coram diuina Maiestate euoluendis incubuissem totus, demumque omnibus magna tranquillitate perlectis, perturbatrici meæ imaginationi his verbis victor insultassem; Ita scilicet, tibi si intendissem, precationum mearum cursum importuniùs abrupisses; bene factum, quòd non audierim, sed neque audiam, & audiendam te non speres; non te isto honore dignabor. Hoc exemplo rem declarasse sit satis: infinita, sed ex hoc diiscenda, sunt cætera. Scio quidem in deliciarijs, & castitati aduersis, maximè valere phantasiam, grauique iugo Adami filios premere; at non sunt præsentis argumenti.

Neque verò cùm de propria voluntate agerem, imaginatio vel omitti vel potuit tractatione separari, quia vtraque appetendo & vrgendo mouet: sed imaginatio, vt communis est homini cum belluis, inferiora & sensui viciniora sectatur: voluntas verò propria, subtilioribus irretitur, amore sui, ambitione, superbia, inuidia, non sic tamen, quin vel eiusdem corporis contagiosa delectatione victa, vel illecti appetitus imaginatione blandiente persuasa, vel

vel vitio ad infima præcipitante, sæpè delabatur, captandisque sensuum oblectationibus auidiùs incumbat. Fit enim plerumque, vt quiuis coortus impetus imaginationem facilè rapiat; imaginatio verò rapta protinus ad se voluntatem potenter trahit; hæc autem si manus victas dederit, profligatum est: & verò nisi comprimatur imaginationis illa vis impotens, vt non perpetuò instare, impugnare, insultare pergat, sensim voluntatem expugnabit: quæ tamen sponte sua longè ad meliora feretur ardentiùs, si ipsa quoque imaginatio conspiret. tanti vt referat imaginationem posse componere.

Componetur autem (hoc etiam vt obiter dicam) constanter obseruando, vt numquam id quod ipsa suggesserit, admittamus, nisi seuero rationis examine probatum, diligentérque castigatum, vt vix omitti posse constiterit: quòd si qua superfuerit, an id fieri expediat, dubitatio, potiùs omittendum est, ne quid sibi datum imaginatio vel propria voluntas arrogare possit. Præterea eodem erga illam modo nos gerere conuenit, quo erga cæteras, aut res, aut facultates, quæ naturæ & non cognitionis vi ducuntur: eas enim frequentata cõsuetudine, & nisu in certã partẽ sæpè repetito in id quod volumus flectimus, & si perseueranter institerimus, consequemur vt id quod impressimus tanta procliuitate obseruent, parique pertinacitate conseruent, ac si à natura illis inditum fuisset. quod in canibus, equis, animantibus variis, sed & hominum industriis plurimis, notare promtum est. Similiter igitur, tum imaginationi, tum voluntati propriæ, frequentissimè, apertissimè, fortiter, argumentis affirmatione & imperio conditis, indubitata veritate asserẽdum, & persuadendum est, bonum illi esse quòd illi nihil credatur, in parendo maximam eius esse beatitatem, summam in imperando miseriam, nihil ipsam vrgere, nihil acriùs postulare debere; tunc autem illi bellè esse, quando leniter, pacatè, tranquillè præeuntem rationem ponè sequitur, nullósque motus acriores, nisi ex eius imperio excitat. hæc persuasio, si suis temporibus, quando mitiores placatioresque resident, blandiùs inseratur, curetúrque vt in intimas earum facultatum medullas penetret, erit instar validissimi aggeris, irruptionem exundaturi impetus refrænantis, facietque vt illæ facultates intra suum repressæ alueum leniùs fluant, rationisque terminos non egressæ, securè suos etiam ad virtutum impetus commodare possint. At si quando, intumescentibus improuisò fluctibus, aut turbulentiore tentationis vento, vel quassarint vel aliunde obices perruperint, cauendum ne qua rima ruinam trahat, pertinacissimè obsistendum, fulciendum, instaurandum, obfirmandum istud ipsum; veriores & potentiores, nec supra illarum captum, imò ex earumdem turbantium cupiditatum natura pullulantes, blanditias, aut terrores ita intentando, vt veris ficta, maioribus minora cedant. id enim semper euinci posse, ex eo videtur esse certissimum, quòd nulla, nisi ex virtute rectaque ratione, possit esse vera gloria, vtilitas atque iucunditas, omnisque illa, quæ ex peccato, vel aduersante ratione speratur, furtimque interdum decipiente sensu

putatur hauriri, in veram denique ignominiam, damna ingentia, impatibilesque cruciatus abit. ipse etiam sibi tortor est animus peccans, ipsum sibi pœna peccatum: adeò vt homini, qui voluptuarium sensuum dominatum excusserit, facile sit, occurrenti aduersus rationem appetitui, fucum omnem, fictamque boni personam demere, alienisque nudatum plumis, sua in fœditate ridendum explodendumque proponere. Quod vtinam tam diligenter & constanter fieret, quàm illustrandæ robotandæque rectæ rationi valet.

Sed hîc dissimulare non possum dubitationem ancipitem, quæ multos torquet, fatentes imaginationis & voluntatis propriæ impetus retundendos. at quî fiet? etenim ad singula hærere permolestum, ac præterea, annon sæpè imaginationis & voluntatis impulsione, nos ad meliora trahit Deus? Perdifficile quæsitum istud est: at breuiter perstringo, ipsamque primò omnium discretionem, virtutum matrem aduoco, quæ nusquam negligens, parua tamen modicè, maiora diligentiùs curat. Præsentiam animi discretioni iunctam volo, quæ leniter, placidè, imperturbatè, non anxiè, non timidè, exorsus, decursus, incrementa, remissiones, iteratas accessiones, fines exitusque rerum oculo vigilante discriminet, caueátque ne qua improuisi affectus caligine tenebrescat: hæc erit quæ leuiculas & perfrequentes voluntatis propriæ, imaginationisque excursiones, & statim primo exortu videbit, & magna facilitate compescet. Vt verò quæ à Deo, & quæ ab homine sint dignoscamus, id propè vnum sufficit, quòd cogitationes hominis vanæ sunt, vanitatem & mendacium sapiunt, iactantiam, gloriolam, commoda, voluptates, temporaria, sensuique accepta concupiscunt. At his omnino contraria poscit Deus. Et hactenus discrimen in aperto est. Quid verò quando ad austera, sancta, perfecta, etiam importunè & supra vires impellimur, aut impellimur tantùm, ac nihil eo in impulsu mali animaduertimus? Hîc mihi potentissima & rectissima norma hæc est, Dominus Deus noster lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ: contraque dæmon, humani generis hostis, tenebrio est, & lucis in eo nihil est, & si quando mentitur lucem, lux est quæ tenebrosa, fuliginosa & incerta obtrat, tenebrisque confestim densioribus obuoluitur. Itaque obseruabis timores, amores, desideria, & motus omnes qui à Deo sunt, lucis instar penetrare penitissimè, fortissimè, celerrimè, at suauissimè: sentitque animus dum illi motui consentit, & quà illi consentit, lucem, quietem, pacem, vim etiam quamdam intimè & ad maiora excitantem, & viam rebus perficiendis commonstrantem, & mentis oculos clariùs aperientem, itaq; illustrantem, vt ipsa duce & moderatrice id omne administretur: nihil hîc est importunum, præcipitans, anxiũ, sollicitum, immoderatum, magnificum aut singulare sonans, nihil non viribus corporis, animique imbecillitati præsenti accommodum, sensim tamen atque moderatè se erigens, rationis trutinam non expaueſcens, est instar lucis matutinæ quæ paulatim tenebras dispellit, augeturque donec pleno die omnia clarescant. At verò illi

illi ipsi concitatiores motus qui ad recta ferri videntur, si à Deo non sunt, mentem deprimunt, anxiè inuoluunt, ad verissimas humilitatis, caritatis, castitatis, orationis virtutes ac exercitationes viam præcludunt, caliginem in agendis rebus offundunt, maximeque fiduciam in Deum, ac benè perseuerandi spem infringunt. Omnes igitur inuolutos, obscuros, impacatos, turbidos, moræ omnis tranquillæque disquisitionis impatientes motus elidito, & voluntatis propriæ vel imaginationis & sensus vitiosa germina putato. Atque hæc dicta sufficiant, nec pluribus nunc opus est.

E quibus omnibus iam satis constat cur id vitiosæ voluntatis genus, propria voluntas dicatur, nempe quia eiusmodi vitiosum in res rationi non consentaneas impetum, ipsa sibi sua sponte vendicat, libertate sibi propria prauè abutens, à rectæ rationis, Deique sui lege ac communione discedens, propriamque, atque adeò peruersam sibi legem se ipsam statuens. Quomadmodum enim quod mihi proprium est, mei solius est: ita propria voluntas est, quæ solas suas cupiditates, non Dei, non rationis rectæ præscripta sequitur. Si quæris cur potiùs tunc propria dicitur, quàm quando consentit Deo, cùm vitiosè agens consentiat dæmoni? obseruandus est varius modus: cùm enim rectè agit, ideò sic vult agere, quia Deo, rationique rectæ consentire vult, quare à proprietate recedit: at quando dæmoni consentit, non propriè & proximè ipsi dæmoni consentit, nec illi subijci amat, sed blanditias sibi propositas quasi escam cum hamo deuorat; dumque suam in eligenda voluptate libertatem statuere putat, fit iusto Dei iudicio serua dæmonis, serua peccati, quorum pressa tyrannide, tum demum intelligit, quàm durum & amarum illi fuerit, Dominum Deum suum, cui seruire regnare est, tam perfidè reliquisse. Gratia Domini nostri Iesu Christi ab hac improbissima tyrannide, nos in æternum liberare dignetur: & verò pro sua clementia id faciet, si vocatione, qua nos vocauit, dignos nos præstare, & ad extremum vsque spiritum perseuerando, bonum in ea certamen certare connitamur.

LIBER TERTIVS.

De rerum humiliorum appetentia.

CAPVT I.

De cruce & rebus humilioribus appetendis.

QVandoquidem in explanandis propriæ vocationis partibus ijs, quibus maximè vita continetur, vnam esse diximus contemtionis & crucis appetentiam; hoc ipsum verò; variè consequi, efficere, & obseruare in diuersis institutis possumus: necessariò videtur dicendum, quæ sit eiusce rei vis, quamque in Societate Iesu commendata. Hoc autem ab ipso Societatis auctore, vt à sapientissimo rei à se conditæ æstimatore depromere, siue res ab eo præclarè gestas, siue doctrinam expendendo, possumus. Et quoniam ex hac vna maximè, perseuerantiam pendere credo, latiùs excurram, & stabiliendæ humilitati diutiùs immorabor.

Sed quid attinet, tantam beatissimi viri, tam obstinato animo cœptam, perpetuatámque rerum omnium humanarum contemtionem, vilissimarum electionem, carcerum & derisionum appetitionem, susque ad infima deiectionē, repetita narratione pertexere? Iam ecce omnibus claruerunt, tibique vel maximè, pleniúsque alia inscriptione tractantur. Duo tamen, illo in genere sunt hîc obseruanda.

Primum est, B. Ignatium, ipso statim vitæ melioris exorsu, ad omne deiectionis & contemtionis genus exarsisse, & æstuantis animi desideria rebus ipsis statim explesse, ita tamen vt & inchoando feruens, & perseuerando constantissimus fuerit. Videre fuit illum, nitoris elegantis, aulici splendoris, & humani honoris nimis olim cupidum, mutatis mox animis in contraria omnia auidè inhiantem. Hinc tanta vestium omniū, quæ sæculum redolerēt spoliatio, paupertatis & mendicationis perpetua & solemnis exercitatio, omnium penitus facultatum abdicatio, linguæ politioris, morumque ciuilium, ac nobilioris generis dissimulatio, contemtionis tantus amor, vt mēdicabuli instar, in pædore, in sordibus, inter mendicos, & eos nōnumquam pueros, quasi abiecti viri ingenij, palàm degeret: ac insuper duram istam neglectamq; vitam, ieiunijs protensis, grauissimis afflictationibus corporis, capitis pedúmque nuditate, immodicis vigilijs, orationibus contentis admodum, longiúsque productis, adeò asperaret, vt lutida facie, languenti corpore, id oris & habitus homo, oculis vulgi nonnisi con-

contemtissimam speciem obiiceret. At hominibus penitiùs ad virtutem introspicientibus; at Angelis, & Sanctis, ipsíque talium animorum largitori Deo, quàm gratum & eximium perfectionis erat spectaculum! O vtinam inchoatione persimili, ad similem consummationem tenderemus! Eiusmodi cœptis opus est, sic properato, vel sui vel rerum cæterarum contemtu, perfectior ab initio vita texenda est. Initia, initia: hîc omnino initia valent plurimùm, propè dixerim Valent omnia. Frustra sperantur aliquando recidenda, quæ vnà cum primigenio spiritus vel feruore vel tepore, radices agunt humani fauoris retinacula: faciliùs à contemtu ad amorem relabimur, quàm ab amore ad contemtum assurgimus. Multos vidimus Nouitiorum, qui mundum & quæ mundi sunt fortiter sapienterque spreuerunt; at mox animo fracti, vel famæ, vel honoris, vel cognationis amore languerunt. paucos qui mundi horrorem in initijs non vigentem, tempore sensim compararint: quippe sursum ferri, quàm deorsum labi difficilius. Magnis ergo animis eximia quadam nostri & honoratiorum rerum omnium contemtione, sunt nobis vitæ nostræ Religiosæ consecranda primordia.

Nec verò ita cœpit tantùm, sed eadē etiam opprobriorum, duriorumq; rerū desideria semper auxit: scribitúrque eam vt maximam à Deo gratiam & postulasse & impetrasse, multa vt aduersa pateretur: obseruatumque non rarò fuisse, suos, cùm Ignatio absente quietissimè viuerent, ad eius aduentum graui & improuisa tempestate agitari solitos. adeò, tranquillæ vitæ, vitam malis exercitam præferebat. Et verò quî potuisset aliter fieri? nouúmne est, vt voluptatum, cupiditatúmque suarum exsaturandarum libidine perciti, illis explendis quiduis excogitent, earúmque fruitione beatos, quàm falsò, tam improuidè se putent? atqui hoc erat affectu in rerum omnium asperiorū genus Ignatius, vt illas ardentiùs exoptaret, illis alacriter iret obuiàm, & quo densiùs occurrerent, eo iucundiùs tamquam sponsas & blandiores amiculas passis vlnis lætus exciperet. tanta verò in illis perferendis; perferendis quid dico? perfruendis potiùs (animum hominis si attendas) dicendum fuerat, sed nostro languidorum more loquendum fuit: tanta igitur in illis perferendis voluptate & lætitia perfundebatur, vt existimaret, & verò constanter asseueraret, nullam à rebus vllis creatis lætitiam tantam in anima procreari posse, quæ gaudium illud Spiritus sancti, & purissimam illam alacritatem æquaret, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa magnáque pro eius amore pertulerunt. Hinc etiam vincula & persecutiones, quas innoxiè, sancti zeli, sed ignoti, causa pertulerat, tanti æstimabat, vt apertè diceret, si in parte vna stateræ quæ creata sunt omnia statuerentur; in altera verò carcer, catenæ, probra quæ passus esset; vix futurum vt illa præ his momentum aliquod habitura essent. O animum rebus omnibus humanis excelsiorem, iamque totum æternitati, cælóque & Deo assertum! quàm est terrenorum omnium despiciens, quàm ad casus omnes erectus, quàm certa eum

Ribad. l. 5. vitæ c. 10.

& inconcussa pace perfrui necesse est! En præclarum, & ad imitationem proposítum domesticum exemplar. Sunt & plurima plurium Sanctorum, de quibus postea; propria nunc consector, & vnum hîc ad cæterorum originem sufficit.

Alterum de B. Ignatio in rem nostram obseruandum, fuit vis quædam animi ad opprobria, contumelias, dira & dura omnia ex ardentissima Dei hominúmque caritate sic incitati, vt ille idem eius ardor foras erumpens, sacri eiusdē ignis illapsu, vicina quæque depasceret. Cúmque in Beati viri verbis, præceptionibus, orandi & agendi formulis, vbique se idem ardor efferret, primos eiusmodi sibi finxit socios, quorum in cordibus quàm penitissimè Ignatiani spiritus hic character, hæc esset germanæ nota insculpta, *Crucis fames, opprobriorum sitis.* vt videre esset homines à spirituali eius schola prodeuntes, spreto protinus mundo, mutatóque animi sensu, si sub spinis & angoribus in ignominia viuerent, delicias credere; res autem secundas & honorem, spinarum & ignominiæ loco ducere.

Et verò, quàm id ipsum, à prima, sancti Spiritus ad perfectiora euocantis, vitali aura hauserit, partim rebus gestis, quas obiter perstrinximus, partim ex eo quòd in eandem alios formam duceret, comprobauit. Postremum ex ijs (qui omnino decem erant) socijs Hozium sibi iunxerat B. Ignatius, suisque spiritus exercitationibus instruxerat: & illico eosdem illi adspirauit affectus, ad multa patienda & perferenda exæstuantes. ferro manicisque constrictus, in carcerem aliquando detrusus est: quid huic homini facitis, ô lictores? vincula, monilia; carcerem, palatium putat: pœnam non infertis, lætitiam exaggeratis. quid enim? totam, quanta fuit, noctem tanto gaudio exegit, vt ne quidem à risu sibi temperare posset: plures ibidem dies agere auebat, at nequiuit; postridieque iussu Præsidum liberatus, tristis exijt è carcere, quem lætior ingressus fuerat: egregio sanè posteris documento relicto, breui tempore, in schola spiritus posse longiùs profici, beatumque discipulo Ignatium, sed magis discipulum Ignatio. Quid Fabrum, Xauerium, Borgiam, quid tot alios memorem, qui magna sibi in hac perfectione nomina pepererunt, omnesque ex eiusdem spiritus quasi vtero prodierunt? Vtinam, carissime mi frater, ad hos aliquando seriò constanterque respectemus: & eiusdem disciplinæ, cuius nos alumnos esse gloriamur, spiritus genuinos, hoc est verè humiles, hominumque, honorum, commodorum contemtores, aduersorum contemtúsque sitientes, gerere discamus. Quam in rem vt certiùs accingamur, est hîc nobis sancti nostri Patris super hac re doctrina, paulò pleniùs audienda. Adspira, B. Pater, vt tuos valeam sensus exponere, expositosque imis animi mei medullis insculpere, doctrinamque mente haustam rebus ipsis, vitæque non indecoro tenore confirmare.

CA-

CAPVT II.

Quid eadem de re docuerit B. Ignatius.

HOc proprium amoris esse solet, maximè quando ardentior in partem vnam incubuerit, vt suos impetus premere, deque re amata silere non possit: erumpit, inardescit, in laudes amatæ rei facundus effunditur, nusquam in elocutione felicior, in accurata perquisitione subtilior. Multa quidem ad Religiosæ vitæ perfectionem conducentia, præclarè admodum explanata nobis tradidit B. Ignatius, nullam tamen aliam rem singularem, dilucidiùs & grauiùs quàm hanc, quàm orationem, & obedientiam, nobis ab eo commendatam esse credo: idque ex illo amore profluxit, qui tantus in eius animo, ad perferenda in honorem Dei plurima vigebat: cúmque nihil eo melius in rebus humanis cerneret, id quod credebat, quod Deo docente optimum didicerat, filiorum suorum cordibus commendatum præ cæteris insculptumque cupiebat.

Sic enim interrogatus aliquando à suorum nonnemine Sacerdote, Quænam foret ad perfectionem compendiosissima via? protinus quod animo gerebat, ad quod suos contendere volebat, expressit: Hæc est, inquiens, Si multa aduersa magnaque pro Christi amore patiare. pete hanc gratiam à Deo: cui Dominus hoc donat, multum donat: vnóque hoc beneficio, multa & magna eius continentur beneficia. Ita Ignatius: cuius è verbis, quantam nostram aduersa declinantium, ignauiam aut cæcitatem animaduertimus, qui perfectionis compendia, Dei & Domini nostri summa beneficia, vano pauore delusi, vel natiua mollitudine fracti, recusamus! Sed horum nondum locus est, doctrinam priùs persequamur.

Vult omnino vt quicumq; Societati ab ipso institutæ nomina dare cupiunt, ad hunc perfectionis gradum adspirent, ad eumque vt pertingant varijs interrogatis, experimentis, monitis iuuentur; orationes, exercitia varia, exercitatio in rebus humilibus, abiectis, & sensui contrarijs, reprehensiones & monita, vigilantia & artes multiplices per Superiores adhibeantur. Et quoniam vidit hanc tam absolutam rerum omnium humanarum aspernationem, nisi eius à primis initijs iacta sint in molliore solo semina, non eam esse, quæ durato cortici, insitionis genere molliore, inoculari queat: voluit vt Societatis Superiores animum aduerterent, quò prima tironum noualia istâ illico semente complerentur, quam deinceps fouerent, excolerent, fœcundaque tandem fruge coronarent. Atque vtinam, fratres mei dilectissimi (vobis enim potissimè hæc nostra scriptiuncula loquitur) vtinam, dum etiamnum in Reli-

Religione tenelli estis, in hanc partem illud omne quidquid vobis inest viuidi ac vegeti inflectatis, vt quidquid mundi huius est, quidquid opinionis, laudis, reprehensionis alienæ, quidquid vestri sensus, contemnatis; cruce, aduersaria impugnatione, improbatione gestorum, humilitate, omnisq; generis contemtu gaudeatis, vosque ipsos aliqua saltem ista, gestandæ atque participandæ Domini nostri Iesu Christi crucis conformatione beatos putetis. His animis, hac sanctæ inchoationis firmitate prouecti, si adolescitis, & in sancto vitæ proposito quasi indurescitis, prona erunt ad omnem perfectionem omnia, reliquoque decurrendæ vitæ stadio, iucundissimæ tranquillitatis pace perfruemini. Sed ad B. Ignatij doctrinam, vnde me vester abduxit amor, reuertendum est.

Vult igitur vt quicumque in Societatem Iesu cooptari desiderant, eo sint animo, vt mente & proposito, integrè sæculo renunciarint, Deique seruitio se omnino mancipare in Religione statuerint. adeò nihil probat imperfectum, aut sæculum & libertatem respectans. enimuero ingentibus animis opus est, vt ad arduum Euangelicorum consiliorum verticem, nitendo possis ascendere: si remisso, & ad montis adspectum anhelante spiritu accedis, numquam profectò superato iugo ad perfectionis excelsa pertinges. Quare cùm de vita in melius emutanda præcepta tradit: *Hoc vnusquisque*, inquit, *persuasum habeat, tantum se in spiritualibus studiis promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit.* Cùm autem ad meditandã Christi Domini nostri vitam aggreditur, ecce tibi statim, velut scopum, quò meditationis dirigantur affectus, præfigit his verbis; *Iudicandum erit, quòd ij qui se obsequijs Iesu Christi duxerint mancipandos, non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam, verùm etiam ad maiora & præclariora quædam munera oblaturi sunt, expugnata carnis, sensuum, amoris q; proprij & mundani rebellione. Vnde respondebit vnusquisque, —— Me tibi pernitus offero, meaq; omnia tua, ô Rex supreme, ac Domine vniuersorum, subijcio voluntati, —— hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum attestans, vt quàm possim proximè te sequar & imiter in ferendis iniurijs, & aduersis omnibus, cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate.* Vbi nolim otiosè præcurras, quòd post laborum ad imitationem Domini nostri maximorum tolerantiam commendatam, maiora quædam & præclariora deposcit, eaque in suipsius & honoris amore deponendo, in iniurijs & contumeliis adeundis reponit, omni labore maius hoc & excelsius iudicans.

In contempl. regni Iesu Christi.

In meditatione verò de vexillis, Christum Dominum adducit hortantem ad sectandam paupertatem, deinde ad opprobrii contemtúsque desiderium: hominem verò ipsum & eandem exspoliationis rerum omnium gratiam postulantem, & cupientem perabiectionem seu ignominiam, Christum Dominum imitari viciniùs. De gradibus humilitatis in suum locum differo. Et quidem hinc habemus quid in commune omnibus, licet tamen præcipuè suis, vir beatus commendauerit. Videamus ea quæ propriè.

Exigit

Exigit igitur vt omni cognationis, & facultatum ac rerum amore posito, totum suum amorem, vniuersamque spem in Creatorem omnium transferant, exerceanturque ijs experimentis, ac officijs humilibus & abiectis, quibus, vt loquitur, *magis se demittant & humilient, ac eo veluti argumento demonstrent, se prorsus ab hoc sæculo, eiusq; pōpis ac vanitate recedere: vt omnino suo Creatori ac Domino pro ipsorum salute crucifixo seruiant.* Mirum est, quàm in huius rei commendatione frequentanda sit creber: inspersæ huiusmodi ratiocinationibus propè singulæ sunt Beati Patris pagellæ. infinitum foret sigillatim minutiora consectari, vnum locum seligam quem præterire est nefas, & ingentem animi sancti ardorem indicat. *Diligenter, inquit, animaduertant oportet, (magnifaciendo, summiq; momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantopere iuuet ac conferat, ad vitæ spiritualis profectum; omnino, & non ex parte, abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur; & admittere, & concupiscere totis viribus, quidquid Christus D.N. amauit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur; diligunt & quærunt magna cum diligentia, honores, famam, magni nominis existimationem in terra. sicut mundus eos edocet; sic qui proceduntin spiritu, & seriò Christum D.N. sequuntur, amant, & ardenter exoptant quæ ijs omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reuerentia, adeò vt, si sine offensione vlla diuinæ maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi & existimari, (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusq; vestibus & insignibus indui, quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritalem induit, nobisq; exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia adspirante, eum imitari & sequi, cùm vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velimus.*

Igitur interrogentur, ij scilicet qui ad Societatem accedunt, quosque iam eiusdem spiritus odore imbutos optat, *an eiusmodi desideria tam salutaria, & ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa in se sentiant.*

Quòd si quis propter humanam nostram debilitatem & miseriam, in se, huiusmodi tam inflammata in Domino desideria, non sentiret, interrogetur, an certè desiderium in se sentiat, huiusmodi desideria sentiendi. Si affirmando responderit, optare se nimirum, huiusmodi tam sancta desideria animo concipere: quo melius ad eorum effectum perueniatur, interrogetur, an decreuerit, paratusq; sit huiusmodi iniurias, illusiones & opprobria, in Christi insignibus inclusa, & alia quauis quæ ei inferrentur, siue per quemuis ex domo, vel Societate, (in qua obedire, & humiliari, ac æternam beatitudinem consequi exoptat) siue extra eam, per quemuis viuentium, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo, admittere, & patienter cum Dei gratia ferre.

Vt meliùs ad hunc perfectionis gradum, in spirituali vita tam pretiosum perueniatur, eius maius ac impensius studium sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.

En quanto rationum & verborum pondere detonans ſanctum hunc animi ſenſum commendat. Diligenter animaduerti, magni fieri, ſummi momenti, idque in conſpectu Dei exiſtimari, magnopere conferre ad vitæ ſpiritualis profectum, ſalutaria, fructuoſa eſſe hæc deſideria, pretioſum perfectionis gradum, affirmat ſapiens virtutis æſtimator Ignatius. Hunc verò gradum, iſtiuſmodi limite, definit, an expandit? vt omninò, & non ex parte, abhorreas ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur. Hoc verò quantum eſt? quàm multa, ſeu corpori & commodis, ſeu cognationi & amicis, ſeu honori & famæ noſtræ, ſeu voluntati & iudicio proprio, ſeu illi quæ à natura nobis inſita eſt propenſioni blandiuntur, ad quæ noſtro impetu toti ferremur: & ab his, planè omnibus, non ex parte, ſed prorſus, omninò, non tantùm vt abſtineamus, ſed vt abhorreamus exoptat. ô animum ab omni rerum procreatarum amore ſegregatum! At quam affert huius ſuæ deſiderationis cauſam? cui nemo ſapiens abnuat, Sapientiam nempe Dei Patris: quid enim iuſtius, quàm, ſi mundo, vano, mendaci, fallaciq́ue, in perniciem ſuam homines mundani tantopere credunt, vt honores, famam, magni nominis exiſtimationem, omni arte & labore quærant: ita qui proceduntin ſpiritu, qui ſeriò Chriſtum Dominum ſequuntur, Creatoriq́ue ac Domino ſuo, qui via, veritas & vita eſt, aſſimilari, ac eum imitari exoptant, ad maiorem profectum ſuum, & ex eiuſdem Domini exemplo, ament ac ardenter exoptent, quæ mũdi ſuaſionibus omnino contraria ſunt? Sed quæ ſunt illa? erúntne ignominiæ, contumeliæ, falſa in nos teſtimonia, ſtultitiæ & imperitiæ de nobis opinio concepta, iniuriæ, calumniæ, crimina conficta, inimicitiæ & odia, ſic vt peripſema & anathema omnibus eſſe videamur? Dura iſta ſunt nomina, & vel auditione inferentia timorem: quare prudenter ab eis abſtinere, & leniùs ea compellare poſſumus. Quæ ergo mundo contraria, tantaq́; auiditate quærenda ſunt: hæc ait amabiliſſimi, ſapientiſſimi, potentiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti veſtes eſſe & inſignia, quas ipſe Creator noſter, nullo ſuo, magno noſtro bono, nemine niſi noſtri amore cogente induit, ad maiorem profectum noſtrum ſpiritualem, vtq́; nos præeuntis exemplo allecti, eum, adſpirante diuina gratia, quàm proximè ſequi niteremur. Hoc verò ſi defæcato mentis oculo puriùs intuemur, ſanctoq́ue illo Domini noſtri amore feruemus, continuò dura iſta quæ dicebamus nomina molleſcunt, & quædam in illis latens honeſtatis, amabilitatis, dignitatis forma ſe prodit, quæ murata ſpecie mirificè hominem honeſtat, eumque Dei veſte indutum, diuinum neſcio quid mente præferre, virtutis excelſiſſimo in gradu collocatum, pace multa, animiq́ue tranquillitate foras emicante ſplendere facit. ac denique iuſtiſſima Dei lege fit, vt omnibus adſpectabilis, quem vult ſui contemtum haud aſſequatur, quem non vult honorem, ab omnibus certatim ſibi haberi lugeat. adeò nullus verus, niſi ex verè deſpreto honore, venit honor.

Ita quidem eſt, ô B. Pater Ignati: ſi hæc intima mente bibiſſemus, ſi ſpiritu viuentes

uentes mundum odissemus, planè, tui, & similium tui instar, quidquid spiritum foueret amaremus, quidquid mundi est despectaremus, horreremus. at quotusquisque tanta est animi celsitate, tam certa propositi firmitate, vt numquam vlla in re blandiri sibi, iucunda omnia seuerè semper aspernari, refutare, à se dimouere contendat: ô cælestem in terris hominem! effinxisti, tuo sæculo, diuina gratia, plures eiusmodi: & effingis etiamnum: à quibus quoniam ego me quàm maximè dissitum agnosco, da saltem, sancte Pater, vt eos amando suspicere non desinam, & in infimo saltem quem posuisti gradu considens, à te non prorsus auellar. Infimus tibi, magna omnia exigenti, & sublatiùs euolanti erat, mihi verò vix terram ipsam perreptanti, non exiguum videtur eminere, & pro magno habuero, si vel in illo dignè consistere, omnesque eius numeros perfectè valeam explere.

Hunc verò gradum infimum, à quo neminem discedere vult, ita constituit, vt qui in illo gressum figit, optet tantæ istius, quantam diximus, perfectionis, desideria sancta mente concipere: prætereaque animum gerat comparatum, ad iniurias, illusiones, opprobria, Christi insignibus inclusa, & perferenda alia quæuis, quæ domi foriſúe à quocumque illi inferrentur, neminique malum, sed potiùs bonum pro malo reddendo, ea omnia æquo animo admittat, & cum Dei gratia patienter ferat. Hæc si perpendimus attentiùs, fratres mei, quis animi sensus nobis esse debet? in ijs omnibus qui Societati Iesu inscribuntur, tantam in perferendo fortitudinem, in eos qui mala inferunt æquanimitatem & beneficentiam postulat. quàm igitur procul iniuriarum memoriam, zelum, contentionem, laudis appetentiam, & quidquid caritatis nitorem infuscat, exulare voluit? quàm voluit, sincero omnes animo, perfectionis amore concitante, id à Superioribus quàm maximè expetere, vt quibuscumque mortificationibus, exercitationibus plurimis, duris & seueris imperijs, summum illud, quod in sui ipsius & omnium rerum contemtione & Christi Domini imitatione situm est, perfectionis culmen acquirant. O fratres mei, si hæc desideriorum nostrorum esset summa, quantus esset omnis obedientiæ fructus, quanta sinceritas, quàm nullus suspicioni, nullus animorum alienationi locus, quàm nulla iussio dura videretur, quàm arcto amoris amplexu omnia, velut ad perfectionem conducentia foueremus! Credite mihi, nihil est quod tot imperfectionibus, tamque fastidiosa vitam Religiosam amaritie inficiat, quàm si imperia Præsidũ ex aliquo sinisteriore in se animo profecta, sibi Religiosus ipse persuadeat. Potentissima hæc est, mali dæmonis, & improbissima machina: hoc venenum aure credula qui bibit, mirum, & solius Dei dexteræ, si vmquam persanari queat. Fugiamus ergo, & quanto longiùs possumus, hoc virus tam detestabile fugiamus. Et quomodo fugiemus cautiùs, quàm si meminerimus, & ad id venisse nos vt dura sectemur, & Superioribus ex officio id incumbere, vt sursum deorsumque suos versando eos volentes, nolentes, ad sanctiora & perfectiora promoueant?

Ad perfectionis,ac vt ita dicam promotionis ſcholam veniſti frater, quid queris ſi ad altiora & perfectiora tuus te promouet Magiſter, ſi languentem inſtigat,tardantem incitat,ceſſantem ſtimulat?ne tuo muneri deſis, quod ſui muneris eſt præſtat.

Quòd ſi vos etiam, tenellorum horum germinum formatores, meis auderem verbis compellare: obteſtarer ſanè, vt in id vel maximè incumberetis, vt qui veſtræ curæ commiſſi ſunt Nouitij, exiſtimationis ſuæ curam ponant,viles haberi optent,falſis de ſe delationibus, iniurijs,contumelijs, nihil de tranquillitate mentis amittant,cedant omnibus,nulli præferri velint,numquam de Superioris animo ex iuſſione diiudicent, cupiant quouis modo regi, & ad victoriam de ſuis cupiditatibus referendam iuuari. Hæc illis ſi non inſtillatis,nec eis, nec vobis,nec Societati conſulitis. Incommoda poſſem enarrare, vos ipſi ſapientiùs peruidetis. Vrgetque ad hoc ipſum, grauiſſima B.Ignatij vox: *Noſtrum autem erit*,inquit,*in eiſdem*,maiore ſcilicet ſui abnegatione, & continua in rebus omnibus mortificatione,*iuxta gratiam,quam Dominus nobis conferre,ad ſuam maiorem laudem & gloriam dignabitur, eum iuuare.* Ita ergo decernit, veſtrum eſt eos iuuare,idque iuxta gratiam à Deo datam,hoc eſt ſeriò,conſtanter,perſeueranter, non eos ſibi relinquere, & otioſa pace contentos ceſſare, ſed vrgendo, inſtando,& rationes aptas prudenter admouendo,perfectionis Religioſæ imaginem perfectiùs effingere.Ecce huiuſce rei rationem ſeuerè aliquando,diuino iudicio,repoſcet Ignatius:quid reſponſuri ſitis, videte. Verùm, præfidentior ſum,&,vt aiunt,ſus Mineruam;ignoſcite,ad fratres meos redeo,quorum amori & perfectioni commendandæ,hæc mihi digreſſio irrepſit.

Quid illis igitur, quid eis omnibus qui nondum tanto crucis amplexandæ amore feruent, commendat Ignatius? verbis quidem pauca, at rebus & ſenſu quàm plurima:nempe; vt eò perueniatur, *maius ac impenſius ſtudium ſit, quærere in Domino maiorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus quoad poterit mortificationem.* Quæ verba,& ſuo æſtimanda pondere,& prudenti moderatione ſeruanda ſunt. Cùm enim B.Pater de illis ageret, quibus nondum Chriſti Domini crux, illaque in ſpeciem horrida militiæ vexilla dulceſcerent,ad hoc tamen perfectionis prouehi optarent; hanc illis commonſtrat viam,vt magno animo,manu operi admota,ignauiæque torpore diſcuſſo, abnegationem ſui, mortificationemque complectantur: probè ſciens exercitatione leniri moleſtiam, diuinæque conſolationis dulcedine optabilem reddi ſolere. Hoc verò vt copioſiùs detur, naturæque mollities ampliùs duretur, magnam abnegationem ſui, & continuam in rebus omnibus mortificationem exigit:idque magno & impenſo ſtudio fiat. Quæ ſic obſeruanda ſunt, Primò, vt nemo, ſe abnegandi, aut mortificandi, vllam legitimam occaſionem animaduerſam, timidè ſubterfugiat. Secundò,vt perpetuum, & nulla contraria voluntate interruptum, ſe abnegandi & mortificandi propoſitum habeat, & in id diligenter incumbat, ad imi-

imitationem eorum quæ antea, dum de propria voluntate ageremus, ex Dorotheo sunt relata: id enim verè est esse continuum. Tertiò, vt etiam occasionem ita se mortificandi & abnegandi, propenso & incitato studio quærat, non tamen anxiè, aut continuato quodam sollicitæ mentis angore, sed, vt dixi, præsentis & sibi inuigilantis animi solerti firmitate, qua & ad naturam vincendam opportunitates acutè præsagiat, & quæsitas aut oblatas fortiter arripiat. In hoc verò nisu constanter pergenti, eas B. Patre sic spondente progressiones video esse sperandas, quibus in eum gradum, vt ipse loquitur, in spirituali vita tam pretiosum breui possit euadere.

CAPVT III.

De duobus primis humilitatis modis à B. Patre positis.

AD eandem eadem de re B. Ignatij doctrinam pertinent, omninoq; recenseri hoc loco debent, tres illi, quos posuit humilitatis modos, tam plana, liquida, absolutaque methodo, tantaque se celeritate in excelsissima sustollente, vt mihi meritò videar eius admirandæ finem nullum facere posse. Multi multa copiosè, variè, subtiliter & piè de humilitatis gradibus tradidere: at, nisi huius me Beati viri fallit amor (& quantum videre datur haud fallit) nemo est qui breuiùs, distinctiùs, accuratiùs eos expresserit. Dicerem, præ his ieiuna, confusa, incondita videri multa, quæ tamen non immeritò prædicantur: sed ea laudis exaggeratio displiceat, quæ ab alterius imminutione captatur. Magis consulo, maximi facias omnia, nunc autem temporis contende, vt quid B. Ignatius doceat intelligas, & intellecta sectaris.

Humilitatem ergo eam & describit, & eiusmodi operatione, vel animi affectione definit, qua satis indicat eam spectare se, quæ sita est in voluntate Deo se subijciendi, diuinæque voluntati, ac Deo ipsi se conformandi.

Iam, ab illo primus humilitatis modus hic ponitur *ad salutem necessarius, vt mæ penitus subdam diuinæ legi obseruandæ, vtq; ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum vllum diuinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.* Ita ille, prudenter & necessariò statuens, nullam in eo homine humilitatis esse posse speciem, qui aliquod præceptum diuinum, grauiter vrgens violare audeat. Cùm enim omnis inobedientia, sit eius quæ Superiori exhibenda erat, subiectionis denegatio, quid aliud dici potest, quàm superbiæ rebellantis impudens ostentatio? & verò, quid humilitatis illi homini superesse credendum est, qui Superiori, qui Deo, quam debet voluntatis subiugationem,

cum flagitio denegat? Est igitur hic primus gradus, cuiuis homini ab æterna salute nolenti excidere pernecessarius: in eoque sic obfirmandus animus, vt omni alteri amori diuinus amor emineat, huic vni, ceteri concedant omnes: si amici, si facultates, si honor aut existimatio, si denique vita ipsa in eo discrimine versetur, vt sit vel eorum, vel huius humilitatis iactura facienda; pereant omnia, ne pereat amor Dei. felix est temporaria iactura, quam æternitatis compendia pensabunt. Vides tamen, hîc & edomitas cupiditates, & non vulgarem fortitudinem opus esse, vt quouis aduersæ tempestatis impulsu, firmus in hoc gradu & inconcussus insistas: omninoque, qui ad alios gradus adscensum parat, maiore quoque fuerit virtutum instructu armandus.

Secundus enim gradus *maioris est perfectionis, vt fixo animo ad diuitias, paupertatem; honorem, ignominiam; breuitatem vitæ, ac longitudinem æquè sim propensus, vbi æqualis est diuinæ laudis, & salutis meæ occasio. Vtq; nulla, vel humanæ quantacumq; felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducar vmquam vt culpam, licet venialem tantùm, decernam admittere.* Istis eum modum verbis B. Pater describit, non tantùm maioris perfectionis quàm primum, sed etiam (seposita comparatione) permagnæ quantum existimo perfectionis. quam videtur bicipitem facere: vna vt eius pars sit, affectuum & cupiditatum in res quasuis adeò esse retinentem, vt nullam in rem, iucundam aut iniucundam, blandientem aut horrificam, diuitias aut paupertatem, honorem aut ignominiam, breuitatem vitæ aut longitudinem, pronioribus animis feramur. Quod ipsum quantæ arduitatis est? multum à se præstitum nonnemo crederet, si vbi maior diuinæ laudis cerneretur occasio, ibi facultatum, honoris aut vitæ iacturam fortiter posset, quamuis cum dolore, tolerare: & quotus quisque tanto præditus mentis robore reperitur? quis de se id sibi spondeat, cùm adeò multos nec illaudatæ vitæ viros, declinandæ calamitatis metu, abs eo quod rectius iudicant, non rarò deflectere videamus: & quoties, heu lugendum! concitato minimæ cuiuscumque cupidinis impulsu, in transuersum ab eis abducimur quæ meliora sciebamus? vbi ergo vir ille, nobis reperietur, qui affectum, qui propensiones, & procliuitates omnes exuit? qui verè, qui toto sinceriſſimæ mentis candore, sit eiusmodi, vt honore & infamia, vita & morte ob oculos vtrimque ita posita, vt neutra in parte diuinæ laudi officiatur, neutra etiam diuinam laudem magis promouere credatur, anceps hæreat, nec ignominiæ honorem, nec morti vitam præferat? ô virum cupiditatibus omnibus verè mortuum!

Cur istud? inquies: etenim vbi æqualis vtrimque Dei laus agitur, quid imperfectionis erit si morti vitam, honorem infamiæ præferam? quid verò perfectionis si neuquam prætulero? Omnino, in hoc postremo, perfectionis erit plurimum; in priore verò, si non imperfectionis erit plurimum, plurimũ tamen perfectionis deerit. Numquid non magnum, valdeque suspiciendum est, eiusmodi esse mentis æquabilitate præditum, adeoque cupiditatum omnium incitationes

nes

nes edomitas habere, vt appetendi fugiendiq́ue nullus, nisi è laudis diuinæ respectu, motus excitetur? indeq́ue fiat, vt si vitæ mortisq́; sortem, par diuina laus excipiat, nihil videatur esse, cur altera alteri præferatur: honorum stimulus congenitus, voluptatum deliciæ illices, vitæ ardentissimus ille à natura insitus amor, ciendæ appetentiæ vim omnem perdiderint! quod profectò non est aliud, quàm nihil amplius suum in terris, totoq́ue in orbe agnoscere, & animum à perituris ad æterna, ab humanis ad diuina subduxisse: ramq́ue subduxisse perfectè, vt quiduis aliũde attuleris, nullo tamen nisi æternorum diuinorumq́ue sensu tangatur. Eiusmodi se credat qui volet; nobis tamen, mi frater, incipientibus, video superesse abundè quod & multum admiremur, & suspiremus diu. Quid enim cùm ad iudicandum veneris, respondebo tibi Domine Deus meus, qui tanta' me per seruum tuum Ignatium ad perfectionem contuendam luce perfudisti; & ecce non tantùm eam in partem vbi non est maior, sed etiam vbi minor est tua gloria, non ratò meorum me affectuum impotentia propellit, instigat, ac pertrahit? heu quàm procul meliorum cognitionem, à meliorum exercitatione abesse video! hoc nobis corruptela sensuum, hoc naturæ ingenita deprauatio parturit: neque sanè corrigemus, nisi nostrum ergà res hasce infimas amorem funditus exhauserimus, nihilq́ue in re vlla procreata nisi solius Dei causa expetamus. Hoc verò, bone Deus! quale quantumq́ue est? in suis commodis, sua laude, voluptate, sanitate, vita nihil sentire quod delectet aut attrahat? in incommodis, vituperio, dolore, ægritudine, vel morte nihil quod animum excruciet, aut à se abhorrere faciat? solo verò diuinæ laudis momento, hæc omnia verè digneq́ue librare, annon hoc est animi, nullis nisi diuinis motibus instigati, nullaque nisi diuina sentientis? Nonne iure possem tecum, sancte Bernarde dicere, *nescio si à quoquam hominum hic gradus in hac vita perfectè apprehenditur, vt se scilicet homo diligat tantùm propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, in hac vita impossibile videtur illum perfectè apprehendere.* l. de dilig. Deo, & ep. 11.

Cæterum hinc animos contrahas, addi potiùs conuenit: nec enim nos eũ gradum consequi, sed perfectè consequi posse negat: sunt quippe in virtutibus, vel virtutum certo aliquo gradu, quædam eiusmodi vt se semper altiùs prouehant, & quantumcumque comparaueris, semper tamen superfit quod comparet. quod vbi accidit, comperies interdum ab auctoribus optimis asseri, virtutum earum perfectionem non posse comparari; licet magnos in ea progressus posse fieri sentiant. Aliàs tamen ipsos illos in perfectione progressus, perfectionis nomine decorare nihil verebuntur. Vnde D. Hieronymus venustè & breuiter, *Cunctorum in carne iustorum*, inquit, *imperfecta perfectio est.* Quod D. Bonauentura dilucidiùs, licet planiùs, *Nemo*, ait, *in hac vita perfectè alicuius virtutis apicem valet comprehendere, vel stabiliter in summo gradu semper manere, sed pro modo viæ perfectus quis dicitur respectu inferiorum.* Quapropter omnem huius vitæ perfectionem nomine Auroræ, quæ lucis tenebrarumq́ue confinio miscetur, significari putat Magnus l. 1. cont. Pelag. c. 5. de pref. Rel. proc. 6 c. 7.

Magnus ille Gregorius, iucundè his verbis & piè ludens: *Quid itaque in hac vita*
l. 29. Mor. c. 2. *omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus? quia & quædam iam quæ*
lucis sunt agimus, & tamen in quibusdam, adhuc tenebrarum reliquijs non caremus? per
Psal. 142. *Prophetam quippe Deo dicitur; Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Rursúm-*
Iac. 3. *que scriptum est, In multis offendimus omnes. Paulus quoque ait, Video aliam legem in*
Rom. 7. *membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ*
est in membris meis. Vbi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profectò adhuc aurora
est: quia lux quæ iam emicuit, necdum prætereuntes funditus tenebras pressit. Adhuc aurora
est, quia dum lex carnis, legem mentis; & lex mentis, legem carnis percutit, inter se vicis-
Rom. 13. *sim lux & vmbra confligit. vnde rursum Paulus cùm diceret, Nox præcessit; nequaquam*
subdidit, Dies venit; sed, Dies autem appropinquauit: qui enim post discessum noctis, iam
non venisse, sed appropinquasse diem insinuat. esse se proculdubio, ante solem, post tenebras,
adhuc in aurora demonstrat. Tunc autem plenè sancta electorum Ecclesia dies erit, cùm ei
admixta peccati vmbra iam non erit. Tunc plenè dies erit, quando interni luminis perfecto
feruore clarnerit. Tunc plenè dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memo-
riam tolerans, omnes à se tenebrarum etiam reliquias absconderit. In hunc diem si aliquando venire, si dies, si sol, vel etiam sole fulgidior, in cælesti regno esse desideras, noctem ne ames, aurora nunc fias, virtutumque inchoatione, quasi diluculo collustrante, ab ipsis tui stadij carceribus, exulta vt gigas ad currendam viam tuam, viam Religiosam, viam, vitæ Domini nostri Iesu Christi humilitatis Magistri, quatenus homini datur, conformem, omnique huiusce spectabilis orbis cupiditate ac desideratione exutam.

Sed hæc de secundi gradus prima parte dicta sufficiant, ex qua tamen ad alteram vel iam factus, vel facilis admodum est transitus. Est autem illa, vt numquam leuius vllum peccatum, quod veniale nuncupant, ex animi certo proposito committamus: quod profectò quantum sit, iudicabunt illi, qui scrutandis humanæ fragilitatis lapsionibus diligentiùs incumbant. quàm procliue est, vt lentitudo, vel præcipitatio, parcitas vel nimietas, copia vel inopia, loquacitas vel taciturnitas, animi depressio vel elatio, plurimæque ab eo quod medium & rectum est declinationes nos altrouersùs inflectant? quis ille est, qui non aliquando sciens & volens, sensuum delectatione ducatur, in laude aut vituperatione metas veritatis excedat, aut alicunde id agat, cuius mox pœnitentia tangatur? quis ille est, qui nõ aliquando & suæ & ceterorũ oblectationi, familiaritati, beneuolẽtię, precibus, minis, terrori, non odio vel amori, aliquid paulò amplius quàm par esset concedat? Qui tamen perfectè hunc humilitatis gradum insisteret, ab his omnibus immunis degeret. Verũ, vt diximus, progrediendũ est, cũq; aliquid eius acquisieris, magisq; ac magis ab omni mali specie te submoueris, nõ est interrumpenda contentio, vigilandũ, instandũ, graues etiam de minoribus voluntarijsq; delictis pœnæ sunt reposcendæ, donec ad id perueneris, vt ab ista gradus firmitate, neque illecebris, neque vllo impetu grauiore dimoueri queas.

Verùm

Verùm antequàm longiùs abeam, video hîc quæri posse, cur non B. Ignatius in duos potiùs humilitatis modos, quàm in vnum bipertitum, hunc secundum modum dispertiuerit? De quo, vt quod sentio edicam, nihil quidem incommodi in istiusmodi distinctione video: aptè quippe dilucideque diceretur: Hominem ita diuinæ maiestati subditũ esse, Primò, vt ne præcepta, quæ animæ mortem sanciuntur, vlla vnquam cupiditate, inductione, terrore audeat transgredi. Secundò, vt pari fortitudine illa obseruet, quæ solius leuioris noxæ reatu inficiunt. Tertiò, nihil amet, nihil oderit, nisi diuinæ laudis promouendæ incitatu. Atque ita duos illos primos modos, satis vt existimo enucleatè comprehendisset. Sed ni fallor, Beatus ille vir, cui minùs notiones distinctioneſque, quàm cõsecutio virtutum cordi erat, aliud aliquid spectauit, viditque hanc secundi gradus partem alteram, sine priore comparari, & diutiùs perdurare non posse: quare maluit in eiusdem gradus complexu ea contineri, quorum vis, tam sibi inter se coniugata, in idem conspiraret. Quis enim vocet in dubium, hominem eum qui nihil v piam nisi Dei causa amandum fugiendúmue sentiat, qui tantopere sit sensuum motuumque omnium continens, vt nusquam nisi Deo impellente moueatur, eundem nulla vnquam causa noxiam vllam quamcumque leuissimam admissurum? enimuero si solius Dei solus eum amor allicit, cùm à quouis delicto quàm longissimè dissideat Deus, quid est quod eum in eiusmodi fraudem queat inducere. At verò si honoris, commodorum, sui ipsius amore, si ignominiæ, paupertatis, incommodorum, aut cuiuscumque casus horrore percellitur, quàm proclive est vt vel istorum consequendorum, vel horum fugiendorum gratia, à præscripto rationis exorbitet, leuiorique saltem macula nitorem animi infuscet? Hæc igitur sit iustissima, & in rem nostram vtilis causa, cur vno complexu hæc vtraque connexa sint. Ad Tertium & nobilissimum gradum transeamus.

CAPVT IV.

De tertio, eóque perfectissimo humilitatis modo.

TErtius, inquit, *est modus humilitatis absolutissimæ, vt priores duos iam adeptus, etiamsi, nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo pauperem spreto & illuso, pauperiem, contemtum, & insipientiæ titulum amplecti quàm opes, honores & sapientiæ æstimationem.* Hunc gradum absolutissimæ vocat humilitatis, quid enim illi superaddi possit, non facilè quisquam reperiet. Hîc omnis gloriæ, splendoris, existimationis & famæ, quæ tamen elationi ac superbiæ fomitem ministrare solent, ponitur appetitus; contrà verò res illæ amantur, quæ humilitatem quàm maximè conciliant & decent, paupertas,

contemtus & insipientiæ nomen, vt eiusmodi mentis affectu præditus, reprehensionibus gaudeat, obiurgationibus hilarescat, contradictionibus animetur, paupertate diteſcat, calumnijs & opprobrijs glorietur. Quippe idem in eum effusus est spiritus, eadem sanctitudinis illi data consummatio quæ illis qui docebant, *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Nec docebant tantùm, sed re ipsa *ibant à conspectu concilij gaudentes quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Eorumque vnus exclamabat, *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Quæ noua istæc voluptas, quæ tam insolens gloriatio, quod inauditum gaudium, vt à contumelia, ab angustijs, à persecutionibus hauriantur? fierine potest, vt tanta quanta rebus istis videtur insidere, amarities edulcetur? edulcatur planè, felleumque istud virus in melleas delicias abit. vsque adeò & res insulsissimas condire, & animi gustatum immutare potens est Deus. Sed quomodo ista peragantur dicetur suo loco, nunc ad huius gradus explicationem pergamus.

Act. 5. Coloss. 1. 2. Cor. 12.

In quo sunt quædam quæ accuratiorem scrutatorem remorari videntur: nec enim satis apparet, in Dei laude æquali, cur abiectiora sint præferenda; aut si ex virtute præferuntur, cur non maior Dei laus necessariò sequatur, cùm virtus omnis ad laudem Dei conferat? Præterea si id numquam re ipsa potest accidere, omne enim quod perfectius est, ad maiorem Dei laudem confert, eúmne qui mores ad virtutem instruerer, decuit ad ea spectanda confugere, quæ sola fictione mentis, & non rei veritate constant? Hæc vt opinor obijci possunt: à postremo incipiam.

Quod tamen vtrique commune sit, animaduertendum duobus modis aliquam actionem ad maiorem Dei laudem esse; Primò, quia in se ipsa plus perfectionis continet, ideoque copiosiùs de diuina bonitate participat, & perfectiùs in Deum referri, eius commonstrare perfectionem potest: hoc tamen totum, in ipsa rerum insita vi, occultum latet. Secundò, ad maiorem Dei laudem dicuntur, quæ vim eam sortita sunt, vt excitandis ad diuinam laudem mentibus accommodatiora sint, veluti sermocinationes, concionesue sacræ, magis in Dei laudem, quàm priuatæ preces, conferre dicuntur. Iam verò cùm B. Pater Ignatius minùs externa, quàm interna spectaret, dicendus est id etiam voluisse, vt quantumuis & diuinæ gloriæ propagandæ, & perfectionis æquale momentum fuisset, viliore tamen & abiectiore, quàm splendidiore viræ conditione perfici mallet. Quo sensu magis etiam implicatur hic nodus, at mox Deo dante euoluemus.

Præterea, non tantùm ex tam dissitis vitæ generibus, copioso, glorioso, facili vno; egeno, inglorio, aspero altero, æqualem nonnumquam Dei laudem conciliari posse, sed etiam reipsa cõciliari prorsus credo. Quid enim? an non facilè dabis Pontificum, Episcoporum, Regum & Principum plurimos, post vitam, honori-

norificè quidem & commodè, sed multa virtute traductam, multis Religiosorum, vel etiam huius sæculi pauperum, in cælestis gloriæ felicitate præcellere? Iam, si præcellere possunt, quis neget etiam æquare posse? Faciamus ergo, quod in tanta beatorum multitudine procliue est, æquare nonnullos, vel, quod in rem nostram perinde est, æquare posse; ecce sic repererimus homines duos, quorum æqualis æterna gloria, ex quibus æqualis Dei laus exster, eorum tamen vnus obscurus, pauper, neglectus; alter celebris, abundans, honoratus vixerit. Video, remurmuras: æqualitas illa diuinæ laudis, aliunde, ex virtutibus inæquales vitas æquantibus, exoritur: & isti duo, duo diuersi sunt; de vno & eodem hîc agitur. Audio, bone vir, audio: sed sustine paulisper, nec tam quid sis obiecturus, quàm quid dicatur attende: non explicantur controuersa, nisi altiùs, ab eis quæ sunt certa, repetantur.

Si igitur homines duos reperimus, in quibus tota vitæ decursio, licet vni planissima, alteri contingat asperrima, vtrique tamen in diuinæ gloriæ æquale cedit incrementum; quid est cur negemus, vnum eumdemque hominem, ad eumdem æternæ felicitatis modum siue leniore, siue duriore vitæ instituto posse pertingere? mihi verò non minùs id videtur facile factu, quàm si vel plures, vel vnus & idem, eumdem sibi censum, mercatu, armis, literis comparent: quippe nihil est incommodi, si diuersa diuersis in rebus industria, eadem mercede, præmio & æstimatione pensetur. Nec refert, quòd inæqualis industria aut virtus, inæqualis laboris vitas, æquali præmij laudisque termino claudat: non enim à nobis quæritur, vnde hæc exoriatur æquatio, sed satis nobis est ostendisse posse fieri, vt ex vita contumelijs, paupertate, aduersis rebus asperrima, nec plus diuinæ laudis, nec plus æternæ gloriæ, quàm ex honorata, diuite, rebusque secundis blandiente comparetur. Cùm autem istud non tantùm diuersis, sed vni etiam homini, licet ægrè, possit tamen obtingere; quid vetat vnumquemque sic esse animo affectum, vel (vt sic piè afficiatur) seria cogitatione sibi persuadere, magni, vereque Christum Dominum imitantis animi fore, si asperiora & contemtiora, nullo ad rem aliam, quàm Domini sui imitationem, respectu habito, ardenter concupiscat? Et hoc est quod primò & maximè spectauit eo loco B. Pater, agens de vitæ statu eligendo, ijsque quæ ad electionem conducunt.

At quoniam non vnam instituti eligendi notitiam, sed in eo quod cognitum fuisset perfectionē spectabat, ita loquitur vt clarè doceat illud idem quod tota in vita potest, vitæ quoq; singulis in partibus esse seruandū: ita vt tam quandā cælestis pulcritudinis formam, quæ nō corporis, at animi solius cernatur oculis, affingamus rebus ijs omnibus, quæ probri, ignominiæ, penuriæ, doloris quiddā habent: huius verò formæ venustate vsq; eò mens nostra ebrietur, vt ad quēuis, qui fortè splēduerit, eius radiū illicò tota cōuertatur, & in optatissimos paupertatis & humilitatis amplexus ruat: suspiret absentē, præsēte potiatur, delectetur,

glorietur: sic eam amet, vt in ea non aliud quàm ipsam amet; in paupertate, in humilitate, non mercedem, non coronas, non perennatura ambiat præmia, sed sola se paupertate, sola Christi humilitate beatum putet. Non aliud illi appingi vult pigmentum, non colorem, non gratiam, quàm hanc, Christum Dominum imitandi, vnicam. Quidquid deliciarium sensus appetant, quidquid molliculum carni blandiatur, quidquid fastosum superbia exambiat, istorum vult omnium leuem videri iacturam, si vnâ Christi Domini imitatione pensetur. Et sanè cùm ipse summus omnium creator & redemptor hominum Iesus Christus, speciosus præ filijs hominum, emanatio claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum sine maculâ Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, cuius in femore inscriptum Rex regum & Dominus dominantium, qui via, veritas est & vita, ad quam quo propiùs accesseris, eo rectiùs incesseris, veriùs permanseris, immortaliùs vixeris; qui est Sapientia Dei, cuius patrocinio, neq; cuiusquam alio, æterna nobis est speranda salus: Cùm inquam sapientissimus ille Dominus, non aliam quàm humilitatis & contemtionis viam, vel verbo docuerit, vel exemplo sanxerit, vilissimis, abiectissimis, dirissimis quibusque sibi selectis, adeò vt sputis illitus, flagris concisus, probris onustus, proscissus contumelijs, ignominiæ crucis addictus, inque ipsa cruce fixus, extremum vitæ spiritum, non sine inimicorum derisu, summo cum dolore posuerit: contrà verò, pompam omnem temporariam, gloriam quæ ab hominibus esse poterat, diuitias, voluptates, cómoda, laudem omnem & famam, humanis comparatam artibus, summo semper opere sit aspernatus: quid sapientiùs facere potest congenitæ sibi insipientiæ conscius homo, quàm vt illa totus abhorreat, à quibus penitùs abhorruisse videt Deũ: ad illa verò anhelis animæ desiderijs æstuet, quæ summa Dei Sapientia tam certò, tam largè & perseueranter, ceteris omnibus prætulit, tamque arctè sibi assumta deuinxit, vt neque sine illis Iesus, nec nisi per illa reperiri possit, ac toti hominum generi hæc esse salutis & gloriæ perennia instrumenta decreuerit? Ecce etiam vt caliginosæ nubes immisso sole clarescunt, & tepenti pluuia destillantes, subiectos agros fœcũdant: sic horrentes & hispidæ illæ cruces, contumeliæ, deiectiones, ex quo Dominum nostrum Iesum Christum, omnis amabilitatis, gloriæ, claritatis & bonitatis fontem circumamplexæ quasi confouerunt, ex illo prænobili contactu, amabilem quandam, & sanctè illecebrosam pulcritudinis dignitatem contraxerunt, quæ cùm diuinum aliquid redoleat, & quandam Iesu Christi similitudinis effigiem insculpat, mirabiles amoris ardores in eorum animis excitat, quos ardens Dominũ suum affectandi, & ad eum propiùs imitatione accedendi desiderium inflammat: continuò etiam fortitudinis, pietatis, caritatis, & præstantissimarum virtutum multiplici choro mentem ornat.

Et verò si vulgò, nec planè immeritò, præstantium virorum, & principum esse quàm simillimos, præclarum, & in expetendis reponitur: vsque eò vt etiam

vestium,

vestium, colorumque & rerum quæ illis in pretio sunt, maior existimatio, & frequentior sit vsus: quid mirum si vel hoc solo nomine, res ceteroquin insuaues & iniucundæ, sola supremi omniũ Regis assimilatione, magnopere amabiles, lætabiles, & expetendæ, fidis & fortibus eiusdem Regis asseclis fiant? Atque hoc demum est quod hîc voluit B. P. Ignatius, vt quando expetendorum ea lex esse solet, vt quoties varijs nominibus expeti meritò possunt, vno quopiam illorum, sepositis interim ceteris, absque iniuria vel reprehensionis nota possint expeti: non dissimiliter hîc possis, omni maioris diuinæ gloriæ, meriti & felicitatis æternæ cogitatione missâ, eo solo crucem, ignominiam, dolores amplecti, quòd amantissimo Domino tuo crucifixo, despreto, & crudelissimè distorto similior sis futurus. Qui hanc, in re nostræ naturæ tam aduersa, assimilationis pulcritudinem non videt, re vera, Domine Iesu, nec tuum splendorem videt, nec tuæ sapientiæ quidquam sapit. Tu verò Domine, qui nobis ea vilia induisti, ea amara exsorbuisti, ea quoque nos fortitudine indue, eo animi gustatu nos dona, vt amanter, vt alacriter, vt desideranter, tuo vnius amore, ad humilitatem, ignominiam contemtumque curramus.

Sed, vt video, dum ad postremam obiectionem respondimus, alteri etiam factũ est satis, qua quærebatur, quomodo non esset semper ad maiorem Dei laudem id quod magis eligendum esset: etenim sit necne ad maiorem Dei laudem, non quæritur, sed asseritur is perfectæ humilitatis amor, qui abiectiora præfert, quoties illa in detrimentum diuinæ laudis cedere non constat, eoque solo ad ea potiùs optanda permouetur, quòd putet in rebus ijsdem in quibus Domini nostri Iesu Christi in nos amor maximè enituit, suum quoque vel maximè amorem esse testandum, imitationemque in patiendo esse quærendam.

Habemus interim fieri posse vt diuinæ laudis, nostræque in æternum gloriæ paria esse in æternum momenta possint, è paupertate & diuitijs, ex aduersis & prosperis. Indeque qui non omninò hebes fuerit, facilè mente complecterur, id ipsum adeò in singulis negotijs fieri posse, imò (quoniam perfectius est asperiora complecti) procliuiùs etiam sit credere, eadem quoque ad maiorem Dei laudem, atque adeò magis esse expetenda; quòd si vltrò præter opinionem res nostræ duriùs obtigerint, non contrahendum & quasi corrugandum, sed magis ad lætitiam explicandum animum, & vt ab amante Deo, amicum, & quale olim prædilecto filio donauit, munus exosculandũ. Faciamus igitur (exemplo enim allato res erit clarior) concionatoris muneri addictum esse nonneminem: ex huius perfectionis norma, si duorum illi optio diuinitus daretur; vt vel ita in dicendo moderaretur omnia, vt ingenti gratulatione, nec mediocri plausu auditori placeret; vel pari quidem fructu, at auersis ac alienatis animis diceret: quæ deberet esse perfectiora cupientis optatio? proculdubio hæc, vt mallet pari in fructu, parique Dei laude contemni. Quo fit, vt ea, quam diximus, optione non oblata, si vltrò contemtus ille contingat, vel multò leuior ferendo, vel sponte

etiam conquirendus fuisse videatur, prorsusque ab omni pruriginoso voluptatum vel ambitionis appetitu, quàm longissimè recedatur.

Licet autem quæ dicta sunt, & satis esse manifesta, & satis firma videantur, cumulatè tamen, & quæstionis meliùs elucidandæ gratia, demus, re ipsa non posse maiorem Dei laudem, maiusue nostrum meritum ab humilitate & aspernatione nostri maiore separari: an idcirco non debuerunt hæc ita distinctè separatéque menti obijci? imò verò, & sic debuerunt, & ex more perfectiorum factum est, & fuisset minus, quodcumque aliter dictum esset. Ardentis amoris vt est, sui impotes in amando facere, ita non vult exiliter ad virium aut naturæ angustias arctari, exilit, efferuet, supergreditur vniuersa, metas nescit, nihil arduum, nihil putat impossibile. Quid enim? an Mosis, de libro vitæ deleri petentis, vel Pauli, pro fratribus anathema fieri cupientis, caritas id loquebatur, quod eâ causâ, & re ipsa futurum esset: *Caritatis priuationem supplicio gehennæ acerbiorem* censet (interprete Theodoreto) D. Paulus: ergóne supplicium gehennæ subibit quisquam, quia certus est & ijs quæ videntur, & quæ non videntur, amorem præstare Seruatoris, quia statuit propter eum quasuis excipere procellas, iucundis omnibus ipsaque vita potiùs quàm caritate priuari? Quid ergo ita locutus est? nempe loquebatur amor, amori sua est elocutio, suus sensus: *Cùm ergo omnia examinasset, & inter se contulisset*, ait Theodoretus, *& amori omnia cedere, tam quæ sunt molesta quàm quæ iucunda inuenisset, caritatis verò priuationem, supplicio ipso gehennæ esse acerbiorem: ostendisset etiam quòd si fieri posset, mallet cum diuina dilectione supplicium, cuius minæ intentantur, quàm absque ea regnum quod est promissum: Ebrius desiderio, ea quærit quæ non constant.* Præferuidos igitur habet impetus amor, in quos si quando erumpit, amare, & amoris indices voces gestit emittere, nec aliò quàm ad amorem respectare vacat, suo se succo pascit, suis inflammat ardoribus. Non secùs igitur voluisse B. Ignatium credo, vt qui ad hunc humilitatis gradum pertigisset, sic vilia & contemta diligeret, vt non aliunde quæsitis argumentis, sed sola illa abs Christi D.N. imitatione hausta, illisque nunc ingenita pulcritudine moueretur: in hanc vnam ita raperetur, ac si sola (nullo salutis, virtutis, meritorum, gloriaue additamento) vel esset, vel esse posset: missas istas alias cupiditates faceret, hæc vna ceterorum bonorum omnium instar haberet.

Rom. 9.

in orat de carit. de alio D. Pauli loco ad Rom. 8.

Et verò vt ne cuiquam nouum id esse videatur, Beatique viri prouidens animaduersio notetur: eiusdem in diuerso genere cautionis exemplum accipe. Rationes cur peccata sint vitanda grauissimas & multiplices quamuis exponat, addit tamen *perpendendam esse peccati fœditatem & nequitiam ex natura sua, si vel prohibitum non esset.* atqui fierine potuit, vel saltem hodie potest, vt quod æternæ rationi & legi tantopere aduersatur, non etiam lege lata prohibeatur? Prohibitum est, cur ergo ad eiusmodi ficta confugitur? Sapientissimè sanè: etenim cum versutissimo nostræ salutis inimico, perpetuum nobis est & exitiale bellum, illi verò

verò præter mille nocendi artes, illa etiam, non tectior & blandior, quàm perniciosior & letalior fraus familiaris esse solet, vt si desperat in apertum rerum cum peccato coniunctarum, amorem posse pertrahere, conditionem & speciem aliquam affingat, cuius appositu paularim eiusdē amoris laqueos quasi aliud agens implectat. Nec dissimiliter si à perfectione dimouere, ad imperfectiora deducere aperta impugnatione nō audet, aliquid virtuti, quasi ex aliqua probabili specie appinget, cuius deinde occasione, amorem omnē istius virtutis obliteret.

Sentio, mi lector, quid hîc ais; Obscura ista sunt: quidni? de obscuris enim obscuri hostis laqueis agitur, quos tanto subtiliùs inuestiges, cautiùs effugias, quo larentiores & tenebricosos vides. Sed ea proferamus in lucem, videamusque vt Patris nostri prudentibus monitis feliciter effringantur. Videt dæmon aliquem, vigescentis caritatis ardore succensum, odio persequi peccatum, quia Dei lege vetitum, ęternaq; à summo bono separatione puniendum: hoc stimulo mentem fauciam, ad repetendos eiusdem peccati amores adducturum se desperat: quid ergo? Euellam hunc aculeum, inquit, sed inhæret, sed infixus est, penitusque tolli nequit: dissimulabo igitur, fingamque ac si non adesset, vt ab effecto ad verum peccati amorem forsan adducam. itaque obijcit hominis animo, Ecce si peccatum non esset vetitum, si non essent æternę illæ pœnæ, si cum his & illis voluptatibus & vitijs beatus esse posses, ita te suauiter oblectares, non esset molestè tentationibus obluctandum, nullo periculo, delectationis iucunditate fruereris. Dumq; se huiusmodi cogitationes quo lentiùs & leniùs, eo penitiùs insinuant, si furtim illecta mens visosæ voluptati implicatur, iam ecce allambentis vitiosæ delectationis fuligine infuscatur, eamq; dæmon animaduertens voluptaria gustatione mollitam frangi, iritat appetētiam, sensui adblanditur, vrget, instat, iamq; nutantem & lapsantem, præcipitare palàm nititur. Periculosæ omnino aleæ hæc est pugna, in qua, qui primæ fraudis delinitu, illitū melle venenū sorbere cœperit, vix nisi singulari Dei præsidio, incolumis mortem euadat. Huic verò fraudi omnis est præclusus aditus, si iam pro certo id sumtum fuerit, peccatum omne, quacumque specie obiectum, quamcumq; impunè fuerit, semper tamen esse fugiendum: id peccato sic insitum, vt nulla vel apposita vel demta conditione tolli, mutari, minuiúe possit.

Sunt & eiusmodi figmenta fucique perplures, quos pro ingeniorum varietate comminiscitur, & variè obtētat dæmon: ridicula, elegantia, subtilia, ingeniosa, curiosa, dubia, in quibus cur dubia sint, cur esse non possint, & quomodo esse possint, quærendum proponit: dumq; in his vel ex obscuritate sua euoluēdis, vel ob quendam leporem, aut arridentem nouitatē amandis, nos videt occupatos, occasione sua vtitur, malumq; quod sub illis delitebat, vnico propinatū hausto, in animi medullas insinuat. Antidoto præmuniri cupis? hîc habes, nihil amare, nullam in vllius rei partem, nisi solius maioris diuinæ laudis ratione propēdēre.

Atque vt quod huic tertio humilitatis gradui proprium est edisseramus: nihil fa-

familiarius, nihil dæmoni vsurpatius esse solet, quàm vt, si quem animaduertit, ad abiectius vitæ institutum, salutis æternæ desiderio ferri, protinus his eum tricis, ne progredi possit, conetur inuoluere: Nũquid non liber, copiosus, honoratus, ad æterna potes euolare? si respõderis, At pulcrum est maiorem, æternumq; mansuram gloriam adipisci: habet quod regerat; Compẽsabis eleëmosynis, auctoritate, actione multa; quod humilitati deficiet, opera supplebũt. Hæ & eiusmodi argutationes nequaquam illi deerunt, vixque fuerit vt conticescat, nisi ad hoc venias, Gloriam meam ego non quæro, est qui quærat si volet Deus; Iesum meum, amorem cordis mei, Iesum solum quæro, hunc imitari, hunc propiùs assectari, cum illuso illudi, cum sprero sperni, cum paupere egere, cum lugente lugere volo: ô si etiam cum crucifixo crucifigi, cum emoriente emori daretur! ite gloriæ, ite merita, ite gaudia; mea mihi gloria, meritum meum, meum gaudium vnicum & summum est, meum posse propiùs imitari Iesum.

Fac igitur, bone Iesu, vt qui per seruum tuum Ignatium tam sanctis diuini amoris præceptis imbuti sumus, eiusdem quoque mirandæ humilitatis vestigijs, ardentissimo tui amore, magna cum alacritate mentis insistamus.

Sunt & alia mendacissimi hostis plurima figmenta, quibus perfectam humilitatem hanc nititur euertere, vel saltem illi exercendæ obicem ponere: sentient, qui suos animi motus diligentiùs excutient. Nolo tamen longiùs excurrere; habent hîc clypeum, in quo ignita superbi hostis tela, ictu cassa restinguantur.

CAPVT V.

Eorundem humilitatis graduum in omnes homines vtilitas.

TRes potissimi sunt modi, quibus à Deo & à perfectione noster affectus exerrat, primus ille (quo salutis quoque irreparabilem iacturam facimus) quando relicto vero, æterno, immutabili bono; contra eius leges, ficto, falso, imaginario bono pertinaciter adhærescimus, & ab eo quod rectius fuerat auersi, ad praua, animæque perniciosa affectu decipiente conuertimur. Hæc autem affectionis nostræ prauitas primo humilitatis gradu corrigitur.

Alius est affectuum nostrorum morbus, non quidem vi sua letalis, at vires excedens, coloris & pulcritudinis decorem depascens, cùm à Deo quidem diuortium nullum patitur, at multa etiamnum in rebus procreatis non Dei, sed sui causa diligit, multa quoque (quia sibi mollius adblanditur) exhorret & declinat, dummodo subterfugere, teque possit probabili aliqua ratione subducere: at sanatur hic morbus secundo humilitatis gradu, quo nihil vllam in partem, nisi argumentis ex maiore Dei laude petitis iudicatur.

Tertius

Tertius est defectus, qui etiam hoc secundo gradu posito, latêre, imisque animi fibris insidere potest, vt aspera, quia aspera, formidemus, ideoque licet ea, vbi Dei laus exigit, nequaquam subire vereamur, suspiramus tamen & leniora, votis optamus; eosque beatos & sentimus & prædicamus, quibus datum est, vt sine timore, sine dolore, Domino seruiant in sanctitatê & iustitia omnibus diebus suis: comedant panem in saturitate; dormiant, & non sit qui exterreat, non sit qui insidietur ascendentibus & apparentibus coram Domino: quod antiquæ legis, & sub egenis elementis seruientis est proprium, eosq; qui ita sentiunt admodum procliue est, eorum quæ molesta sunt horrore, vel eorum quæ vellent & absunt desiderio, à vera mentis æquabilitate, & diuinæ caritatis alacritate deiectos, ad impatientiæ & obmurmurationum scopulos allidi. quod priscis illis in deserto Iudæis toties accidisse miramur: nec (opinor) aliunde, quàm quòd aspériora fugientes, nihil eorum quæ expeterent, sibi deesse æquo animo patiebantur. Iam verò ne hic nos languor debilitatos opprimat, Tertius humilitatis gradus asseritur, qui efficit vt dura omnia, deliciariæq; naturæ nostræ, vel superbæ elationi repugnantia diligantur; amabilissima Dei nostri donaria, nobilissima æterni regis insignia, certissima diuini amoris pignora, latens æternæ gloriæ thesaurus, expressior Iesu Christi Domini nostri assimilatio putentur: quo fit vt qui hoc flagranti Christum imitandi desiderio æstuat, si cui de contumeliæ, infamiæ, dolorum, rerum acerbissimarum obijciatur occasio, non impallescat, non contrahatur, quin potiùs, audentior eat obuiàm, lætetur aduersis, exultet impugnatus, derisionibus hominum gaudeat, verè fidos, verè amicos credat eos, quos honori suo atque commodis magis credit aduersari. Eum qui se vsqueadeò supra rerum omnium amorem, supraque seipsum extulerit, eritne in hac vita quidquam, quod de summa mentis tranquillitate deturbare possit?

In huius Olympi verticem, extra omnes ventorum ac tempestatum procellas, nonne tunc, S. Paule, conscenderas cùm exclamabas; *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* —— *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Annon vt tempore, sic ardore mentis, propinquior videtur sanctus ille Martyr Ignatius, qui in * epistola quadam, cùm suum martyrij desiderium recensuisset, futurumque, vt vltrò in feras, quibus deferebatur obijciendus, irrueret, ac, si fortè dentes innocuos abstinerent, ipse violentus irritaret? *Ego*, inquit, *vim inferam. veniam date. quid mihi conducat noui. Nunc incipio a Discipulus esse. Nihil eorum quæ videntur, aut non videntur æmulor, vt Iesum Christum consequar, ignis & crux, belluarum impetus,* Rom. 8.

* *Ad Rom. refert etiam Euseb l. 3. c. 36. Hieronym. in eius vita & alij plures.*

a Discipuli nomen idem sonat veteribus quod hodie Christiani nomẽ.

pectus, diffractio, distractio, ossium, membrorum discissio, totius corporis commolitio, & tota diaboli tormenta in me irruant, solummodo vt Iesu Christo fruar. Ita loquebatur, ita peregit fortiter. Frementes quippe belluas vbi vidit, nihil expauescens exclamauit, *Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar vt panis mundus inueniar.*

Apoc.14. Verè *hîc patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu.* Hîc stadium est, hîc perfectionis decursio: hîc vera sanctitatis æstimatio, & hoc Leuit.27. *siclo sanctuarij ponderabitur.* Vis tui profectus, carissime mi frater, capere coniecturam? tenta quid pati possis, quàm toleres libenter iniurias, quàm hilaris contumeliam amplectaris, & caue credideris, te longiùs in virtute, quàm in horum amore progressum. Hei mihi, cùm ad hanc libellam accessero, quàm veræ me humilitatis inanem comperiam! Eximiarum cuiusdam monachi virtutum deprædicatione Magnus olim lætabatur Antonius: an ita verè esset, probare voluit, compertoque eum ad iniurias fatiscere, conturbari, animo deijci, nulladum virtute solida hominem eum exornatum esse credidit. Et sanè, patientia opus perfectum habet; in patientia possidet homo animam suam; nec fert illa bona & laudata terra fructum bonum, nisi de bono corde in patientia. In victrice verò perfectaque patientia, quæ gaudet, & exultat aduersis, hic est tertius humilitatis gradus.

Quem quando stadium Sanctorum nuncupaui: velim ita credas esse, quasi in eo multiplices progressus fiant. sunt qui ad carceres intraturi prospectant: sunt qui certamini nomen inscriptum cuperent: sunt iam ingressi, laborantes, sudantes, gementes quasi sub iniquo fasce nonnulli, animi tamen robore porrò pergunt: sunt qui tardiùs, sunt qui celeriùs excurrunt: sunt qui summa mentis alacritate, & sancti Spiritus gratia alas addente, longissimè euolant. at nemo tamen eousque, quin semper superstit quamdiu in hac vita degit, quod adhuc vel addendo, vel expoliendo, vel penitiùs illam Domini sui imaginem imbibendo, ac efformando contendat.

Admirabilem illum Simeonem Stylitam, in ipsis ineundæ sanctissimæ vitæ primordijs, fundamentum sibi fodere in somnis visum scribunt, tertioque vocem audijsse, quasi cælitus monentis, Altiùs foderet. Cuius visi quis fuerit sensus, ad me nihil attinet scrutari: id verò omnibus quouis in instituto tranquillè perfecteque viuere volentibus vtilissimum erit monitum, quodque veluti cælitus datum obseruent, vt alacriter, fortiter, perseueranter, fodiendi labore repetito, tres istos humilitatis modos instar admirabilis cuiusdam thesauri effodiant. Hinc sibi & omnium virtutum commeatum impetrabunt, & arcendis hostibus propugnacula statuent, & latissimas profundissimasque aditui obstruendo fossas excauabunt, & cauendis ac frustrandis insidijs, omnique auertendo periculo disposita præsidia habebunt.

Vidit Magnus ille Antonius totũ hunc nobis adspectabilẽ aërem, præmulta

ta dæmonum fraude, sic laqueis oppletum & implexum esse, vt nulla effugio rima patere videretur. Vidit, indoluit, exclamauit; Et quis hominum, Domine Deus meus, tantorum subtilitatem & copiam laqueorum effugiet? Verbo responsum audijt, Humilis. Totus ex inanissimo superbiæ tumore conflatus & confarcinatus est Satan, nihilque ab eo prodire potest, quod non eiusdem inanitatis inflatu euanidè turgeat: quapropter quidquid fraudium venenúè propinat, id omne & semper superbiæ afflatu inficit: & quoniam naturæ corruptelâ, omne genus hominum procliuiùs ad eam fertur; quodcumque atrocius venenum nobis miscuerit, illud falsa huius mellis dulcitudine illitum, vel honoris blandiente specie illusum obiectat. Ex quo fit, vt si quis verè perfecteque honorem omnem & aspernatur & execratur, quæ autem humilitatis sunt amat, amplexatur ac concupiscit, omnes protinus blanditias dæmonis auersetur, eisque numquam capi possit: quippe intimo quodam olfactu mentis, infusos Lernæi tumoris succos procul odoratur, fastidit, & cum ingenti stomacho, longè longiùs extrudit. Mithridatem vsque adeò epotandis salutaribus antidotis, ad venena illæsum euasisse tradunt, vt neque cùm maximè vellet ab illis temerari potuerit. Habes hîc verum & præsentissimum contra omnia Tartarea venena antidotum, humilitatem: quàm illa pertimescimus, tam hâc amemus, bibamus; longum, sæpiùs, sitientissimè bibamus, hauriamus, in imas animi venas demittamus, donec tori nihil nisi humilitatem sapiamus, spiremus, exhalemus: ipsaque quodammodo animæ nostræ viscera sic in humilitatem abeant, vt si quo casu improuisa sese insinuauerit superbia, ferre non possint, concutiantur, fastidiant, euomant. quod equidem consequemur numquam, nisi longo fortique certamine, & exundante gratiæ diuinæ profluuio, medullis naturæ infixam superbiam euellerimus, & in humilitatis radicem transplantati fuerimus. Quæ autem humilitatis radix, nisi Dominus Iesus, & sancta eius mater Maria? ô mater, ô optime, & hominum amantissime fili, hac tua nos virtute dona. Vt illam nos doceres, illa nos donares, tam fecisti multa, plura pertulisti Domine: ecce, doceri, donari volumus; quod voluisti perfice: sic illam cordi & amori inscribe penitissimè, vt nihil nos ab ea dimouere vmquam valeat.

Sed pergamus, & compendiosiore summa vtilitatem horum graduum, & ad perseuerantiam momentum breuiter perstringamus. Certè enim, cùm omnis inconstantia & à perfectione discessio, ex affectuum malè compositorum inæqualitate ac perturbatione nascatur; fieri non potest quin constantissimo, sibique simillimo decursu, illius hominis vita tota deuoluatur, qui spes cogitationesque suas extra omnē rerum humanarum aleam positas, ipsa diuinitatis æternitate firmauit: sic autem se firmauit quisquis & sui & rerum procreatarū omnium contemtione se sursum extulit, Dominique sui Iesu Christi imitandi studio exardescens eius in se formam transtulit. Vnde & illud sequitur, vt eiusmodi

viro vel omnes iam virtutes intint, vel certè earum sit ei consecutio facillima: quid hunc à summa fortitudine retardet, quem pericula, terrores, dolores, infamia, & acerbissima quæque adeò non exterrent, vt blandimenta potiùs, vel ad summum puerorum terriculamenta videantur? quid eius temperantiam emolliat, cui dulcia, lenia, blanda, & sensibus arridentia omnia nauseam commouent? quis affectus offundat prudenti iudicio tenebras, cùm numquam nisi vnius & solius summi Dei amore in partem vllam feratur? quid illi sit in obediendo difficile, cui, præ laborandi patiendique desiderio, ipse in quietem labor, in solatium dolor, in serenum omnis abijt tempestas? Videas mihi eiusmodi viri mores, motusque omnes mira æquabilitate compositos, decoros, latentiumque virtutum non obscura signa prodentes: supercilioſum, vel austerum nihil in vultu; leue, lubricum, curioſum nihil in oculis; nihil vllo in gestu indecorum, placidissimæ mentis ornamenta ipso etiam fulgêre videntur in corpore, intuentiumque animos ab oculorum aspectu inuitatos, ad contuendam virtutis pulcritudinem transferre. Et verò, quid illud dicam quod vnum summum est, ceteraque quæ fingi possunt omnia complectitur; sic hominem, Dei simillimum, Deo coniunctissimum mentis vnius, vnius cum Deo spiritus effici: potestne dignius, aut exoptabilius aliquid excogitari? atqui diuina illa, vel similitudo, vel coniunctio, tantopere his in humilitatis gradibus elucet, vt non alia magis ratione conflentur & existant.

CAPVT VI.

Eadem humilitas quàm sit Religiosis necessaria.

QVæ diximus, omni hominum generi communia sunt: addam & quiddam nostræ Societatis, & Religiosis hominibus obseruatione dignum, vnde videant, absque his humilitatis gradibus, aut omnino, aut certè dignè in Religione perseuerari non posse, ruinæque præparari, quidquid sanctitatis, huic fundamento non impositum, altiùs extuleris.

Verbo dicerem, absque illis necipsa (vnde tamen Religionis natura conflatur) Religiosa vota seruari, nec socialis vitæ pacem florere, nec imposita munia vtiliter exerceri posse: sed hæc singula perspicuè demonstrari conuenit. Et primò quidem,

Paupertatis numquam is erit obseruator accuratus, qui secundo tertioque humilitatis gradu nondum exornatus, variarum rerum amoribus est obnoxius, & res duras perhorrescit: sic enim, vel commodorum desiderio, vel incommodorum timore incitatus, eam rerum copiam sibi comparare conabitur, qua illis abundare, hæc declinare se posse crediderit. Quòd si optata fruitretur euentus, nec habeat vnde sibi prospiciat, conditione propemodum infeliciore vretur, iis adnumerandus qui necessitate, non virtute sunt pauperes, ac etiam deterioribus

busillis, qui violatæ paupertatis rei sunt: eam enim constat non sola rerum possessione, sed & ipsa cupiditate temerari.

Iam verò, vt omittã veræ perfectæq; castitatis, vel parentem, vel conseruatricẽ esse humilitatẽ; id saltem in confesso relinquendum, non posse illam in eo homine stabilitam esse atque perfectam, in quo cupiditatũ varius æstus efferueat: vnde illud etiam efficitur, in eo quoque perfectam esse non posse, qui nõ saltem ad secundum humilitatis gradum peruenerit. Si enim aliqua in rebus procreatis, vel sui vel illarum causa putat esse diligenda, quàm facile est, vt cupiditate abducatur; abductus, amorem inficiat suum; & sensim etiam (impotentes enim nanciscitur impetus amor) longiùs exorbitet, & in rationis gyrum ægrè reduci queat? At ille animus, qui nullius rei sensu, nisi è diuinæ laudis ratione hausto, tangitur, qui nihil exoptat ardentiùs, quàm quibusuis modis etiam dirissimis in expressiorem Dei similitudinem effomari, non potest nisi sanctissimis, omnique castitate purgatissimis desiderijs, vbertim efflorescere.

Sanè parum est Angelicæ, (quod passim dicitur) est etiam vitę diuinæ meditatio, vita castorum: &, si *Incorruptio facit esse proximum Deo*; annon proximum & simillimum Deo esse, est incorruptionem & castitatem consequi? Sap. 6.

Perfectè verò obedientem, aut secundus & tertius ille gradus exhibebũt, aut nusquam in hominibus reperiri posse fatendum erit. Quis enim ad quæuis abiectissima, humillima, dura & ardua, imperio maiorum subeunda, alacrior, cõstantior, perseuerantior fingi potest eo viro, cui nihil in rebus humanis exoptãdũ, præter Domini sui Iesu Christi imitationẽ videtur? quem quoties cogitat: & verò, estne quãdo nõ cogitet? sed quoties eũ suæ cogitationi perfectiùs obiicit, nonne continuò, splendidissimo admirabilis illius obedientiæ fulgore perstringitur, qua voluit summus ipse Deus, cuius imperij nec terminus, nec initiũ, nec finis esse potest, obediens tamen fieri, & pro nobis sceleratis, perduellibus, propudiosis, omniq; flagitiorum colluuione fœdatis, obediens vsque ad mortẽ & mortem crucis fieri, nobilissimamque & sexcentis mundis pretiosiorem vitam in eius virtutis cõmendatione ponere, cuius præ cæteris obseruationem diuino sanciendam iudicaret exemplo? Sed hæc indicasse sit satis: prolixum enim foret, si incitamenta, conditiones, rationesque obedientiæ proprias, ex his pendere, vel cum his humilitatis gradibus connexas esse demonstrarem, quod & satis obuium est, & potest quiuis suopte marte animaduertere.

Id etiã antè sumseram, non posse socialis vitæ pacẽ absq; his gradibus florere, quod propiùs intuenti perspicuũ est: nec enim alia vlla re magis, quàm caritatis amore, ac vnius eiusdemque voluntatis coniunctione firmatur; lenitate coalescit; mansuetudine perennat. Nihil est eius hominis conuictu iucundius, qui suæ nulli desiderationi adhæret, nullam suam habet voluntatem, iudicia sua vel opinationes pertinaciùs non fouet, in res quasuis modo à peccato immunes flecti cereus, nihil exambit, nihil horridè detrectat, ad quosuis casus

impauidus est, amicos gratè fouet, inimicos diligit, iniurias blandè tolerat, irasci & indignari nescit, cuiuis benefacere promtus, à quouis mala pati promtior, adeoque nulli inuidet vt alijs quàm sibi commodare malit, primas vltro defert cæteris, postremas reseruat sibi: his omnibus amicitiæ sanctæ illicijs eius abundat animus, quem duo postremi gradus humilitatis exornant.

At verò, quis non videt discissionis animorum causam ex varijs cupiditatibus existere? eandem rem duo diuersi si concupiscunt, riuales fiunt, inde & rixæ & inimicitiæ, indè amicorum hinc & inde conflatorum factiones, contentiones, iurgia, detractiones, ac sæpenumero deplorandi exitus. neque id solùm, quamquam grauiùs, in ijs doleas qui communi seu mundana in vita, ventis remisque cupiditati velificantur suæ: sed in ijs quoque qui Religiosam vitam amplexi sunt, accidere necesse est, nisi euagantem desideriorum suorum licentiam, seuero humilitatis huiusce lupato coërcuerint. Quid enim? si commodi, si honoris, si rei alicuius viget appetitus, nihil relinquetur intentatum, donec optata liceat consequi: hinc furtum lædetur caritas, offendiculum alteri præbebitur, rectè factorum laudes minuentur, exaggerabuntur vitia, occulta probra pandentur, intercessores ac fautores parabuntur, infinitæ denique, narratúque indignæ fraudes consuentur. idque omne vno ex hoc fonte profluet, quia nondum ad hoc deuentum est, vt nihil nisi diuinæ laudis maioris gratia diligamus, vt duriora potiùs & contemtiora, quàm blandiora & honoratiora cupiamus.

Moral. l. 25. c. 15. *Qui patientiam seruare contemnit*, inquit D. Gregor. *socialem vitam citiùs per impatientiam deserit. Neque enim vmquam seruari concordia nisi per solam patientiam valet. Crebrò namque in humana actione nascitur, vnde mentes hominum vicißim à suæ vnitate ac dilectione separentur, & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret. Hinc etenim Paulus ait, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ita ille.

Sed ad id quod postremo loco recensueram veniendum denique est, non posse videlicet Religiosa munia absque his humilitatis gradibus qua decet virtutis absolutione obiri: quod ipsum, vt à suo primo capite arcessamus, ex eo satis constare videtur, quòd cùm proximior Domini nostri Iesu Christi in humilitate ac paupertate, perfectionisque consilijs imitatio, Religiosæ vitæ sit basis ac anima; non potest, qui absistius humilitatis consecutione longiùs abiuerit, Religioso illo spiritu, à quo eiusmodi opera prodeant, abundare: nec de huiusmodi Dominum dixisse credendum est, *Posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*; sed de ijs qui cùm de mundo non essent, omnem spem suã cogitationemque, ab infimis & humanis ad suprema & diuina transtulerunt: ideoque tantam suis operibus vim inspirant, vt nequaquam breui peritura, sed in æternum permansura perficiant. Quod quoniam cuiuis Religioso propositum esse debet, nec ea illi sunt amanda quæ ad speciem & ad breue momentum blandiantur; spectare in omni suo labore ac industria oportet, vt vel sibi vel

alijs

alijs in vera semper solidaque virtute prouentum aliquem curet accedere: quod cùm nequaquam fieri possit, nisi in tuum ipsius alteriúsve animum eos infixeris ad bonum aculeos, qui non facilè euelli queant, sic autem in hominis animum penetrare & ad sanctitatem promouere, diuinæ sit potentiæ; non poterit id quisquam suis viribus, sed opitulante diuina gratia consequi: atqui hanc Dei gratiam nemo impetrabit vberiùs, quàm is qui nihil suum in humanis rebus affectans, adeò diuini honoris amplificandi cupidus est, vt se omni honore exspoliatum, omnibus vitæ commodis exutum, ignominiæ, cruci, dolori, dirissimis quibusque in perpetuum libens addicat, dum vel sic similior crucifixo Domino fieri, aut diuinæ gloriæ commodare queat. At verò qui sui honoris aut commodorum etiamnum appetentior aut retinentior est, Deum re verâ & sincerè non quæret, dum se frequenter quæret: cumque permulta diuersissima à Religiosis, & præcipuè in Societate suscipienda sint, cùm de subito casus varij emergant, quibus Religiosorum opera multipliciter est necessaria, idque perdiu, aut ad breue tempus, quouis loco, vrbe, regione, quouis tempore, quauis conditione, in rebus facillimis, difficillimis, naturæ gratis & ingratis, honorificis aut vilioribus, quàm necesse est imperia esse impedita, quàm molestas muniorum diribitiones, vbi deficere horum graduum humilitas reperietur: ingrata, vilia, laboriosa, inhonorata vel non suscipientur omnino, vel grauatè & imperfectè obibuntur, & celeriùs excutientur à nobis: iucunda, facilia, honorifica, certatim, ac fortassis etiam non sine ambitu, æmulatione & fraudibus expetentur: & verò non ad perfectum, sed ad vanam quandam ostentationem, humanæque gratiæ aucupationem inanissimè fient. Inde, primò quidem blandientur multa, at denique iusto Deo vindice, & superbiæ semper obsistēte, funditus ruent omnia. adeò in Religione perennare nihil potest, quod non est humilitate fundatum. Quædam etiam huic Societati propria sunt, vt votorum varietas, profitendi dilatio, conscientiæ apud Superiorem retectio, defectuum quorumuis per quemuis correctionis causa delatio, & alia istiusmodi; quorum vsurpatio nemini vmquam placere poterit, nisi eius animum humilitatis huius amor occupauerit. Sed non est cur in singulis hæream.

Est verò quod diligenter obseruatum velim, non posse quietam, tranquillamque, & suo Religioso instituto dignam vitam ex perfectione traduci, nisi ijs exornetur moribus, potissimisque virtutibus, quas veluti fundamenta cæterarumque origines esse voluit is qui proprium illi vitæ generi spiritum inspirauit fundator, aut (vt verius loquamur) sanctus ipse Dei Spiritus. & hoc ipsum capite II. iam est à nobis probatum. Quare cùm tantopere hos esse suis hominibus ad cruces expetendas necessarios animos censuerit B. Ignatius, quicumque ad eiusmodi virtutis perfectionem non aspirauerit, audeo dicere, & sibi & alijs est eritque grauis, & in Societate tua, sancte Pater, membrum est vel emortuum, vel etiam pestilens. Ecce in veritate, & in Domino Iesu, dico tibi, mi frater,

ter, nisi tui ipsius existimationem omnem exuere, crucis, contumeliarum, rerum sensui & cupiditati contrariarum amorem induere conaris; dignitatum titulos exuisti, at Religiosum Societatis nondum induisti: illa sapienter detrimentum putasti, at Christum necdum lucrifecisti: tua reliquisti, te restat vt relinquas; in illo inchoatur, in hoc perfectio consummatur. Det tibi largitor gratiarum Deus, det omnibus eiusdem sacræ militiæ tirocinium ponentibus, vt quàm in Societate necessaria est hæc rerum omnium suique contemtio, tam ad eam indefesso, contento, sed & prudente conatu alacres euoletis, tirocinijque deinceps annis euolutis, in eiusdem virtutis progressu, vtilem tota vita vestra operam collocetis.

CAPVT VII.

Hanc perfectionem sibi ob oculos posuerunt Sancti omnes.

VNum quidem spiritum, omnia sanctitatis dona prout libuerit diuidentem, in Sanctis admiramur & agnoscimus, sed ea maximè promouentem, quæ ad sanctitatem magis necessaria sunt: quare, cùm docente S. Gregorio, virtutes absque humilitate congregari non possint, nihil mirum, si quibus virtutum perfectionem, ijsdem humilitatem maximam infuderit sanctitatis auctor Spiritus. Delibemus è Sanctis nonnulla, quibus tanto efficaciùs quo breuiùs commendetur.

Causam & rationes persequitur D. Hieronymus epist. 32. scribens: *Quamuis mihi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar,* Psal. 24. *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris: tamen sciens scriptum esse ab* 1. Tim. 3. *Apostolo, Ne inflatus superbia incidat in iudicium diaboli: & in alio loco scriptum, Superbis* 1. Pet 5. *Deus resistit, humilibus autem dat gratiam: nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quàm tumentem animum & ceruicem erectam, Dei contra se odium prouocantem. Noui enim magistrum, & Dominum, & Deum meum, in carnis humilitate dixisse,* Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & antè per os Dauid cecinisse, Memento* Psalm. 131. *Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus: Ante gloriam* Prou. 16. *humiliabitur cor viri, & ante ruinam eleuatur.* Et D. Augustinus: *Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est, prima, humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas: & quoties interrogares hoc dicerem: non quo alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia.* Præclarè & à pri-

primordijs id repetit S. Athanasius, ita loquens: *Ingens remedium est ad salutem, humilitas: Satanas enim, non ob fornicationem, aut adulterium, aut furtum, dejectus est è cælis: sed superbia eum præcipitauit ad abyssi partes infimas. —— Superbia igitur, in diabolo: humilitas, est in Christo.* Sed vniuersim loquuntur hæ sententiæ; cuius generis infinitas aceruare quiuis queat: addamus quod sit magis proprium, gradibusque explanatis conueniens. *Orat. de virgin.*

Cùm illud in animo tibi fixum stabiliueris, inquit Magnus Basilius, *omnium te quotquot sunt mortalium esse contemtissimum, peccatisque onustissimum, & peregrinum ac vagum, & quem sola tantùm misericordia adducti, ij qui priores te se à sæculi huius curis auocarunt, sibi in societatem adsciuerint; studiosè operam dato, vt omnium nouissimus sis, ac omnium seruus: quando ista vna ratione veram tibi ac solidam gloriam paries.* Et Bernardus, *Ego plagis conscientiæ meæ, nullum iudico accommodatius medicamentum, probris & contumeliis.* Et D. Hieronymus virginem Deo dicatam præceptis instruens; non aliunde quàm ab amore Christi, ad omnia toleranda eam præparat. *Amemus*, inquit, *& nos Christum, eiúsque semper quæramus amplexus: & facile videbitur omne difficile: breuia putabimus vniuersa quæ longa sunt: & iaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicemus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est!* aliaq; ad finem vsque epistolæ lectu dignissima persequitur, docens exemplo Sanctorum, æternæque beatitudinis amore aspera omnia lenienda. Sed hoc argumentum plenissimè ac elegantissimè à Diuo Cyprian audiamus: & quamquam non pauca sunt, quæ differri ad sequentia potuissent, simul tamen apponam, ne dictionis ac sententiæ lepor distractione partium pereat. Is igitur ita scribit: *Non inuenio, fratres dilectissimi, inter cæteras cælestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda diuinitus præmia, spei ac fidei nostræ secta dirigitur: quid magis sit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam; quàm vt, qui præceptis Dominicis obsequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obseruatione tueamur.* Patientiæ verò nomine sic vtitur Cyprianus, vt eorum omnium, quæ tertio humilitatis gradu contineri dixi, tolerantiam, animúmque ad illa paratum complectatur, vt ex iis quæ sequuntur satis est clarum. *Est nobis*, ait paulò pòst, *cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo patientiæ, Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo cara est. Bonum quod amat, maiestas diuina commendat. Si Dominus nobis & Pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter & Patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo, & quanta patientia; quòd in contumeliam suæ maiestatis & honoris, instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen Solis oriri; & cum imbribus terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minùs iustis simul & iniustis, indiscretas gratias largiatur: Videmus inseparabili* *In Ascet. de abdic. sæcul.* *Epist. 38.* *Epist. 22.* *Lib. de patientia.*

æquitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cùm crebris, imò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat. Cúmque habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam; sustinens scilicet clementer & differens, vt, si fieri potest, multum malitia protracta, aliquando mutetur: & homo in errorum ac scelerum contagione volutatus, vel serò ad Dominum conuertatur, ipso monente & dicente: Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat. ita habet interpretatio Cypriani, & nos alio loco significantiùs & clariùs, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Et ecce quomodo contumeliarum, iniuriarum, minutique honoris patientiam in diuinæ bonitatis imitationem refert sanctus Doctor. Idemque asseueratione Domini nostri Iesu Christi probat, asserentis in eo perfectionem nostram esse sitam, si istiusmodi patientiæ imitatores euadimus. *Estote itaque vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit & docuit cælesti natiuitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo diuina quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris. Quæ gloria est, similem Deo fieri, qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari! Nec hoc, fratres dilectissimi, Iesus Christus Deus & Dominus noster, tantùm verbis docuit, sed impleuit & factis.* Interiectis deinde quibusdam ita pergit: *In Iudæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia, incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, prophetarum interfectores, & aduersum Deum rebelles, vsque ad crucis & passionis horam velle colligere! Sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuiciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria; vt insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulò antè formasset; & in cuius nomine à seruis nunc eius, diabolus cùm angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis, qui martyras floribus coronat æternis; palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit; spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit; aceto potaretur, qui salutare poculũ propinauit. Ille innocens, ille iustus, immò innocentia ipsa, & ipsa iustitia, inter facinorosos deputatur; & testimoniis falsis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cùm ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat: ille non loquitur, nec mouetur, nec maiestatem suam suo ipsa saliẽ passione profitetur:*

Exech. 18. 32.
Idem c. 33.

ſtetur: vſque ad finem patienter ac iugiter tolerantur omnia, vt conſummetur in Chriſto plena atque perfecta patientia. Et poſt iſta omnia, adhuc interfectores ſuos, ſi conuerſi ad eum fuerint, ſuſcipit; & patientia ſalutari, ad conſeruandum benignus & patiens, Eccleſiam ſuam nemini cludit: illos aduerſarios, illos blaſphemos, illos nominis ſui ſemper inimicos, ſi pœnitentiam delicti agant, ſi admiſſum facinus agnoſcant, non ſolùm ad indulgentiam criminis, ſed & ad præmium regni cæleſtis admittit. Quid poteſt patientius, quid benignius dici? viuificatur Chriſti ſanguine, etiam qui fudit ſanguinem Chriſti.—— Quòd ſi & nos, fratres dilectiſſimi, in Chriſto ſumus, ſi ipſum induimus, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via; qui Chriſtum veſtigiis ſalutaribus ſequimur, per Chriſti exempla gradiamur; ſicut Ioannes Apoſtolus inſtruit dicens, Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit & ipſe ambulare? Item Petrus, ſuper quem Eccleſiæ Domini dignatione fundata eſt, in Epiſtola ſua ponit & dicit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius; qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur. tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. Ecce quàm aptè ad argumentum noſtrum ſcribit Cyprianus, oſtendens non ſolis Religioſis, ſed Chriſtianis etiam omnibus, eadem eſſe ſanctitatis exempla ſectanda, quemadmodum ipſe Dominus Ieſus illa in commune propoſuit imitanda. Quæ ipſa in breuem ſummam benè collegit D. Gregorius his verbis: *Studebant omnes ſuperba Adam ſtirpe progeniti, proſpera vitæ præſentis appetere, aduerſa deuitare, opprobria fugere, gloriam ſequi: venit inter eos Dominus incarnatus, aduerſa appetens, proſpera ſpernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens, —fugit quod omnes appetunt, appetijt quod omnes fugiunt. Idcirco namque inter nos homo factus eſt, vt non ſolùm ſanguine fuſo nos redimeret, ſed etiam oſtenſo exemplo commutaret.*

1. Ioan. 2.

1. Pet. 2.

Lib. 30. Mor. c. 15. vel 30.

Quid ergo? *Filius Dei paſſus eſt, vt nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, vt filius Dei eſſe perſeueret?* Audi, & rebus ipſis comprobare ſatage doctrinam Climaci, qui cùm docuiſſet nequaquam illum habendum eſſe patientem, qui à ſolo ſuo Præpoſito, ſed eum qui ab omnibus pati, contemni, reprehendi conſtanter tolerat: quædam quaſi effata, omni veneratione digniſſima proloquitur. *Bibe*, inquit, *ſumma alacritate obiurgationes atque irriſiones, à quouis homine tibi propinatas, non aliter atque aquam vitæ. Potare enim te quarit ſalubri potione, & per quam omnis animi laſciuia atque luxuria purgetur. Nam huiuſmodi re vera hauſtu, orietur intima & profunda caſtitas in anima tua, luxq; Dei candidiſſima in corde tuo non deficiet.* Itcrumque; *Is*, ait, *qui ad placidiſſimam animi quietem, atque ad Deum currit, die omni qua maledicta non ſuſtinet, ingens detrimentum ſe ſuſtinuiſſe arbitratur.* Quòvt quaſi gradatim veniatur explicans; *Initium beatæ tolerantiæ eſt, in amaritudine & dolore animæ ignominias ſuſcipere: medium verò, eas tolerare ſine mœrore: finis autem & conſummatio, ſummam illas laudem exiſtimare.* Quibus verbis docet

Cyprian. ep. 56. Gradu 4.

Gradu 4.

aptissimè, quibus quasi internodijs, virtutis huius progressio, suis incrementis augeatur: quod ipsum confirmans ille Ioannes Abbas qui in eundem Climacum scholia edidit, verè scribit, *Secundùm mensuram humilitatis, datur patientia in tribulationibus & tentationibus; secundùm patientiam, alleuiatur onus tribulationum: & per patientiam pergens, consolationem participat: secundùm consolationem, magnificatur caritas ad Deum; & secundùm caritatem possidet gaudium.* Non longè ab his diuersus abit D. Bernardus, aliam distinctionis normam spectans. *Qui dicit se in Christo manere*, inquit, *debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Descendamus per viam humilitatis, ponatúrque in nobis primus eius gradus, id est primus profectus, nolle dominari: secundus, velle subijci: tertius, in ipsa subiectione quaslibet contumelias & iniurias illatas aquanimiter pati. Primo gradu caruit in cælo Lucifer — — qui irreparabiliter cecidit de cælo: & hoc ideò fortè, quia omnino irreparabilis superbia est, velle dominari. Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiso. — — Tertium gradum non habent, qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt.*

Serm. 18. in parui.

CAPVT VIII.

Illustria huiusce humilitatis exempla priscorum.

EQuidem ad tertium perfectionis gradum illum dilaudatum peruenerat Libertinus, cuius virtutem patientiæ, signis & miraculis præferre se scribit Magnus Papa Gregorius: cùm enim aliquando monasterij Præpositus tanta in eum iræ acerbitate desæuijsset, vt & manibus eum cæderet, arreptoque scabello suppedaneo, faciem ac caput ita tunderet, vt totus vultus tumore ac liuore deformaretur: tam pacato id animo pertulit, vt postridie manè, ad sibi creditam rerum monasterij procurationem domo exiturus, de more monachorum, ad Abbatem (qui è lecto nondum surrexerat) benedictionem postulaturus humiliter accesserit. Erat is Libertinus, qui apud multos gratiosus, & in primis honoratus esset, itaque suspicatus Abbas eum ob illatam iniuriam de relinquendo cœnobio cogitare: Quò, inquit, vis abire? Respondit placidissimè, Dies est hodie, transigendo monasterij negotio constituta, cui me præstò futurum addixi, nec possunt sine monasterii damno, meæ partes desiderari. Hac responsionis benignitate perculsus Præpositus, suam asperitatem & impatientiam, huius humilitatem ac mansuetudinem agnouit, è lecto desiliit, ad pedes Libertini se abiecit, se reum profitens, qui tali viro tam durus & contumelioſus fuisset. At in sua ille humilitate perseuerans suæ culpæ, non illius sæuitiæ, id ferebat acceptum. Abiit ergo, cumque viri nobiles, quibus erat acceptissi-

Lib. 1. Dial. cap. 2.

ptissimus, tumentem liuidamque faciem mirarentur, causamque scisciarentur: Peccatis meis, inquiebat, exigentibus, heri vespere in scabellum impegi: atque ita Præpositi sui honori consulebat, vt veritatem tamen haud læderet.

Similis in dissimili re virtutis exemplum accipe, & iuuenem tam in virtute progressum robustumque mirare. Consederant magno numero monachi ad mensam, & peregrè quoque nonnulli aduenerant, cumque eorum qui ex officio tunc ministrabant, paulo tardiùs quidam iuuenis ferculum intulisset, Abbas Paulus, quasi eius tarditatis mora offensus, exerta manu talem iuueni alapam infregit, vt auersorum, & longiùs considentium auribus sonitus resultaret. Tanta verò mititate id excepit præclarus iuuenis, vt non modò ab omni vel tenuissimo murmure abstinuerit, sed etiam oris modestia, tranquillitate & colore immutatis, ad spectaculum tantæ multitudinis, ne quidem rubore genas tinxerit. Nota erat Abbati iuuenis virtus, voluerátque modestissimæ patientiæ publicō exemplo, eos qui intererant erudire. Erudiamur & nos legentes: ac quoniam verborum D. Bernardi occasione huc vtiliter defleximus, id genus alia subiungamus. Ex vno nobis cœnobio plures prodeant: *Cass. col. 19. cap. 1.*

Primusque veniat quidam Isidorus, vir olim Alexandriæ primarius, qui cùm perisset monachorum numero inscribi; Pastor, ex ipso aspectu, asperum quendam, intractabilem, superbum, ac sæculi dignitate adhuc tumidum coniiciens, vt fastum omnem extunderet, Si re vera, inquit illi, Christi iugum subire decreuisti, volo vt ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille, Sicut fabro ferrum subditur, ita me, ô sanctissime, versandum tundendumque obedientiæ trado. Quibus verbis lætatus, Volo igitur, inquit, vt præ monasterii foribus perseueres, omniúmque ingredientium & egredientium genibus aduolutus dicas: Ora pro me, Pater, peccator enim sum. Suscepit id Isidorus, septemque ipsos annos tanta in humilitate perdurauit. Quibus exactis, cùm eum Abbas in cæterorum numerum cooptare, velut dignissimum vellet, multorum, atque adeò ipsius Climaci precibus, enixè conatus est impetrare, vt quem instituerat vitæ cursum, ad extremum vsque tenere sineretur. Præsentiebat vir sanctus, breui se ad laborum metam esse venturum: nam & decimo pòst die obiit, à summissione & humilitate ad cælestis regni excelsa translatus. Cùm verò etiamnum in viuis degeret, de se fassus est, initio, se in animum induxisse, quasi si pro peccatis venditus esset: multaque cum amaritudine animi, & vi sibi illata, ita ad aliorum genua accidisse: vix autem annum in eo posuisse, cùm id sine mœrore, & cum expectatione diuinæ mercedis faceret: at anno tertio sic affici cœpisse, quasi omni monasterii conuersatione, diuinorum participatione Sacramentorum, Patrumq; aspectu *Clim. Gradu 4.*

tam indignus esset, vt in nullius faciẽ oculos defigere auderet: ita que sic depressis humi luminibus, & summa humilitate animum insidente, obuios quosque, voce supplici demississimè rogabat, Pro se peccatore orarent.

Idem aliquando Abbas, ad mensam assidenti Climaco dixit, Ostendam tibi in decrepita canicie diuinum sensum atque prudentiam: ad se igitur euocat Laurentium quendam, octogenarium senem sacerdotem, & qui 48. annis in monasterio vixerat. accedit ille confestim, genibusque flexis benedictionem postulat, surgit, & Abbate, nullo nutu vt inde recederet indicante, ita ieiunus, comedentibus ceteris, ad vnam vel alteram horam stetit immotus, vix vt in venerandi senis faciem intueri præ verecundia auderet Climacus. Qui idem, quę sita opportunitate, cùm eum interrogasset, quid ibi adstans cogitasset? Christi, respondit, imaginem & personam Pastori impositi: neque ab homine præceptum hoc prorsus exijsse, sed à Deo existimaui. Quare, ô Pater Ioannes, non coram mensa hominum, sed coram altari diuino adstare me putans, orabam. Sed & hoc scito, Pater, quòd cùm quis innocentiæ ac simplicitati se omnino dediderit, nullum maligno, contra se, aut tempus aut locum dabit. O præcepta tironum cordibus penitissimè insculpenda! à Deo, non ab hominibus, regi se, sibi imperari credant; idque tanta simplicitatis firmitate conseruent, vt ad extremum vsque senium, imò ad extremum vitæ, per quęcumque implicatissima munia traductæ, spiritum, nihil vmquam de Superiorum iussionibus exquirant, suspicentur, aut in deterius interpretentur. Vix tamen erit vt eò pertingat quisquam, nisi eos quoque nanciscatur Prępositos, qui latentis virtutis igniculos excutere, fouere, augere solicitè curent: quod nisi fecerint, crudeles eos, ibidem idem auctor, nec immeritò pronunciat: nam & illis progressum, & alijs virtutis exemplum inuidet; ac nonnumquam densa vitiorum filice, ob solius culturæ defectum, mens illa sordescit, quæ iam diuino virtutum satu fecũdari, & sanctorum desideriorum semine germinante, exornari cœperat: ibi videas pro mansuetudine asperitatem, pro patientia iracundiam, pro humilitate superbiam & honoris appetentiam succreuisse. Quàm grauiter, putas, huius vineæ Dominus, negligenti succensebit agricolæ, cùm suo tempore fructus exiget, & pro vuis reperiet labruscas? ô fratres mei, vtinam hic sit semper nobis animus, vt ad hos fructus ferendos, excoli omni ratione cupiamus! vt quæcumque à nostris Prępositis iubemur, abs optimo nostrique amantissimo animo profecta credamus, ipsique vltrò, vt ad perfectiora nos promoueant, vrgeamus. Id monui, id moneo, sed neque iterum iterumque monere piget: nec enim aliunde, tam est rara perfectio, quàm quia rarus, aut nullus est, qui alium ad eam excolat, sponte verò peruenire, paucorum, incitatissima vi ingenij, & singulari Dei gratia prædi-torum est: sunt autem rari qui excolant, quia non est qui se velit excoli, Cur mihi inquirimus, cur non isti, cur sic durè, cur hoc tempore, cur immerenti pœna

talis

talis imponitur? huius delatione, illius suggestione, alterius fraude id factum, alieniore à nobis animo id decretum fingimus, ficta credimus, & salubertimam medicinam suspicioſæ mentis vitio in potionem letiferam vertimus. quod cùm animi nostri cultores animaduertunt, annon meritò omni refectione abstinent, qua sic nostra mala increscere, & exitialia fieri vident? At, qui velit excoli non desit, & qui excolat non deerit.

Eiusmodi fuit eodem in loco quidam Abbacyrus nomine, qui cùm natura paulò esset dicacior, ac elabente saltiore verbo in ceteros procacior; ipse se sanari cupiebat, & vltrò ad omnia demittebat. ergo iniurijs, contumelijs, & quodammodo persecutionibus imperebatur à ceteris, etiam famulis, adeò vt nonnumquam expelleretur à mensa, & dormiret incœnatus: at ille summa æquitate animi omnia perferebat; donec post summam quindecim annorum patientiam, ex hac vita emigrauit, dicens ijs qui adstabant; *Gratias ago Domino & vobis, Patres, quòd ad meam salutem me tentastis iugiter: hac enim ex causa immunis à tentatione dæmonum hactenus mansi.* Quo dicto placidè excessit è vita.

Sed accipe vinum ex aqua, gaudiũ ex contumelia. Alexandriam, negotiorum causa, profectus erat Macedonius Archidiaconus; ad diem condictã rebus nondum ex animi sententia peractis, redire non potuit. ergo oblata occasione vsus Abbas, reuertentem amouet ab officio, & à monachorum consortio, ad vltimũ tironum & incipientium ordinem ablegat. quam ille ignominiæ notam, adeò prompto & intrepido animo suscepit, ac si non ipsi, sed alteri alicui inusta esset. Quadraginta diebus per eam vitæ rationẽ exactis, pristino eum gradui restituit Abbas. verùm audi rem verè mirandam, atque vtinam aliquando etiam imitandã; altera die venit Macedonius ad Abbatem, obsecrat vt sibi in eadẽ ignominiæ humilitate perseuerare liceat, se quippe dũ nuper Alexandriæ esset grauiter peccasse. Innocentis animũ humilitatis exercendæ auidum, agnouit Abbas, & permisit: Itaque videre erat canitiem venerandam in incipientium ordine quasi ob delicta degere, & à prætereuntibus genu flexo rogare, vt pro se peccatore orarent. Cuius facti causam roganti priuatim Climaco, hanc aperuit; Numquam, inquiebat, ita me omni impugnatione liberum sensi, numquam in me diuini luminis tantam, vel claritatem vidi, vel dulcedinem sensi.

Fuit & Mennas, primus ab Abbate, & cui omnium esset cura demandata, vir eximiæ virtutis. huius aliquando patientiam cùm periclitari voluisset Abbas, foris redeuntem, & iuxta monasterij consuetudinem, ad excipiendam Abbatis benedictionem prostratum, tamdiu humi iacere permisit, satis vt ei temporis fuerit ad psalterium totum de memoria recitandum: tum verò grauiter obiurgatum, quòd, cùm impatientissimus esset, ostentationis gratia omnia faceret, à se dimisit Abbas. Et verò, vt id longè Deo acceptissimũ videas, post annos 59. in monasterio peractos, cùm diem suum obiisset, tertio

ab

ab obitu die, mirus è sepulturæ loco, & fragrantissimus odor exhalauit: per-
misit Abbas aperiretur loculus, & ecce ex vtroque pede, bene olentis olei fons
emanabat. tum verò is, qui sic eum exercuerat, bonus Pastor, ad fratres exul-
tans ait, En fratres mei, fatigationum ac laborum eius sudores, re vera, quasi
vnguentum pretiosissimum, oblati, suscepti, Deoque sunt accepti.

Et quidem digna ista tanto viro fuerunt: at in patientiæ virtute mirabi-
lem se præbuit paucioribus annis quidam cui nomen Achatius: Hic immiti
cuidam, &, vt verè quod res est dicatur, crudeli seni se in discipulum tradide-
rat, à quo contumelias, obiurgationes, ignominiam, ac frequenter verbera
ferebat, & summa semper animi æquitate nihil querebatur. Animaduerte-
bat, & adolescentis virtutem suspiciens, eum subinde solabatur Opanius,
magnæ virtutis vir, eique obuiam factus rogabat, Quid est frater Achati, quo-
modo tecum hodie agitur? At Achatius, modò liuentes & tumentes oculos,
modò contusam faciem, modò caput vulneratum ostendebat; non senem sibi
præpositum, sed se semper accusans, & ad nouæ patientiæ certamina accingens.
Nouem annos ita decertauit, & ex isto ærumnoso vitæ genere ad beatam im-
mortalitatem euocatus est. Retulit id Magister Achatii ad quemdam non pro-
cul habitantem, dicens, Achatius meus mortuus est. Cui alter, Verè, id non
credo: Omnino sic est, inquit ille; sin autem mihi non credis, Veni & vide.
Venit vterque ad sepulcrum, tum verò senex ille, qui se mortem Achatii mi-
nùs credere simulabat, vt alterum doceret, qualem quantumque virum in-
dignè nimis habuisset, clamauit: Frater Achati, itáne? tu quoque mortuus es?
Ad quæ verba, confestim, clara voce, de sepulcro respondit Achatius: Et quo-
modo fieri posset, Pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? ô veram
igitur vitæ arborem obedientiam, cuius fructu qui nutriatur mori nequeat!

Sed & huic haud absimilis fuit Ioannes ille, qui grauissima patiendi de-
siderio, id quæsiuit & inuenit monasterium, vbi solus esset peregrinus, &
sperneretur ab omnibus, & afficeretur iniuriis, nec vnquam de quoquam
eorum minùs benè sentiret. Qua in patientia cùm tres annos durasset, ipse
sibi dixit, O homuncio vilissime, nondum tibi ignominiæ & laborum sa-
tis est. quare se amentem & fatuum ita simulauit, vt tamen ministerii sibi
commissi partes omnes exequeretur perfectè. Interim, grauissima plurima
illi imponebantur, ridebatur, subsannabatur, miris modis exagitabatur,
sed constantissimè, totos tredecim annos, apud omnes in stultitiæ opinio-
ne vixit: cùm tamen & omnium esset sapientissimus, & denique ciusmo-
di esse sit cognitus. Huic autem eius vitæ admodum est consentaneum id
quod nunc refero præceptum: Rogabatur ab adolescente, quæ esset opti-
ma ad perfectionem & salutem via? triduum respondere distulit, dum preci-
bus Dei voluntatem exquirit. tum adolescenti dicit: Huius diuini moniti

me-

memento semper, Qui perseuerauerit vsque in finẽ hic saluus erit. Eumq; vitæ tuæ spiritualis magistrum & rectorem quære, quo nemo mortalium vgidior, asperior, durior & intractabilior nemo sit, *sub quo perseuerans iugiter, obiurgationes & irrisiones, vt mel & lac quotidie bibe. Ad hæc adolescens, Si huiusmodi magister negligens ipsemet fuerit, quid hic ago, Pater? Etsi fornicari, inquit, illum videris, noli abs eo discedere, sed tibi ipsi dic, Amice, ad quid venisti: Tunc videbis tumorem tuæ mentis dissipari, excandescentiamq; mitescere?* Ita ille.

Cuius in simulanda insania consilium, facit, vt non possim, non saltem obiter, eius celebratissimæ apud Palladium virginis meminisse, quæ ad rarã quandam sanctitatis excelsitatem, exhaustis multorum annorum derisionibus, atq; tolerata, per stultitiæ simulationem, feminea procacitate peruenit. Latiùs non describo, notius enim est, quàm vt reperi debeat: est tamen quod tantæ virtutis exemplo persæpè moueamur. Alia quidem occasione, & semel tantùm, verùm ex eadem gloriæ fuga, & humilitatis amore profectum fuit, quod quidam veterum præstitit. Solebat is in eremo cuiusdam secularis benignitate sustentari: cùm igitur boni illius viri filius in morbum aliquando incidisset, grauiusque laboraret, senem sæcularis obnixè rogauit, domum secum veniret oraturus pro filio: non potuit senex iustæ postulationi refragari, vnà proficiscuntur. at ecce de via præcurrens sæcularis, vicinos euocat, virum sanctum venire nuntiat, cum facibus & cereis obuiàm ire suadet: ita credunt, ita faciunt, venientesque procul conspicatus senex, quid sibi vellent non malè coniectat. quid ergo? ad fluuium fortè vicinum diuertit: vestes exuit, easque nudus lauare, quasi rem valdè seriam agens, instituit. ô ingeniosam gloriæ fugiendæ magistram humilitatem! Vidit sæcularis ille, adspectuque turbatus ingemuit, conuentum quàm potuit honestissimè dimisit: & ad senẽ dolenter accedens, Quid feci sti, Abba, inquiebat, omnes qui te viderunt, te dæmone correptum asserunt? Cui sapientiùs senex, Et hoc erat, quod audire malebam. vsque eò vituperari se, quàm sanctum haberi gratius accidebat. *Vitæ SS. Pat. p. 2 §. 113.*

Sed inquies, videri hæc minùs imitanda: fateor equidem, quantum ad res ipsas attinet, at vel maximè is humilitatis affectus, is animus, ex quo illæ profectæ sunt, æmulatione dignus est: addam tamen, quoniam ita velle te video, quæ magis imitationi sint proposita. Primus occurrit Eulalius, qui in se omnium criminationes susci piendo, effecit vt omnes innocentia excelleret: viuebat is cum ceteris, patiens, nihil detrectans, nihil ad obiecta respondens: ergo passim iuniores, vbi suas in illum culpas deriuando, se tutos & immunes viderunt, in eum quisque reijcere, quod à se peccatum quomodolibet fuisset: pœnæ graues, bidui triduiúe ieiunatio, ac etiam duriora illi iniungebantur; at Eulalius humi prostratus, se peccatorem, se negligentem fatebatur, modestissimaque verecundia illos adorans, absque tergiuersatione cuncta lætus perferebat. Ridebant in sinu nonnulli, fatuum væcordemque credebant: vsque adeò, non

tantùm exercitator, sed etiam verus patientiæ præsentis æstimator est ratus. Eò denique contemtionis apud omnes venit, vt ad Præpositum monasterij, ipsi quoq; seniores de illo questum venerint, incurium, ignauum, socordem esse, in commissis negligentem, supellectilem plurimam, fictilia vasa propè omnia, illo vastatore perijsse; non vltrà ferri posse, cœnobio pellendum. En quàm vana, quamque parui ducenda humana iudicia. Verè, *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Cùm enim eorum præceps consilium minùs audiuisset Abbas, & saltem in dies aliquot distulisset; ad sanctæ orationis præsidia confugit, sciens verum esse illud, Accedite ad Deum, & illuminamini, ab eoque sapientiam & in rebus obscuris consilium esse poscendum. nec spe sua frustratus, quid facto esset opus, diuinitus intellexit: conuocatisque fratribus, Sunt in vobis, inquit, qui de fratre Eulalio conquerantur, at verè dico in Domino, pluris me vel solam eius tegetem cum eius patientia facere, quàm illorum omnia, qui multum operantes murmurant. Atque vt quanti præceteris illius virtus fiat apud Deum intelligatis, actutum iubeo, vt suas huc singuli tegetes afferant. Et verbis, & mandato stupentes abeunt, parent, palmeas, vt id temporis moris erat, tegetes in cumulum deferunt. subijcitur Abbatis iussu ignis, cunctaque in fauillas momento eunt, sola Eulalij matta illæsa in flammis perseuerante. Annon hîc diceres, illos quidem stipulam, lignum, fenum, at hunc aurum, argentum, pretiosos lapides aggerasse, vt patientiæ solius opus maneret illæsum? Et hoc ipsum probè agnouerunt: necdum enim pessimum malum inuidentia, excæcatos mentis oculos occuparat: eumque tanta veneratione colere cœperunt, vt honorem eum sibi haberi nequaquam ferret, qui tantum priùs contemtum, sæuitiemque lætus perferebat: sæpiusque ipse sibi dicens, Væ misero & infelici mihi: en perdidi humilitatem meam, quam tantopere acquirere, Domino meo auxiliante cupiebam. Quid facis, Eulali, te honor deliniet, te perdet furtim insinuata superbia. heu! Christum humilem, vbi nisi in humilitate reperies? Existimationis ergo, vel tædium, vel periculum non ferens, nocte fugit, in eremum secessit, ibique omnibus inuisus, despreta gloria, Deo vixit.

Vitæ SS. Pat. p. 2. §. 28.

1. Reg. 16.

Sanè id erat consequens, vt qui humilitatis tam fuerat appetens, tam esset oblati honoris fugiens: etenim periculosè admodum eius inserpit amor, & ægrè omnis illius contagio potest excuti. Ipsa Sulpitij verba referam, quibus id perspicias. *Quidam*, ait, *ex sanctis Patribus fugandorum de corporibus obsessis dæmonum incredibili præditus potestate, multa signa faciebat. Non solùm enim præsens, neque verbo tantùm, sed & absens quoque, interdum cilicij sui fimbrijs, aut epistolis missis obsessa corpora curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur à populis, ex multis locis ad eum venientibus. Taceo de minoribus; præfecti, comites, atque diuersarum iudices potestatum præ foribus illius sæpè iacuerunt. Hic enim omni potu in perpetuum penitus abstinuit, ac pro cibo septem tantùm caricis sustentabatur. Interea sancto viro, vt ex virtute honor, ita ex honore vanitas, cœpit subrepere. Quod malum, vbi ille primùm potuit in se sentire grassari,*

Dial. 1. c. 14.

sari, diu multumq; discutere conatus est, sed repellere penitus non potuit. Vbiq; nomen eius dæmones fatebantur. excludere à se confluentem populum non valebat. virus interim latens serpebat in pectore, & cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur, se ipsum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuersus ad Dominum orauit, vt permissa in se diaboli potestate, similis illis fieret, quos ipse curauerat. Quid multis? ille prapotens, ille signis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi antè confluxerant, correptus à dæmone est, ac retentus in vinculis, omnia illa quæ energumeno solent fieri perpessus. quinto demum mense purgatus est, non tantùm dæmone, sed, quod illi erat vtilius atque optatius, etiam vanitate. Quantum putas, diuino illi viro exosam fuisse superbiam, qui ne quid vanitatis menti insideret, maluerit, quod horrificum dictu est, corporis quasi possessore dæmone diuexari? nec potuit, nisi à fortissimo animo, res ea tam destinatò susci pi: famam sanctitatis, concursum omnium, quàm laudatus esset, videbat; quò ista recasura essent, quæ opinionum futura mutatio, quanta apud omnes secutura miratio, quàm variæ plurimorum sermocinationes ac iudicia, quàm probrosum, humanæ naturæ aduersum, corpori sit molestum, in dæmonis esse potestate sat etiam videbat. Verùm, hæc & alia plurima maluit incommoda subire, quàm, non dico vanæ gloriæ consentire, sed molesto aduersus eam prælio fatigari: non quòd prælia fortissimus miles vereretur, qui tam acre illud minimè detrectauit, sed quòd in eo certamine, vix diu sine vulnere certari solere sciret. Cuius rei testem habemus D. Augustinum scribẽtem; *Huius hostis vires non sentit nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuiquam facile est laudẽ carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cùm offertur.* moxque de se modestè sentiens & loquens; *Hæc mihi ipse cano quotidie*, inquit, *& tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.* Sed hæc ex eius occasione dicta sint, qui non cautiùs vanam effugit gloriationem, quàm acerbissimam ignominiæ notam fortiùs appetiuit. Pergamus ad opprobrij & iniuriarum tolerantiam quanta in Sanctis fuerit enarrandam. *epist. 64.*

Legimus ab adolescentiore quodam interrogatum aliquando virum virtutis opinione clarissimum, sibi vt præceptum aliquod traderet cuius obseruatione saluari posset & perfici. Cui vir magnus, Si, inquit, iniurias & conuicia tacitus portaueris, id consequeris: magna enim & præ ceteris est hæc virtus. Quare, non inferioris virtutis quidam interrogatus, cur vsque adeò graues & intolerandi essent dæmones? Edico tibi, inquit, id esse; quia arma nostra abijcimus, contumelias, inquam, & humilitatem, patientiam & paupertatem. Consonat omnino Zacharias ille laudatissimus Mosis Abbatis discipulus, quem cùm aliquando ipse magister, quid ad sanctitatem vitæ maximè conduceret, interrogasset, confestim humi prostratus, Tu me interrogas, Pater, inquiebat, ego à te doceri expeto. Cui Moses, Fili Zacharia, vidi Spiritum sanctum, tuæ se menti infundentem, ideoque te interrogo. Tum igitur ille, detectum deiectumque *exp 2. Vit. SS. PP.* *p. 3 l. de humil.* *p. 2. & p. 3. l de humil.*

cucullũ conculcans: Non poteſt, inquit, eſſe monachus, qui non ſic conculcari ſe paſſus fuerit. Nec aliud, non illepido quodam ſuo apologo, docuit ſenex ille Nub dictus, qui poſt vitam in eremo ſanctè tractam, cùm incurſione Barbarorum inde ſe cum ſex alijs recepiſſet, vnaque in deſerto quodam templo degerent, ſibi ceteriſque in primam hebdomadam ſilentium indixit. Cùm autem lapidea neſcio quæ ibidem eſſet ſtatua, vidiſſes quotidie manè, ſenem illum, adirati inſtar, primò conuitijs, tum & lapidibus eam impetentem; die verò iam inclinante, blandiùs eam compellantem, mox & laudibus extollentem, & illatas contumelias ſibi indulgeri poſtulantem. Inſanire dixiſſes, niſi nota viri virtus & prudentia, arcanum aliquid latere perſuaſiſſet. Ergo præſtituto ſilentij tempore iam euoluto, rogant ceteri, Quid eſt, Pater, quòd per hoſce dies cum ſtatua ſic egiſti, cumque ſis Chriſtianus, illatas ſaxo iniurias à ſaxo tibi indulgeri poſtulas? Tum verò venerandus ſenex, Hæc ego, inquit, veſtra cauſa feci, fratres: vidiſtis, nec iratam conuicianti mihi ſuccenſuiſſe ſtatuam, nec ad laudum præconia inani vanitate tumuiſſe. Si conſultum nobis volumus, nunc maximè nos tales eſſe oportet. Viximus ſolitariè ſinguli, nec erat quod abs alijs ferremus: ſeptem omnino ſumus, tranquillitatem igitur animi ſeruare conuiuendo ſi volumus, ad ſtatuæ huius normam mores componamus, nemo iniuria affectus iraſcatur, nemo laudibus efferatur, nemo humilitate alterius & veniæ petitione glorietur. Si cui conditio minùs placet, quò voluerit pergat: per me licet. Monenti crediderunt, ſimul habitare decreuerunt, pluresque per annos, multa in humilitate & patientia, feliciter perſeuerarunt.

1. *de humilit.* Annon hunc animum indutus tibi videtur Moſes ille, cui cùm clericus fieret, & Epiſcopus ei ſuperhumerale imponeret dicens, Ecce candidus factus es; reſpondit, Foris, putas, an intus? adeò ſuæ demiſſionis præſentem ſemper ſibi recordationem gerebat. Cumque patientiæ periculum facturus Epiſcopus, eum templo eijci mandaſſet, appoſitis qui muſſitantem obſeruarent hominibus, recedebat ipſe ſe obiurgans dicenſque, Bellè, iuſtè tecũ actũ, Æthiops, atrate, ſordidiſſime: non te puduit, cùm homo non ſis, in medium hominum irrupiſſe? ita ſeipſum infra homines vir magnus collocarat. Idem de ſe ſtatuerat Neſteron, qui ſe inſtar iumenti eſſe decreuit, vt non aliter atque aſinus, omne quod imponeretur onus ferret, nulla vmquam de moleſtia conqueri liberet. Quod quanti faciendum ſit, Siſoius ille, quem ab ipſo Chriſto Domino vas electionis eremi vocatum ſcribunt, bene docuit, cùm cuidam memoriam ſuam in Deum defixam eſſe dicenti, ait, Hoc equidem non magnum eſt, magnum autem, ſi te ſub omni creatura videas. Quàm bellè id quidam præſtiterint, audi.

1. *de conuerſat. pat.*

Monachus peregrinus venit ad agapen, reſeditque ad menſam cum ceteris. Obſeruant ignotum hominem curioſiores, ſed & audaciores nonnulli, quis eum inuitarit muſſitando quærunt; cumque non reperiunt, Surge, inquiunt, & hinc te foras propripe. Surgit, modeſtè abit: quod alij cùm animaduertiſſent,

Quid

Quid tacimus, fratres, inquiunt, ignotum, indicta causa expellimus? & forsan magnus aliquis est, an nos tam immisericordes esse decet? actutum reuocari præstat. ergo reuocatur, confestimque eadem serenitate vultus redit. Cùm autem à reditu sciscitatus esset quidam, Dic nobis quæso, frater, quid tibi mentis fuit, quòd sic expulsus, sic reuocatus fueris? Verè, inquit, cordateque dicam: Me persimilem canis esse penitus credidi, qui quoties fugatur, fugit; quoties reuocatur, redit. Quæ tam humilis peregrini responsio indignantium fregit animos, & fuit omnibus perfectionis incentiuum. Idem refert Dorotheus de quodam, *doctr. 7.* cum quo degebat, optimo monacho, qui nullis vmquam turbabatur molestijs, & quamuis plurimi asperrimè & durissimè illum haberent, æquissimo omnia & patientissimo ferebat animo. Cùm igitur tantæ patientiæ excellentiam miraretur, cuperetque ab eo intelligere, quanam tandem arte eam sibi comparasset, cùm illum obuium habuisset, de more salutatum rogare cœpi, (inquit Dorotheus) ne me celaret, quid nudiustertius, cùm tot iniurijs à tam multis afficeretur, cogitaret, & quomodo illas perferre posset? tum ille paucis & candidè, Sic ad illas me habeo, & non secùs perfero, quàm ab hominibus blandi canes. His auditis demisi aures, & mihi ipsi dixi, ait idem auctor, Inuenit frater hic viam per quam rectè incedat, meque ipsum sanctæ crucis signo firmans abij, Deo supplicans, vt illum protegeret.

Quid? quòd etiam repertus ille sit, qui eousque sitiret opprobria, vt quo plures contumelias & irrisus pertulisset, eo magis in sinu gauderet, dicens, Isti sunt qui verè nobis prosunt, qui nobis veri profectus occasionem præbent: qui verò nos beatos prædicant, illi sunt qui deturbant & perdunt animas nostras. Hoc videbat alter ille, qui adeò in lucro & beneficio reponebat, si quis de ipso detraxisset, vt detractori (quasi se ingratum credidisset, nisi bona rependeret) vel præsenti munus offerret, vel absenti mitteret. Fuit etiam qui à dæmoniaca, quam eiusmodi esse ignorabat, graui alapa percussus, pro assueta patientiæ & humilitatis exercitatione, confestim & maxillam alteram excipiendæ percussioni obiecit; sed tantam, superbiæ spiritus, humilitatem minimè tulit, & ex occupato corpore erupit exclamans, O violentia mandatorum Iesu Christi! Quod hæc potuit humilitas, ad corpus à dæmonis potestate vindicandum, omnino & longè certiùs id poterit, ad animum ab omni eorum impugnatione liberandum. Id ipsum olim professum esse dæmonem legimus: Cùm enim germani fratres duo perfectiorem vitam in eremo pariter degerent, inuidit malignus dæmon, & coalitam virtute concordiam discindere conatus, effecit vt ad primæ noctis tenebras, iuniore lumen accendente, candelabrum rueret, exstinctaque lucerna, maior natu frater minori succenseret, & grauiùs excandescens minorem etiam percuteret. Hic autem, (vide mititatem) pacatè demisseque humi se prosternens, Bono animo esto, domine mi, inquiebat, etenim illicò rursus accendam. *1. de humil.* *p. 2. vit. SS. Pat §. 18.*

Fregit huius responsi benignitas dæmonis vires, & à seniore fratre instigando, desistere coactus est. Quod eadem nocte suo principi referens dæmon, inquiebat; Propter humilitatem istius iunioris non potui superare seniorem. Deus enim idcirco statim profudit gratiam suam, & ego ex eo malè torqueor & excrucior. Audiebat hæc idolorum quidam sacrificulus, qui his permotus, & Christianus & monachus factus est, ac præ ceteris humilitatem mirè coluit. Dicebatque dæmonum, inimicorum nostrorum, machinamenta omnia humilitatis cõtentione dissolui. Frequenter quoque à dæmonibus inter se loquentibus auditum esse, ita semper fieri, vt quoties ad iracundiam hominum corda succenderint, si quis patienter iram sustinuerit, placideque dixerit, Verè peccator sum; vim omnem suam marcescere sentirent, diuinamque in eiusmodi hominem gratiam effundi.

Finem non fecero si Paphnutium, Marinum, Macarium, & innumeros alios, grauissimorum insimulatos criminum: si Athanasium, Nazianzenum, Chrysostomum, totque viros sanctissimos variè exercitos: si Martyrum infinita examina, omni contumeliarum tormentorumque genere diuexata: si non ita priscæ memoriæ Religiosorum, mirabilem in perferendis & appetendis iniurijs alacritatem enarrare cœpero. Ergo me ipse continebo, priscisque illis vnicum eiusdem temporis cùm addidero finem faciam: est tamen eiusmodi, vt in hoc vno trimarum virtutum splendor eluceat.

Virtutis opinione celebrabatur Ioannes quidam, cui cùm Abbas Dorotheum ministrare iussisset, id ipse tanta alacritate suscepit, vt ipsius etiam cellulæ ostium quasi adorans oscularetur, beatum se credens, cui per illud ad eiusmodi sanctum caritatis obsequium aditus panderetur. Quamuis autem tam propenso & ardenti in id ferretur affectu, tamen vbi primùm, ô humilitatem, caritatem, & se vincendi desiderium! vbi, inquam, accepit quendam esse monachorum, qui id ministerium vehementer affectaret, essetque ipsa desiderij importunitate subtristior: accito illo Religioso, Abbatem adijt, enixeque rogauit, eius animo vt morem gereret, eum enim esse, qui munus illud longè meliùs exequi & vellet & posset: fecitque Dorotheus quod in se fuit, vt frater ille sibi præferretur. Potuitne ad beneuolentiam maius aliquid addi? Quod postulabatur negauit Abbas, nouemque ipsos annos, in eodem erga senem caritatis officio, perseuerauit Dorotheus. quo toto tempore, (en quanta sit immodicæ desiderationis pernicies.) frater ille qui repulsam passus fuerat improbo liuore tabescebat, ac plerumque ab ipso vsque nosocomio ad ecclesiam euntem Dorotheum ponè sequebatur, plurimisque conuicijs ac contumelijs insectabatur: quæ ipse patientissimè perferebat, & quamuis præfecturæ monasterij nonnulla illi pars esset delata, numquam vel vnicum cum illo fratre verbum commutauit, vel de illo questus est, aut sibi molestum ostendit. Immò verò cùm ad Abbatem delatum eum, seueriusque corripiendum rescijsset, Abbatem adijt, ad

genua

genua supplex procidit, obnixeque per Iesum Christum efflagitauit, leuiùs vt consuleret, suum, non fratris, peccatum incusans. Hæc est verè Sanctorum victrix patientia, tot annorum forti certamine illustris. Qui verò in vno id potuerit, profectò & præstabit in ceteris: ita, cùm in eiusdem caput quidam sic effudisset vrinam, vt totus etiam lectulus alieno & fætenti lotio maderet, sine querela tacitus pertulit. Quid? quòd aliquando ad Dorotheanæ cellæ ianuam, conuenere complures, & ibidem solicitiùs storeas, quibus incubare solebant, excussere, nempe ita solent cimices decuti: cùm autem, præ æstu, infiniti propè essent, decussi in vicinam cellam prorepsere, & ad noctem vsque pro suo more latuere. redijt vespere labore fractus Dorotheus, altumque dormire cœpit, at ecce improbissimum illud agmen, odore concitum, per vniuersum se corpus effundit, collum, pectus, brachia, membra omnia, arroso crebriore depascitur & exsugit, sic vt experrectus, totum sibi corpus, qua maculosum, qua tumens, qua præmorsum deprehenderit. At neque apud quemquam, vel verbo questus est, vel ne in posterum id facerent monuit, vel cuiquam vmquam id dixit, quod aliquam molestiam parere posset, in id semper intentus, vt alios omnes veneraretur ex animo, & iuxta Apostoli monitum, *cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportaret alios in caritate, solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Eph. 4.

O, inquis, raræ patientiæ magna documenta! Equidem permagna ista sunt, & omni imitatione dignissima. Sed audi quem præterea magis mireris animum. Hæc ille patiebatur, & se aliquid pati nesciebat: ad eam venerat mentis celsitatem, vt ista grauissima pro nihilo duceret, putaretque sibi, quasi homini cui omnia secundis votis affluerent, timendum esse, ne mercedis nihil in cælis esset asseruatum. Scribit enim, aliquando valdè anxium animi se fuisse, cùm sacris & diuinis eloquijs toties repeti videret: non nisi per aduersa multa aditum ad cælestia patere, sibi verò nihil aduersi contingere; & neque sic, satis ex animo extimescere se posse. Hanc autem animi fluctuationem, cùm Ioanni viro sancto, & magni Barsanuphij discipulo, per literas exposuisset, eum respondisse, necessariò fieri vt quietissimi, pacatissimi, iucundissimi sint, quicumque in Patrum se obedientiam sincera mente dedidere. Sed hæc postrema alterius loci sunt. doctr. 1.

illud verò quantum est, vt tot annos, tam crebrò & grauiter, tot conuicijs & iniurijs, tanta sua patientia diuexatus, nihil se pati credat, cæloque se indignum pronuncians, id sibi dicat, quod Magnus ille Basilius ignauis; *Qua ratione qui in voluptate magis, quàm in Dei mandatis*, in honore, & rerum copia, quàm in ignominia & inopia, *vitam agere maluerimus, vitæ beatitudinem, & æquale cum sanctis, in cælesti republica ius municipiúmue, & cum angelis inenarrabilem lætitiam, ante Christi conspectum nobis polliceamur? Prorsus amentium est, talia secum comminisci. Quomodo enim vnà cum Iob potero ego collocari, qui aduersum nullum casum, quamuis leuissimum, cum gratulatione susceperim? Quomodo cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostem non adhibuerim? Quomodo cum Daniele, qui non per abstinentiam continentem, & sedulam pre-* proœm. in reg. fus.

catio-

cationem Deum exquisiuerim? Quomodo cum Sanctis singulis, qui illorum vestigia secutus non fuerim? Quis quaeso ludorum gymnicorum arbiter, adeò nullo est iudicio, qui coronis paribus censeat oportere dignari, tam eos qui victores è certamine euaserint, quàm eos qui nullum certandi laborem subire voluerint? Quis vnquam exercitus ductor, in prædæ partem æquam cum victoribus eos aduocauit, qui nusquam in prælio comparuerant? At enim bonus est Deus; at idem etiam est iustus: iustitiæ porro proprium est vt suum cuique reddatur. Ita quidem Basilius, ita ex humilitate sibi dicebat Dorotheus; nos verò nobis ex veritate dicamus; videamusque an tot exemplis, monitis, præceptionibus & legibus incitati, contemtores nostri animos, & crucis ac ignominiæ amantes, vel sic aliquando tandem, seriò induere, ac inolito splendoris atque commodorum amore radicitus euulso, vitam nouam, ex verè religioso spiritu, constanter & fortiter aggredi contendamus.

CAPVT IX.

Prænotanda quædam ad progressum in humilitate tentandum.

epist. 59. VErissimè omnino scripsit D. Augustinus: *Fit miris modis in anima hominis, vt de falsa humilitate magis insletur, quàm si apertiùs superbiret:* sibi enim de virtutis adscitæ opinione, quàm de alterius rei splendore, iustiùs gloriari posse dum putat, & omni humilitate excidit, & quantum in ipso est, virtute præstantissima turpissimè ad vitium abutitur. Ita sanè est, ac nihilominùs perfacilè ipsi nobis imponimus, & amore nostri blandissimè illecti, nostra dissimulamus mala, & bona multa nobis inesse, vel tenuissima suadente coniectura credimus. id verò longè verissimum experimur, in eis virtutibus quæ sunt admodum arduæ, plurimumque commendationis habent; vbi si quid illis affine, si quid inchoatum semel ausi fuerimus, protinus in maius omnia extollimus, iam Hierichuntinos prostrauisse muros, iam hostes debellasse, iam victoriæ vix vlla parte quæsita, triumphare nos credimus. Et quidem, huic nostræ adulatrici naturæ accedit præcipitator Satan, eôdem vehementer impellens, tum vt ipsa securitate torpeamus, ac mendacio falsè extollamur, tum verò vt neque dispositas caueamus insidias, neque inquirendæ atque acquirendæ virtutis absolutioni incumbamus: scit enim in virtutibus & vitijs latere permulta, quæ oculos minùs curiosos minusque intentos fugiant.

Hîc igitur mihi quædam ponenda credidi, quibus veluti lapide Lydio explorare possimus, quis in nobis crucis & contumeliarum, rerumque aduersarum perferendarum amor vigeat. Et quidem cùm illum omnem à Iesu Christi Domini nostri imitatione arcessamus, clarè patet, ex propiore & similiore, remotiore

motiore & dissimiliore ad eum accessu, rem hanc totam esse iudicandam. quippe imaginis illa est vera perfectio, si prototypo & exemplari suo quàm simillima, ac propemodum alterum idem fuerit; illa verò maxima est eius deformitas, si quam maximè ab exemplari recesserit: neque pictorum quisquam sic desipit, vt Paridem Thersitæ instar deformem, vel Thersiten Paridis formositate depingat. Quare vt aptè vereque iudicetur, duo sunt præstanda, primò; quidem attentissimè circumspiciendum est exemplar, ita vt probissimè sit notum, vel saltem pars ea quæ est imitationi proposita; tum verò ad imaginem accedendum, vt quàm bellè illud vndique referat exploretur. Ergo ad vtrumque accingamur.

Sed antequam in hæc adyta penetrare pergamus, obseruandum necessariò nobis est id quod admodum prouidè, summaque consideratione, tribus modis humilitatis proximè præposuit, & diligenter perpendendum commendauit B. Ignatius: Eos nempe qui meliora & perfectiora mente complectuntur, in tres quasi classes distributos censeri: vnde sit consequens, vt, quemadmodum ciuium quemque suam classem, suum censum nosse conuenit, vt pro facultatum modulo, sumtuum & conatuum sit modus, vel quod negat copia, compenset industria; ita etiam animi sui præsentes vires quodammodo exploret quisque, non tam vt aggressionum sibi præfigat modum, quàm vt ab inferioribus ad præstantiora se transferat, & cùm omnia in voluntatis potestate sint sita, ex vna spiritus egentiore classe, ad opulentiorem aliam fortiter transeat.

Tres autem omnino sunt classes eorum, qui à letalis peccati dominatu, in libertatem filiorum Dei per sancti Spiritus gratiam asserti sunt. Prima est eorum, qui, seu insito ignauiæ torpore fracti, seu innata circuitionis dilatione sopiti, seu otiosa lentitudine deiecti, seu cuiuspiam non ita bonæ rei consuetudine vel amore deuincti, multa quidem meliora vident & probant, sed ad ea perficienda non assurgunt: illorum similes de quibus quidam dixit; Athenienses, bona quidem sciunt, sed facere nolunt. Cuiusmodi sanè non paucos, quæ humani generis est infelicitas, passim reperias, siue toto in genere vitæ, cùm semper ijsdem moribus, eodem sese in luto volutant; siue in quadam tantùm suarum affectionum parte, cùm ijsdem semper perturbationibus obnoxij viuunt, neque vmquam seriò constanterque, Ijs funditus euellendis operam nauant.

Altera classis eorum est, qui hanc tantam lentitudinem supergressi, conantur quidem varijs & serijs modis, plus in perfectione promouere, vitamque multis sanctis operibus, animum præclaris exornare virtutibus: at transuersus aliquis amor imo in pectore delitet, quo nequit exui, quem fouet, quem labefactari, vulnerari, euelli non patitur, malum suum dissimulat, medicas manus respuit; si vel leuissimè tangas, non secùs auersatur & resilit, ac solet tumore distentus, & arthritidis dolore vrens neruus. Magnum sanè, & admodum detrimentosum malum, quodque instar fellis venenati, imo in dolio sidentis, omnemque qui-

cumque ſuperfuſus fuerit liquorem corrumpentis, cetera bona omnia, ſi non perdit, certè vehementer inficit, iuſtaque perfectionis maturitate arcet: ac propterea rarus eſt perfectus, quia rarus planè eſt, qui iudicij amoriſque alicuius vitioſum aliquid, latente in ſinu non recondat. Hic ſcientiæ, ille opinionis, alius commodorum, exiſtimationis alius, cognationis, valetudinis, negotij, otij, perſonarum, rerum, locorum, vel denique ſuijpſius, prouiſor; oſor, amator nimius fuerit: & quàm multi in homine, furtim irrepentes inlatent affectus? Illumina ergo Domine oculos meos, ne ſoli oculi tui Domine, ſed & mei imperfectum meum videant: manus tua auxilietur mihi, & brachium tuum confortet me, vt dirigas in conſpectu tuo viam meam, & in illuminatione vultus tui diſpellantur tenebræ meæ.

Hac diuina iuuante gratia, in tertiam eorum claſſem tranſcribemur qui omnem omnino inſincerum affectum exuunt, nec tantùm rerum aliarum, ſed ſui quoque ipſius amore, ad ſanctiſſimam diuinæ voluntatis normam compoſito, nihil niſi è diuinis placitis, aut volunt, aut nolũt, & quocumq; diuini ſpiritus eos aura cõpulerit, eò toti feruntur: non labori parcunt, nõ formidant aduerſa, nullius rei retardantur incurſu, quin quod melius & perfectius iudicant, id etiam pro virili perficere conentur, nulla cuiuſquam alterius quàm diuini honoris, & maioris ſanctimoniæ ratione habita. Horum vbi maius momentum, aliquam in partem potiùs incumbere viderint, eò protinus omnes animi corporiſque vires magna cum alacritate conferunt. In hac omnino claſſe illum cenſeri oportet, qui ex his quæ dicturi ſumus, vtilitatem aliquam capere velit, vt non ſola quadam cognitione otioſa ſe oblectet, ſed forti & ad perfectionem flagranti animo, quodcumque præſtantius eſſe iudicauerit, id omnino efficere conetur, omneſque reluctantis & aduerſantis naturæ declinationes euincat.

CAPVT X.

Quàm præſtans exemplar, & ad quam imitationem ſit nobis propoſitum.

SI quando in rebus ijs quæ natura conſtant, aliqua illarum nobis eſt ad imitandum propoſita, vt ſi quis orator Ciceronem, Imperator Cæſarem, Eremicola S. Antonium, Religioſus S. Dominicum, Franciſcum, Ignatium exprimere moribus tentat: duæ ſunt eiuſce rei partes obſeruandæ, vna quæ ſic illi intima & propria eſt, vt neque ſine illa eſſe, & nuſquam aliò traduci queat, ideoque non ea ſit quæ imitatione quæratur; cuiuſmodi eſt in ijs quos proximè nominaui, quòd homines, quòd ea corporis & animi conditione, eiuſmodi in republica, eo in ſæculo nati eſſent, atque hæc nemo eſt qui ad ſe traducere conetur. Alia ergo

ergo quæpiam rei conditio seu pars est, quæ non adeò intima & propria, non etiam forinsecùs, aut causarum externarum efficientia, aut diuinæ sapientiæ prouidentia, ita peculiariter insita est, vt ad eam nec industria, nec humanus vllus conatus adhibendus fuerit: sed est quasi aduentitium, aut addititium quiddam, quod in alios transmitti & traijci, pulcreque possit exprimi, atque adhibita obseruatione comparari, vt mores, vt virtutes, & quidam in agendo & viuendo modus, ad alicuius normam imitando effictus. etenim vt nemo pictor, carnium, ossium, neruorum, & corporis naturam exhibet, sed figuram, colorem, situm, pulcritudinem, vel deformitatem, idque solum quod se foras in oculos euibrat, colorum similitudine referre contendit, neque est qui iure possit abs eo plura postulare, cùm arti pictoriæ nullus alius sit propositus finis: ita imitationi nostræ, qua cuiusdam alterius virtutem æmulamur, nihil, quò contendamus, obijcere nos conuenit, præter eam quæ foras erumpit, animi quasi figuram, colorem, modum, pulcritudinem, ac eiusmodi venustatem, vt eam, si non vsque adeò perfectè comparare, at aliquousque consequi & quodammodo repræsentare possimus. Sed est nobis hoc ipsum distinctiùs in exemplari nostro videndum.

Est profectò quod hominum animos in amorem & summam diuinæ bonitatis admirationem meritò rapiat; si pro rei dignitate perpendant, æternum illum, summeque beatum, & nullius indigum Deum, sua solius clementissima voluntate decreuisse, vt hominibus, beatæ perfectæque vitæ capessendæ, idem statueretur exemplar, qui & Deus & Saluator esset. Multum nobis datum esse crederemus, si quempiam, præclaris in omnem partem dotibus, hominem nobis excitasset & instruxisset Deus; forsan & pluris faceremus, si nobilissimum aliquem Angelum, grata quadam specie adspectabilem, expetendarum fugiendarumque rerum doctorem magistrumque misisset: quantum igitur illud est, ô anima mea, quòd ille vitæ morumque tuorum, tibi magister, doctor, speculum, exemplar fieri voluit, qui Dei sapientia, Deus est & homo! quid enim? si magna, si perfecta valdè, si sublimia, & supra tuum captum præcipit; Deus est, homo est: Deus est, qui opitulari queat; homo est, qui benigniùs tibi consulet, qui tenebris lumen præferet, qui infirmitati sufficiet vires; sequere præeuntem, & sequentem non deseret. Verumtamen sic eum contemplare, vt à memoria, nec Dei veneratione, nec hominis imitatione, res vlla, vllumue tempus amoueat.

Vehementer enim à tua, heu nimiùm sæpè nota superbia, mihi timeo, humiliorum imitationem auersaberis, ad magnifica & specioſa conuerteris. Audi tamen & obserua quid tuus præcipit Dominus, vbi se, quibusque in rebus imitandum docet: Discite, inquit, à me quia mitis sum & humilis corde: Qui sequitur me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me: Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: Exemplum dedi vobis, vt

quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Domine, multa & magna feciſti, imò verò *per te omnia facta ſunt, & ſine te factum eſt nihil, quod factum eſt*: ſpiritu oris tui cæli firmati ſunt, & omnis ornatus eorum; ergóne quæ feciſti facienda nobis ſunt? ergóne nobis & cælum nouum & terra noua condenda eſt, & imitatione tui ægri ſanandi, mortui ſuſcitandi, gubernandus eſt mundus? abſit: nam & accepimus, diſcipulorum aliquando à te correctam eſſe lætitiam, qua etiam dæmones ſibi obtemperaſſe gaudebant, & ſcimus à te olim in æternum repellendos eſſe non paucos, qui ſe in nomine tuo dæmonia eieciſſe, prophetaſſe, virtutes multas feciſſe iactabunt. ſed tunc ſanè exemplum factus es nobis, quando diſcipulorum, Magiſter & Dominus, lauiſti pedes, quando miniſtrare, & non miniſtrari veniſti, quando noſtram tua inopia ditaſti paupertatem, tuo noſtram & æternam infamiam dedecore honeſtaſti, mortemque nullo fine duraturam, à noſtris animis, tua corporis morte repuliſti; pro nobis, ô penè incredibilem caritatis affectum, hoſtia, ſectatum, maledictum, damnatio factus es, vt à Dei iuſtiſſima ira, à peccato, maledicto, damnatione liberati, in gratiam cum offenſo numine redire poſſemus. Ita, te volente, ſpeculator ille tuæ gloriæ Apoſtolus, non à tua tamen gloria, ſed ab humilitate deſumendum docuit exemplum. *Si benè facientes*, inquit, *patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè: qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus.* Intelligiſne anima mea, quæ tibi ſint veſtigia, quod exemplum ſequendum? patientis, ferentis, iniuſtè traditi, non comminantis, non ſe vnquam, cùm iuſtiſſimè & facillimè poſſet, defendentis aut vlciſcentis. Et quàm prouidè, S. Petre, loqueris dum ais, Paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum; numquid nō dicere pariter potuiſſes, Nobis relinquens exemplum? at homines à patiendo nimis alienos fortaſſis proſpiciens, timuiſti ne qui facilè pro ſe Chriſtum paſſum falſuri erant, exemplum tamen patiendi ſolis Apoſtolis, & viris Apoſtolicis relictum dicerent: quare dicere maluiſti, *Vobis*, hoc eſt, non nobis tantùm, ſed planè diſerteque & vobis, & omnibus pro quibus paſſus eſt, vt quicumque ab illius promeritis alieni eſſe nolunt, ab eius imitanda humilitate ſe alienos minimè præbeant. *In hoc*, inquis, *vocati eſtis*. omnibuſne, ô ſancte Apoſtole, omnibus Chriſtiani tui gregis ouibus hæc loqueris? quid ergo Religioſis, quid Societatem Ieſu profeſſis? Ecce, in hoc igitur vocati ſumus, vocationem diuinam ne irritam faciamus, fratres, quem cœpimus ſequi crucifixum, in cruce quæramus & ſequamur: quid fatigamur alibi quærentes? non in plateis Babylonis, non in auro & oſtro, non in pompis & gloria, non in laudibus & honore, ſed in doloribus, ignominia, opprobrio crucis eſt Chriſtus; ibi eſt locus eius, ibi eum certò comperies, affixus clauis non effugiet, tenebis, adhæreſces, amplexaberis.

1. Pet. 2.

Quàm

Quàm fortiter hoc ille præstiterat, qui propter Christum stultus, infirmus, ignobilis, non nisi in Domino, in infirmitatibus, in vinculis, in periculis, in cruce Domini gloriatur! *maledicimur*, inquit, *& benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Hinc addere non veretur: *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quod cùm legis, anime mi, quid legis nisi quod tuus tibi cõmendauit Ignatius? Voluit ille S. Apostolus stultus, infirmus, ignobilis haberi pro Christo, & hæc summa illi sapientia, fortitudo, nobilitas: maledicta, persecutiones, blasphemias, conficta in se crimina patientissimè & cũ gaudio pertulit; pertulit derisum, neglectum, & contemtionem sui tantum, vt instar quisquiliarum, fæcis & retrimenti, ne quidem hominis nomine eum ceteri cõpellare dignarentur: eius instar qui de se dicit, *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et nonne ipsissima hæc est conformatio, quam Beatus Pater exigit postulans, vt admittas, concupiscas, ames, & ardenter exoptes, contumelias, falsa in te testimonia, iniurias pati, stultus haberi & existimari, atque Christi Domini vestibus ob eius amorem indui? quod à te postulans, quàm egregiè tibi consulit, dum te ad sanctorum Apostolorum, ad Domini Dei tui, in terris olim peregrinantis imitationem vocat?

1. Cor. 4.

Psal. 21. ex persona Christi

CAPVT XI.

Quæ maximè sint quæ in exemplari proposito nobis exprimenda spectemus.

ET, quando te meæ memoriæ ingessisti, Beate Pater, enixè peto vt huius exemplaris formam imitandã distinctiùs exponas. Loquere, amantissime Pater, & aure sedula, quidquid dixeris excipiã, & re ipsa diligentiùs obseruare contendam: quidni enim vt præsentem audiam, quem beneuolentia præsentem scio? Sed ecce intimæ mentis meæ cogitationem excitari sentio, mihique in me ipso loquentem:

Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, & consilium meum ne despexeris, & abundabit iustitia tua, & multitudine pacis, quasi circumambiente fluuio, circumdaberis: ridebis in nouissimis, & in die vltionis cõsolationem recipies, coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: paululũ quidem, dum pertranseunt dies isti pauci & mali, dolebis; at mox aderit sponsus, & gaudebis, & affluies, & dilatabitur cor tuum, & gaudium tuum à te nemo tollet, quia gaudij fons & principium, Deus tuus, à te non recedet in æternum. Sed interim, ad præmia nonnisi per labores perueniri potest, & nisi Domino si-

milis fueris in via, qua fronte ſimilitudinẽ eius ſperes in patria? Dum ergo peregrinaris hîc à Domino, peregrinantis Domini formam ſubi: ſi enim oportuit pati Chriſtum vt in ſuam, quanto magis te pati oportebit, vt penetres in Dei gloriam? Vide ergo vt quàm proximè accedas ad Ieſum, improperium crucis portans, & conformis imagini filij Dei.

Sentio equidem, mi Pater; verbis tuis in idipſum excitor: ſed cùm hoc ipſum variè fieri poſſit, quid eſt potiſſimè & propriè, quod à me in tua Societate expreſſum velis? Hoc ipſum, ait Beatus, quod proximè dixi, conformitatem filij Dei: quam vt præſtes contemplare illum tantum, tam multa, tali animo pertuliſſe, vt tu, vel pauca, ſimili virtute patiaris. Contemplare illum, vt in mõte Caluariæ, vitæ dator, cæli reſerator, reparator humanæ cladis, & virtutum omnium idea, eſt exaltatus, & vide vt dicentem illum audias, Fac ſecundũ exemplar, quod tibi in monte monſtraui. Quanta verò ibi & mundi, & honoris, & rerum omniũ aſpernatio elucet? Lætitiæ fons, in doloris mare cõmutatur; formoſitas, deformatur; gratia, in odiũ vertitur; ſapientia, illuditur; gloria, deridetur; innocentia, condẽnatur; Rex omniũ, negatur ab omnibus; Dominus omnium, nudus ludibrio exponitur; ſumma potẽtia, ſummè infirmatur; immortalis vita, acerba morte perimitur. & hæc ſponte, omninoq; voluntariè patitur; non eſt qui, niſi velit, vim illi inferat, ponit ipſe, & ſic ponit animã ſuam, non pro ſe, non ſui emolumenti cauſa, cùm natura ſua inſcriptũ ſemori nomen gerat, Rex regum & Dominus dominantiũ; ſed ſic ponit animã ſuam pro ouibus, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, vt Paſtorẽ tam largè ſua omnia effundentem, gloriam quæ ab hominibus eſt contemnentem, infamiam, dolores, opprobria, ſumma mentis æquitate ſubeuntẽ, ad mortem deniq; ignominiæ & cruciatuũ pleniſſimam adeuntẽ, non pigeat per aduerſa, per contraria quæuis ſequi, viceſq; in amando rependere, ſui viciſſim qua licuerit cõtemtione quæſita, &, ſiquando vltro cõtigerit, cupidè arrepta. Delicatus ille, parumq; ſeuerè probatus eſt Dei amor, qui ob ſecũdas, vel in ſecundis rebus eniteſcit; at qui rerũ, homini iucundiſſimarum, vt voluptatũ, diuitiarum, honoris & vitæ, iactura nihil læditur, ille eſt inconcuſſus, & verè Ieſu Chriſto dignus amor, illa demum amati ſimilitudo quærenda.

Quam vt perfectiùs comparare poſſis, quod paucis perſtrinxi, pluribus perſequar, & tria tibi commendabo, in hoc ſanctę humilitatis Doctore magnopere ſpectanda, è quibus non ægrè tuam vel progreſſionem, vel in hac ſancta exercitatione ceſſationem iudices.

Primum eſt, vt diligenter explores, quàm perfectè ipſe ſe ad viliora deiecerit, duriora & aſperiora ſelegerit. Etenim cùm in forma Dei, Deo æqualis & Deus eſſet, ipſe ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui induit, & habitu inuentus eſt vt homo, eiuſmodi viſus eſt oculis hominũ, eiuſmodi fuit, vixit, mortuus eſt, & reſurrexit; hominẽ quem ſemel aſſumſit, poſiturus numquam. Summus eſt, & procreata omnia, perfectione infinita vſque adeò excellit Deus, vt nihil ſit in iſtis, quod

quod si cum illo contenderis, vel momenti instar habeat: homo verò infimum inter omnia quæ intellectu sunt prædita gradū obtinet, sexcentis miserijs, doloribus, & morti obnoxius, vndiq; auxilij & opis egentissimus: cùm igitur infinitam illam maiestatem, huic vilissimæ naturæ, quasi admiscere & adnectere dignatus est Deus, nonne hîc omnem humilitatis vim exhausisse dicendus est? Mirandi finem non facerent homines, nobilissimum & potentissimum Imperatorem si intelligerent, sibi vltro vxorem eam elegisse, quę turpis, ignobilis, pauper, sordida, denique nonnisi prostibulum, & ipsius Imperatoris hostibus ludibriū, & ab eius amore prorsus aliena foret; eoque mirarentur magis, si non alia eam ducendi causa foret, quàm vt suum in eam amorem propensissimum testaretur, eamq; à paupertate, sordibus, vitijs & captiuitate ereptam, diuitijs, honoribus, dignitate, variaq; felicitate cumularet. Et nonne maior ac potentior omni eiusmodi Imperatore Deus, miserior ista muliere & infelicior est humana natura, tota in peccata prolapsa? & hanc tamen non in vxorē, sed arctiore lōgè vinculo, in vnā sibi personam adiunxit Deus, vt sibi homini, similes in terris homines, sibi quoq; Deo similes in cælis aliquando reddat. Videsne, vt infimæ quodāmodo coniunctione naturæ, seipsum humiliauit Deus, seruus, mortalis, imbecillus, egēs & pauper factus, qui natura Dominus, immortalis, potens, diues & abundās erat? Quid æquale, quid vel aliquatenus simile rependes? E domino si omnium seruus fias, neq; natura dominatur homo homini, & (si seruis) homo seruies homini: Deus verò, vt sit seruus, planè singulare est, nec satis illud capimus. Quid si Dei causa, manibus pedibusq; excisis, instar captiuorū Adonibesec, in morē canis reptare, micisq; de mensa cadentibus vesci cogereris? Si Hormisdę Principis, Marcelli Pontificis instar, bestiarū curandarū famulitio seminudus adscriberēris? Si vt Nabuchodonosor bouina, vt Tigranes porcina specie, Deo sic volente, vestireris: & hæc lubens vt maximæ humilitatis exercitia subires, magnum (nec fortassis immeritò) putaretur, quòd ad belluas vel quasi infra belluas amandari videreris: nec est quod desiderari maius aliquid posse videatur, quàm cū homo se totū exuit, idque quod in se præstantissimū est Dei sui amore contemnit. Verùm sit illud quantū voles, pusillū est, si cum Dei hominis copulatione componatur; hominis enim cum ceteris, quædā; at Dei cum homine, nulla comparatio iniri potest, adeò vt vel Deum ad hominem accessisse, vel hominem ad Deum euectum esse, infinitæ sit & potestatis & humilitatis, vno eodemque personæ complexu, res eas quæ in infinitum distant, arctissimè vincientis.

Iam verò cùm summus amator hominū videret, multos id nō satis pro dignitate æstimaturos, vt ardentiùs omnium ad se animos excitaret, eiusmodi homo factus est, à quo humanarum miseriarum nihil abesset, eandem cum omnibus nascendi, viuendi, moriendi conditionem subiuit, vltroque in se probra, conuicia, paupertatē, dolores & asperrima omnia euocauit; honorem, gloriam, diuitias, cōmoda, & delicias omnes procul amouit. Iucundissimè Domini mei Iesu

rebus

rebus asperis memorandis immorarer, sed in infinitum sermo abiret, tu vide vt ad eas meditandas te totum conferas, & caue ne hac cogitatione vllam aliam salubriorem putes. Compendiosiùs quædam audi capita, vt commodè ad eius te similitudinem effingas, videasque nihil in eo fuisse, quod non dolor & humilitas occuparet. In laboribus, in paupertate, in vigilijs, sudoribus, fuga, periculis, à iuuentute sua, à primo conceptionis die, ad extremum vsque halitum, nulla interposita remissione perdurauit. Immensus ille, cælosque & orbem continés, angusto Virginis vtero conglobatus, nouem totos menses, volens & intelligens arctatus est: infans vagijt, ad præsepium, cum iumentis, panniculis & fasciolis alligatus: indeque ad triginta ipsos annos, Dei summa sapientia delituit, summa eloquentia conticuit, summa potentia velut infirma vixit. ac deinceps, quid egit, quid passus est? Videas igitur, intellectum eius seu intelligendi facultatem, omni prorsus curiositate caruisse, texisse potiùs quàm ostentasse scientiam; humilia, sancta, iusta, perfecta docuisse, verbis & genere doctrinæ mirabili quidem, sed humili, omnemque fastum aspernante. vnde per Prophetam de se dicere voluit: *Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.* Et ecce quàm moderati iudicij, *Ego non iudico quemquam:* is cui nota erant hominum omnia, ab omni sibi iudicio temperat, patienter expectat tempus, quo pater filio omne iudicium dabit, & non vult ante tempus iudicare. Iam verò voluntatem quàm perfectè subiugaram habet: ille cuius nutu omnia in cælis & terris, suo ordine voluebantur, suis gubernabantur momentis: ille in pueritia, adolescentia, ætate quinetiam virili, feminę subditur: ille de se profitetur, Nō veni voluntatem meam facere, sed eius qui misit me Patris, Cibus meus est facere voluntatem Patris mei, hinc pascor, hinc nutrior, nō alia mihi iucundior appetentia: ille ad acerbissima tormenta se comparans, non Sicut ego volo, sed sicut tu, Patri acclamat, obedientiamque ne perderet, vitam maluit perdere, obediens vsq; ad mortem & mortē crucis. Memoria verò eius, siue ea vis animi quæ res varias repræsentandi facultate pollet, continuis ijsque acerrimis dolorum stimulis pungeretur necesse est, quandoquidem illi continuò peccata hominum immensa, acerbissima hostium odia, coniurationes & doli, ac deniq; tantorum ac talium cruciatuum aliquando futura perpessio, velut præsentissima obuersabatur. Sed quid si illū epilogo mirabili, totius vitę catastrophen concludentē intueris? heu quanto stupore, ad huius exēplaris intuitū cōpleberis? Videbis, vt cum prophetis loquar, à planta pedis ad verticē capitis in eo non esse sanitatē: sulcis plagarū arauerūt in dorso eius peccatores, corpore lacero cōcussa & dinumerata sunt ossa eius, pręsiti sicut testa os eius exaruit, inglorius inter vitos aspectus eius & forma fuit: non erat species ei neq; decor, formosum sputis illiuerunt, regē sæculorū spinoso diademate confixerūt, opifices cæli manus, duro ligno, durioribus clauis, infixerūt: nudauerunt eū vestimentis suis, totoq; die expositū linguarū verbere flagellarunt, conuiciati sunt, exprobrarūt,

Isa. 48.

&

& afflictionem afflicto addentes blasphemarunt: quasi leprosum à Deo, & humiliatum eum putauerunt, despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & experientem infirmitatum, vnde nullo eum in pretio habentes, quasi nihil eum reputauerunt. Verè autem languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, liuore ipsius sanati sumus, dedecore gloriamur, morte viuimus. In his autem agnosces, nihil in sanctissimo Domino Iesu, doloris & humilitatis vacuum fuisse, membra singula, singuli sensus, quod propriè & singulariter paterentur habuerunt, neque vmquam vel summæ acerbitati contemtus, vel ignominiosæ contemtioni comes defuit acerbitas. Impiorum enim aduersus Dominum sic exarsit impietas, vt torquere parum esset, nisi honoris & innocentiæ famam fictis etiam criminibus fœdare niterentur: calumniati ergo sunt; vini potorem, publicanorum amatorem, legis inimicum, Sabbati violatorem, schismaticum, Samaritanum, dæmoniacum, seditiosum, blasphemum, gloriæ suæ ambitiosum præconem, mendacemque diuinitatis affectatorem dixerunt: adeò vt diuinæ humanæque maiestatis, grauissimorumque flagitiorum reum fingerent, ac vt talem & communi omnium exsecratione deuotum, ab omnibus destitutum, patrocinante nemine, vniuerso aduersus illum populo succlamante, legis peritis, sacerdotibus, & principibus in eum vno animo conspirantibus, sententia publica, & solenni ritu, concurrente ad rei spectaculum infinita populi corona, infami ligno, Regem gloriæ dirè affigerent. Et hæc, non tantùm perfers, sed honorationibus & lenioribus præfers, bone Iesu! ô patientiæ, & humilitatis pelagus inexhaustum!

Ista verò cùm sedulò perpenderis, eritne vmquam, vt aliquid illo dignum te redhostire potuisse credas? opes omnes illius causa si contemseris, calumniam aduersus honorem si pertuleris, voluntatem iudiciumque tuum alteri si tradideris, post acerbissimos sensuum omnium & membrorum dolores, si acerbiore morte in eius gratiam occubueris, te fateor equidem tanta eius dignatione felicem: ad illa tamen quæ pro seruo subiuit Dominus, si te referas, quàm exiguum, & nullius pretij est? ille etenim verè solus diues, Angelorum satellitio sepositio, solus, nudus, in cruce moritur: criminationibus, & aliena inuidia oppressus, latrones inter, vt infamis necatur: seductor, seditiosus, insipiens creditur, & fatiscente doloribus corpore, insultantibus, & nil nisi conuicia ingeminantibus inimicis, ac terribilibus laniantium luporum oculis, tristi in spectaculo mansuetus agnus occumbit. ô sæculorum stuporem! ô sibi, & aspernando mundo, stimulos acres! ô magnam quibusuis in casibus, homini Christiano impositam patientiæ necessitatem! eritne vnde iure possis conqueri, quando tacitus, tanta animi æquitate, tam dira perfert Deus?

Quem tamen (quod secundo loco commendatum volebam) contemplari conuenit, tanta ista malorum omnium incursione circumuallatum, summa suæ voluntatis propensione, æternique consilii quàm maximè voluntaria de-

ſtinatione, ſic potiùs, quàm blandiore, vel honoratiore conditione, vitam & mortem ſibi elegiſſe, licèt alia omnia ipſe ſibi ſumere, pro ſummo ſuo, quo rebus omnibus præſidet, iure potuiſſet. Etenim non ſolùm quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra, nec eſt qui eius poſſit vel voluntati repugnare, vel potentiæ obſiſtere: ſed neque in eo quod ſemel decreuerit agendo, operoſiùs inſudat, neque vlla ex rebus procreatis compendia emendicat, neque iacturam alicunde quampiam patitur, vt ſuſpicando poſſimus coniectare, ideo viam aliquam negotijs perficiendis electam, quia facilior, vtilior, certior videbatur: verbo enim & iuſſu facit omnia, ab ipſo vt perenni fonte bona omnia dimanant, mala omnia longè longiùs arcentur. Poterat igitur, ita ſi placuiſſet, ipſe ſe diuitijs, honore, pompa, commodis ac maieſtate decorare. Poterat, nullo negotio, ſibi corpus pariter atque Adamo perfectum formare, vitatiſque conceptionis & ætatis incommodis, ab ipſis cælis coruſcante, & ad venturi exſpectationem mentes hominum ſuſpendente luce, adſpectabili forma, ſeſe omnibus adorandum, circumdante innumera angelorum phalange, medio ſplendentium nubium in fulgore præbere. Acclamatum illi eſſet ab omnibus, Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis, Rex omnium & ſumme Deus deſcende de nube, in terris, inter homines verſari, ô Dei ſummi ſapientia ſumma dignêris. Nonne & tunc potuiſſet, quas inde libuiſſet, attonito mundo dictare leges, Principes eligere, magiſtratus creare, ſacerdotes & Pontifices ſacrare, ſtabilire Eccleſiam, Iudæos cum Gentibus vna concordiæ pace ſociare? vel, ſi diutiùs hominum conſortio vti maluiſſet, ſibi ſola voluntate palatium condere, luce perpetua coruſcum, ſmaragdis, pyropis, adamante, gemmis, auro, quin & ſtellis, variè diſtinctum, miniſtris angelis, ſtupentibus ad rei nouitatem vniuerſis, indeque quaſi à certiſſimo veritatis & maieſtatis oraculo, ex orbe toto reſponſa & iura poſcentibus reddere. Sed iſta cuncta, cùm in eius eſſent poteſtate, humilitatis magiſter auerſatus eſt. Quid autem? cùm alia omnia maluiſſet, annon ſaltem videtur tibi debuiſſe modum ærumnis ponere? pronum erat, vel Herodem, quando ad illum miſſus eſt, vel Pilatum ad miſericordiâ flectere, vel ſibi totius populi voluntates, recenti Lazari ad vitam reuocatione propitias adiungere, vel denique, aut militum, aliorumque cogitatum à flagellatione, coronatione, irriſu, cauillationibus, totque diris cruciatibus inferendis auertere, aut mœroris & doloris ſenſum, lætitiæ maioris immiſſu, ac lædendi vi ſublata temperare, vel tollere. Verùm quid opus pluribus? nonne in mundum volens venerat, vt egenam, afflictam, dolore, labore, mœrore omni exercitam vitam, turpiſſima, maximéque dolorifica morte concluderet? nonne omne id quod euenturum erat præſciens, obuius proceſſit? quis nolentem potuiſſet tenere, vincire, damnare? calicem illum ardentiſſimè ſitiebat, baptiſmo baptizari cupiebat, & amoris exceſſum Hieroſolymis complere ardebat, tanto ad currendam hanc viam exultans gaudio, vt mœrore depulſo, exiliens

præ

præ alacritate sanguis per tenuissimos etiam sudoris meatus, ingenti copia fluxerit: inde verò protinus proditori occurrens, verbo prostrauit inermis armatos, nec priùs innexa sunt vincula quàm sui vinciendi, horam tenebrarum venisse pronuncians, potestatem fecisset. Verè Christus Dominus, quia voluit captus est, quia voluit oblatus est, quia voluit passus & mortuus est: quod nisi voluisset, mille viæ suppetebant, quibus & se tot malorum acerbitati subducere, & gloriam suam stabilire, & humanum genus reparare potuisset. At omnes mundi blanditias honoresque despreuit, humilitate & dolore cumulatam vitam tanta constantis animi destinatione selegit, vt eum ab incepto curriculo, nec infamia, nec longa fatigatio, nec in summis cruciatibus exprobrantium iritamenta reuocarint. Quid si tibi à tuis quæ forsan incurrent, te incommodis eripiendi, par esset data potestas? amabò, quî te gereres? si famem explere, sitim sedare, dolores mitigare, reparare vires, sanare morbos, conciliare famam, vias complanare, serenum aut nubes inducere, gelu soluere, negotia pro voto peragere, denique si id quodcumque velles, ac prout velles, conficere daretur, quid? illa quæ subinde dicis, & plangis incommoda, illa quæ reformidas & declinas aduersa, longúmne patereris? Sed mihi nunc indicasse satis est, tuum de te tibi esto iudicium.

Ad id quod tertio loco commendatum volebam venio: vt Dominum tuum ea tam multa, tanta voluntatis alacritate subijsse, imò selegisse perpendas, quem in finem? nempe amplificandæ diuinæ gloriæ, & humani generis ab æterna damnatione liberandi. Venit enim fons lucis & vitæ, ijs qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, lucem & vitam illaturus: venit, & in hoc natus est, vt testimonium perhiberet veritati, & qui credunt in eam, etiamsi mortui fuerint, viuant, & non moriantur in æternum: etenim vt de se ipse dixit, est resurrectio, est vita, imò hæc est vita æterna, vt cognoscant homines Patrem, solum Deum verum, & quem misit Iesum Christum. Cùm igitur in hunc finem venisset, vt dominantem in terris dæmonem, idololatriam, auaritiam, luxuriam, superbiam, inueteratum falsorum Deorum cultum, omneque impietatis, mendaciorum, vitiorum genus, peruetusta longorum sæculorum auctoritate roboratum debellaret; paupertatis verò amorem, castitatem, humilitatem, præsentium & blandientium rerum contemtum, absentium & æternarum desiderium, verarum virtutum, nulla vanæ laudis mercede quæsita, ardentem amorem, vnius & veri Dei, supremi omnium Domini Iesu Christi, cultum, in quo solo vera pietas & vera religio est, vbique stabiliret, Iudæorum legem antiquaret, Ethnicorum commentitias fabulas euerteret, mundumque totum nouis legibus, nouis placitis, dæmone, carne, luxu, principibus & magnatibus sæuum infrementibus, nouam in faciem reformaret. En ad hæc

tam multa, tamque ardua perficienda, quam præ multis aliis, plurimæ enim (vt dixi) præstò erant, amauit viam? Eam sanè quam prima specie, & homi-num iudicio æstimantibus, omnino vt ineptissimam repudiassemus. Quid e-nim fratres eius loquebantur? *Transi hinc, & vade in Iudæam. Nemo quippe in oc-culto quid facit, & quærit ipse in palam esse?* Quid hoc monstri, quid in verbis & factis inconsequentiæ? inquiunt: te videris vt magnum aliquem ostentare velle mundo, te ad restaurandum regnum Israel venisse iactas, & humilitatem prædicas, & conuentus celebriores fugis, & si quid præclarius feceris, silentio inuoluis; vbi maiestas, vbi satellitium, vbi qui pro te pugnent ministri, cur et-iam rapturos & in regem euecturos fallis, & absconderis? Hoc, scilicet, timi-do, posticis sannis obnoxio, lucis hominum fugitante duce, de Romanis triumphabit gens nostra, subiugatum imperio premet orbem, nationes victæ tributa dabunt, nocte dieque patentibus Solymorum portis, aurum, & tus, & gemmæ, & regnorum omnium diuitiæ inferentur? An percuties terram virga oris tui, & spiritu labiorum tuorum interficies impium? An leuabis si-gnum in nationes, & congregabis profugos Israel, & dispersos Iuda colliges à quatuor plagis terræ? An desolabis Ægyptum, percuties eam, & eris via re-siduo in Assyriis populo, vt Mose duce via patuit reduci ex Ægypto? ca-piemúsne qui nos ceperunt, & subiiciemus exactores nostros? Numquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit, vt tu derepente nos liberes; & graue iugum à populi ceruicibus amoueas? Erunt, videlicet, Reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ; vultuque in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, qui omnium egé-tissimus, tot annos incassum sudans, tuorum animos popularium necdum ti-bi adiungere potuisti? Hæc & similia, voluebant Iudæi, & animo hærebant, & denique post multa vltro citroque disputata, tanta, tamque inexspectata humilitate sic offensi sunt, vt se abs illo peruicacissima obstinatione subdu-xerint, illudque quod tantò antè prædixerat Isaias, miraculum grande & stu-pendum quod populo admirationem faceret accidit, vt periret sapientia à sa-pientibus, & intellectus prudentium absconderetur: fuit enim crux Domini mei Iesu Christi, scandalum Iudæis, stultitia Gentibus, quæ tamen Dei virtus est, sapientia, & gloria, absitque vt in re quapiam iustiùs, quàm in cruce Do-mini nostri Iesu Christi gloriemur. Sed hoc permirum, quòd infinitè lucido, & omnia prouidente sapientiæ oculo, id clarissimè vidit Deus, fore vt ea vitæ & crucis humilitate offenderentur plurimi, & rem humana ratione metien-do, ex eo videretur hominum salus retardari, quod ad eam promouendam se-ligebatur; & nihilominus hanc ipsam, & nullam aliam voluit, adeundæ glo-riæ sempiternæ viam sternere. Quis prudens, inquiunt homines, res conse-quendo fini maximè aduersas voluntarius elegit? & numquid in cruce hoc animaduertit & auersatur sæculi prudentia? quid enim? venit Christus vt ei cre-

Ioan. 7.

Cap. 29.

credatur, suamque stabiliat auctoritatem, cur igitur damnatur vt nocens? Deus immortalis, nulli malo obnoxius, potens omnium haberi vult; cur ergo moritur, cur tam multa patitur, vinciri, ligari vult, velut infirmus & imbecillis? sapientem, innocentem, glorioſum, boni omnis fontem agnoſci ſe exoptat, cur ergo veluti fatuus deſperni, velut reus damnari, probroſo mortis generi addici, malis & miſeriis omnigenis vndique opprimi voluit? Bona ſua quæ omnibus adeò innoteſcere, certaque fide credi vult, cur ſollicitè & quaſi anxiè contegit? credi vult ex virgine prognatus, cur eius virginitatem, Ioſephi matrimonio celat? Deus haberi vult, cur infans vagit, cur iam grandior eſurit, ſitit, dormit, lacrymatur, fatigatur, emoritur? cur ſpecie ceteris ſimilem, re ipſa in omnibus ſimilem non credent? Rationes equidem, & myſticæ admodum, plurimæ non deſunt, & his contemplandis beatæ mentes plurimùm oblectantur: ſed ad id quod te nunc doceo vnam accipe, penituſque imis in medullis reconde. Dicit apud Prophetam Dominus: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; nec viæ veſtræ, viæ meæ. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Viam faciam in mari equis meis, in luto aquarum multarum: verbum quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed quæcumque & quomodocumque volui faciet, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Ecce enim, nihil eſt quod impotentiùs ament, magiſque ſtabilire conentur homines quàm conſilia & prudentiam ſuam; igitur voluit Deus omnem intellectum ſeſe extollentem deijcere, vt ſi quis inter eos ſapiens eſſet, ſtultus fieret vt eſſet ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum: & in infirmitate, timore ac tremore, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, Chriſti prædicatio, & cæleſtis doctrinæ curanda erat aſſenſio. Nos ſtulti proprer Chriſtum, inſignis ait prædicator, nos infirmi, nos ignobiles; maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Sed videte vocationem Dei, fratres, quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mũdi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur; nec etiam concidat animo quiſquam, ſperent in Domino qui ſunt imbecilles, & mutabunt fortitudinem, & induentur virtute ex alto, & cadent à latere eorum mille, & à dextris decem millia. Itaque ſingulari Dei virtute mors Chriſti, nobis vita fuit; maledicta, in benedictionem; infamia, in gloriam; paupertas, in diuitias; dolores, in ſolatium; infirmitas, in robur immutata eſt: vulneribus ſanamur, ſanguine lauamur & dealbamur, ſoluimur vinculis, luctu dolorem pellimus, inebriamur ſiti, nuditate veſtimur, emiſſo ſpiritu ſpiritum vitalem haurimus, totque malorum in cruce colluuies, fit nobis bonorum omnium cornu copiæ

Iſa. 55.

cælitus abundans. Verè hæc est Dei sapientia, quam prædestinauit Deus ante sęcula, quæ abscondita est in mysterio, quam nemo principum huius sęculi cognouit, nobis autem reuelauit Deus per spiritum. Hæc igitur, fili, noctu diuque attentè cogita, & agnosce

In ijs quæ ad æternitatem, verarum virtutum insitionem, animorum salutem, veramque summi Dei gloriam faciunt, non esse humanis artibus, humana prudentia nitendum, sed necessariam occultiorem quamdam vim diuinam, quæ virtutum semina cordibus inspergat & foueat, ac ea quæ benè cœpta fuerint ad optandum exitum perducat. Hæc autem vis, fotrix altrixque cœptorum, ijs actionibus & hominibus sese amat inferere, qui neque humana sectantur, & gloriam opinionemque contemnunt, & magno pacatoque animo ignominiosa & acerba multa patiuntur. A te igitur, tolle sapientiam; prudentiam tuam, vt sic dicam, infatua, vulgi opiniones amoue, sectare humilia, crucifixi imaginem imitando exprime, & quàm immensus in cruce lateat thesaurus intelliges. Aliena sunt hæc à sensibus, non capit hanc doctrinam superbæ mentis homo, nec in præfidenti corde radices potest agere: tu verò tibi hæc sedulus recondas, & curiosiùs intende, quò te perfectionis euehant. Sic enim omnem ad hominum iudicia respectandi curam euelles; qua apud homines auctoritate, qua opinione polleas, de te quid dicatur aut feratur, doctus, probus, comis, indoctus, malignus, asper, intractabilis, aut aliud quiduis habearis, ne quidem cogitatione dignaberis. Vbicumque ex ratione, quæ tum pro ingenij modulo rectior videbatur, aliquid peregeris, euentum pacatus expectabis, nec secundo efferendus, nec contrahendus aduerso. Nullius amorem, quouis nomine, ambies; nullius odium extimebis, vt qui Domini tui exemplo, probra potiùs ab omnibus, quàm vel ab vno laudem expetas, omnes tamen in illo amans, omnibus apud illum bona impetrans; illis verò maximè, à quibus naturâ magis abhorrebis, quique tibi aliquando duriores molestioresue fuerint, qui tuis conatis obstiterint, de te senserint deteriùs, & à quibus quidpiam profectum fuerit voluntati tuæ obstans. Hîc te vince, fili mi, aduersis eorum tristare, gaude prosperis, qua potes & supra quàm potes eos tuere, bene illis faciendi occasionem lætus arripe, impendere, & superimpendere: mali omnis illati tam procul memoriam ablegato, vt illis potiùs, ob illata verè beneficia, beneuolentiorem te esse debere credas. O dignam, quin & necessariam Religioso virtutem! vt ne tibi desit, curato: si non defuerit, crede mihi, à mansueto Iesu, multa gratiæ dona mansuetus referes, multa tua vitia dissimulabit clemens, quando clementer aliena dissimulas. Vtinam filij mei omnes caperent, quàm sibi vtilis, quàm grata Domino Iesu sit hæc virtus! vtinam, & ad eam totis viribus tenderent, & ne quid vmquam vllo retaliandi affectu statuant, summoperè cauerent: certè vbi Religiosus animus in vindictæ cupidinem semel exarsit,

per-

perijt. Sed quamuis numquam satis commendatum, sit tamen hac de re satis dictum.

Præterea, si crucem, vt dixi, contemplaris, latere, nescire & nesciri amabis, omniq́ue in omnes inuidentia carebis, alienis profectibus gaudebis, honoratiora, iucundiora, sensui gratiora omnia ceteris concedes, ijsq́ue declinatis sola crucis asperitate lætaberis; in eaq́ue illa omnia, quæ variè per res plures dispersa sunt bona, in vnum congregata comperies.

Disces etiam nihil esse vel vt imperetur expetendum, vel ne imperetur prouidendum, sed potiùs id verè expedire, vt agnoscant mortales nihil se de rebus futuris posse decernere, nescire quid benè vel malè, sibi aut alijs, propitio vel irato Deo sit cessurum: omnia in futurum seruantur incerta: vnde magna rerum emolumenta sperant, inde præter spem omnia subitò corruunt; quod inutile, otiosum, infrugiferum videbatur, illud est quod adspirante Deo, nimium quantum vtilitatis parturit. Et sanè fructuum spiritus, mali sunt æstimatores homines: diuino sunt iudicio committendi: non venit regnum Dei cum obseruatione, sed quemadmodum si iaciat homo sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet & increscat, dum nescit ille. In hoc est verum verbum, inquiebat Dominus Apostolis, quòd alius est qui seminat, & alius qui metit, Vos in aliorum labores introistis. sed quorum, nisi Prophetarum, nisi Domini Iesu, labores & sudores messuerunt? Hoc igitur ab exemplari tuo exprime, ne frãgaris aduersis, ne vel applausu præsenti tibi blandiaris, vel existimata sterilitate terrearis. Dominus tuus ingenti acclamantis populi concursu Solymam ingrediens, vt vidit ciuitatem fleuit, Ierusalem, Ierusalem, (dolenter questus est) quoties volui congregare filios tuos, & noluisti! Ah! si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua! Quid ergo? nonne congregati sunt, tanta conspiratione concurrentes? nónne cognouerunt, tanta vociferatione clamantes, Osanna in excelsis, Osanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini? Norat Dominus, quid esset in homine, & quàm in extima superficie expictus amor mox esset expungendus, ac pertinacissimo inuidentiæ clamore, crucem ei postulaturi, blasphemiis & conuiciis essent oneraturi: norat triumphante illo ingressu iritandos, adeoq́ue extrema tentaturos hostes suos, futurumq́ue vt eum tanto turpiore & duriore morte perdere conarentur: ideoq́ue omnem illum concursum parui duxit: at ex morte sua, quamuis noti amiciq́ue fugissent, quamuis horrori, execrationi esset omnibus, quamuis iam causa eius desperata, & quasi impij damnata videretur, sciebat vitam surrecturam, trahenda ad se omnia, causam iudiciumq́ue se recepturum, & à ligno regnaturum Deum, Gentes in hereditatem, in possessionem terminos terræ acquisiturum.

Memineris igitur, omnem omnium cælitum gloriam, non tam actione, quàm perpessione, contemtione, probris à moriente Domino esse cõparatam, qua-

quare patientia, humilitate, tuique contemtu nihil vmquam vtilius esse credideris: quæ cùm vix vllibi deesse possint, fac vt vbique in eis te exerceas.

Denique id præ omnibus mordicus tene, vt ne res tuas humana ratione metiaris, humana prouidentia, opinione, arte, iudicio regi velis: nec ea sola probes, quorum vides progressiones proposito fini consentaneas; nec ea improbes, quorum sic agendorum rationem nullam, nisi potiùs repugnantem videas: te & tua, tuosque, Deo semel tradidisti, omnem illi curam relinque, superemminens est caritas eius, & potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, illique si confisus fueris, omnia semper cooperabuntur in bonum: consilia tua, prudentiam tuam, benè tibi fuerit si semper euertat Deus, vt non tuis artibus, non hominibus, sed solo Domino Deo tuo præfidere consuescas.

Breui ecce summa, tibi commendo, Recede à iudicijs hominum, auctoritatem tuam numquam statuere affectes, à diuina prouidentia totus pendeas, ea magis dilige quæ sunt humilitatis mortificationisque maioris: in secundis, time vt fideliter Deo seruias; in aduersis, lætare tanta dignatione, quòd particeps diuinæ crucis esse possis, omnemque crucem ardente desiderio exoptes, occurrentem lætus amplexare, eamque velut sponsam carissimam tene, neque vmquam nisi Domino iubente dimitte. Hæc, si summa voluntate, si ad extremum vsque, si difficillimis in rebus præstiteris, tum sanè Religiosi nomine non indignum te præbebis, eoque potissimè modo quem exigo, Iesu Christi crucifixi imaginem, amanda humilitate, & nullis aduersus eam argumentis audiendis, expresseris.

CAPVT XII.

Quàm conformes exemplari proposito simus.

FOrmam exemplaris, nostræ imitationi expositi, audiuisti modò, frater carissime, cumque iam olim ad illud imitandum sis accinctus, cohortatione mea nihil est opus; sed, quod initio præmonui, illa ponenda sunt, è quibus quàm propè vel procul absimus, conijcere non ex incerto possimus. Possem equidem humilitatis effectus & indicia percensendo, multa variè conglobare, & non pauca nec breuissimè peti possunt è secundo tomo P. Aluarez de Paz, vbi de humilitate & eius indicijs agit. At scopus mihi alius est, & ad vsum propiùs collimare cupio, suggerat, precor, B. Patre Ignatio exorante Deus, quæ nostro aptissima sint instituto, & quæ mentis oculos quàm clarissimè aperiant. Sic tamen habeto, mi frater, hîc vel maximè, à te vno mihi esse recedendum, ac ea esse scribenda, quæ siue contingant, siue non contingant, in hominum tamen cogita-

gitationem cadere possint. Atque vt vnicuique de se liberum sit iudicare, solas interrogationes adhibebo, è quibus quid de se quisque sentiat fuco omni & adulatione posita, statuendum erit. ordinem eum obseruare conabor, quem antea in perstringenda Christi Domini humilitate seruaui: sic tamen vt vnumquodque in eam referatur classem vbi magis patet, non autem vnde remotiùs exoritur; cùm enim ex humilitatis & amoris crucis defectu, hæc omnia nascantur, essent hæc ad vnum intellectum, voluntatémve referenda, quod minùs commodè, minùs ad obseruationem aptè fieret.

Ad quem humilitatis gradum peruenisse nos, ex Intellectus nostri operatione iudicare possimus?

An opinionem & iudicium meum ita contineo, vt aliis cedere sim paratus, illa non sequar, nec ad illa quæ ipsemet statui quempiam alliciam, nisi diuini honoris impellente ratione? quod est secundi tantùm humilitatis gradus. Huius autem rei (quod & alijs omnibus interrogatis commune esse debet) coniecturam, & ex maximis, & ex minimis quæ vsu veniant, solerter capere oportet: exempli gratia, si ludendum, inambulandum, loquendum, negotia curanda, instituenda oratio, consilium dandum, nónne statim in aliquam partem feror; ceteris eam suadeo; solicitè probo; anxiè, me non satis capi, parum appositè dicere existimo: vrgeo, verba verbis, sententias sententiis aggero: quæ omnia impetum in suos sensus nimium, nimiam solicitudinem præferunt?

Iam verò, si parum, remissè, negligenter audior: si alia quàm voluerim placent: istudne æquo animo fero? an etiam gaudeo?

An opinione & sententia mea reiecta, libentiùs in aliorum sententiam concedo: ijs me libentiùs adiungo, quos iudicijs meis magis experior aduersos?

Post alicuius rei vel negotij peragendi curam susceptam, si animaduerto præstare vt omittatur: nónne pudet, nónne multa excuso ne leuior videar, nónne pertinaciter perseuero, ne imprudentiæ in aggrediendo arguar?

Propensiúsne, id quod mihi in mentem sponte venit, an quod ab alio suadetur, amplector? An verè & ex animo argumenta quæro, quæ alijs potiùs, quàm mihi suffragentur? Si malè illorum consilia cesserint, annon meum mihi recursare iudicium sentio: ingeminare cogitatum; Benè prædixeras, credere noluerunt, iustè puniuntur; aliàs credent? & hoc ipsum annon aliquando etiam sermone iactabundus extollo, & quodammodo insulto?

Annon præiudicatis facilè abducor, sic vt ægrè ab opinione, vnde vnde hausta, recedam?

An ad hoc pronior sum, vt passim occurrentia, res atque homines, in meliùs, aut deterius iudicem? est enim hoc & auctoritatem vsurpare iudicis in omnes, & sibi quarumcumque rerum perspicientiam veram arrogare.

An quapiam in re vel arte reprehensus, de reprehendentis existimatione, aliquid in eadem re vel arte detractum cupio, aut gaudeo? id enim oritur ex eo quòd imperitiæ illum damnando, me præferendum iudico, & ab aliis præferri opto.

In rebus iudicandis, & pariter agendis, lentior, an præcipitantior sum? & hoc vtrumque qua causa? etenim non raro, ex præfidentia iudicij sumus præcipites: ex nimia prudentiæ, & humanæ laudis affectatione, lentescimus.

An, re priùs apud me definita, consilium exquiro? hoc enim non est, nisi iactabundam rei à se iudicatæ comprobationem aliunde venari.

Libentiùsne in res inutiles, scientias curiosas, tempus & operam colloco, quàm in eas quæ timori Dei, humilitati & perfectioni conducunt? in illis enim putida quædam ostentationis latet vanitas.

Reprehensus, an cum reprehendente, ipse me seriò & ex animo reprehendo? an omnem mei excusationem à me procul amoueo? an peccatum meum, erroresque meos potiùs agnosci, quàm latere cupio?

An non subinde rationibus exaggeratis, quæsitis, affectatis, aut contentiore voce, gestu, incitatu, opinionem meam, aut improbatam tueor, aut neglectam commendare conor?

Post aliquam in diuersa opinione contentionem, nónne sollicitiùs quid dictum sit mente reuoluo, & noua meæ defensioni argumenta conquiro?

Cùm de aliqua re incertus hæreo, an non subinde, vel dubitationem meam silentio premo, ne ignorare videar; vel sic eam in medium adduco, vt non videar ignorare, sed alios explorare, vel aliter tegere?

An pudet sincerè fateri, nescire me quæ nescio?

Si quapiam in re scientior fuerim, an facilè aliis cedo? an scientiam dissimulo? an ignorantiæ opinionem libenter subeo? an ineptè & imperitè, coram imperitis imperitiam suam quasi summam peritiam iactantes æquo animo fero?

Denique summa Dei sapientia, summè intelligens, toto infantiæ tempore sic habita est quasi sine intellectu esset, ligabatur, soluebatur, reclinabatur, erigebatur, in vlnas assumebatur, & alia omnia fiebant, vtcumque collibitum ceteris fuisset; idque omne seu molestum, seu parum forsan decorum, seu parum opportunum esset, tacitus admittebat: an sic me pueriliter, sine ratione, sine iudicio, haberi, regi, susque deque versari ab omnibus patienter fero? ô absolutissimum, omnis iudicij ponendi, nobis delineatum exemplar!

CA-

CAPVT XIII.

In eandem rem quid indicij, ex memoria, seu imaginandi facultate capiamus.

ANnon rerum benè à me, & cum laude gestarum, vel facilis, vel grata est recordatio? quàm statim, & cateruatim mihi rationes occurrũt, cur mihi hæc & illa debeantur? cur mecum non sic aut sic agi debuerit?

Annon ingrata, & perturbatrix quietis est, memoria eius rei, loci, temporis, vbi apud homines grauiùs offenderim, imprudẽtiùs egerim, incautior, simplicior, irrisioni opportunior visus fuerim? annon magis opinionis meæ quàm gratiæ diuinæ detrimentum doleo: & cum acerbitate quidem, aduersus honestatis ciuilis leges feciſſe me recogito, at quòd in diuinæ legis præscripta peccauerim, si modò latet, minùs moueor? Ah quoties, vbi aliquid minùs prouidè factum, minùs blandè, nec satis honorificè compellatus aliquis, aut aliud præter mores admissum est, nos pudet, anxiè & sollicitè excusamus! at verò malè & flagitiosè, dum tamen occultè, patratorum, aut nullus aut permodicus dolor tangit. adeò opinionis potiùs vmbrâ, quàm solidæ virtutis amore ducimur.

Quàm statim, & facilè è memoria mihi excidunt, quàm ægrè in cogitationẽ reuocantur, quæ mei contemtionem, iniuriarum & crucis amorem prouocãt? cùm tamen & in minimis & in maximis quibusque, vltrò protinus, & nõ aduocata recurſent omnia quæ meam mihi existimationem, quæ iniuriarum & crucis horrorem, quæ rerum blandiorum amorem incitent?

Sic ego iucundiora & quæ magis arrideant, vndique consector; tu verò Domine mi Iesu, cùm in terris viuens, vitæ mihi formam delineares, asperiora tibi sumebas, cogitationi & memoriæ tuæ dolorum olim ferendorum immanitatem semper obiectabas, fueruntque tibi lacrymæ tuæ, siue dolores tui, panes die ac nocte, selectusque tibi cibus facere voluntatem Patris tui, quæ voluntas sanctificatio & liberatio fuit hominum, tuo in sanguine mundatorum, eoque perquàm dolorifico profluuio cùm te totum exundaturum scires, Quomodo, inquiebas, coarctor, vsque dum perficiatur? & auidè illud dolorum stadium de- Luc. 12.
currendum expeto? & non solùm à memoria mea dolores illi non recedunt, sed ipsa dilatio dolorem auget. ita mihi salus tua omni meo commodo est potior. Verè, ita est Domine, & quoniam ita est, tuumque tam profusè mihi sanguinem prodegisti, id etiam supplex rogo, vt cogitationi & memoriæ infigas crucis tuæ, & similitudinis tuæ characterem, quo insculpta, nihil quod humilitatis tuæ imitationi aduersetur admittat.

CAPVT XIV.

Voluntas & affectus quò propensi.

AN hæc sola, hæc seria, agendorum & omittendorum omnium causa, maior Dei gloria, & cum diuina voluntate consensio? quippe vbi hic quippiã deficit, à vero ad fictum, hoc est à Dei ad hominum honorem vanum quærendum transfugitur. Sed hoc ipsum ex sequentibus clarius fiet.

An non laude rerum mearum, concionum, catechismorum, scriptorũ, facturum, amicorum, cognatorum, familiæ, patriæ delector? maioresque inde sumo animos vt incepta persequar? annon eas laudes blandè foueo; leniter declino, vt iritem & augeam; refuto, vt grauiùs confirmentur? ipsos verò laudatores vicissim laudibus onero, singulari mihi beneuolentia adiungo, verè amicos, & ab omni inuidentiæ liuore liberos prædico, munera, & si quæ licet beneficia in eos confero, me scilicet istiusmodi laudatione, quasi summo beneficio, illis deuinctum credens. tantum apud me, vanissimæ assentationis æstimatio excreuit.

Quid verò? eædem res illæ meæ, conciones, catechismi, scripta, facta, conatus, sermo, vultus, gestus, conuiuendi modus, lenitas aut asperitas, comitas aut inurbanitas, munia obita, amici, cognati, familia, patria, si aliqua sinistra hominum opinione laborare videantur, si vituperentur, impugnentur: illudne omne pacatè excipio? an etiam gaudeo? an maiorem inde alacritatem, fortiores animos sumo? an sincerè, & ex animo, idem atque reprehensores mei sentio, me vituperatione dignum affirmo, eorum opinionem & argumenta confirmo? Certè si ob vituperationem animo contrahor, non aliunde est, quàm quòd ingens aliquod, in laudis assecutione, bonum latere crediderim, vnde si excidero, quasi de graui repulsa, grandique detrimento doleo. At si probè nossem, quantus in impugnationibus, & reprehensionibus, ac patientia, cælestium bonorum thesaurus delitet; si animaduerterem Iesum Christum, ex tot sanctissimis suis operibus, vix aliud in hac vita messuisse; totus efferrer gaudio, quoties mea aut meorum causa, aliquid perferendi offerretur occasio; tunc illum euentum felicem crederem, quando omnibus à me diligenter & sollicitè peractis, alicunde sic meus opprimeretur conatus, vt omni apud homines fructu cassus, in vnum & solum Deum spem meam solatiumque transfunderem: cauerem summoperè, & instar flagitij maximi exhorrescerem, sinisterius aliquid de viris illis opinari, qui me, mea, vel meos, reprehenderunt, improbarunt, repressérunt, aut ignominiosiùs habuerunt; hos mihi præ ceteris beneuolos & beneficos crederem, vt qui me

me à præsentibus ad futura, à perituris ad perennatura, ab hominibus ad Deum transferunt, mei & mearum rerum, meorumque omnium amorem, aut ad purum excoquunt, aut etiam radicitus euellunt. ô quàm benè de illis & sentirem & loquerer, quàm solicitè honorem eorum promouerem, de auctoritate imminuta dolerem! Sed heu Domine Deus meus, contraria omnia in me vigere sentio, meque totum, ex inanissima euanidarum laudum tumoris aura conflatum video, iam piget & pudet, tam incertis agi flatibus, humanæque insipientiæ vento circumactum, existimationis appetitione torqueri: quando erit, vt innatæ corruptelæ, vt consuetudinis inolitæ dura vincula diffringantur! Verùm pergendum est, & hoc ipsum pluribus confirmandum.

Si quid in me fuerit exprobrationi vicinius, vt gibbus, vt corporis deformitas, linguæ blæsitas, morbositas, parentum paupertas, aut ignobilitas, ignoratio sermonis, aut scientiæ, aut rei cuiuscumque; annon ex cura caueo, ne in me illa deprehendantur, conorque vt speciosioribus quibusdam obiectis istam deformitatem contegam? Si verò laudabilius aliquid fuerit, istudne ne agnoscatur laboro, & aliis deterioribus premo, exemplo Domini qui sapientiam parabolis, innocentiam damnatione, potentiam humilitate, paupertate diuitias, diuinitatem humanitate contexit? Qui hoc diligentiùs obseruatum intellexerit, potest id consequi, vt (nisi obstiterit Deus) virtutes & bona sua omnia omnino ab hominibus nesciantur. Sed hoc incipientibus non ausim explicare subtiliùs.

Si quod prudentius consilium dedi, & benè cessit: annon præcipuè lætor, & à me profectum, vel dico, vel dici gaudeo?

Quod scripsi, aut feci, si relego, aut retracto; annon maiore quàm quod alienum est, me gaudio mulcet? annon eorum commendatione, & ad plures traductione lætor? impugnatione, improbatione sum tristior?

An libentiùs ibi operam nauo vbi labor magis erit illaudatus, minori suauitate, & nulla grati animi significatione conditus? vt si potiùs ad pauperes, plebeios, rusticos, pueros, quàm ad ditiores, cultiores, aut viros malim dicere, idque ad illorum captum accommodatè.

Numquid non cùm ab aliis, præcipuè si alicuius nominis fuerint, amari me video, inde mihi aliquid tribuo: solatium, voluptatem & commodum capio: idque ipsum apud alios sermone dissemino, sic me amari iactans, tot & tales mihi sua fidere, me sibi à confessionibus, à secretis, à consiliis optare, vicissimque grauibus in negotiis, periculique plenis, præclarè à me adiutos? At verò si fortè quem offenderim, vel nulla mea culpa se quis offensum putet, annon excrucior animi, anxieque ad opiniones & amores hominum circumspecto?

Si in muneribus, aut rerum cura & administratione prætermittor quasi forem ineptus, & alij me ineptiores adhibentur, idque potissimè si in eo contingat cuius mihi peritiam arrogauerim, & in iis quos præme contemserim, quàm

tranquillus, quàm lætus, id excipio: quàm fortiter in eo perseuero, vt de me sileri, alios autem per hominum ora volitare gaudeam?

An illa potissimè munia ambio quæ humiliora, ab oculis hominũ semota, & minùs exposita laudi sunt? Laudata illa Abigail, euocata vt vxor Dauidis fieret, *Ecce*, inquit, *famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.* Vocatur ad maritalem torum, & ad famularum infimum erga seruos obsequium aspirat; instar magnæ illius, quæ ad Dei matris vocata dignitatem, se ancillam Domini, ad omnem Domini nutum paratam profiteri mauult. Ah quàm hinc diuersus abeo! ad maiora vocatus, aduolo; non vocatus, desideriis irrumpo.

An me ceteris omnibus viliorem, eorum consortio indignum, indignum puto quem conuiciis imperere, & à se repellere dignentur? Certè Damascenus cloacis putidissimis & latrinis expurgandis indignum se credidit; quidam alij, ipsis se conuiciis & verberibus indignos credidere: quid enim vera non euincat humilitas?

An vsque adeò ceteros veneror, vt, Deo in illis spectato, eos quasi diuinum aliquid contempler, nihil penitus de eorum actionibus mali suspicando, nec de ipsis nisi benè iudicando: quasi si extra erroris, extra iudicationis omnis aleam, quantum quidem ad me spectat, sint positi? Vtrumque etenim suadet humilitas; se despiciens, alios suspicit.

Si de me seciùs aliquid delatum, & maximè ad Superiores, intellexero, ipsique super eo sileant; annon vereor ne fortè id credant, minusque benè de me sentiant? vltróne, non euocatus, ad me expurgandum accedo, vel occasionem proferendæ veritatis capto? licet enim id sine peccato fieri queat, cùm tamen nulla est per me erroris data occasio, suadet crucis amor, vt sinisteriore illa de me opinione læter, tumque maximè, cùm ad Superiorum aures peruenit: hi enim pro potestate & auctoritate sua, possunt de veritate rei quærere; quod, si neglexerint, & in errorem temerè abducantur, nequaquam id mihi crimini vertet Deus, sed erit in singularem patientiæ coronam. At cùm non eadem sit inferioribus ad indagandum verum libertas ac facultas, procliuius est vt his, ne quando offendantur, rei gestæ sincera veritas narretur: nonnumquam etiam facti, quod in deterius interpretantur, ratio reddenda sit, quamuis vt plurimùm, vbi nulla mali subest species, fortius est, magisque ex humilitate, si eiusmodi interpretatiunculæ contemnuntur.

Eorum, à quibus in me redundare commendatio, vel alia queunt commoda, nónne facta & laudes prædico, & enitor vt de meo in illos affectu certiores fiant: in aliis verò, qui minùs possunt, censendis & reprehendendis, nónne liberior & pronior sum?

Annon accidit, vt subinde libenter alijs concedam, quando leniter & summissè mecum agunt: at si quid quasi ex auctoritate sibi vendicent, quasi iure sibi

arro-

arrogent, me præterito, neglecto, inuito, vel contemto obtinere contendant; hîc ego me demittere, ac propensiùs cedere, vix in animum induco, argumenta quæro quibus meum mihi ius, auctoritas mea illæsa seruetur.

An me omni prorsus beneficio, seu ab hominibus, seu à Deo, indignum puto? omnem repulsam, vt mihi pro meritis expectandam, æquo animo fero? miror si quid grati alicunde accidat? nihil de vllo mortalium, de euentu, de re quapiam conqueror?

An, imitatione illius, qui Dominus omnium, omnium seruus factus nostras iniquitates, nostra in se scelera, nostra peccata suo in corpore pertulit; omnibus posthaberi opto, aliorum luere crimina, impositas accusationes perferre, onera subire, semperque omnium esse postremus?

Annō sæpè id de me ficta humilitate profiteor, quod ab aliis obiectū doleo?

Si in aliqua dignitate, honore, munere vel viuam, vel aliquando vixero, nónne subinde, vltrò id mihi delatum, honoris fugam optabiliorem esse iacto?

Annon diligenter & contentiùs ea exequor, quæ in hominum oculos incurrunt; indiligenter & remissè, quæ semotè ab arbitris priuatim fiunt?

Quoties vel irrisione, vel aliorum improbatione deterritus, benè cœpta vel abrumpo, vel languidiùs persequor?

Sedatè & pacato animo, an potiùs impetu ad agendum feror?

In libris, ædificiis, piis operibus, meam, aut familiæ memoriam propagari, nomen inscribi, titulos affigi num expeto?

Si quod rerum acerbarū, difficilium, doloris & sudoris plenarum, periculum imminet, an contrahor, an expauesco, an effugium quæro, an à me desideriis amolior? an iucundiora, fauentiora, lætiora expeto, an eorum expectatione delector? Atque vt idipsum certiùs deprehendam, & ipsis rebus euincam, si conficiendum est iter, pedesne, an eques; plana, an aspera & difficili via; leni & serena, an dura & pluuia aura; per inhospita tesqua, an per amœna & frequentia incolis loca, id peragere malo? Si de habitatione agitur, An eam vrbem expeto, quæ minùs celebris, inamœna, incommoda, rerum omnium nobis opportunarum egentior sit? ibi verò, an illud eligo cubiculum, quod angustius, obscurius, malè materiatum, ventis peruium, odore tetrum, ceteriſque sit vilius? Si de Superiore agitur, An illum opto, qui à me auersior, qui in imperando præfractior & durior, qui parcior ac propè sordidè auarus, qui immisericors & immitis, qui nihil honestæ relaxationi concedens, acerbis indefessus imperiis vrgeat? Si mitiore, amabiliore, liberaliore, humaniore aliquo eum commutari contingat, An doleo exercendæ mihi virtutis, instruendæ patientiæ, & crucis amplexandæ materiam esse subductam? ô quantum hîc mihi deesse comperiam si ad pharamentem aduertero! neque, quod miserius est, excusationes caluæ deerunt, quarum obtentu, mala mea, specie boni contegam, modò valetudinis, modò

officio-

officiorum, modò infirmitatis, modò hominum rationem habendam ipse mihi persuadebo: semperque, sanctæ crucis amor, à mente mea longiùs pulsus, exulabit. ô vanissima ratiocinationum humanarum ludibria, quàm vera & diuinâ me virtute spoliatis, quantopere me à perfectiore Iesu Christi Domini mei imitatione remouetis!

CAPVT XV.

Ex iis quæ ad votorum Religiosorum obseruationem faciunt, quàm desit humilitatis & crucis amor?

DE corpore, valetudine, commodis quàm sæpè sum anxius?
Austeriora, duriora, laboriosa quàm subterfugio & declino?

Quàm facilè munera promitto, largiùs dono, facilè admitto Superiore non consulto?

Nullamne in rem vehementiùs afficior, quia elegans, benè elaborata, à maioribus, ab amicis donata est, vel ob aliam eiusmodi causam, quæ in maiorem Dei gloriam non dirigitur?

An facilè sine facultate commodato do, vel accipio? An ægrè res meo vsui dicatas, aliis vtendas permitto? An illiberalis ceteris, quæ mea sunt, accuratiùs & lautiùs curo?

An superflua, curiosa, splendoris aliquid redolentia habeo? An maximè trita, vilia, communia, & omnium neglectissima expeto?

An quæcumque Religionis propria sunt, supellectilem omnem, vasa, res omnes, quasi sacras, & sanctorum vsibus, Deóque ipsi dicatas veneror, sollicitè conseruo, caueóque ne quid vel minimum ex illis pereat, infringatur, atteratur, aut non iusta ratione consumatur?

Corporis macerationem, cilicijs, diuerberatione, ieiuniis, vigiliis quàm reformido? quàm diligenter & constanter vsurpo? per æstatem à calore, per hiemem à frigore, omnemque per annum ab aëris iniuriis, quàm multa, quàm libenter patior?

An Superiores meos intimè, & ex animo, quà Superiores, & non quà mihi beneuolos aut beneficos, veneror & diligo? eósque maximè præfici opto, qui à me alieniores, duriores, & voluntati meæ minùs obsecundent?

An excusationes & diuerticula quæro, ne quòd nolo iubeatur: an impedimenta artificiosè inseri curo, vel intercessionibus domesticorũ aut externorũ efficio, ne mihi iniũgatur quod minùs arridet. Quòd si nihilominùs ingrati aliquid imperatur, annon quasi coactè, tardè, lentè, pede plumbeo, imperfectè obedio, & inconcinnè rem exequor, vt tædio Superiori sit, & in posterum nihil mihi inui-

inuito iubeat? Cùm tamen, si seriò spiritu mortificationis Religiosæ agerer, eiusmodi iussiones alacritate maiore explere, vires meas omnes & industriam libentiùs exhaurire deberem, ac solicitiùs curam & vigilias intendere, ne quid illis vlla ex parte deesse posset.

An procliuiùs ad speciosa, gratiosa, honorifica, quàm ad abiecta, odiosa, humilia Superiori me offero? An eiusmodi me præbeo, vt ad omnem cuiuscumque negotij occursum, liberrimè, & magna fiducia ad me recurrat Superior? suscipiam quæ præ vilitate aut labore ceteri recusant, & peræquè libenter faciam, quod alijs primò oblatum, ad me denique, id onetis à se excutientibus ceteris, est deuolutum? Si muter, officio abire iubear, restituar, iterumque destituar, pilæque instar verser & reuerser, susque deque iacter, an semper cruci infixus hæreo? an æternitati permanenti sic inhæreo, vt labentia nesciam tempora, & mutationibus non immuter?

An defectus & imbecillitates animi, quas in ceteris obseruo, vel quæ malè geri animaduerto, Superiori indicare non audeo, ne quid mihi inuidiæ, vel odij conciliem? id enim est hominum suæ existimationis nimiopere amantium.

An non mihi varias gubernationis & Superiorum ideas effingo, optans modò suauiter, modò fortiter, modò liberaliùs, modò parciùs, varijs in rebus variè agi? quod est hominis aliena iudicia improbantis, sua verò singulariter amplexantis. Hinc & illa oriuntur, O si talem Superiorem haberemus, qui hæc & illa faceret, quàm bellè omnia procederent! Vel etiam, Si Superior essem, hæc & illa facerem! quam cogitationem vera humilitas procul odoratur, & summa execratione abominatur.

Sed & aliunde quidquid obedientiæ deest, humilitatis defectum arguit. Quid enim? si non simpliciter, sed subdolè obedio; si non hilariter, sed cum tristitia & obmurmuratione; si non integrè, sed tantùm ex parte; si ad oculum tantùm, dùm Superior præsens adest; si non fortiter, sed facilè quouis obnisu deijcior; si non constanter, sed tædio & remissione surrepente: nonne id semperinde ortum ducere deprehendo, quòd humilitatis, quòd crucis, quòd imitandi Iesu Christi amor deficit? O Domine mi Iesu Christe, da mihi & huius perfectionis cognitionem perfectam, & desiderium ardens, & vsum perseuerantem.

CAPVT XVI.

Alia in sermone & alijs vnde non dissimilis coniectura capi possit.

AN libentiùs versor cum abiectioribus in speciem, quàm cum ijs qui genere, auctoritate, opinione, scientia, vel forma honestiore, & ad reuerentiam conciliandam aptiore sunt præditi?

In vestitu, corporis cultu, & ceteris omnibus an malo viliora, magis trita, & quibus quasi præ reliquis negligi videar?

An facilè in conuersatione offendor, meis propensionibus obsecundari cupio, à communi consortio me subduco, nec mihi placent, nisi quæ meis rationibus consonant? solet autem id, ex quadam naturæ morositate, & iudicij proprij vi exoriri: horum autem radix, vel superbia, vel excellentiæ ac sui nimius amor.

Si alicuius commodi, relaxationis, lautiorum epularum, iucundiorum spectaculorum, vel alterius oblectationis recordatio vel expectatio mentem incurset, an contristor, an quantum sine affectationis opinione possum, & ratio suadet, declino & subterfugio? Hoc faciet, qui crucem indefessus amat, nec sibi vmquam remissiones optabit. Docebit tamen prudens discretio, admittere moderatè oblatas, nec vltrà quàm vires ferant tendere?

An non interdũ rerum exitu secundo vanè efferor, delector, exulto? & contrà deijcior, indignor aduersis, spe frustratus animo concido, nimiumq; rerum euentu moueor? cùm tamen id mihi solum curæ esse deberet, vt quod mei muneris est, diligenter pro meo modulo præstem, ceterum euentum, diuinæ prouidentiæ absque solicitudine committam.

Si quid secùs quàm optaueram factum sit, & is error vel nullius culpa contigerit, vel sic perpetratus iam sit, vt retractationi, vel emendationi non sit relictus locus: an conqueror, an grauiùs mœreo, an sortem lamentor meam, & sæpiùs easdem, vel sermone, vel cogitatione querelas repeto? Cùm enim corrigendæ aberrationis facultas deest, animi est nimiùm ad quamuis asperitatem crucis externati, non posse leuius ferendo reddere, quod iam nefas est corrigi.

An non superbus, liber, audax est oculus, & rerum quas videt censor?

An non aliorum laudibus interdum inuideo, eas minuo & infringo? etenim id fit ex amore laudis quo ipse teneor.

An sum durus, tetricus, mordax & derisor? id enim non fit nisi ex aliquo aliorum contemtu, & minore vel nulla veneratione.

An

An non clamosus, contentiosus & loquacior sum? ambages longas intexo, interrumpi nolo, & alios ipse sæpiùs interrumpo? est hic error in humana vita valdè indecorus, consuetudine confirmatur; at exoritur è vitiosissima radice. primò quod alios parui duco: nec enim sic Principi, aut præcellentissimo viro loquerer. tum quòd alios loquentes, à me statim satis, vix ore aperto intelligi credo, me verò ne longo quidem sermone contexto, ab illorum tardissimo ingenio capi posse, nisi ad fastidium repetendo iuculcem: accedit nimius ad loquendum & disserendum affectus, ac mei tacita quædam vel admiratio vel suspectio; nimius item ad id quod proposui confirmandum, & mea cœpta persequenda ardor.

An comtiorem, affectatiorem, elegantiorem, magnificum, vel turgentem sermonem vsurpo? licet enim significantem, non neglectum, & proprium esse deceat, nouitatis tamen & iactantiæ tumorisque notam, à Religioso caueri oportet.

An contemtim alios alloquor, & in verbis audaciam præfero?

Nonne subinde in sermonem infero, vel inferri gaudeo illa ex quibus mentio fiat eorum quæ à me laudabiliter aliquando gesta sunt?

An non libentiùs de ijs loquor, in quibus peritiam aliquam ostentare possum? de ijs verò rebus, quas minùs capio, graue mihi est omne colloquium? Itaque occasionem capto ea dicendi, & in ea deuoluendi vnde mihi opinionem conciliem; poëtica, historica, Græca, Hebræa, Theologica, & alia in medium profero, vnde dicatur, Vir ille doctus est! nec dissimulare scientiam possum. Quanto satius foret, si nihil vmquam è sermocinatione, aut rarius aut doctius, nisi necessitate adigente erumperet?

Si qui ad me propiùs attinent, & honoratiore officio funguntur, an non sermoni, qui de illis habeatur, id interfero, sic vt inde in me aliquid redundet? exempli gratia, pater, patruus, frater, aut cognatus meus Consiliarius, Prætor, Præses, Consul, Comes, Abbas, Episcopus, aut alia dignitate præditus: possem enim, (& magis ex humilitate foret) vel dignitatem missam facere, dicendo, Pater, frater, cognatus; vel ipsam præterire cognationem, solummodò dicendo, Episcopus, Abbas, Prætor ille id egit, dixit, agere aut iubere potest. Sed & nonne ex aduerso, si quid in eis minùs honorificum fuerit, caueo ne in me redundare videatur? & non dicunt, Cognatus ille meus sutor, cerdo, vilis opifex: at omissa cognationis mentione, suo tantùm illos nomine designo?

Re vera, si depositâ omni simulatione, quod res est agnosco, nonne in his omnibus, nonne in plurimis alijs aut latentis, aut palàm exstantis superbiæ me reum deprehendo? ô Domine mi & humillime Iesu, quid me posuisti contrarium tibi? Ecce in vanitate conceptus sum, ex superbia & tumore coagmentatus: opera mea omnia, & cogitatus omnes, vel infecti, vel ex hoc menstruo

sunt enati. Ecce, in ipsa mea humilitate, virulentos superbiæ afflatus sentio, & quidquid egero, vel eius radicibus inseritur, vel fibris implectitur : nec est qui me inde liberet, nisi tu Domine qui solus potens es. Quando extricare me conor, magis inuoluor, & ad me, ac in me semper relabens, modò à me ipso, modò ab alijs, modò à te ipso, sed aliter quàm debeo, gloriam quæro; humilitatem, virtutem omnem, ipsum etiam quodammodo Deum meum, vanitati meæ seruire cogo, vndecumque gloriolam captans. O pes superbiæ, quàm multus te innitor! & scio per te corruisse, quicumque operantur & operati sunt iniquitatem! cur ergo ijs dementor blanditijs, quas perniciei plenas scio? Cur, nisi quòd malè mei amans, mihi præsidens, à me totus abire, in Deum meum totus ire & transfundi nescio?

CAPVT XVII.

Sanctioris desiderij paradigma.

VTinam nunc demum, Domine mi Iesu, exemplo tuo prodocente formam tuam induar, omnibusque penitus despretis, mea & rerum omnium, & maximè existimationis contemtione, atque crucis perpessione delecter. Ita cupio, meque ex hoc tempore, talem tibi, talem omnibus exhibere conabor. Paupertas, humilitas, ignominia, contumeliæ, & quæcumque vitæ asperitas, in delicijs erunt. Quid rerum mihi in terris exoptem? omnia mihi pro Christo meo detrimenta in lucris reponam, si quo pacto non indignus illo reperiar. Istorũ omnium, omne desiderium & affectum depono; amoremque Christi pauperis & humilis, summa paupertate & humilitate probare desidero. Cibi, potus, victus curam omnem exuo: attrita & lacera veste gaudebo: mittar vtinam in regiones eas vbi à latronibus despolier, verberibus onerer, plagis conficiar, frigore contrahar, nudus æstu torrear, inedia, siti, rerum omnium egestate dispeream: & tũ hac tua, Iesu Christe, imitatione lætabor. Ecce pro eo, quem nunc mihi largiter infundis, affectu, dura, molesta & aspera quæuis, in tui nominis gloriam, vndecumque expeto. Irruant in me dolores quiuis, non sit à planta pedis ad verticem capitis in me sanitas, & pariter omne in me morborum genus desæuiat, scateat vermibus purulenta caro, articuli omnes proprio sibi dolore vrantur, colicis & calculorum angoribus crucier, quies & somnus ab oculis fugiat, eosque caligo & cæcitas contegat, lingua obmutescat, obsurdescant aures, nares grauis polypus occupet, distendatur doloribus diffissum caput, cor palpitet, anhelet pulmo, iecur aduratur, lapidescant renes, totius denique naturæ compage vel dissoluta, vel euersa, da, Domine Iesu, vt me tibi, verè virum dolorum, & infirmitatum scientem, ad aliquam tui imitationem offerre possim.

Ecce

Ecce Domine mi, si mihi diuitias Salomonis aut Crœsi, si Sardanapali aut Heliogabali delicias, si pulchritudinem Absalonis, robur Samsonis, Mathusalemi sæcula, pernicitatem Abisai, & id omne quod vel in fortunatum, vel in corporis dotibus, ab huius vitæ amatoribus exoptari solet, si inquam id omne sexcenties exaggeratum mihi dederis, tuæ id totum voluntati, integerrimè resigno: istorum nihil expeto, nisi quod animæ meæ saluti, tuæ gloriæ vtile fore decreueris. O fastus, opiniones, gloriolæ hominum, quàm vanæ & futiles estis! quàm alacriter vos ego in holocausti fumum, Deo meo sacrifico! Ita sit, quod aggrediuntur ceteri benè cedat, laudentur, & in ore hominũ sint magni: quidquid aggressus fuero, careat exitu, de me plurimùm semperque taceatur, aut etiam mihi omnes obloquantur; non sit qui blandiùs, honorificè, moderatè alloquatur, quidquid egero improbetur; sententiæ, opiniones, consilia mea explodantur, quę à me profecta fuerint contemtim eludantur, floccifiam & negligar; superbus, ambitiosus, inuidus, tranquillitatis perturbator existimer, confingantur in me crimina, calumniæ coaceruentur, terrarum odiũ & diris omnibus deuouendus habear; quàm beatus fuero, quando vel sic aliquousque illi similis fuero, qui opprobrium hominum & abiectio plebis videri voluit, cùm Dominus omnium, & gloria esset Angelorum! Egóne vt peccata mea, infamiæ vitandæ gratia celari exoptem! ô si palàm edicere, si etiam libris editis, orbe toto illa euulgare mihi liceret, perque meam ignominiam, ad Dei mei misericordiã laudibus extollendam, adspirare concederetur! Sed quoniam id non datur, saltem illud, vt numquam vlla de me aliorum opinione sinistra doleam, vt verbo factoue perstrictus haud indigner. Absit à me, Domine, vt ea de me opinatio mihi placeat, quæ mendacio nititur: absit vt displiceat, quæ è vero sumitur. Et verò cùm à me nihil nisi mala multa pullulent, falsò bona, at verissimè mala mihi multa tribuentur. Quid humanæ laudes nisi mendacia sunt & somniorũ inanitas? de quibus Sapiens, *Mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Dominus est qui iudicat populos, cuius recta iudicia, cuius veritas in sæcula.* Diem igitur hominis, fugacem & fallacem nimis, nullatenus desiderabo. Si mihi, Domine mi, & præ omnibus amate Iesu, omnium qui vmquam exstiterunt virorum, qua belli, qua pacis artibus, qua scientiæ, qua eloquentiæ, qua auctoritatis, qua etiam sanctimoniæ laude præcellentium, gloriam omnem in me vnum cumulatam offeras: si ad Magistratuum, Principum, Regum potestatem, Prælatorum, Episcoporum & Pontificum dignitatem euehere me spondeas: at aliunde omnium conuicijs exagitatorum, scelerum notis inustorum, probrorum plaustris onustorum, maledictis impetitorum, quin & infami iudicio damnatorum, ignominiam & execrationem omnem, in meum vnius caput, nulla mea noxia, deriuari posse præuidero: en tibi, Iesu meo, contemtam illam omnem gloriam respuo; tuæq; humilitatis amore suadente, tantorum dedecorũ tot labes, in mei

Eccli. 34.

innocui caput libens euoco. Ita quidem,te dante,nunc volo, & vt possim, abs eodem voluntatis donatore supplex postulo.

Sed neque hîc resisto:progredior longiùs: tibique affectum meum omnem, amorem,desideria,voluntatem,intellectum,& quidquid intimiùs animo meo inest,in tuæ crucis ara sanctissima immolo,vt quacumq; ratione flectantur, vertantur, euertantur, ad maiorem exercendæ vel comparandæ humilitatis prouentum.Ite à me procul amores & desideria omnia, ite:amabo,desiderabo,que crucem,quæ humilitatẽ sapient;quæ non sapient,auersabor. Ideoque quæ naturæ desiderijs, quæ propensionibus meis magis erunt contraria, sectaborimpensiùs;aliorum voluntati obsequar, iudicia probabo, meis ipsius aduersabor. Agite; sursum deorsumque me versate Superiores, quo seueriores & duriores, eo clementiores & blandiores re vera vos experiar. Reprehensiones, obiurgationes,pœnas acres & diuturnas ingeminate crebriùs: nusquam mihi parcatur, aliorum in me labores,errores,delicta,ipsas quin etiam pœnas deriuate:quamcumque mihi iugum grauius reddideritis,eo fiet leuius, quo propiùs à Domini mei cruce abfuerit.

Cùm hæc audis,expallescis,ô natura.sed quo magis expallueris,tanto acrioribus te amoris diuini stimulis fodiam , vt porrò semper, in amore crucis pergas. Fortis vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio:hac te sancta æmulatione torqueas,hac forti dilectione tibi feliciter emori assuescas.

Eripiterà voluntate,à iudicio,omne quod meum, quod proprium, quod non à Præpositis & Deo meo est abdico,refuto,explodo. heu, propriæ voluntatis,propriji iudicij lepram,quantùm malum!quàm penitus execrari cupio! Da, Domine Iesu,vt numquam illis occuper:ah,quoties parùm attentis obrepsere, inserpsere, oppressere! Domine, illumina oculos meos ne vmquã in hac morte obdormiã. Non rarò perimus priùs,quàm nos peti sentiamus:blanda rationum specie suader vel dissuadet amor non rectus,auditur,fauetur, dumque non acriùs excutitur,rationis vim induit, permouet, euincit : denique sic mentis arcẽ occupat,vt non sine piaculo contra se iri posse persuadeat, in eo agi Dei gloriam,vt quomodo vult & iudicat,ita omittatur aut fiat.ex quibus quæ non perturbationum & improborum conatuũ iliades consequuntur! Ah,quàm in hoc vitium propendere me agnosco! Quid præsentioris medelæ, quàm vt omnino sic tibi voluntatem & iudicium meum,Superiorum meorum iudicio & voluntate obruendum tradã, vt ad omnem eorum iudicij voluntatisue significationem aut nutum, nihil in me sit quod non confestim acquiescat, omniqueaduersante motu sopito pacatissimè tranquilletur. Primò igitur & maximè, Domine Iesu,te in cruce obedientem contemplando,curabo vt mea ipsius sponte, nihil omnino velim, nihil nolim, affectum suscipiam nullum , nisi quem obedientia,quem Deus adspirarit.Deinde quem suscepero,sic moderabor affectũ, vt non aliter,quàm obedientiæ & Dei causa vigeat, possitque quouis momẽto deponi,

deponi, vbi se vel obedientiæ vel Dei ratio subduxerit. Denique ita statuo, vt, quamuis vndecumque, vel affectus, vel perturbatio, vel desiderium, vel iudiciũ irrepserit, id tamen quodcumque, quod à Superiore meo dictum fuerit, quantumuis opinioni & iudicio meo aduersum sit, quantumuis veritati & rationi meæ parum consonare videatur, summa humilitate excipiam, mentis assensione persequar, omnemque obluctantis animi motũ opprimendo, prona voluntate consentiam. Ignorantia rerum procreatarum omnium meum occupet intellectum, vel ipsius mei nominis obliuiscar, analphabetus euadam: si te Dominum meum scio, sat scio; si tuæ gloriæ id suffragatur, hoc exopto: quæcumque homines, qua homines, formidant & fugiunt, hæc in sanctæ crucis amorem pacatiùs expectare, ardentiùs amplexari, auidiùs exoptare propono.

Et hæc quidem Domine in luce perfectionis tuæ, in splendidissimi exemplaris tui delineatione video, sed quàm diuersam in affectuum meorum incitatu legem sentio! Dum humilitatem prædico, dum cruces amare statuo, verbis & superficietenus, non re ipsa, & medullitus id ago. Ab occultis meis munda me Domine, & à limo profundi, in quo non est substantia, erue me. Verè etenim vsque eò in profundum superbiæ barathrum demittor, vt vanitati immersus, nullo solido fundo inhærens, densiore me cœno inuoluam. palàm, & non simulatè profiteor, superbia meam animam penitus occupat: humilitatis ne prima quidem in me semina sunt, & cruces perferendi innatus est horror. aliud si loquor, ipse mihi adulor, humilique sermone superbior euado: humile quid peragere si tento, inde continuò efferor, vnoque hydræ capite exsecto, plura mox renascuntur. exoriatur qui dicta, scripta, facta mea dilaudet, distendor gaudio; sit qui eadem vituperet, non minùs mœrore contrahor; exurgat acer impugnator, acrior insurgam propugnator. ita sentio, blandè titillant laudes, vituperatio molestior est, incommoda formidini sunt. Quidquid in diuersa & celsiora connitar, frustra est, mole mea pressus ad pristina deuoluor, illi planè similis qui diffractis ossibus, neruis solutis iacens, erigere se subinde tentat, & grauiùs mox, vrgente pondere, vigore destitutus, non sine dolore relabitur. Ad te igitur Domine sunt oculi mei, clamabo ad Deum altissimum. Deum qui benefecit mihi, misit de cælo & liberauit me, eripuit animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam coram eo in lumine viuentium: eduxit è tenebris, & transtulit in admirabile lumen suũ; videre, agnoscere, desiderare dedit sapientiæ veræ thesauros in mysterio crucis abscõditos. Magna est super cælos misericordia eius, & bonitatis eius nullus est terminus: ergo, quia vana salus hominis, quia Dominus ipse Deus virtutũ est; in Deo faciam virtutẽ, & in eo sperans non infirmabor, euellet ipse de omnibus superbiæ laqueis pedes meos, & in humilitatis petra ipse me locabit: vires dabit, animũ sufficiet, in ipso, ex ipso, & per ipsũ audebo, sperabo quæ tore, vt quacumq; rerum alternatione, me tamen exuam, & denique Christum meum induam, eius conformatione beatus euadam.

Ista

Ista mihi desideria sanctus Iesu Christi afflatus adspirat ; ad quorum tamen celsitatem, meamque infirmitatem dum oculos conuerto, totus expalleo, & vehementer extimeo, ne grandiore quàm ferre valeam onere susceptо, temerarius opprimar, & derisuris inimicis, vanus promissor ludibrium fiam. Quàm multa, humilitate prægrandia, asperitate prædura expetiui! hei mihi, si ex voto accidant, expauesco; ferendis virtus deerit, & ex alto, ruinâ grauiore collidar. Quid ergo? postulata retractabo? absit, quò me vocat Christi humilitas sequar: at quomodo vel sine superbia, me tantis rebus non imparem putabo ; vel si putauero, fractus animo non concidam? Ita est Domine mi, & Redemptor animæ meæ, ipse si me respicio, coarctor, & quò me vertam non habeo : ad te verò quando conuertor, ecce spes mea, fiducia mea, misericordiæ tuæ multæ Domine, & secundùm iudicium tuum viuificabis me : aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum. Quos ita respicis, diligis; ijs verò quos diligis, hoc est amabile & admirabile iudicium tuum, vt ijs omnia feliciter in æternam salutem cedant : purgas eos, vt palmites vitali gratiæ tuæ radice vegetatos. sed sic purgas, sic exerces, vt prouidè caueas, ne modulum virium, certaminis grauitas vincat; sed semper ex tentatione prouentum, ex impugnatione constantiam, & maiorem è fatigatione alacritatem excitas. Huic tuæ amabilissimæ prouidentiæ me committo , imbecillitati meæ illius præsidium imploro: aspera, aduersa, abiecta, dolores, cruciatus, ignominiam, calumnias nullas defugio, dum illa mihi comes adsit, dum tu Domine Deus meus, tuo principali spiritu me confirmes, robores, augeas : at si vel paululum à me auxiliatricem manum auerteris, protinus conturbabor, cortuam, & in ruinæ scandalum erunt , quæ debuerant æternæ gloriæ coronam texere. Consultius igitur mihi fuerit, Domine mi Iesu, vt apud te nihil acriùs vllam in partem vrgeam: & imperfectum meum, & desideria mea, vides, dijudicas, veriusque quàm ego ipse dignoscis : à te omnia quæ mihi conducunt expectabo, remouebis quæ nocitura nosti: crucis, humilitatis, imitationis tuæ amorem & desideria, vt spero, dabis ardentissima; experiendi verò occasiones, pro virium incremento, ita moderaberis, vt neque otio mens torpeat, neque incursu impotentiore frangatur.

CAPVT XVIII.

Quomodo ad eam humilitatis celsitatem perrependum sit.

TAnta est perfectioris illius humilitatis excelsitas, tanta nostra in vanissimos tumores, & opinionem vndique captandam procliuitas, vt, si quando sedariùs, omnique simulatione reiecta, nostros vulgarium hominum de humilitate

tate sensus & desiderationes exploro, nihil in eis, præter inanem verborum sonum, & illudentē humilitatis obtentu superbiam, comperire possim. De humilitate cogitamus, loquimur, dissertamus, & dum illa nobis nimiò placent, esse aliqui videmur, ac vnde nostræ inanitatis agnitione contrahi oportuerat, inde inflatiores turpi vanitate distendimur. At verò, gaudere sannis, opprobrijs gloriari, doloribus & cruciatibus lætari, efferri animo, &, vt cum Sancto loquar, Omne gaudium existimare cùm in varias tentationes inciderimus, quàm longè à nobis est situm! quàm timendum ne propterea id minùs capiamus, minùs audiamus, quia ex Deo non sumus? at spiritus ille veritatis quem promisit Dominus, qui nos in omnem ducat veritatem, ardenter postulandus est: vt eius dono, ea fortitudine induamur, qua contumelijs pro Christo Domino toleratis gaudeamus. Quid enim? cùm se nondum Apostolorum mentibus sanctus ille Spiritus infudisset, dicebat illis Christus, ire se Hierosolymam, tradendum, illudēdum, flagellandum, conspuendum, occidendum; potuit ne apertioribus verbis dici? Sed *ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* ergóne quis esset verborum illorum significatus non videbant? in vernacula sua lingua peregrini errabant? minimè gentium: at cùm verba singula caperent, in vniuersis tamen hærebant, mortem, flagella, irrisus audiebant, sed inolita, totoque corde imbibita, de Messia regnaturo persuasio id omne confundebat, & nonnisi caliginosam incertamq; mirationem animis eorum relinquebat. Verè absconditum verbum crucis, absconditum verbum humilitatis; illud autem, quibus placuerit, reuelat Deus paruulis. Audis tibi edisseri quid sit febris, quid sit dolor, & nosse putas: mox vero cùm in venis exæstuauerit, verè dices, Nunc quid sit febris, quos parturiat dolores scio, antè nesciebam: itidemque nec mellis dulcorem, nec amarorem fellis nisi gustando scimus. Dicimus, & vt plurimùm in excessu mentis, ac plura quàm pro viribus spondentes dicimus, Crucem amplexabor, humilitatem persequar: verùm ecce, si crux aliqua obtingat, si humilius aliquid nobis obueniat, perturbamur, pedem referimus, honestum aliquem receptum respectamus, verissimeque dicere possumus, Quando crucem, quando humilitatem expetij, nihil horum intellexi, nec illarum pondus, nec meam imbecillitatem perspectam habui. Luc. 18.

Quid ergo? si erroriste est, si sæpenumerò nostri est blanda deceptio, an resiliemus, & ne quidem hæc animi pia proposita suscipiemus? absit. Cauendū certè est, ne in solis verbis, solóue cogitatu sistamus, quæ fuit Ethnicorum Philosophorum vanitas. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Existimemus tenuia quædam hæc esse initia bonorum, quæ opere, exercitatione, prece fouenda sunt, & vt data diuinitùs, non sine gratiarum actione retinenda. Itaque hic sit primus ad humilitatem progressus, vt ne nostris verbis, & quasi magnificè fortiterque cogitatis fidamus, quin potiùs nos omnino omni humilitatis cognitio- 1. Cor. 4.

ne & sensu nudos credamus, ac in eius sacratissima adyta, solo S. Spiritus ductu, penetrare posse, quem ex animo totisque viribus aduocemus, vt humano peruersoque nostro penitus euulso, diuino suo sanctissimoque spiritu, in nobis insito nos regat.

Verùm quoniam Deo exigente noster etiam est conatus adhibendus, neque solis votis cuiquam obtingit virtus, adlaborandum nobis est, vt eam consequamur: erit autem labor fructuosus, si eum certa viâ prudens ratio diriget. Et quidem, ad hanc ipsam humilitatem comparandam, compendiosam & facilè viam descriptam habes libello de Virtute consequenda c. 13. & sequentibus, Si videlicet virtus ea in alio quopiam reperiatur, intelligatur, & ametur: Si deinde seriò, verè, & ex animo, integrè perfecteque optetur à nobis: Denique si sensim, paulatimque sic eam vsurpemus, vt ab imperfectioribus ad perfectiora, à proximis ad remotiora tendamus. quæ singula cùm ibidem vberiùs dicta, & exemplis illustrata sint, non video cur hîc repetito sit opus. Dicam tantùm, quid super hac re, idem huius humilitatis commendator B. Ignatius præscripserit; quod ipsum tanto maioris apud omnes ponderis esse debebit, quo propiùs vero est, humilitatis adeundæ vias ab eo sciri perfectiùs, qui non sola cogitatione, sed re ipsa, ad eius culmen & fastigia summa conscendit. Enumerabo igitur primùm, seorsimque singula recensebo, vsum deinde complexumque illorum, deinceps breuiter indicaturus.

1. Quicumque ergo stadium Religionis decursurus, & præclaram humilitatis palmam decerpturus accedis; id primò omnium penitùs animo imbibe, esse mundum, & ea quæ mundi sunt prorsus exhorrescenda, nullum amicitiæ fœdus, cum vllis eius rebus aut hominibus paciscendum, contrarijs planeque pugnantibus rationibus viuendum, quidquid ei affine fuerit proruendum, euertendum, & non secùs ac in bello internecino delendum esse. Iam verò, exitiale istud mundi odium ea omnia concitabunt, quæ de vanitate, fraude, & mendaci eius pellacia passim scripta, & perpetuo vitæ vsu contestata sunt.

2. Proximum est, vt, cùm à mundo, quasi quodam capitalissimi tui hostis succenturiato milite recesseris, quàm proximè ad optimum tuum ducem, vitæque datorem Iesum accedere, & quàm simillimus illi fieri exoptes, ideoque ijsdem quibus ipse, vestibus indui, notis insigniri, ardentiùs cupias. Et verò potestne aliquid vel ad imitationem dignius, vel ad rationem certius, vel ad spem & desiderium excelsius fingi? Deum, Deum ducem præeuntem sequi, quantæ est & fiduciæ, & gloriæ!

3. Illius tamen tui sanctissimi ducis sensum omnem probè perrentatum tenere debes, acuteque perspicere, quantopere crucis & humilitatis amor illi medullitùs insideat, omnique in actione, vita & sermone se prodat. qua de re iam suprà diximus.

4. Quartò, in summa Dei sapientia, veritate, via & vita sequenda nec admitti errorem

rorem vllum posse,& nonnisi ad veram vitam, ac beatam æternitatem peruenire,adeò pro indubitato habendum est; vt etiam omnem ab eiusmodi sancta Dei & D.N.imitatione deflexum,erroris,peccati, extremæque miseriæ initium, fomitem,incrementum præbere,non minùs nobis certum sit.Quo fiet,vt quanto à cruce & humilitate Christi nos abesse, iucundis autem, & ad votum fluentibus rebus abundare viderimus; tanto nos periculosiùs à vera via & vita deuios abetrare timeamus, atque ita à soluta securitate, commoditas & prosperitas vitæ in tantum absit,vt etiam iustam incutiat formidinem,*ne*,quod Magnus loquitur Gregorius,*hic laborum fructus recipiamus,ne quod diuina iustitia latens vulnus aspiciat, & nos exterioribus muneribus cumulans, ab intimis repellat* : ne denique qui diuersa à Domino Deo nostro gradimur via, extremum tandem viæ limitem diuersum, ab eoq; seiunctum sortiamur. Et quoniam summæ infelicitatis plenissimũ istud est,inde fit,vt qui proceduntin spiritu,& seriò Christum Dominum sequuntur, omninò & non ex parte, abhorreant ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur:cumque animos æternitate suspensos gerant, & in vnam Iesu Christi Domini sui conformationem intẽdant, valdè admodum blanda & speciosa omnia pertimescunt;dura verò omnia & aspera,contumelias,iniurias,falsa testimonia, derisiones, opprobria, & id genus despectiones ac ludibria , ardentibus votis ambiunt, illius commilitones, qui incensis crucis amoribus flagrans, exclamabat, Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est,& ego mundo. *lib.5.Mor. c.1.*

Neque verò fieri potest, quin ista de Christo Deo ac Domino nostro sequẽdo cogitatio,seriò suscepta,à quouis hominum,quamuis restitante, euincat, vt id factu optimum, & aggressione præclarum esse fateatur. quis enim adeò cæcutiat,vt præfulgidæ isti veritatis lucimentis oculos valeat claudere? At nõ perinde in facili est, assuetas sensuum delicias aspernari , & blandis honorum illecebris humili pede protritis , ad crucis vexillum auida cupiditate conuolare; hîc cessamus, pallemus, torpemus, omninoque stimulis , ijsque peracribus vrgendi sumus.Huius autem incitamenti necessitas,& nobis probissimè perspecta esse debet,& planè animo defixum,vt quando tantæ perfectionis desideria tam inflammata non sentimus , illa saltem summo , & quanto poterimus conatu in nobis excitare studeamus , nosque ipsos ita comparemus , vt eorum omnium quæ ad eum perfectionis gradum assequendum conducere videbuntur , nihil respuamus. 5.

Quare fixum animo sit necesse est,*admittere,patienterq; cum Dei gratia ferre quascumque iniurias, illusiones & opprobria in Christi insignibus inclusa , à quocumque domi foriśue inferantur.* Quamuis autem hoc magnum & arduum nonnemini videri possit,id tamen est quod quasi minimum,& quasi primum in agendo (quæ enim præcessere magis ad agnitionem spectabant) initium exposcit Beatus Pater: non rarò enim maximarum rerum, non omninò minima debent esse principia : & 6. B Ignat.

profectò, crucis amandæ, Christumque vltrò sectandi, necdum initium posuit, qui ne quidem ad patienter perferenda, nedum vltrò adeunda aspera se comparat.

Hîc tamen obiter sisto, vt moneam, quàm non ociosè in domesticæ patientiæ mentionem incurrens Beatus Ignatius, restiterit, suaque illam commendatione insigniri voluerit, æquissimum esse docens, vt in ea maximè domo, eoque conuictu, vbi obedire, humilitatem exercere, æternam beatitudinem consequi exoptas, huius etiam virtutis, tam in communi vita necessariæ, egregia exempla præbeas. Vidit vir egregiè prudens, multorum patientiam næuo isto laborare, quo, licet ab alienis & ignotis, non iniquè & impatienter multa perferant, à notis tamen, familiaribus, & quibuscum perpetuò viuunt, si quid acerbius obtigerit, extra omnem patientiæ metam prosiliunt. Cuius erroris causas persequi, vt non huius loci est, ita vel maximè est, monere, vt sibi quisque ab isto errore, ac opinione falsissima caueat, putetque nusquam maiora, crebriora & illustriora virtutum exempla prodenda, quàm & in eo, quod sibi perpetuum elegit, vitæ instituto, & apud eos, quos eiusdem cœpti socios & conscios, eademque profitentes est nactus. Vbi labores militares, nisi apud milites, venatici nisi apud venatores, nautici nisi apud nautas exantlantur? Et comperies vsque adeò ineptientes haud paucos, vt cùm, ne verba quidem, à domesticis pati possint, sibi tamen de sua ansint patientia fortia multa promittere? Ignauissimorum, & planè inscientium hominum id esse solet, vt se mentiantur extra omne periculum audaculos, qui mox ad cuiusuis auræ sibilum pauore consternati diffugient inter pocula viri, in acie feminæ. Túne, vt aspernma, vt à quibusuis, & ab efferatis hominibus feras, qui à mansuetis, Religiosis, & ijs quibuscum ad iugum ferendum mansuefactus es, ne quidem leuissimè perstringi, vel obiter vellicari, æquo animo toleras? Quam nactus es Spartam, hanc excole: in quod inuectus es stadium, hoc decurre: qui sibi, qui suis nequam est, an erit alienis bonus? Audi Apostolum, *Bonum facientes, non deficiamus.* — *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* & alio loco, *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Sed ad nostra redeamus.

Galat. 6.
1. Tim. 5.

7. Septimò igitur, non tantùm firmissimum nobis esse debet quiduis ferre & pati, sed & illud sanctè inuiolateque animo sanciendum, vt nemini vmquam talionem, hoc est malum pro malo rependamus, quin potiùs præclaram hanc de nobis victoriam reportemus, vt eos impensiùs beneficijs cumulare amemus, qui nobis vspiam infensiores & iniurij fuerint. Animum nostrum sic assuefaciamus, vt quotiescumque aduersarus nobis aliquis fuerit, quoties à quocumque molestiæ aliquid illatum erit; seriò illicò, & ex animo mente reuoluamus, Ecquidnam sit quod istiusmodi homini in posterum gratius præstare, eamque patientiæ materiam, sincera beneuolentiæ ostensione, ac beneficiorum collatione com-

compensare possim? Certè linguam compescam acriùs, ne quid de illo conqueratur, illatam iniuriam referat, aut vlla in re alia secùs de illo loquatur; laudabo potiùs, atque etiam cauebo, ne vel in intimo mentis deteriùs de illo sentiam: consortium non diffugiam, familiariùs illi me applicabo, & si sexcenties læserit, dicam etiam prodiderit, semper feram, amabo semper, & patientissimi Iesu causa hac exercitatione lætabor. O quantum hoc filiorum Dei testimonium est, quàm certa salutis arrha, quàm gratum spectatoribus angelis certamen! Eúmne putas qui foret eiusmodi, loca vlla vel munia, hominis cuiusquam alienatione fugiturum? grauem & morosum in sermone & conuictu futurum? Ego verò tali viro nihil amabilius, nihil ad venerationem & amorem opportunius esse crediderim. Nitendum igitur vt nostros mores ad hanc normam efformemus, cupideque huius lenitatis tam laudabili pulcritudine mentem nostram exornare studeamus: ascendamus in hanc palmam, apprehendamus fructus eius, fructus honoris & honestatis, vitæ & virtutis. Quòd si humano aliquo & lugendo casu, quæpiam aduersus eum hominem offensio intercesserit, si acerbior sermo, imprudens verbum exciderit, omnino in nos ipsos acriùs id vindicandum, & perquàm ægrè ferendum, quòd in tam salutare sanctumq; propositum, tanta sit à nobis facilitate peccatum.

8. Iam verò, quia virtus, & potissimè tanta, totque ex virtutibus conflata virtus, nostros etiam labores & adhibitos conatus exigit, sola ad res duras perferendas animi præparatio non sufficit, periclitandæ nonnumquam sunt vires, ipsaque exercitatione roborandæ: & quoniam ea est virtus, à qua deliciaria natura nostra & quam maximè abhorret, & quàm celerrimè recedit, continua quædam nobis est diligentia, & non interruptè ad id admouenda, quæ sit eiusmodi vt illarum quæ ad delicias & honores plurimùm feruntur appetitionum stimulus obtundatur, propriæ voluntatis in diuersa rapientis impetus retardetur; asperiora verò, atque multipliciter naturæ iniucunda, non tantùm cùm incurrarint ferantur, sed vltrò etiam perfrequenter aduocentur, cupideque quærantur. in vniuersum autem hæc fient, si, vt Beatus Ignatius loquitur, *Maius ac impensius vnius cuiusque studium sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.* In quo studio quàm non immeritò maximam inesse vim asserat ad tantæ virtutis consecutionem, facilè is obseruabit, qui viderit, quantum eiusmodi abnegatio & mortificatio, ad comprimendos recalcitrantis naturæ motus polleat, quantum etiam, vel asperitates omnes leniat, vel ingratissimas molestias condiat. Sin verò non tantum tibi animi est, vt ad has aggrediaris alacriter, nondum sanè tantum tibi virium suppetit, vt ad eximiam & præcellentem illam Christi Domini nostri in amplectenda cruce imitationem accingi queas. Longiùs adhuc, inter imbellem lixarum & calonum turbam, præclaræ pugnæ spectator otiosus elanguescis: vel hoc igitur audendum, vel apertè verissimeque confitendum, à te cogitatum omnem de tanta

perfectione consequenda esse depositum. Sed quoniam à viro Religioso deponi non debet, id à se impetrare quisque nitatur, vt quoadusque moderatè poterit, insuauia, difficilia, contemta, inhonora, & appetitui ingrata sectetur, donec vsu & frequentatione plurima, rerum earum horrorem & fugam in amorem & appetentiam verterit. Hoc illa sui maior abnegatio, hoc in rebus omnibus continua mortificatio consequetur: ingens quidem ausum, sed ad ingentia & æterna perducens. Maiorem verò dicit abnegationem, vt in ea nullo termino sistatur, neque vmquam factum satis putemus, sed maiorem & maiorem sectemur. Continua verò mortificatio est, non quidem quæ cogitatione, & sollicitudine de industria perpetuetur, sed quæ constanti & inabrupto propositi vigore vrgeatur, præsenti & vigili animo in occasionem oblatam incubans, nec eam è manibus elabi sinens, seu maior illa, seu minor, seu rarior, seu crebrior occurrat, vt extremo c. 2. dictum est.

9. Denique illud postremò, at non in postremis reponendum, vt in ea virtutis acquirendæ palæstra, se à Superioribus exerceri vnusquisque optet, eumque sedulò Superiores exerceant. Quod si obseruaretur accuratè, miros & magnos in virtute prouentus videremus: nunc autem, quod iam aliàs deplorauimus, non est qui sic alios exerceat, quia non est qui sic exerceri seriò velit, blandiùs nobis imperari volumus, nostri rationem haberi, molliùs compellari, amari, honorari, defendi: Superiorum facta & iussa discutimus, in sinistram partem interpretamur, alienis eos impulsibus agi credimus, vindictæ cupiditate, suspicione, simultate, odio, nimiùm delatoribus credulos putamus; peritque omnis illa sancta & Religiosa simplicitas, quæ id omne quod à Superiore proficiscitur, quasi cælitùs ad salutem nostram prouisum, sine cunctatione complectitur. Et sanè, cùm propterea maximè, liberiori vitæ nuncium remiserimus, vt quod soli non poteramus, alienæ saltem opis auxilio, prauas nostras, nimiumque inolitas procliuitates corrigere, omnibusque pertui bationibus deuictis, tranquillatam mentem ad excelsa diuinaque traducere possemus; huius autem tantæ rei perficiendæ duces & commonstratores eos, qui vicariam Dei potestatem repræsentant, prudentissimè nobis elegerimus; quæ nos vsque eò dementat proteruitas, vt derepentè ab omni nos eorum ductu subducamus, diffidamus, & procaciter in contraria ruamus? Nitimur in vetitũ, dicit quidam, & verè nimis! Sed ô miserum naturæ suffugium, & causæ suæ certa damnatio! quàm apertè hoc ipsum est, spiritu incipere, carne consummari! Igitur si nobis probè consultum volumus, Superioribus tradamus nos oportet sursum deorsumque per
2. Cor. 6. quæcumque versandos, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam; vt seductores & veraces, exhibentes nos sicut Dei seruos in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in laboribus, in contumelijs & opprobrijs, scientes eum nos Dominum sequi qui probatus est per omnia, sibique in suam gloriam aditum cruce parauit. Ad huius

nos

nos similitudinem prouehi, idque per Superiores, duris probationibus, varijsque tentamentis debemus. Quòd si hîc indignamur, excandescimus, atque hoc aduersus eos, quos parentum amantissimorum loco habere, nobisque optimè consulere credendum est, eritne de nostra patientia vel in virtutibus progressione, meliora sperandi relictus locus? Ergo statutum omnino sit, vt quidquid ab illis obtigerit, gratissimum nobis accidat, quo fiat vt nostra voluntate perspecta vicissim Superiores, nobis, ad res quascumque, quàm libertimè vtantur, noxia, vtiliáue quæcumque, admoueant remoueantúe, & certum habeant, id omne quod nobis in perfectionis acquisitu defuturum est, diuino in iudicio seuerè ab illis exigendum, quod quanto formidabilius est, tanto videant accuratiùs vt se in animorum commissa cultura fideles & industrios præbeant. Hac autem Superiorum cum inferioribus, in vnum eundemque finem, tam sancta prouidaque conspiratione bene firmata, eximios in absolutæ virtutis progressione profectus existere necesse est.

Atque hæc sunt quæ ad ardentem crucis amorem, in mente nostra conciliãdum firmandumq; maximè conducere Beatus sensit Ignatius; suntq; singula solitariè suis pensanda momẽtis, & perfectè simul omnia mente cõplectenda; adeò vt per se singula cõmendatissima quidem sint, & obseruentur accuratè; at eo modo, vt cõmuni tamen comprehensione, horum omnium generalẽ quandam formam, & quasi perfectæ mundi contemtionis, mirabilisq; humilitatis adspectabilem oculis mentis ideam nobis propositam habeamus, perpetuoq; contẽdamus, vt ad tantæ perfectionis adeptionem, quantum diuinæ gratiæ fauor adspirarit, peruenire possimus: id spectet negotiũ nostrum, id otium, id actiones, cogitationes, preces, ieiunia, contentio omnis, omne desiderium & amor, si qua, tam pretiosum, præcellentissimæ virtutis thesaurum, repertum effodere, peculioque nostro, stabili iure adiungere, felici sorte valeamus. Hæc sit nostrorum summa votorum, hoc die nocteque suspiremus, hanc præ ceteris omnibus gratiam à diuina Maiestate flagitemus.

Contrahamus igitur in pauca id mentis propositum quod adhuc latiùs euoluimus, vt quò nitendum sit, clariùs distinctiusq; noscatur. Sic igitur illud meæ menti obijciam, quasi eiusmodi decretum ipse mihi firmissimè statuã. En, quæcumq; mundi sunt, eiusq; rationes sapiunt, fugiã, vitabo, execrabor, contraria omnia sectabor: Iesum Dominũ Deum meum, veram vitalem viam, quo potero propiùs assectabor, ipsius affectus induã, opera imitabor, humillimoq; me abiectissimũ rependam: ignauiam & tarditatẽ meam stimulabo contẽtiùs: illata patienter ferã; agnoscensq; quantus in iniurijs thesaurus bonorũ lateat, illis qui me impugnarint, quasi beneficio obstrictus, beneuolentior ero: vtq; non assuescam tantũ, sed & duris gaudeam, nullusq; me casus deprehendat imparatũ, meiipsius maiorem abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem, vltrò & instanter vsurpabo. Superiorũ etiam meorum opem sincerè & propẽsiùs im-

implorabo, vt quauis occasione data, imò quæsita subtiliùs, in mei me contemtione, omniumque affectuum expugnatione exerceant, vt viribus animisque coniunctis, præclarum aliquando, de superbissimæ naturæ tumore compresso, trophæum, communi vtrorumque gaudio erigamus.

Isto sic nobis proposito scopo, & præoculis defixo, restat vt ne ocioſi torpeamus, sed eius excelsitate sæpiùs menti obiecta, cupiditatem, & sancta desideria crebriùs & acriùs incitemus, opportunitatem eorum pro modulo nostro exercendorum à Deo postulemus, oblatamque arripiamus auidè; nec cessemus, quin modò hæc, modò ista, naturæ nostræ minùs grata subeamus, sæpè & quasi familiariter ad Domini nostri crucem conuolemus, in eaque, quantum dabitur, quodammodo habitemus: quippe in his duobus, mortificatione scilicet sui exercenda, & Iesu Christi cruce reuoluenda, quàm maximam, & eam efficacissimam vim repositam credo, qua tertium illum summumque humilitatis gradum, comparare, conseruare, adaugere nos oportet.

At verò perspicuum satis est, virum illum qui in isto se gradu firmauerit, iam esse extra omnem propemodum aleam constitutum, omnique rerum humanarum mutabilitate celsiorem, solis diuinæ sapientiæ decretis, quouis in euentu quietum adhærescere, aduersis non frangi, non diffluere secundis, vt de eius in sancto proposito perseuerantia nequaquam dubitari posse videatur.

LIBER

LIBER QVARTVS,

Quatuor potissima humilitatis exercitamenta complectens.

QVæ proximè diximus eò spectarunt, vt quam suo in vitæ instituto humilitatis formam exigeret, & à quo fonte peteret, quibus riuulis eam B. Ignatius deriuaret, videremus; eius autem ad perseuerandum necessitatem, initio docuimus. Iam supereſt vt communiora quædam, alijsque omnibus institutis necessaria proferamus. Quod vt clariùs & præceptionibus ad vsum magis opportunis fiat, quatuor hîc ponam sui aspernandi exercitamenta, vim singulorum indicaturus, & quantum ad perseuerantiam valeant.

Primum est, præ Deo & coram diuinæ maiestatis oculis nihil sibi tribuere: Secundum, nemini se præferre, postponere potiùs: Tertium, se in omnibus accusare: Quartum, actiones viles & abiectas libenter frequentare.

CAPVT I.

De primo humilitatis exercitamento, quod est, seipsum aspernari. & quid illud sit?

HOc primum humilitatis exercitium, præ ijs omnibus quæ ad perseuerantiam vel commendari, vel exigi possunt, non tantùm vtile, sed planè necessarium, ex ijs quæ dicentur videbimus, & quidem eiusmodi, vt naturæ ratione præditæ necessarium, & à sui ortu primo congenitum fuerit.

Nec enim hîc exquisitius aliquid aut elaboratius, quàm ipsam nudam rei veritatem, nostrique in conspectu Dei, hoc est tenebrarum ad primam lucem comparatarum, cognitionem & confessionem requiro. Qua profectò fiet, vt cùm ea omnia, quæ propriè nostra, & à nobis, non autem Dei, & à Deo sunt, seposuerimus, reperiamus id omne quod est bonum, sanctum, perfectum, Deo esse tribuendum; nobis verò id vnum supereſse quod malum, vitiosum, prauum, distortum fuerit: estque id promiscuè, in rebus planè omnibus, adeò verum, vt nihil sit quantumcumque exile, nulla rei vllius pars, consilium, susceptio, progressio, sustentatio vel exitus, vbi sibi propriæ laudis portionem aliquam suam vendicare possit quisquam, nisi merè puréq; referendo in Deum,

ſine quo, non quidem hoc vel illud, ſed planè nihil poſſumus facere, ideoque meritò Deo ſoli honor & gloria, qui ſi coronat hominum merita, quid aliud quàm (vt loquuntur Sancti) dona ſua præmiatur? atque inde in clariſſima, qua perfunduntur æternitatis luce, beati ſpiritus, procidentes & adorantes mittunt ſuas coronas ante Dei thronũ, veriſſimè concinentes, *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Annon cuncta, vel naturæ, vel gratiæ bona, vltrò & prior nobis dedit? vt ſiue naturæ, ſiue gratiæ quidquam adfuerit, ab illo proficiſcatur, conſeruetur, vigeat, eiuſque laudibus, quantum quantum eſt, meritò ſeruiat. Nobis igitur, qui nihil ex nobis habemus, nec in totum, nec in partem gloriæ veniendum eſt, cauenda omnino, ex cuiuſcumque rei benè geſtæ occaſione omnis elatio, dumque quod alienum & Dei eſt non ſuffurabimur, intra noſtrum nos modulum continentes, agnoſcemus, nudos, imbelles, imbecillos, omnium rerum indigos, in mala quæuis pronos & præcipites, nihil nos niſi vaniſſimam boni omnis inanitatem, putidamque vitiorum omnium eſſe ſentinam: hinc à nobis nihil boni effici, & fermè id omne inſici, quod per nos fieri bonus decreuerit Deus.

Apoc. 4.

Hæc autem, vt veriſſima, ita animo noſtro conteſtatiſſima & præſentiſſima ſint oportet, tantúmque apud nos poſſint, vt mendaci ſuperbiæ, falſis blanditiis illudenti, aditum obſtruant, iuſtúmque, vt mox dicemus, timorẽ incutiant, ne ſimul, & bono, quod conceſſum fuerat, excidamus, & ſuperbiæ grande crimen incurramus. Dixit rex quidam, ei ſimilis qui ſuper omnes filios ſuperbiæ rex eſt: Nónne hæc eſt vrbs magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Audiuit quidam aſſentatores dicentes, Vox Dei & non hominis; & non repreſſæ laudis placuit falſitas. At hic cælitus percuſſus, vlcere fœdo interiit: ille verò, dum ſibi celſior hominibus ingredi, ipſumque propè cælum vertice tangere videtur, infra ipſos quinetiam homines, ad beſtias, & ferarum pabula, depulſus amandatur, donec malis eruditus, exclamauit, *Laudo, magnifico, glorifico regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Sequamur eum veriora & ſanctiora ſentientem, ſemperque dicamus, Dominus ipſe fecit nos, & non ipſi nos, Dominus ipſe Deus virtutum, in Domino laudabitur anima mea, non in gladio meo, non in arcu meo, ſed in Domino ſperans non infirmabor, omnia opera noſtra operatus eſt in nobis, ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, illi honor & gloria, ab omnibus, & in omnibus in æternum.

Dan. 4.

CA-

CAPVT II.

Cur adeò in nostri existimationem propendemus: & quàm id veritati atque rationi repugnet.

CVm nemo sit qui humanæ conditionis inopiam & egestatem summam suo ipsius experimento non sentiat, non immeritò quæri potest, quid causæ sit, vnde plerique omnes vsqueadeò ad hoc propendemus, vt ipsi nobis multa tribuamus, gloriam rerum benè gestarum nobis arrogemus, & inani superbiæ tumore distendamur?

Sed hoc, vt in rem quamprimùm veniamus, præclarissimè nos docuit B. Augustinus, id ipsum altiùs, atque, vt opinor, à primo principio reperens. Quodam enim loco, aduersus loquacem quemdã Iulianum Pelagianum scribens, verissimè docet, in hac tota nobis adspectabili & à Deo creata machina, nihil esse rationali mente præstantius: vnde consequens est, vt quoniam omne bonũ est expetibile, illudque magis expetibile, quod melius est; nihil homini sit in rebus creatis magis expetendum, quàm suæ ipsius mentis bonũ: ex quo id etiam efficitur, vt mens bona magis sibi placeat, magisq; se ipsa delectet, quàm quælibet alia creatura. Et ita quoniam nihil ipsi seipsa propiùs est, ideo eam sua ipsius bona quàm maximè afficiunt: quoniã se quàm maximè amat, ideo sibi somnia fingit, procliuis vt aliena mentiatur esse sua, vt mala dissimulet quasi non sua, vt parua & mediocria in immensum extollat, vt diuinitus accepta, quasi suo iure sibi comparata vendicet. Cumque in rebus humanis nihil virtute præstabilius esse videat, præ ceteris omnibus vnusquisque exambit vt illa instructus esse censeatur, nec tantùm, sed quia vix eam laudem iustam credimus, quæ ex alieno prouenit, eam sibi suaque industriæ, quantum potest, acceptam ferre nititur. *Tom. 7. l. 4. c. 3.*

Atque vt videas quò impietatis istæc gloriæ cupiditas, & seipsum extollendi ambitio nos impellat, audi quemdam è philosophorum, sapientum scilicet virorum, placitis dissertantem: *Iudicium hoc omnium mortalium est*, inquit, *fortunam à Deo petendam, à se ipso sumendam esse sapientiam.* ideoque ait, numquam quemquam Herculi decumam vouisse vt esset sapiens. Pænè contestari liberet, vt quid ergo laudatur ille philosophus, qui problematis Mathematici demonstratione inuenta, bouem diis, gratias acturus, sacrificauit? At nihilominùs præfractè affirmat; *Virtutem nemo vnquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, nisi id donum à nobis, & non à Deo haberemus. At verò, aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali, cùm diis gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumtum arbitramur. Num quis, quòd bonus vir esset, gratias diis egit vnquam?* Hæc & plura id genus iste impiè & insipienter sapiens euomit: quid, malum! *Cic. 3. de Nat. Deor.*

illud est? hanc à nobis mentem procul amoue, Domine Deus noster. fortunam, diuitias, huiusque perituræ vitæ quisquilias, à te deposcemus, & angusto contemnendarum rerum fine, liberalitas diuina concludetur? diuinarum, & ad immortalitatem conducentium virtutum, quibus tua summa perfectio exundat, partem nullam, inindigentissimos homines deriuabis? quàm peruersè de te sentit, qui ita sentit Domine Deus meus! quàm insanus laudis amor, qui sic insanire cogit! quid enim, ô acutissime virorum, cur virtutem acceptam Deo referre non vis? quia, inquis, propter illam iure laudamur, in illa rectè gloriamur. Heu, quàm verè illud tibi ex nostris regero, *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Hoc enim concupiscere vanissima vanitas, hoc sentire mendax falsitas, hoc eloqui impudentissima blasphemia est. Hæc tamen, ecce nos adducit immodica & inconsiderata laudis cupiditas, à qua (si sapimus) tantò recedemus longiùs, quantò fœdiores, magisque in atheismum præcipites eius progressus vidimus.

Quid magis gratitudinem debet parere, quàm gratia? & quæ maior, quàm quæ bonum donat maximum, gratia? bonum autem, quamdiu mortalem vitam viuimus, quod maius esse potest, quàm virtus, qua æternam gloriam, & diuinam meremur adoptionem? vnde igitur, nisi ob virtutem, magis in Deum grati esse debemus? quam tamen si nobis arrogamus, nónne (qui summus ingrati animi gradus est) à nobis esse beneficium acceptum negamus? nónne ex ipsis datis, contra donatorem impudentiùs an arrogantiùs assurgimus? si grande nimis peccatum filiorum Heli dicitur, quia sacrificij Deo offerendi, partē sibi capiebant: si Simon ille in perditionē amandatur, quia donum Dei credidit pecunia possideri posse: quantum erit peccatum illud, quo non sacrificij pars, sed totum ipsum diuinissimum donum, non pecunia, sed inanis auræ populari iactantia interuertitur, & à iustissimo Domino subductum sacrilegè vsurpatur?

1. Cor. 6. Vrgebat sanctus Apostolus quosdam: *An nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Nónne idem & verissimè dixero? *Glorificate & portate Deum* in animis vestris. *An nescitis, quoniam* * animæ vestræ, *templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Quid ergo? Spiritum sanctum, quem dono Dei, & quasi pronuba virtutum gratia possides, adulterinæ ab hominibus captandæ gloriæ causa, superbiæ tuæ segetem & administrum facies? Absit: non est donum Dei, imò Deus inhabitans, tam contemtim, tam abiectè habendus, vt vel pecunia, vel gloriola æstimetur. Ita est planè: at nihilominus, est cur acriùs nobis indignemur, aut etiam sortem nostram miseremur, quos perfacilè in eandem voraginem incursans aliquis vani honoris æstus absorbet: vnde verissimè

* Apud Apost. legitur, membra, nō animæ.

Orat. 7. Gregorius ille Theologus dixit, *Sæpè gratia ipsa, (quod omnium malorum miserrimum est) fastum nobis & elationem parit, sicq; à Deo, ad quem non vt decuit accessimus, exturbat & deijcit, atque ita dum extollimur corruimus: vt fiat supra modum peccans peccatum,*

catum, nimirum, per id quod bonum est, mihi necem afferens. Quod postremum latè & pulcrè alter Gregorius, *Sæpè reprobis accidit, vt, si quando vnum quodlibet bonum, vel minimum faciant, à malis suis omnibus respectum mentis protinus auertant, atq; hoc quod vel extremum bonum fecerint, tota intentionè semper inspiciant, & ex eo sese iam quasi sanctos aspiciant, obliti malorum omnium quæ commiserunt, vnius sui tantummodo boni memores, quod fortasse facere, nec perfectè potuerunt. Sicut euenire contrà electis solet, vt cùm multarum virtutũ gratia polleant, vnum eos vel tenuissimũ vitium valdè defatigans pulset: quatenus dum ex quadam parte sese infirmari considerant, de his virtutibus in quibus præualent, se minimè extollant: dumq; de infirmitate trepidant, hoc quoque vbi fortes sunt, humiliùs seruant. Sæpè ergo reprobi, per quod vnum vel minimum bonum suum, incautè conspiciunt, mala multa & grauia, in quibus demersi sunt, non agnoscunt. Et sæpè electi, per hoc quod ad tenuissimum malum suum infirmari trepidant, mira dispensatione agitur, vt magna bona, ad quæ prouecti sunt, non amittant. Iusti itaque, & occulti examinis mensurâ disponitur, vt & istos mala adiuuent, & illos bona grauent, dum & isti ad prouectum boni vtuntur leuibus malis, & illi ad augmentum mali vtuntur minimis bonis. Isti quippe, inde perfectiùs in bono proficiunt, vnde de malo tentantur: illi autem, inde ad maius malum deficiunt, vnde de bono gloriantur. Sic itaque malè bono vtitur reprobus, & benè malo vtitur probus: sicut sæpè contingit, vt alius ex cibo salutifero inordinatè sumto, pestem languoris incurrat; alius veneno serpentis, in medicamine ordinatæ confectionis adhibito, languoris molestiam vincat. Ille ergo, qui cibo salutifero vti rectè noluit, inde perniciosè moritur, vnde alij salubriter viuunt; iste autem qui veneno serpentis cautè vti studuit, inde salubriter viuit, vnde alij perniciosè moriuntur. Venenum ergo serpentis, non ipsam nequitiam, sed suggestionem nequitiæ dicimus, qua nolentes sæpè renitentesq; tentamur. Quod tunc in medicamen vertitur, cùm mens virtutibus erecta, conspectis contra se tentationibus, humiliatur. Iniqui igitur, atque ab approbatione interni examinis reprobi, quælibet opera faciant, in quibuslibet virtutibus enitescant, humilitatis sensum penitus ignorant; quia videlicet Leuiathan huius membra sunt, de quo superna voce dicitur, Omne sublime videt.* Lib. 34. Moral c. 17. Iob 41.

Hinc igitur videmus quàm præter rationem & à natura sit alienum, quando ipsa virtute, qua nihil hîc est homini melius, ad vitium, quod extremum est malorum, abutimur, & ex radice vitali fructus mortiferos carpimus: quod semper euenit, quoties virtutum nostrarum laudem ipsi nobis arrogamus, vnde sapienter factum vt id vitium arrogantia diceretur: estque, vt ait idem sanctus Pater, à veritate semper aliena, iniusta, præuaricatrix, diuini iuris vsurpatrix impudens. Veritas hominem humiliat, exaltat vanitas, vt docet B Bernardus; grauis est curatio per humiliationem, sed grauior superbiæ morbus: si candens ferrum, ne peste pereamus admittimus, salubrem humiliationis amaritiem, ne superbiæ veneno corripiamur, epotemus. Sed ab eodem Bernardo nondum recedamus, audiamus quàm desipiunt & errant quicumque superbiunt. *Ad se humiliandum, inquit, nihil anima inuenire vtilius, seu accommodatius* Lib. Mor. 24. c. 10. seu 24. Serm. 20. de diuer. Humil. 36. in Cant.

poteſt, quàm ſi ſe in veritate inuenerit: tantùm, non diſſimulet, non ſit in ſpiritu eius dolus, ſtatuat ſe ante faciem ſuam, nec ſe à ſe auertere abducatur. Nónne ſe ita intuens clara luce veritatis, inueniet ſe in regione diſſimilitudinis, & ſuſpirans miſera, quam iam latere non poterit quòd verè miſera ſit, nónne cum Propheta clamabit ad Dominum, In veritate tua humiliaſti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cùm ſe perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum face infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſſitatibus ærumnoſam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes? Vnde huic iam extollentia oculorum, vnde leuare caput? Nónne magis conuertetur in ærumna ſua, dum configitur ſpina? Conuertetur inquam ad lacrymas, conuertetur ad planctus & gemitus, conuertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Sed de hac veritate agnoſcenda, ſuo loco dicemus: nunc id allatum ſit vt mendacem eſſe ſuperbiam, veritatique atque rationi repugnare fateamur: audiamuſque quàm verè, & ad virtutis naturam conſonè, dixerit B. Nilus: *Fructuum multitudo ramos arboris inflectit, & virtutum copia ſenſum hominis humilem reddit. Fructus putris ingratus eſt agricolæ, & virtus ſuperba diſplicet Deo. Ramum fructibus onuſtum palus ſuſtentat, & animum virtutibus ornatum timor Dei.* Ecce quàm à fiducia ſui & arroganti cogitatu diuerſa ſunt iſta.

B. Nilus de ſuperbia.

Audiamus etiam quod nos verè monet & docet D. Bernardus, vt à noſtri exiſtimatione longiùs recedamus. Laudat eos qui multa cùm præſtẽt ſe minùs omnibus facere conqueruntur: & addit, *Quantum, putas, illos admiror, quantũ veneror in corde meo, quantũ amplector caritatis affectu, qui velut neſcientes eos, quos* tepidiores aut infirmiores *ſecum quotidie vident; vnum fortè, aut duos, ſeu etiam plures, quos in maiore feruore ſpiritus viderint, ſibi ex omnibus eligunt; & cùm ipſi fortè meliores ſint, ſemper tamen illorum ſibi præponunt & proponunt in Domino ſancta ſtudia, & exercitia corporalia, ſeu etiam ſpiritualia. Memini me altera quoque iam vice dixiſſe, ſed iterum repetere non grauabor, quàm ſublimi aliquando meditationi monachus quidam laicus, toto intendit ſpatio vigiliarum. Etenim ſummo manè, apprehenſum me in auditorium trahit, & proſtratus pedibus, Væ mihi, inquit, quia monachum in vigilijs vnum conſideraui, in quo triginta virtutes numeraui: quarum ne vnam quidem in me inuenio. Et fortaſſe nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipſa erat, religioſæ æmulationis humilitas.* & mox: *Quid enim tota die ſuper id quod vidêris habere, inſipienti cogitatione verſaris? Eſto magis ſolicitus quid deſit tibi. Hoc enim melius. Vtinam, fratres, ſic nos eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus certè, & multum debuimus vincere in bono malum, & tanto amplius deſiderare, quanto pretioſius eſt quod deſideramus: ſed vtinam vel æquales eſſe poſſimus. Magna enim eſt confuſio, magna valdè, quòd ardentiùs illi pernicioſa deſiderant, quàm nos vtilia: citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam. Quanto*

Serm. de altitudine, & baſſit. cordis.

enim

enim pecuniæ desiderio crucietur auarus, quanto gloriæ appetitu ambitiosus exæstuet, quàm violenter denique sua trahat quemque voluptas, quis explicet? Videas certè eos, quidquid adepti sunt parùipendere, non attendere, quanto labore & desiderio, ea vix tandem consequi potuere; quoniam vilescunt eis omnia, præ desiderio, minoris fortè rei, quam alteri cœperint inuidere. Et tu ergo non magnopere cogites, quæ tibi vidêris habere, nisi fortè interdum vt gratias agere possis, & te noueris debitorem ei qui dedit.— — De cetero, ea semper magis attende, quæ alius habet, tu non habes: quòd hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elonget, magis autem & accendat desiderio proficiendi.— — Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Hæc D. Bernardus: quæ secundo etiam humilitatis modo, & apprimè seruiunt, huic verò eatenus, vt ne nostris bonis intuendis assuescamus, nisi si penitus in Deum illa retulerimus: & simul agnouerimus exile admodum esse id omne quod nobis adest, multiplex autem & plurimum esse quod deest. quam in rem fusè admodum Magnum Gregorium legere est Moralium libro 24. cap. 6.

Iam verò, si vel immane superbire vel desipere, pannosus ille pauperputaretur, qui ad propendentem laciniam assuto purpuræ panniculo fastosus incederet, quid de nobis existimari par est, si maximarum indigi virtutum, vitiorum plurimorum inolita tabe confecti, insitæ nostræ inopiæ immemores, minima virtutis vmbra protinus extollimur; continuoque, quasi si vel tantillum bonos esse tæderet, corruimus? Etenim superbi, ipsa sua, qua eleuantur, superbia deprimuntur, & magis ad ima corruunt, dum ab excelso, superbiendo recedunt: vnde Psalmista, Deiecisti eos, inquit, dum alleuarentur: non dixit, Postquam eleuati sunt: mora nulla fuit opus, ipse in sublime volatus ad infima deiectio erat, nec culpam sequitur pœna, sed ipsa sibi pœna est superbia. Ideoque & benè ab alio Propheta dicitur, Quo pulcrior es, descende, & dormi cum incircumcisis. Qui enim fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit, sed per elationis factum virtutis suæ gloriam attendit, vnde pulcrior est, inde descendit. At verò amator humilium Dominus Iesus, viri humilis *miserebitur: & dicet*, pro eo apud Patrem intercedens; *Libera eum, & non descendat in corruptionem: inuêni in quo ei propitier.* hoc est, interpretante D. Gregorio; *Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim iustè descenderet, si suis viribus longè se à corruptione esse iudicaret. Sed quia corruptioni appropinquauit humiliter, debet ab ea misericorditer liberari: vt eo contra impugnantia vitia fortis sit, quo se suis meritis agnoscit infirmum.* Sed ad alia pergamus.

Ezech. 32. Greg. 24. Mor. c. 3.

Iob 33.

CA-

CAPVT III.

Damnorum ingentium & ruinæ causam ex eo esse, quòd bona nostra nobis arrogamus.

Diuus Basilius ad extremum orationis de abdicatione rerum, grauissimam sententiam profert; *Animi in virtute progressus, in humilitate progressus est: contraq; in postremis relinqui, & inhonoratum esse, id non aliunde, quàm ex elatione progignitur.* Quæ verba si diligentiùs perpendantur, generatim summatimq; tum fructus humilitatis mirabiles, tum incredibilia superbiæ damna demonstrant; ex illa enim bonum & felicitas, ex hac omne malum, & extrema pernicies pullulat. Sed paulò propiùs ad rem accedendum, & quomodo id fiat ostendendum.

Ac primò quidem id statuendum est, superbiam nostram efficere, vt parciùs in nos dona Dei deriuentur, & quasi angustiore alueo defluant, vt magno consensu docent viri Sancti. Quare diuus Bernardus monet: *Dicitur, Noli nimium iustus esse. Non quòd iustitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona, & munerum Dei copiam gratia temperari, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid est, quòd incessanter orantes & supplicantes, non possumus ad eam quam desideramus gratiæ abundantiam peruenire? Putatis quia auarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsus absit: sed ipse cognouit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis.* Et hoc ipsum argumentum piè admodum tractans D. Bonauent. *Non est mirum, inquit, si inopes simus virtutum, cùm matrem & custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quòd ille qui diues est in misericordia Pater cælestis, qui etiam pro dilectione qua dilexit nos, proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid, inquam, causæ est, quòd nos tam inopes gratiarum & virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum, aut desidia nostra in causa est, quòd non instanter quærimus eum vt debemus; aut superbia, quia, etsi quærimus instanter, videt tamen Deus, nos pronos esse, vt inde extollamur, & fieret nobis ipsa donorum eius sublimatio altioris causa ruinæ. Altiora ædificia profundiori fundamento indigent; & arbor excelsa si radicata profundè non fuerit, faciliùs ventorum impulsu euertitur. Qui ergo citò desiderat virtutis culmen attingere, studeat se in humilitatis fundo solidare: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* En quomodo piâ Dei misérentis prouidentiâ fieri dicat, vt copiosior gratia superbo negetur, ne grauiore inde ruina opprimatur, mutetúrque in venenum qui copiosior cibus esse debuerat: nam & frequens esse solet, vt qui vicioso febris calore æstuat, saluberrimo vini potu pereat, quo debiliores sanorum vires percommodè firmarentur. Eadem etiam ratione vtitur magister ille morum Gregorius, iustiorem in dispensanda gratiarum varie-

Homil. 4. in psalm. qui habitat.

l. 2. de profec. Relig. c. 33.

tate

tate causam non reperiens, quàm vt propterea quædam eximia dona non dentur, atque etiam inemendata nonnulla relinquantur, quò certiùs & à superbia remoueamur, & in humilitate firmemur, nobisque aliqua saltem certa, licet intra modum, bona perdurent, potiùs quàm pluribus onerati, tantoque ponderi impares, omnibus excidamus, diuitiis inopes, & elatione deiecti. *Quid est hoc?* inquit vir ille sanctus, *quod iste eo bono indiget, quo alius pollet: & ille cùm multis polleat abundè, alijs bonum adesse considerat, quod sibi deesse suspirat? nisi quòd mira nobiscum dispensatione agitur, vt per hoc quod alter habet, & iste non habet, vnus altero melior ostendatur: quatenus tanto ardentiùs ad humilitatem quisque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat. Sicq; fit, vt dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona, & ab altitudine elationis reprimant, & ad studium profectus accendant.* Lib. 14. Mor. c. 6. seu 10. Multa sæpè in eandem sententiam repetit Sanctus idem, quæ non in eum solum sensum accipi velim, ac si nos arcere tantùm à ceterorum contemtu velit, & commendare vt eos plurimi ducamus, sed etiam, vt hinc agnoscamus non esse nostri arbitrij, nostræque potestatis hanc omnem donorum virtutisque possessionem, idque totum, quod fortè permodicum nobis adest, aliò esse referendum, & laudem auctori suo reddendam. Quod ipsum disertè docens D. Augustinus, ait, *Nos autem, quantum concessum est sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum, ideò, etiam sanctis suis, alicuius operis iustitiam non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, vt cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ illorum, & suauitatem, qua det fructum suum terra eorum.* Lib. 2. de pec. mer. & remis. c. 19. Et non ita multis interiectis, pergit; *Quis dicet illi, Quid fecisti? cui misericordia & iudicium pia sanctorum mente cantatur? Idcircò etiam sanctos & fideles suos, in aliquibus vitijs tardiùs sanat, vt in his eos, minùs quàm implendæ ex omni parte iustitiæ sufficit, delectet bonum, siue cùm latet, siue cùm etiam manifestum est: vt quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iustificetur in conspectu eius omnis viuens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam; ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod eius est. Qui error multum est religioni pietatique contrarius. Nec ideò tamen in ijsdem vitijs nobis permanendum esse existimemus, sed aduersus ipsam maximè superbiam, propter quam in ijs humiliamur; & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes, & quod sic conamur, & quod sic deprecamur, dono illius nos habere, vt in omnibus, non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo gloriemur.* Etenim, vt ait D. Chrysostomus, *Grati serui est argumentum, nihil suum putare, sed omnia domini; nihil proprium ducere, sed omnia domini.* Lib. de virg. to 5. Verùm hæc dixisse sit satis vt tenuiores diuinæ gratiæ riuulos per hunc superbiæ modum reddi fateamur, iam etiam inde grauissimos lapsus, & extremam miseriam erumpere solere videamus: vbi autem, vel de humilitate, vel de superbia sermo erit, quamuis nihil vetat generatim intelligi, pro-

prìè tamen de hoc ipso, qui bonorum originem respicit, modò potest accipi.

Gr. 21. & 22.

Cur enim non de hac potissimè loqui putem Climacum cùm ait; *Superbia, malorum omnium dux, princeps & consummatio est, sterilitatis augmentum, diuini adiutorij expulsio, lapsuum ministra, casus materia, delictorũ custos, Dei aduersatrix.* vel, vt D. Bernardus, *Serm. 6. in Ps. qui hab.* est *subtile malũ, radix iniquitatis, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, luoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* vel, vt idem alio loco; *In sua declam.* *peccatum est diaboli, quo ceciderunt qui operantur iniquitatem. Hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet; vlcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari.* Atqui *est superbia, & delictum maximum, vti datis quasi innatis, & in acceptis beneficijs gloriam vsurpare benefici.* Subtiliter *Idem de dilig Deo.* & eleganter librum totum duodecimum de ea scripsit Cassianus, eamq; depopulatricem & virtutum omnium interemtricem vocat: *Cap. 3.* *Nullum est, inquit, vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaq; iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, vt superbiæ malum, tamquam generalis quidam ac pestifer morbus, non vnum membrum, partemue eius debilitare contentus; sed solidum corpus letali corrumpit exitio, & in virtutum iam fastigio collocatos, grauissima ruina deijcere ac trucidare conatur. Omne namque vitium, suis est terminis & fine contentum, & licet contristet alias quoq; virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit, eamq; specialiter opprimit & impugnat.* *Eadem Greg. Mag. l. 34. Mor. c. 18.* *— — concupiscentia gulæ, temperantiæ rigorem corrumpit; castitatem, libido contaminat; ira, patientiam vastat: vt nonnumquam vni quis deditus vitio, alijs virtutibus penitus non destituatur, sed illa tantùm virtute truncata, quæ ei diuerso æmulo repugnante succumbit, reliquas posit vel ex parte retinere. hæc verò cùm infelicem possederit mentem, vt quidam sæuissimus tyrannus, sublimissima capta arce virtutum, vniuersam funditus ciuitatem diruit atque subuertit: & excelsa quondam sanctitatis mœnia, vitiorum solo coæquans atque permiscens, nullam deinceps imaginem libertatis, animæ sibi subditæ superesse concedit: quantoq; ceperit ditiorem, tanto grauiori seruitutis iugo subditam, vniuersis virtutum facultatibus crudelissima depræ dationenudabit.* Vt verò hoc totum exemplo clariùs constet, tantæque ruinæ causis perquisitis, morbo medelam afferat, ea docet quæ huic aptissima sunt instituto: Nempe grauissimæ huius tyrannidis tantam esse potentiam, vt supremus ille angelus, qui splendoris ac decoris eximiâ prærogatiuâ Lucifer nuncupatus est, non alio fuerit quàm hoc telo cælitus deiectus, & ab angelorum, tam sede, quàm sorte felici, ad tenebricosos, impietatique in æternum destinatos carceres, miserè detrusus. Tantum videlicet vna potuit cordis elatio. *Ibid. c. 4.* *Bern. hom. 54. in Cant.* *Sic actum est in angelo: quid me fiet, terra, & cinere? ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quàm in paupere ducat? Væ mihi: si tam durè in potentem illum animaduersum est, pro eo quòd eleuatum est cor illius, nec ei profuit, quòd cognata potentibus superbia esse cognoscitur; quid de me exigendum, & misero & superbo?* Nec minùs acriter ab alio monemur;

mur; *Consideret homo, quid elatus in terra mereatur, si & prælatus angelis angelus, in cælo prosternitur. Vnde & benè per Prophetam dicitur; Inebriatus est in cælo gladius meus: ac si apertè diceret, Qua ira feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in cælo iuxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci.* Sed cuiusmodi fuit istud elationis vitium? Idem Cassianus verè & dilucidè id exponit, vestigiis & verbis eius insistatur. Vidit Lucifer, diuina se claritate indutum, atque præ cæteris angelis, splendore sapientiæ, virtutum pulcritudine, gratiæ largitate, naturæque perfectione præfulgentem; vidit, & se mirando suspexit, & nimium quantum amauit: exinde illa sibi, vt naturæ debita, arrogare; vt congenita & propria, vendicare, ac præcelsum, à cæteris, honoris gradum postulare aggressus est: puduit, id tantum boni, conditoris gratiæ referre acceptum; puduit subditum esse Deó, cumque sibi vni cetera omnia concedere videret, ne quidem vni illi cedere voluit, ab illo sua omnia esse & conseruari oportere, non sustinuit fateri. Atque hinc (quod solius est Dei) quasi nullius, & ne quidem diuini auxilij indigus, liberi sui arbitrij sola facultate confisus, à se sibi omnia ad beatam perennitatem conducentia suffectura credidit. Hinc desertus à Deo, quo egere se diffitebatur, instabilis repentè & nutabundus effectus, & infirmitatem propriæ naturæ persensit, & beatitudinem qua Dei munere fruebatur amisit. Et quia dilexerat verba præcipitationis, quibus dixerat, In cælum conscendam; vel linguã dolosam, qua vel de se dixerat, Ero similis Altissimo; vel de Adam & Eua, Eritis sicut dij: propterea Deus destruet illum in finem, euellet eum, & emigrabit de tabernaculo suo, & radicem eius de terra viuentium. Tunc ruinam eius videntes iusti timebunt, & super eum ridebunt, dicentes (quod etiam ad hos qui se sine protectione auxilioq; Dei summum bonum perficere posse cõfidunt, iustissimè dirigetur) Ecce, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. O ruinam ruinarum omnium maximam, qua filius primogenitus ille, cuius operimẽtum lapis omnis pretiosus, qui veluti Sol inter stellas, ita propè inter angelos lucis emicabat, ecce vno superbiæ afflatu fulminatus, factus est princeps tenebrarum, execratio sæculorum! Verissiméque scriptum: *Omnis peccati initium superbia. Per hanc enim Lucifer succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit: eoq; telo salutem nostræ immortalitatis impetijt, quo vitam suæ beatitudinis exstinxit.* — — *Nec vlla in publicum mala prodirent, nisi mentem in occulto superbia constringeret.*

Greg. l. 32. Mor. c. 18. seu 26. Isa. 34. Psal. 51. Isa. 14. Genes. 3. Psal. 51. Ibid. Eccl. 10. Greg. l. 34. Mor. c. 18.

Angeli ruinam audiuimus, addamus etiam homines angelis proximos. Magnus ille Ioannes, obedientiæ perfectæ typus, prophetiæ dono, & Theodosij Magni veneratione percelebris, multa in hanc rem præclarè apud Palladium disserit. *Oportet*, inquit, *nos hic contemnere, cùm paulò pòst eamus ad vitam æternam: nec oportet aliquem efferri ob ea quæ rectè à se gesta sunt, sed semper esse humilem. Expectabam eum, psallit Dauid, qui saluum me fecit à pusillanimitate & tempestate.* Refert etiam plures, qui propter arrogantiam, vt loquitur, exciderunt à scopo: atque ex

In Laus. à c. 43. Psal. 54.

illorum numero quemdam, qui cùm in orationis & virtutum perfectione plurimùm profeciſſet, cœpit paulatim ſibi fidere; quo factum eſt vt humiliratis & diuini auxilij præſidio nudus, mox à dæmone in fraudem non ægrè ſit inductus, ita vt illecebroſo luxuriæ deſiderio ſuccubuerit: protinuſque audita ſit exultantium de ſcelerata victoria dæmonum multitudo inſultans, & inconditè vociferans: Qui ſe exaltat humiliabitur: exaltabaris ad cælos vſque, humiliatus es vſque ad abyſſum. Quibus clamoribus, ſecùs quàm oportuit, effectum eſt, vt abiecta ſpe ſalutis, miſer ille cupiditati frænos laxarit, omnemque de vita corrigenda cogitationem depoſuerit. Refert & aliud, licet exitu minùs lugendum, non tamen minùs ad cauendam ſuperbiæ decipulam congruens. Monachus quidam erat, multos iam annos auia in ſolitudine, piè admodum, & ex virtute, Deo ſoli viuens, ſoli fidens, totamque ſuam cogitationem adeò in eum transferens, vt non aliunde, quàm ab ipſo cibum vel ſperaret vel ſumeret: eum enim quoties opus eſſet, angelico delatum miniſterio, poſt orationem in ſpeluncam rediens reperiebat. Sic ergo omni cura ſolutus, propemodum ſomni expers, æternorum contemplationi immerſus, & ſibi vacare pergebat & Deo. At ecce, quem plurium annorum dura ſolitudo, vigiliæ, tentationes, ieiunia non fregerant, emollire ſenſim cœpit longa ſecuritas, & vt ipſe ſibi fideret perſuadere; atque hinc ad ruinam fit inclinatio, mox etiam prolapſio. Et quidem, vt nemo derepentè fit improbus, primùm aliquantula quædam ei inſerpit animi remiſſio, ſic vt ne quidem remiſſio eſſe videretur. Maior deinde, & quæ facilè ſentiretur, negligentia exoritur, tardiùs à ſomno ſurgit, oratio eſt otioſior & breuior: quietem ipſe ſibi ſuggerit, mens facilis vltrò annuit, fluctuant & vagantur cogitationes, & turpiculi neſcio quid ſeſe inſinuat. verùm prior aſſuefactio, velut quidam ex priore incitatione motus, exercitatorem adhuc intra metas continet; ac etiam veſpertino precum penſo perſoluto, panem diuinitus apponi ſolitum reperit. Benignitate hac creuit ſecuritas, & cum ſecuritate tentatio. iam non inuitas turpia ſuggerenti, præbet aures; paruiſque ducit praua cogitare auidiùs, dum ne perpetret; at mox lapſu lapſum prouocante, ad regionem incolis frequentem aſpirat. Se tamen in diem ſequentem cohibet, qua diluceſcente, vetus etiamnum conſuetudo obtinuit, vt oraret, & conſuetos hymnos diceret. quibus peractis, (ô clementiſſimam Dei prouidentiam!) appoſitum ſibi panem reperit, ſed neque purum, neque diligenter de more confectum, verùm ſordidum & inquinatum: miratus eſt, & indoluit, ſumſit tamen, & ſe refecit. Proximaque nocte grauioribus in eum irruentibus tentationibus, grauiùs quoque lapſus eſt, ſic vt peruerſæ voluntati ſola deeſſet occaſio: ac nihilominus tertia die poſtquam experrexiſſet, inſtitutum ſemel orandi curſum peregit, hymnodiam pſalmoſque concinuit; ſed neque amplius ea oris modeſtia, & mente quaquauerſum vagè aberrante, iamque præ cæleſtibus,

ſtibus, ad corporis delicias reſpectante. Ecce autem, etiam tunc ad veſpertinam horam, paratum & appoſitum panem reperit, at ſordidum illum, & velut à muribus & canibus corroſum, micis etiam, quaſi in lacerationis indicium, ſparſis foris. quàm ſeuera fuit illa, & ſimul amica monitio, quàm expreſſa deperditæ ſanctimoniæ, animæque dilaceratæ imago! necdum tamen potuit, tam leni medicamine, ſuperbiæ virus euomi. Quid enim? vidit, & intellexit; ingemuit, lacrymatus eſt, nondum tamen correctus; quin potiùs & proxima nocte cupiditati ſuccubuit, & poſtquam ſe corripuiſſet à ſomno, non iam ad aſſuetas orationes confugit, ſed ſordidarum cogitationum volutabrum quærens, eremi transfuga, ad frequentem incolis regionem, quanta poteſt celeritate contendit. Sic ibat athleta nobilis, multos per annos plurimorum certaminum victoriis auctus, ibat impactis ad ipſam pènè metam rotis miſerè euerſus, hoſteque iam propè deuicto, dum elationis vulneri nudum latus præbuit, mortem hauſit, à qua numquam ad vitam redire potuiſſet, niſi benignus & miſericors Dominus, qui *patiens & multæ miſericordiæ eſt, & præſtabilis ſuper malitia*, cadenti opitulatricem ſuppoſuiſſet manum, eumque aliorum opera ad ſe reduxiſſet lugentem, deflentem, humiliterque concinentem: *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Tenuit igitur quem cœperat redintegratum pietatis curſum, at ne ſibi fideret, angelico pane mulctatus cauit, vt perpetua cibi indigentia, memorem egeſtatis gratiæ redderet. *Ioel. 2.* *Pſal. 93.*

Et iſta quidem Ioannes: at verò Paphnutius apud eundem Palladium, interrogatus cur multi caderent, & præclara virtutis initia turpi fine concluderent, negat id aliunde fieri, quàm quòd arroganti cogitatione aggrediuntur ad virtutem, vnde ad eorum vtilitatem Deo illos deſerente, labuntur & peccant, vt, cùm ſe derelictos ſenſerint, aut propoſitum, aut actionem corrigant. Fitque in multis, vt bona ſua nō Deo largitori bonorum, ſed ſibi adſcribāt: quare à diuina prouidentia derelicti, in facta turpia, turpes perpeſſiones, probra & dedecora incidunt; vnde cùm iā ſui ipſorū pudet, ſenſim ea arrogantia expellitur, quā opinata, & nimiū adamata virtus procrearat. Quam Paphnutij ſentētiam præclarè confirmat Gregor. illud Iobi patientis ad mores trahens; *Et tonſo capite corruens in terrā adorauit. Tonſo capite*, inquit, *in terrā corruit, qui repreſſis præſumtionis ſuæ cogitationibus, quā in ſe ipſo infirmus ſit agnoſcit. Difficile namq; eſt, quempiā magna agere, & apud ſemetipſum de magnis actibus, cogitationū fiduciā non habere. Eo ipſo enim quo contra vitia fortiter viuitur, cogitationū præſumtio in corde generatur: & cùm mēs foris culpas valēter cōterit, plerumq; apud ſemetipſam latēter intumeſcit: iamq; ſe eſſe magni alicuius meriti æſtimat, nec ſe peccare in cogitatione ſuæ æſtimationis putat. Ante diſtricti autē iudicis oculos tāto deteriùs delinquitur, quāto culpa occultiùs & pænè incorrigibiliter perpetratur, & tanto ad vorandum latiùs patet fouea, quanto de ſemetipſa elatius gloriatur vita. &* *Lib. 2. Mor. c. 26. ſeu 39. 40. & 36.*

mox: At auditis aduersis caput detondetur, cùm tentationibus vehementer irruentibus, à præsumtionis suæ cogitationibus mens nudatur: nihil sibi virtutis tribuit, bona quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit. Vnde & competenter dicit, Nudus egressus sum de vtero matris meæ: nudus reuertar illuc. Nudum me in fide, prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumtione saluabit. Est namque magnum animi turbati solatium, vt pulsatus vitiis, cùm se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiæ spem recurrat: & eo se nudari non sinat, quo se à virtutibus humiliter nudum putat: qui etsi fortasse aliqua virtute in tentatione detegitur, infirmitatem tamen propriam agnoscens, ipsa melius humilitate vestitur, & valdè robustius, quàm steterat, iacet, cùm sibi sine diuino adiutorio cessat tribuere quod habet. In præcedentibus autem, de hoc, vt nuncupat, intimandæ humilitatis magisterio dixerat, Nonnumquam, dum mens nostra tanti, quanti sunt multiplicia spiritus dona, muneris plenitudine atque vbertate fulcitur; si continua in his securitate perfruitur, à quo hæc sint obliuiscitur: seq; à se habere putat, quod numquam sibi abesse considerat. Vnde fit vt aliquando se hæc eadem gratia vtiliter subtrahat, & præsumenti menti, quantum in se infirmetur ostendat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra vnde sint, quando hæc quasi amittendo, sentimus quia à nobis seruari non possunt. Sed omitti nequaquam possunt, quæ idem sanctus Pater diuinè scripsit: Docet nos Deus, inquit, super iumenta terra, & super volucres cæli erudit nos, quia dum hoc quod sumus agnoscimus; nec carnis nos infirmitas deijcit, nec superbiæ spiritus eleuat; nec defluendo imis subijcimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. — — Sic, sic, elati fuerant iusta retributione feriendi, vt, quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando vsque ad iumentorum similitudinem deuoluantur. Homo quippe cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. & mox: Omni custodia mens est à superbiæ tumore seruanda: non enim ante oculos Dei vacuæ transuolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis per animum transeunt, sine statu retributionis. Intus videt Deus quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualescere quod deponat. Intus priùs extollitur, quod foris postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Hinc per Oseam contra Israelitas dicitur, Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Qui vt ostenderet, quòd causa libidinis ex culpa prorumperet elationis, mox subdidit dicens; Et respondebit arrogantia Israel in faciem eius. Proinde per humilitatis custodiam, seruanda est munditia castitatis. Si enim piè spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non leuatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit iura legitimæ seruitutis. — — Nullus ergo, qui postquam superna appetere cœperit, carnis voluptate prosternitur, tunc se victum iudicet, cùm apertè superatur. Si enim plerumque virus libidinis de radice nascitur elationis, tunc caro vicit, cùm spiritus latenter intumuit: iamtunc anima per originem culpæ, in petulantiam iumentorum cecidit, cùm efferendo se more volucrum, vltrà quàm debuit euolauit. Hinc enim est quòd longa continentia repentè soluitur, hinc quòd plerumque, & vsque ad senium virginitas seruata vitiatur. Quia enim neg-

Lib. 26. c. 13. seu 11. & 12.

Psal. 48.

Cap. 5.

negligitur humilitas cordis, rectus iudex despicit etiam integritatem corporis: & quandoque per apertum malum reprobos renunciat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu seruatum bonum subitò perdidit, apud semetipsum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud subitò erupit. Sed exemplorum & auctoritatum sit satis, ne prolixitas fastidium gignat: & quoniam lapsus ac ruinæ causam ex eo esse cognouimus, quòd nostris arundineis & cadiuis viribus nitimur, dicamus etiam quâ ratione id fiat.

CAPVT IV.

Qua ratione arrogantia lapsum procreet D. Augustino auctore?

PRæclarus diuinæ gratiæ propugnator Augustinus, hoc totum, quo de agimus, egregia sententia concludere videtur: vbi cùm docuisset ex ignorantia & infirmitate impediri voluntatem, ne vel moueatur ad faciendum opus bonum, vel à malo abstineat: vtrique verò incommodo gratiam Dei opitulatricem esse, faciendo vt innotescat quod ignorabatur, & id roboratam voluntatem delectet quod timebatur: Asserit, causam cur homines gratiâ Dei non adiuuentur, non in Deo, sed in ipsis esse hominibus; qui vel propter suam superbiam nimiam damnandi, atque omni ad extremum gratia priuandi præuidentur, vel summa Dei misericordia, contra ipsam suam superbiam hîc iudicandi, & hîc erudiendi, variâ gratiarum dispensatione sanantur. *Vnde Ieremias cùm dixisset, Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos; continuò subiunxit, Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo. Tamquam diceret, Scio ad correptionem meam pertinere, quòd minùs abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur gressus mei: verumtamen hoc ipsum noli mecum sic agere, tamquam in furore, quo iniquos damnare statuisti; sed tamquam in iudicio, quo doces tuos non superbire. Vnde alibi dicitur, Et iudicia tua adiuuabunt me. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.* & paucis interiectis; *Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in sapientiæ & scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipuè docetur & discitur. Ideo quisque nostrûm, bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerit non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur; & sciat quàm verè, non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum, & auctor qualiumcumque bonorum omnium. Vt autem diligatur Deus, charitas eius diffusa est in cor-*

l. 2. de pec. mer. & remiss. c. 17.

Cap. 10.

Psalm. 84.

cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ita sanctus ille Pater: qui idem libro de Nat. & gratia c. 32. ait, *Superbia, quod toties dixi & sæpè dicendum est, etiam in ipsis rectè factis cauenda est, id est, in ipsa via iusta, ne homo dum quod Dei est, deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum.*

E quibus verbis constat, quàm omnium omnino malorum causam faciat esse superbiam: statuit enim, quod verissimum est, nullum homini bonum sine Dei gratia esse, omne homini bonum per diuinam gratiam adesse posse, nec aliunde deesse quàm quia deest diuina gratia, seu (vt generatim hîc loquimur) quia diuina liberalitas id non elargitur. Cur autem non largiatur Deus, causam ab ipso Deo, liberalissimo bonorum largitore, peti non vult, sed à nostra sola superbia, cui retundendæ, omnis illa donorum vel parsimonia vel denegatio subordinatur. O doctrinam, tanto Doctore dignissimam, veritatis consolationisque plenissimam! quàm vtinam sanctis eius precibus, paulò pleniùs explanare, & diligenter obseruandam commendare possimus!

Hoc igitur mihi veriùs perfectiusque contemplari cupienti, occurrit quoddam insigne eiusdem Doctoris pronunciatum è lib. 14. de Ciuit. c. 12. vbi in hæc verba loquitur; *Quæ virtus*, nempe obedientia, *in creatura rationali, mater quodammodo est omnium custosq; virtutum: quandoquidem sic* natura rationalis *facta est, vt ei subditam esse sit vtile; pernicioſum autem, suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem.* Quibus in verbis dum obseruo, bonum esse naturæ rationè præditæ, vt sit subdita, idque ei proprium atque congenitum esse, propterea quòd vtile est, subditum esse Deo; dumque huius rei causam perueſtigo, eam reperio quæ me doceat, cur qui sibi nimium arrogat, cunctorum à se bonorum spem procul amouet.

Finxerunt olim Manichæi, duo quædam summa esse rerum principia, è quorum vno, vtpote bono, bona omnia, ex altero mala omnia profluerent: sed hoc planè imperitè. *Non enim*, vt Magnus ait Basilius, *subsistit, velut animal, prauitas: neque essentiam eius substantem producere possumus: priuatio enim boni est malum.* Vel, vt Anatolius ad Euagrium, *Quod proprie malum est, substantia non est, sed boni priuatio, quemadmodum etiam caligo nihil aliud est, quàm lucis absentia.* Sed latissimum, & re vera non satis nostrum, campum hunc declinemus, idque sit dictum ad iritandam cupiditatem quærendi, vnde bona, vnde nobis mala contingant: quod non aliud est quàm nosse, vel qua bonorum scaturigine effossa, vitæ tuæ alueos, partemque omnem felicitate compleas; vel qua mephiti seu sentina retecta, omne in te vitiorum teterrimorum ac miseriarum genus cateruatim euoces. Sic igitur habendum.

Orat. quòd Deus non sit auct. mal.

CA-

CAPVT V.

Eadem veritas è conditione naturæ probatur.

OMnium rerum vnum ſummum eſt principium Deus ; ipſe principio carens , à ſe ſua omnia , hoc eſt , ſe ipſum habens , infinitus , interminus, abſque tempore , tempora omnia ſua æternitate complectens : ſic autem à ſe ipſo,& non aliunde eſt,vt ſolus ipſe à ſeipſo ſit, nec eſſe res vlla poſſit, quæ vel ſe totum,vel ſui partem vllam à ſe habere poſſit; ſed id omne quod ſunt, pars omnis,& facultates ſingulæ,idque ipſum quod perſeuerant & permanent, non tãtùm à Deo eſt, ſed à ſuſtentante Deo perpetuò continenterque conſeruatur, & in ſuum protinus redibit nihilum,vbi Dei ope conſeruante priuabitur. Hinc fit, vt ipſis etiam inanimis rebus,nihil magis neceſſarium eſſe poſſit,quàm vt Deum præſentem & conſeruantem habeant:nihil illis infelicius fingere vel optare poſſimus,quàm ſi eas à Deo,vel Deum ab illis recedere fingamus, quippe illicò ab illis omne bonum & perfectum receder,penituſque eſſe deſinent.Etenim ſummum id bonum , quo ſenſu carentia perfici poſſunt, non aliud eſt , quàm hoc ipſum quod ſunt ; hoc ipſum autem niſi Deo dante habere , conſeruante conſeruare non poſſunt, ideoque ſi ſe ab eis ſuſtentatrix manus illa diuina ſubduxerit, omnia illis bona vno momento pereunt, ſimulque & eſſe & bene eſſe deſinunt,cùm non alium boni ſenſum quàm ipſum eſſe habeant.

Iam,vt ad hominem cognitione & ratione præditum gradum faciam, ea ſorte, tamque felici conditione eum condidit , vt animum hinc quidem immortalem eſſe voluerit, inde verò ſummæ beatitatis , ipſiuſque diuinitatis capacem, qui ad ipſum vſque Deum,ſi velit,prouehi poſſit: hîc beatæ perennitatis iucundiſſima eſt & certa poſſeſſio , quando bonis omnibus mens cumulata, fit vnus cum Deo ſpiritus;ſi quid ineſt tenebricoſum,inſtabile,imperfectum,à luce,immutabilitate, perfectione diuina abſorptum , in ipſum quodammodo Deum tranſmutatur, illo viuit, gaudet, fruitur , nihilque ſui ſentiens, ſe toto in illum tranſijt.O beatam naſcendi conditionem, ſi qua liberalitate datur, eadem cautione ſeruatur! nunc autem ad beatitudinem apti, nati ; ad ſempiternas miſerias manibus,pedibus,nitimur.Quid enim?omne bonum, perfectum, conueniens, ita continenter à Deo eſt, vt vnde receſſerit Deus, ibi nihil iſtorum reperiatur: ad eum ergo accedendum, vt ab eo id quod perfectum eſt hauriatur: & quidem rebus cognitione carentibus,non alia eſt ad Deum acceſſio, quàm naturaliter ſubeſſe;nec enim aliud eſt illis bene eſſe, quàm ex natura eſſe.at cognitione præditis ; cùm ea ſit propoſita beatitudo , quæ voluntate & cognitione perficitur,erit etiam ad Deum voluntate & cognitione accedendum;& nonniſi voluntate ac cognitione recedetur.

Accedimus autem cognitione & voluntate, quando cognitione & voluntate subsumus: eoque viciniùs accedimus, & copiosiora ex vicinitate bona haurimus, quo perfectiore cognitione, propensiore voluntate accedimus & subsumus. Veritas in cognitione, obedientia in voluntate reperitur: in quibus si falsitas, si inobedientia dominaretur, quis non videt, non posse id, nisi à summa veritate, summa potestate esse alienissimum?

Quæ autem est ista, qua subsumus, qua ad Deum accedimus veritas: nisi qua verè, sincerè claréque cognoscimus, nec initium, nec motionem, nec permansionem, nec vllius boni partem vllam à nobis esse posse; omnia verò, vsque adeò à Deo bono esse nobis expectanda, vt nusquam aliò respectemus, de alijs omnibus diffidamus, illi soli nos totos, nostra omnia, ingenti cum fiducia committamus, omnium rerum, conatuum, consiliorum felicem, & æternitati prosperum exitum ab eo expectemus, in eumque referamus: quo fiet, vt in eum solum spes nostra respectet, in eum solum nostertotus amor adspiret, desideria suspirent, actiones, cogitata, consilia omnia ferantur? Inde sanctissimus rerum omnium procreatarum, suiq; etiam ipsius, & amor simul & contemtus; amor vt Dei sunt, vt Deus in illis est, vel per illas ad se peruenire vult, aut etiam in illis, diuinæ illucenti maiestati, mandatisue seruitur: simul etiam contemtus maximus, quoties illæ seorsim à Deo solitariéque, ex eo solo quòd sua vi illis competit spectatæ, agnoscuntur, vndecumque omni bono, pulcritudine, viribus, efficacia, perfectione, potestate, laudisque materia destitutæ; in ruinam, miseriam, & malorum extrema proruentes; nec sibi, nec aliorum cuiquam opem vllam, oblectationem, commodum, honorem, aliudue optabile quidquam sufficere valentes. Vnde fit vt nihil propriè ab illis timendum, sperandum nihil, nihil amandum illi homini sit, qui suas omnes in vnum Deum cogitationes transtulerit, clarissimaque veritate peruiderit, Dei solius & esse & permanere omnia; & quantumcumque aliquid alicui dederit, donum esse, quod quadam quasi transfusione in alium extenditur, attamen ita semper & summo iure Dei est, vt nullam eius partem quasi suam sibi vendicare, nihil sibi proprium vllibi designare, nullas, nisi dante Deo, ad agendum vires explicare vlla creatura possit. Hinc Dei solius potentiam, honorem & gloriam, solum illum timendum, amandum, colendum, soli illi fidendum, maledictum qui sperat in homine, & alia id genus toties oracula sacra commendant.

Iam verò cùm natura sua summè bonus, summè sit liberalis Deus, & occasionem causamque bene faciendi non forinsecùs mutuetur, sed à sua infinita bonitate desumat, hæc autem, quantum quidem in ipsa est, latissimè in omnes homines diffundatur; consequens est, vt (quod voluit D. Augustinus) gratiæ diuinæ denegandæ causa, ab homine, non à Deo; concedendæ verò, à Deo, non ab homine petatur. Etenim liberalis, verax & iustus est Deus; liberalitatemque veritas & iustitia comitantur: atqui veritatem deseris, ô quisquis tuum aliquid

putas

putas & dicis, quod Dei tamen est: aduersus iustitiam peccas, qui quasi tuum tibi arrogas, quod est Domini Dei tui. iniustum igitur & mendacem, in donis inquam Dei, acceptisque beneficijs iniustum & mendacem te, nónne iustum est diuina liberalitate priuari, ijs ipsis mulctatum donis quibus abusus es? diuina verò liberalitate recedente, in quàm extremam rerum omnium inopiam, in quantas miseriarum voragines prolabi necesse est? At si exundanti diuinæ liberalitatis flumini te, omni obice remoto, veracem iustúmque obuiàm dederis, si donorum & bonorum omnium datorem & conseruatorem Deum agnoueris, laudaueris, nec vllam tibi laudis partem clàm surripere tentaueris, si hac in verissima cognitione, puríssimaque Dei laude perseueraueris; tum demum omnem animum tuum, sensus, facultates tuas omnes, perenniter & abundè circumfluet, occupabit, diuinisque replebit muneribus copiosa Dei gratia, nec desinet in maius perfectiusque prouehere, donec ad extrema perductum beato fine coronarit.

Et hoc verè est quod in medio montium per decliue conuallium fecundantes aquæ defluunt; hoc, quod misericordia & veritas obuiauerunt sibi: protinus enim vt tuam miseriam, bonorum omnium penuriam, & exundantem in Deo bonitatis fontem agnoueris, veritas misericordiam inuocat, misericordia liberalitatem ciet, liberalitas totis alucis affluit. At si te ipsum quasi diuitem iam & beatum aliquem demirari & suspectare, si quid tibi tribuere cœperis; en tua vallis inani tumore turgescens, in superbiæ caliginosum montem subitò mutatur, fluenta gratiæ vel siccantur, vel aliò deriuata transferuntur, sentes, vrticæ, infelix lolium, solique & æterno igni nati frutices, arescentem melioribus frugibus mentis agrum occupant, tamque densis spinis horridum, vtili omni humore exsuccum, venenatis radicibus penitissimè consitum reddunt, vt melioris vmquam secuturæ culturæ, sanctioríue frugis spem omnem videantur prorsus euellere. adeò pestiferum est huius pessimæ arrogantiæ venenum. Quid ergo summus agricola, & humanæ salutis amator Deus? ô mirabilem bonitatem! medicinam facit è vulnere. *Quid enim est virtus nisi medicamentum, & quid est vitium nisi vulnus? quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum; vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in vsum vitiorum: ille vitiorum illecebras assumit in artem virtutum, & salutis statum percutit vt seruet: vt qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus*, vt nos his ijsdem verbis optimè docuit S. Gregorius. *lib. 33. Mor. c. 11. seu 17.*

En boni malique scaturigines effossæ patent: quid procliuius & optabilius nobis esse potest, quàm vt hac vel declinata, vel magis obstructa, nos totos fonti bonorum cupidè & sitienter applicemus, auidè hauriamus, sobriaque ebrietate bibentes, id vnum à cogitatione non recedat, ex alieno sitim sedari nostram, egestatem ditari nostram, nihilque minùs esse nostrum, quàm quod ita nostrum est, vt totum ipsum sit alienum. Quid enim nostrum est, nisi pecca-

tum? vnum hoc (ô possessionem inopem! ô infecundam fecunditatem!) à nobis solis est propagatum. Si virtutem, si bonum aliquod habemus, ita nostrum est, vt totum Dei sit, à Deo, in Deum referendum sit: imò verò adeò voluntariè à Deo sit, suamque totam originem à Deo trahat, vt priùs ab eius voluntate cupiatur, quàm cuiquam hominum de illo cogitatio incidat; non est qui sine Deo, accessionem vllam boni promereri valeat, non est qui dare initium, occasionem, progressionem vllam possit: quinimmò cùm initia, progressum, perfectionem ipsam, si fieri posset, adepti fuerimus, si solis nostris acquisiti q; viribus nitimur, protinus inanescunt omnia, & in euanidos abeuntia fumos originariæ nos nuditati relinquunt.

Quid enim? si ipse nihil sis aliud quàm tenebræ, optésq; luce compleri, ad lucem accedas oportet: vbi si quando te vndiq; aliena luce fulgentem demiratus fueris, precariumque splendorem illum ipse tibi arrogaueris, nónne clarissimè tuum deprehendes errorem, cùm recessu ab aliena luce tentato, pristinis mo-méto vno tenebris te correptum exhorrescès? ô si tam essent nobis animi, quàm corporis oculi, ad hanc veritatem contuendam aperti? quàm dilucidè, in hoc ipso argumento nostro, illud idem videremus? etenim vt Deus natura sua est summum esse, summa virtus, summa & illimitata perfectio, boni omnis fons, origo, permansio: ita nos natura nostra, origine, virtute propria, & non aliunde hausta, prẹter nihil, nihil sumus, mera inanitas, bonorum omnium plusquam vacuitas, in malum & miseriam procliuitas, summa infirmitas, illimitata quædam imperfectio, quæ à malo in malum, à miseria in miseriam sine limite, sine termino rueret. Iam, cùm ad participanda sanctissimi Dei nostri bona, eximio eius fauore assurgimus, in quamdam eius similitudinem tamdiu trãsformamur, quamdiu eius liberalissimæ bonitati, veritate & iustitia comite adhæresc imus; at vbi primùm à summo & incommutabili splendore, ad tenuem nostrum fragilémq; radium oculos detorserimus, sibi quidem semper idem perseuerat Deus, at nos ad nostra conuertimur, tenebrescimus, & dum nostra complectimur, nostra reperimus, peccatum, defectum, omne miseriarum genus.

Heu infelicem, inquis, conditionem! ego verò, ô beatam, si modò bene vtimur, cognitionem! ô sanctam, si penitius intuemur, consolationem! Bonum enim mihi Domine, quia humiliasti me, mihiq; reuelasti oculos, vt videns penuriam & infirmitatem meam, veras insimul diuitias & certum robur, indesinenter à diuinæ liberalitatis fontibus hauriam. Quod iustius præbere solatium egẽti queas, quàm (cùm suis sibi viribus opitulari nequeat) si ostenderis vbi largè omnia inopiæ subleuandæ dabuntur? quid igitur? cùm fieri non possit, vt ipse à me tantillum habeam, & hoc ita sit soli Deo proprium, vt in alium quem quam quadrare non possit, qui enim aliquid à se solo habet, supremo iure, & vi sua sic illud habet, vt neque cuiquam id debeat, nec à quoquam id illi eripi possit; imò si à se, & vi sua id obtinet, non est vnde id certo limite coërceri poterit, infinitum erit,

erit, vno verbo, Deus erit: at quoniam Deus vnus est, creatura Deus esse non potest, sed vel debet velle esse creatura, vel si aliud vult, id vult quod esse non potest; & cùm desinit velle id esse quod vnum esse potest, in defectum, & in nihilum labitur.

Cùm igitur hæc ita sint, & ex horum tamẽ vel ignoratione vel obliuione fiat, vt passim suis arũdineis viribus innixi homines, eo grauiore, quo inexpectatiore lapsu corruant; nónne maximo mihi solatio fuerit, si & infirmitatem meam adeò nouerim, vt illâ decipi non queam, & aliunde intellexero ingentem auxiliorum copiam mihi diuinitus apparari; tunc tantùm defuturam, cum ipse mihi confisus fuero; affuturam semper, cùm ipse mihi diffisus fuero, cùm spes, cùm cogitatus meos in Dei bonitatem integrè summisse q; transfudero? ô magnam Dei largitatem! tanta bona, tam certò profundit, tam facili hac conditione, si id norim quod sum, id velim quod possum. At si supra quàm sum & possum mihi tribuo, præ foribus infirmitas mea est, mihi relinquor, impingo, offendo & decido, cadensque corrigor, supponente Domino manum suam, vt ipse me cognoscam, & ad sustentatorem meum redeam. Et numquid ista quoque mihi consolatio est, dũ sola mea superbia, & non illiberalitate tua, Deus meus, fauores tuos impediri audio: & per lapsus meos superbiam meam, quasi minore malo grandius malum, prouidentissima tua bonitate sanari? Memini equidem, Domine, quod dixit seruus tuus, nimia superbia damnari quosdam; at neq; peccatoris dãnatione delectaris, & superbiam sanari quàm nimiam esse mauis, ideoque id, te donante conabor, vt neq; nimia sit mea superbia, & misericordia tua & veritas tua in conspectu meo sint semper: veritate semper gaudebo, & hæc est veritas; Natura miser & omnium sum indigus, nec me ipso alius esse possum: qui à se cupit ditescere, diuinitatis ambitione stulta laborat. mea ergo paupertate, tuis diuitijs, Deus meus lærabor, tuisque ditescam & meæ fient, quamdiu non meas, sed tuas esse cognoscam, quamdiu in te refundam, mihique nihil arrogabo. *D. Augustinus sup.*

CAPVT VI.

Quàm frequenter ista superbiæ labe adspergamur.

VIdeo equidem, tantam adhuc dictorum esse veritatem, nemo vt sit lecturus, quin vt facilem assensum præbiturus, ita protinus obiecturus sit, in confesso esse omnia, creaturam à creatore secretam, nihil posse, nec esse, aut sanè rarissimos esse, qui quod Dei est id sibi arrogatum optent, quare nec operosa, nec longiore probatione fuisse opus; id facilè daturum quemuis, quamuis breuiter postulatum, aut positum esset.

Ita fateor prima specie iudicandum à non paucis; fallor tamen plurimùm, si quid est, quod magis seria commẽdatione, accuratiore explanatione, crebriore repetitione indigeat; cùm nihil sit, quod verbis fateamur promtiùs, factis negemus pertinaciùs, crebriùs labefactemus, audaciùs conuellamus. quid enim? vt

hoc vniuersè generatimque dicamus, si, vt antè Sanctorum aucto ritate probatum est, omnis lapsus & peccati, hæc sola arrogantia, est origo; cùm toties quotidie labamur & peccemus, quoties in eam impegisse nos credendum est? Certè vel ex ijs, quos è D. Augustino attulimus, locis patet, quàm soleat & humilitatē commendare, & detestari superbiam, eamq; intelligere quæ Deo spectato in hominibus reperiatur, eoque censet esse referenda, tam exempla, quàm præcepta Christi Domini, imò propemodùm omnia quæ diligentiùs in sacris Literis commendantur: quod non ita sedulò fieret, nisi ad superbiam nimium quantum procliues essemus, in eiúsque declinatione esset ad beatam æternitatem consequendam certa securitas. *Quid superbit terra & cinis? odibilis coram Deo est superbia: nec habitabit in medio domus eius qui facit superbiam: etenim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Eccli 10. *Psal.*100. *Iac.* 4.

Sed quid censeat Cassianus, & verissimè hac de re pronunciet, verbis eius audiamus: *Euidenter itaque monstratur*, ait, *non posse quemquam perfectionis finem ac puritatis attingere, nisi per humilitatem veram, quam Deo inpenetralibus cordis exhibeat, credens sine protectione eius atque auxilio per singula sibi momenta delato, perfectionem, quam cupit, & ad quam magnopere currit, se penitùs obtinere non posse. Hæc est propriè erga Deum humilitas, in qua perfectionis inesse naturam, oculatis indicijs deprehenderunt antiquissimi Patrum: sine qua nec pietas in Deum, nec purgatio vitiorum, nec emendatio morum, nec virtutum consummatio poterit apprehendi.* De superbia verò quæ huic humilitatis modo contraria est, & quam spiritalem vocat, ait *non multis cognitam, nec expertam esse: quia nec plures student perfectam cordis apprehendere puritatem, vt ad hos præliorum gradus valeant peruenire.* quod quàm verum sit, ex ijs quæmox dicentur, patebit. Clarissimè verò S. Bonauentura loquitur; *Quod sumus, non habemus à nobis, nec ex meritis nostris: & ideò non oportet nos inde extolli, quia alienæ est potestatis & bonitatis, quidquid boni sumus & habemus, & inde solus ille extollendus est, cuius gratia sumus id quod sumus. Hæc est humilitas sanctorum & magnorum, qui quanto maiores se vident, tanto magis humiliant se in omnibus quæ habent, totum reddentes illi, à quo totum habent: quia furti reus est, qui inuito domino sibi aliquid retinet de his, quæ sibi commodata sunt, cùm ipse dicat, Gloriam meam alteri non dabo. Profectum nobis libenter communicat in donis suis, sed gloriam sibi seruat.* Hanc ecce, Sanctorum & magnorum humilitatem vocat, quam tanto minùs nobis arrogabimus, quo longiùs à Sanctis & magnis nos abesse cognoscimus.

l. 12. *c.* 23. *c.* 19. *cap* 24. *l.* 2. *de prof. Relig. c.* 29. *Isa.* 42.

Certè ipse mihi persuadeo, ab hominibus in quadam virtutis mediocritate positis, vix aliquando, vel vnam actionem bonam fieri, quin eam alicunde hæc subtilissimæ superbiæ lepra, & afflet, & inficiat: ita vt iure meritissimo, vel ob hoc solum inquinamentum, potuerit Propheta lugere; *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* etenim tum quoque, cùm suam Deo laudem reddimus, ex ea ipsa obiter aliquid rapimus, in nostros furtiuè vsus vertimus, nec prorsus integrè id quidquid est in Deum refundimus, inde laudari

laudari cupimus, inde nobis aliqui videmur. Quod vt agnoscamus quàm sit frequens, videamus quàm sit propè perpetuum, vt Meo, Tuo, Alieno variè moueamur, totaque hominum vita per hæc multipliciter decurrat: vbicumque verò hæc sese insinuarint, aliquid creaturæ tribuitur, quod Creatoris non mediocriter summa iura conuellat.

Meminerimus quid facundus ille quidem, at mirum in modum gloriolæ cupidus dixerit, iure nos in virtute gloriari non posse, si id donum non à nobis, sed à Deo haberemus: quo in iudicio nequaquam fallitur, dummodo à Deo eam esse fateatur. At numquid eadem ex ratione conficitur, re vera non esse vnde gloriari iure possimus, cùm neque virtutem, neque rem vllam à nobis habere valeamus? imò cùm à Deo solo sint bona omnia, illi soli iustam deberi gloriam; cúmque nihil à nobis crebriùs fiat, quàm vt hinc inde partem aliquam gloriæ captemus, quid illud est, nisi nobis vendicare quod nostrum non est, Deoque tollere, aut vt minimum non reddere, quod eius solius est, quodque cùm alteri reddis, rem alterius alieno domino reddis? ergo omnis nostra laus, alieni boni arrogantia & rapina; omne laudis desiderium, rapinæ & arrogantiæ dicendum erit desiderium. Quid amor laudis? quid ipsa (vt clarissimè dicam) omnium propè rectè factorum, cogitatorum, susceptorum comes indiuidua, nostri complacentia: quid hanc delectat, nisi suum quiddam in visceribus latens, & quædam de nobis ipsis elatior opinatio? Cùm ingenio, fauori, arti, scientiæ, peritiæ, consilio, iudicio, nobilitati, diuitijs, prudentiæ, industriæ, robori, solertiæ, seu nostræ, seu alienæ, quasi nostræ vel quasi alterius aliquid tribuimus, eaque in nostri vel alterius cogitatione sistimus, an non creaturæ, bonum aliquod aut proprium, aut aliqua ratione debitum, aut saltem non vt aliunde pendens occultè fatemur? & verò, quàm frequens istud est? consule quæso te ipsum, & vide quàm perpetuò in ijs quæ aggrederis, tuis innitaris consilijs, intercessionibus, artibus, fauoribus, ac non rarò ijs vtaris vijs, quas aut malas, aut imperfectas, aut certè non perfectissimè ad Deum dirigi nosti: & vnde hoc, amabo, nisi quia, non tantùm harumce rerum nimiùm memor, Dei tui es immemor, sed etiam interdum, quantumcumque Dei tui memineris, iudicijs eius, prouidentiæque minùs acquiescens, vel tuæ mauis prouidentiæ, vel aliorum auxilio fidere? id verò annon est creaturæ immensum tribuere? Vtinam vel hoc vnum satis capere possemus, nempe quantopere stultis nostris consilijs, incertaque prouidentia, sapientis & suauissimæ prouidentiæ vim eneruamus! profectò tum demum verè caperemus, quid hæc Domini nostri verba sibi velint, eorúmque in omnibus vitæ nostræ partibus veritatem experiremur: *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis.* Matt. 6. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Iam, quoties bellè & ex voto nobis aliquid cesserit, seu in vitæ negotijs, seu in scientijs, seu in ipsa etiam virtutum aut exercitatione, aut consecutione: an non protinus causam felicis huius exitus quærimus? & verò, quam, nisi quæ nobis maximè

maximè arriserit, facimus? modò diligentiæ, modò industriæ, modò præclaro inuento, fauori cuiusdam percommodè captato, virtuti quinetiam nostræ, & nostris in Deum, si Superis placet, benè meritis acceptum reponemus. Vt merè, vt verè, non voce & verbis, sed animo & corde, id nobis immeritis diuini numinis liberalitate proueniſſe fateamur, vt cùm omnia (quod hîc omnino veriſſimum est) quantum in nobis erat fecerimus, verè & ex animo dicamus, Seruiinutiles sumus, quod debueramus facere fecimus, neque volentis, neque vigilantis, neque currentis, sed solius miserentis est & opitulantis Dei. ô quàm rarus est, qui hoc perfectè agnoscat, & sentiat! Vis periculum facere? excute te ipsum, & vide annon negotio aliquo tibi commisso & feliciter cedēte, paululùm quid tibi blandiaris, gaudeas, efferaris; quæ tamen & doleres, & contrahereris animo si contrà cessisset? nónne id ex eo fit, quòd tuum aliquid in isto vtroque facis, aut bonum quo tibi gaudeas, aut quo tibi doleas malum? Nequaquam, inquis, at doleo, meis me peccatis diuinam opem auertisse, gaudeo eandem ab ijs non potuisse impediri. Sed, ô fallax, id si credis, fallénsque iudicium! quis vmquam ab euentu, non dico facta, sed ipsos facientes iudicandos, déque virtute vel peccato coniecturam capiendam putauit? ergóne tot malis exercito Dauidi, incubantem partis filium; aut fugienti & latitanti Athanasio, imperantem Constantium præferes? Verùm age, quid si bellè, sed humanis, & aliquanto minùs probis artibus, omnia processerint; an dolebis? gaudebis verò, si quando in exitu aduerso, nusquam tamen à te peccatum senties? id enim necesse est, si solo peccato doles; sin autem secùs est, profectò ipsa sibi mentitur iniquitas, nec aliunde vel doles vel gaudes, quàm quòd tua ipsius quæris, & vt variè obtigerint, variè afficeris: tibi prudentiam, tibi felicem exitum tribuendum gaudes; at imprudentiæ, quam exhorres, nota malè te torquet: cur? nisi quia te velut aliquem circumspicis, cuius proprijs, vel bonis læteris, vel tristeris malis, illudque Tuum, illud Proprium, à te semper ambitur?

Quod vt clariùs pateat, faciamus esse quemdam, qui omni suiipsius cura prorsus deposita, nihil penitus vlla in re spectet præter Deum, in illo, & propter illum omnia & agat & suscipiat: iam, eiusmodi viro si quæ calamitas, aut casus aduersus inciderit, an se aliquid detrimenti passum putabit? hoc si fecerit, ecce oculos à Deo tantillum auerterit, & suum aliquid putabit. quid ergo? Iusta sunt, inquiet, iudicia tua Domine, non sicut dignus eram recepi; si speratis rebus excidi, nihil mihi debebatur, cùm nihil ego sim; nihil possum conqueri, cùm nullam in partem mihi quidquam iuris vendicem: hoc vnum dolebo, si sua praua voluntate, à tua gratia quisquam excidat, hoc lætabor, si tuum Dei mei honorem, regnum & imperium efflorescere apud homines videro: de his verò, vel illis rerum euentibus, prosperis, aduersis, iucundis, iniucundis, laudatis, illaudatis, quid ad me? quandoquidem Deus meus, cuius omnia sunt, quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, nec est qui dicat, Quare fecisti sic? nec est quod ipsi, quouis modo,

modo, vel accedat vel decedat; ius illi suum manet illibatum: ego si de hoc vel illo euentu queror, quo iure queror? si hoc aut istud postulo, nullo iure postulo; vt quid ergo expostulem?

Hoc verò cùm in rebus omnibus, tum verò vel maximè in ijs obseruandũ quę ad diuinam gratiam, & spiritum Dei conferunt: cùm enim & longè præstantiora sint, & minùs nobis debeantur, & maiore largitate communicentur, planeque alterius & supra naturam ordinis sint; tanto maioris ingratitudinis, arrogantiæ & impudentiæ fuerit, sibi in rebus eis partem aliquam sumere, nec illas totas plenissimo iure in Deum referre. Quare, hîc intentissima opus est vigilia, vt quicumque in orationis, humilitatis, & cuiusuis virtutis perfectione procedere longiùs & securiùs desiderat; caueat in primis, ne, si quando vel pietatis leniorem sensum, vel robustiorem ad virtutem affectum infuderit Deus, inde sibi aliquid occultè suffuretur, gaudeat ostentare, eloqui gestiat, suæ animi præparationi, huic illiúe de se victoriæ, patientiæ, perseuerantiæ, diligentiæ acceptum ferat, sibi intus gratuletur, iam demum bene operam locatam putet, aliquem se esse credat, iam sibi fidentior nihil expauere incipiat, forte assis & alios despiciat, non ijs donis abundare, non ad eam sanctarum rerum cognitionem gustationemque eos peruenisse miretur. In horum verò nonnulla, imò in pleraque, & quinetiam in similia plura creberrimè & facillimè inciditur: subitoque inani hoc iactantiæ turbine longissimè à prouectu disijcimur, & nonnisi labore permagno, vix aliquando ad anteriora regredi datur, iactura longè maxima, tantoque lugenda magis, quo solet ex inanissimo vanæ gloriolæ amore exoriri. Hoc est quod, vt antè retulimus, D. Bernardus & D. Bonauentura mœrebant; hæc ieiunioris gratiæ causa; hæc inconstantiæ, mutabilitatis, lapsuũ & defectuum omnium radix: cumque gratia gratiam parere debeat, hinc tamen fit, vt, quoniam ex alieno superbimus, manum contrahere quodammodo cogatur Deus, & sterilitate adstrictiore liberiùs effluentis superbiæ cohibere luxuriam, ac infecundos ramorúmque vtilium succum exsugentes stolones amputare.

Durus est hic sermo, dicet quispiam: adeóne inexorabile bellum amori nostro, existimationi nostri ipsorum indicere, vt numquam nostra nobis placere, numquam in nobis ipsis conquiescere possimus? Certè si tuum aliquid compereris quod amore, quod laude dignum fuerit, per me licet, lætare, gloriare, triũphos age, quamdiu & quantum libet: sed si nihil, nisi putris es vomica, è qua solus putor, fœtor, sanies erumpunt, qua fronte, postquam tabum defluens aliena pulcriore tænia emendicata contexeris, tua te sanitate, tua formositate efferes? si detrahetur quod assutum, si repetetur quod alienum, tua iterum infirmitate, tua fœditate inuoluêris; ridendus in tuis, qui superbis in alienis. At, inquis, nũquidnam mea sunt, quæ mihi data sunt? semel igitur datis, quidni glorier vt meis? Tam subtili argutatori quid dicam? certè quidam olim, in illa Christi Domini verba, *Mea doctrina, non est mea*; non dissimiliter dicebat, *Si non tua, quomodo tua?* *Ioan. 7.* *Aug. tr. 29. in Ioan.*

tua? si tua, quomodo non tua? actandem quod nobis seruiat addit; *Quid enim tam tuum quàm tu: & quid tam non tuum quàm tu, si alicuius es quodes?* Si quia seruus est domini, quodcumque est serui, est etiam domini; tu cùm non sis tuus, totusq; mancipio & vsu ita sis Dei, vt nihil sis si Dei non es, putasne tuum esse aliquid, cùm tu ipse tuus esse non possis?

Quod vt exemplo non omnino dissimili declaremus: Crystallum aliquam animatam esse faciamus, quæ lucis auida, Solis radijs opportunè se subijciat, his autem commodè susceptis, & circumquaque limpidiùs expansis, si lucis eius repercussu, ista se luce beatam, & non mediocri laudatione dignam putet, annon subducente se sole, risum alijs moueat, tenebris obuoluta, nihilq; iuris in lucem præteritam vendicans? sed, inquies, id saltem laudi erit, quod & accesserit ad solem, & natura sua sit pellucida, & repercutiendi vi polleat. Fateor equidē; verùm quid si illum ipsum accessum, illud pellucidum, illam repercutiendi vim à sole totam acciperet, nec esse nisi per solem posset, annon tota lucis illius laus in solem meritissimo iure redundaret? Idem penitùs in bonis tibi datis existima: sic enim à Deo dantur vt Dei sint, Deiq; sit quòd illa habeas, quòd habere velis & possis; idq; totum quod ipse es, vel illa sunt, Dei solius est, & vtenda tradit, grande olim fenus exacturus. en vbi tandem nostra nobis gloriandi seges desinit; in timores, in seuera iudicia, vt cui plura data sunt, ab eo plura repetantur. Quamuis autem id non certius, quàm notius sit apud omnes, fit tamen nescio quo pacto, vt, dum illa ipsa non esse nostra, dum nos propterea rationi seuerius reddēdæ obnoxios profitemur, si boni aliquid in nobis animaduertimus, confestim videamur nobis esse aliqui, tumor occultus inserpat, nostra præ ceteris quasi propria diligamus, doleamus impugnari; laudari, promoueri, suspici gaudeamus: denique vbicumque, etiam in minimis, rem benè gesserimus, nonne illico ipse sibi laudator & blanditor adest animus? & hoc est quod nonnemo vocat, *se probantis conscientiæ secretum*; alter, *theatrum, quo maius virtuti nullum est*: cùm tamen non qui se ipsum probat, ille sit probatus, sed quem Deus probat: & qui solo Deo spectatore decertat, ille in ampliſſimi theatri arenam nobilē descēdat.

Boët. l. 1. cons. pr. 4.
Cic. Tusc. 2.
Basil. orat. de humil.

Verùm vt hoc totum dilucidiùs intelligatur, sic habendum est; raros quidē esse, qui Christiani & cognitione veri Dei præditi, disertè & scientes, sibi solis & non Deo, aliquid acceptum ferri velint: quis enim eò impietatis, contra veritatē testatissimam, deflexisse auditus est? At permulti sunt, qui perfrequenter, eorum quæ Dei solius sunt, partem aliquam ad se pertrahunt, dum vel sibi aliquid honoris, gloriæ, gaudij, efficaciæ tribui volunt, vel non satis tribui, aut aliter tribui, aut negari, aut contra quàm putabant tribui dolent. Exempli gratia; Imperator, Consul, Magistratus, Præses, Rector, Dux, Cōcionator, Doctor, Miles, Auctor, Artifex, & cuiuscumque ei curator, rem illam suam animo bellè prouideat, oratione apud alios eleganter exornet, re ipsa quod sui muneris est egregiè exequatur, præclaris alijs dotibus sit instructus; inde se vult honorari, sibi placet, se

ipse

ipse circumspicit, dignum se credit cui hæc & illa committantur; si non fiat, indignatur. Quem si interrogauero, cur? nisi quia tibi aliquid inde tribuis? ita quidem, inquiet, at tamquam à Deo id habens. fateor equidem, à Deo esse, sed tua tamen, & ad te spectare credis. at non satis est à Deo esse credere; Dei esse, Dei permanere credendum est: & hoc ipsum, inquis, exploratum habeo, neque abhorret à vero, vt Dei permaneant, & mea tamen esse possint. id verò quî fieri potest? nam aut tua tota sunt & tota Dei, aut pars tua, pars Dei: si tota tua dicis, at inferiore quodam iure, Dei verò supremo; quæro, inferius illud ius, Dei est, annon? fatearis necesse est. quidquid enim Dei non est, nihil est: si igitur Dei est, annon omni ex parte Dei est? & hoc quoque fateri cogimur, cùm nec vlla tota res, aut pars, aut ius aliquod absque Deo esse possit: nullo igitur iure, aut iuris parte rem illam, aut industriam, aut auctoritatem, aut quamuis energiam vendicare potes: si rem non potes, profectò nec fructus eius, vt laudem, & eiusmodi. Itaque in omni bono quod tibi adnexum, aut à te profectum videris, non tãtũ agnosce, sed & intimis animi medullis persentiscere satage, illud à solo Deo esse, Dei esse: nec tantùm hoc, sed etiam tuum non esse, cùm ipse toto tuo iure, non aliud à te ipso sis quàm nihil, nihil autem nihil sibi vendicare possit, & à nihilo, iuxta philosophorum verum placitum, nihil effici possit: ergo, nihil es, nihil habes, nihil ex te potes.

Nihil ex me possũm, inquis, at cum Deo possum, & cum eo omnia possum; possũm igitur. hîc sanè mysterium est: dicam enim, Ergóne es omnipotens, quia cum Deo potes omnia? an potiùs, aliud est, cum Deo posse, quàm posse? quæ est enim illa, nisi Dei potentia? tolle Deum, quid potes? tolle teipsum, quid minùs potest Deus? *quid habes quod non accepisti? si accepisti, quid gloriaris?* posse cum Deo, quid aliud est, quàm accipere potestatẽ à Deo, quam quamdiu accipis Dei est; & ita Dei est, vt tua propriè non sit, cùm semper aliena, semper gratis & indebitè donata sit? At nostram dicimus. Quid potius respondeam nescio: malè loquendo, malè sentire, an malè sentiendo, malè loqui consueuisse homines? non ita summa Veritas, quæ dixit, *Ego sum, qui sum*: cui dicitur, *Nónne tu qui solus es? Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius. Qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus. Nemo bonus, nisi solus Deus. Soli sapienti Deo honor & gloria in sæcula sæculorum Amen.* Qua eadem veritate, & sermonis proprietate diceremus, Nihil possum, nihil efficio, nihil prouideo, nihil sapio, si quid istorum aliorumque bonorum in me videtur esse, Dei est: quod alienum, & maximè quod est Dei, absit vt vsurpem. Atq; vtinam etiam familiari sermone assuescceremus, nihil nostrum dicere, nihil nobis, qua fas esset, tribuere, vt vel sic animum etiam nostrum inopiæ egestatisque suæ frequentiùs memorem redderemus. Verùm hac de re seorsim nunc nobis agendum est.

Exod. 3. Iob 14. 25. 2. Mach. 1. Luc. 18. Rom. 16.

CAPVT VII.

Quam humilitatis comparandæ viam quidam veterum tradiderint.

DOrotheus doctrina 2. quæ tota de humilitate est: *Sancti omnes*, inquit, *humilitatem hanc possederunt. Nemo autem omnium explicare queat quo pacto ea in mentem veniat, nisi priùs illam experientia didicerit.* refertque Abbatem Zosimam, de humilitate differentem, seque ipsum despectantem, interpellatum à quodam, quî se peccatorem profiteri posset, cùm & piè viueret, & peccata nulla sua proferre posset: non aliud respondere potuisse, quàm quòd ita se rem habere sciret. Et re vera, intimis in sensibus latet aliquid, quod verbis explicare non fuerit facile: nam quod adiunxit Dorotheus, id fieri vt in scientijs, quæ frequentato actu comparatæ promtiùs exercentur; non videtur satis esse verum: latet enim maius aliquid in humilitatis virtute, quod non reperiretur in actione frequentata. vnde & idem paulò pòst, humilitatem dicit esse *Magnum opus, ac diuinum nescio quid,* cap. 95. *& incomprehensibile.* Diadochus verò ait, *Res est difficilis ad comparandum humilitas: quo enim maior est, eo est eius vsus laboriosior.* Duos tamen, & eos optimos, eius comparandæ, modos tradit; Primum experientiam rerum humilium, veluti morborum, contradictionum, tentationum, contumeliarum, falsarum delationum, & quarumcumque rerum aduersarum. Alterum vt faciliorem, ita certiorem, at non in nostra potestate, sed in vnius Dei liberalitate positum, quando diuinæ gratiæ copiosior in hominem affluxus, multa eum luce complens, efficit vt suam ipse vilitatem, non magis iudicio agnoscat, quàm voluntate penitus sentiat. Multa multi, quæ referre longum esset: pauca seligam quæ sequentur: & quibus illud Gersonis præire cupio. *Ad hæc alta*, inquit, *& longè diuiniora veræ humilitatis monita capienda, plus proficit vnctio quàm lectio, oratio quàm peroratio, alta suspiria quàm acuta ingenia, & super omnia frequens, fidelis & pia commemoratio Passionis Christi.* to. 2. serm. de humil. consid. 1.

Sed aptissimè, & doctrinæ quam tradidimus conuenientissimè scripsit Cassianus, quapropter illum referre, & patienter audire oportet. Ait enim sanctos Patres experimentis proprijs tradidisse, non posse ad purum quempiam emundari, nisi vniuersum laborem suum atque conatum, ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi Dei miseratione & adiutorio posse cõprehendi: id verò non tam tradentis institutione, quàm experimẽtis proprijs agnoscat. Et enim assentimur facilè dicẽti, nihil nos sine Deo posse, at non continuò in animum penetrat, idq; non sentimus nisi varijs lapsibus & infirmitatibus, vbi minùs vellemus, oppressi. Vt igitur nequissimi spiritus laqueum possimus l. 12 c. 13. cap. 9.

euadere, quandocumque in aliqua nos virtute profeciſſe ſenſerimus, illud Apoſtolicum dicamus, Nõ ego, ſed gratia Dei mecũ: &, Gratia Dei ſum id quod ſum: &, Deum eſſe qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate: dicente etiam ipſo auctore ſalutis noſtræ, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere: &, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Et, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Quia non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Nullius namque, quamuis volentis & currentis, tam idonea poteſt eſſe voluntas vel curſus, vt carne ſpiritui repugnante circumdatus valeat tantum perfectionis præmium, & palmam integritatis ac puritatis attingere, niſi fuerit diuina miſeratione protectus, vt ad illud quod magnopere vult & quò currit, peruenire mereatur. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. Quid enim habes quod non acceperis, quòd ſi acceperis, quid gloriaris quaſi non acceperis?

1. Cor 15. Philip. 2. Ioan. 15. Pſal. 126. Rom. 9. Caſſ. c. 10. Iacob. 1. 1. Cor. 4.

Nec hoc dico, vt humanos conatus euacuans, ab induſtria & laboris intentione quemquam reuocare contendam; ſine quibus perfectio quidem nullo modo capi poteſt, at ſolis illis abſque Dei gratia, pariter conſummari nequit: ſed vtrorumque conſenſus, & quaſi conſpiratio neceſſaria eſt. Vt enim dicimus, conatus humanos, per ſeipſos, ſine Dei adiutorio, perfectionem apprehendere non poſſe; ita pronunciamus, laborantibus tantùm ac deſudantibus, miſericordiam Dei gratiamque conferri: &, vt verbis Apoſtoli loquar, volentibus & currentibus impertiri, ſecundùm illud quod etiam in pſalmo octogeſimo octauo, ex perſona Dei cantatur, Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Dicimus enim ſecundùm Saluatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & à quærentibus inueniri; ſed petitionem, & inquiſitionem, & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei, id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulſamus, vel illud quod quærimus fecerit inueniri. Præſtò eſt namque, occaſione ſibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda. Imò verò, ipſam etiam bonæ voluntatis occaſionem donat Deus: donat pulſare, donat quærere. Ampliùs enim ille quàm nos, perfectionem ſalutemque noſtram deſiderat & exſpectat. Et in tantum B. Dauid prouentum ſui operis ac laboris, propria tantùm induſtria non poſſe nouerat obtineri, vt à Domino promereri directionem ſuorum operum, iterata prece depoſceret, dicens, Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. Et rurſus: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

cap. 14. Rom. 9. Pſal. 89. Pſal 67.

Sed quomodo id ipſum frequentare, ac in ſingulis quæ ad votum ceſſerint Dei donum agnoſcere debeamus, præclarè docet idem auctor, & omitti

non possunt. Reuocat nos ad nostræ salutis auctorem Iesum, qui nos instruens; quid nos oporteat in singulis quibusque quæ gerimus, non modò sentire, sed
Ioan. 5. & 14. etiam confiteri: Non possum ego, inquit, à me ipso facere quidquam, Pater autem in me manens ipse facit opera. Ille ex persona hominis assumti dicit, nihil à semetipso posse se facere; & nos, cinis & terra, in his quæ ad nostram salutem pertinent, arbitramur adiutorio Domini non egere? Discamus itaq; & nos, per singula, nostram simul infirmitatem, & illius adiutoria sentientes, quotidie
Psal. 117. proclamare cum Sanctis: Impulsus, versatus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus est mihi in salutem.
Psal. 93. Et; Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minùs habitauerat in inferno anima mea. Si dicebam, Motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Videntes etiam, cor nostrum in timore Domini & patientia roborari, dica-
Psal. 17. mus: Et factus est Dominus firmamentum meum, & eduxit me in latitudine.
ibid. Scientiam quoque profectu operum sentientes nobis augeri, dicamus: Quoniam tu illuminas lucernā meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas; quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.
ibid. Dein sentientes etiam nosmetipsos fortitudinem tolerantiæ conquisisse, & in semita virtutum facilius ac sine labore dirigere, dicamus: Deus qui præcingis me virtute, & posuisti immaculatam viam meam. Qui perficis pedes meos tamquam cerui, & super excelsa statuis me. Qui doces manus meas ad prælium.
ibid. Consecuti etiam discretionem, qua roborati, possimus aduersarios nostros elidere, proclamemus ad Deum: Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.
ibid. Et quia taliter sum roboratus scientia tua atque virtute, inferam confidenter ea quę sequuntur, & dicam. Persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non conuertar donec deficiant. Conteram illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.'

Rursum, infirmitatis nostræ memores, ob quam tam acerbos hostes absque
Psal. 43. eius adiutorio superare non possumus, dicamus: In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgētes in nobis. Non enim in arcu
Psal. 17. meo sperabo, & gladius meus saluabit me. Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Sed & præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti omnes insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.
Psal. 34. Sed nec armis nostris posse nos vincere cogitantes, dicamus: Apprehēde arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & cōclude aduersus eos qui persequuntur me, dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Et: Posuisti

vt

vt arcum æreum brachia mea,& dediſti mihi protectionẽ ſalutis tuæ,& dextera tua ſuſcepit me. Quia nec patres noſtri in gladio ſuo poſſederunt terram,& brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum,& illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. *Pſal.43.*

Poſtremò, vniuerſa beneficia eius, cum gratiarum actione, mente ſollicita perluſtrantes, ſuper his omnibus; quòd, vel pugnauimus, vel illuminationẽ ſcientiæ, vel diſciplinam diſcretionis ab eo conſecuti ſumus, vel quòd ſuis nos armis inſtruxit,& virtutis cingulo communiuit, vel quòd inimicorum noſtrorum nobis præbuit dorſum, & tribuit virtutem comminuendi eos ſicut puluerem ante faciem venti, intimo mentis affectu clamemus ad eum: Diligam te Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum,& refugium meum,& liberator meus: Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum, protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. *Pſal.17.*

Atque hæc è Caſſiano, cuius monitu excitamur, vt cùm perpetuò in nos noua beneficia diuinitus depluant, mentem noſtram variè ad gratiarum actionem, & omnia in Deum referenda excitemus. Quod ſtatuens Magnus ille Baſilius ait: *In omnibus quæ à nobis rectè fiunt, anima rectè faciendi cauſas ad Dominum conferat: talis enim affectus humilitatem nobis inducere ſolet. Humilitas vero virtutum theſauro phylacium eſt.* Sed vt preſſiùs in rem noſtram veniamus, certiſſimaque, quid ſumus, veritate videamus, idque quod articulo primo commendauimus, nobis familiare reddatur, clariùs hoc & altiore principio commonſtremus. *Conſtit. monaſt. c. 16.*

CAPVT VIII.

Nullis ſuis bonis gloriari, ſed magis aſpernari ſe quemque debere.

FRequenter mentis oculos in id conuertamus quod abhinc ducentis annis fuimus, quodque tunc erat Deus. Profectò eramus nihil, & nulla nos cuiuſquam rei cura tangebat, nihil nobis erat iuris, nulla fieri iniuria poterat, merum eramus nihil. Deus verò idem erat, qui ſemper fuit, eſt,& futurus eſt, immenſus, infinitus, immutatus, cuius vi enaſcuntur, continentur, vigeſcunt cuncta, ſæcula voluuntur, rerumque omnium viciſſitudines exiſtunt: Rex ſummus & potẽs, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, ſubitoq; facit vt emergant; ſed & ea, vbi placuerit, difflabit, diſijciet, & ad nihilum rediget. Eſt enim rerũ & virium omnium fons indeficiẽs, à quo omne eſſe, poſſe, vigere, perdurare,

vſque

vsque eò continenter defluit, vt, si vel momento vigorem instillare desinát, illico id totum inanescat. Me igitur, ex eo quod non eram, ad id quod sum vocauit; cumque antea nihil essem, neque ad id quod sum adspirarem, neque vllo vel iure, vel iuris specie id postulare possem; sua me voluntate sola, adeoque libero decreto esse fecit, vt non aliunde sim, quàm quia me esse voluit. Ergo id totum quod sum, merè ab illo sum, & à me non sum.

Adhæc, id vnaquæque res esse dicenda est, quod natura sua, & vi sibi propria est: quid igitur esse dicendus sum, qui natura mea, & vi mihi propria nihil sum; sed quidquid sum, aliunde deriuo, & semper alterius sum? Quàm verè dictum
Galat. 6. est, *Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit!* Natura mea, meaque potestate nihil sum, quid me ipse decipio, vt quid aliquem esse me puto? originem meam si intueor, ecce nihil sum; imò verò, si dum sum verè perpendo quid meo iure, meis viribus sum, ecce nihil sum; vt vndequaque à me ipso, non aliud mihi insonet, nisi, Inanissimum nihil. Et tanta istæc inanitas inflabitur, indignabitur, magna de se & elata cogitabit? Audiat loquentem Climacum;
gr. 22. *Pudor est alienis ornamentis gloriari, extremæq; dementiæ de donis extolli. Quæcumque tibi ante natiuitatem fuere virtutum bona, eis solis gloriare. nam, quæ post generationem, tibi Deus largitus est, vt ipsam quoque natiuitatem. Quas ergo virtutes extra mentem acquisisti, illæ solæ tuæ sunt: mentem enim tibi largitus est Deus: & quæ extra corpus exegisti*
hom. 84. in Cant. *certamina, ex tuo solo studio fuerunt; corpus quippe, non tuum est opificium, sed Dei.* Nec longè hinc abit Bernard. dicens, *Verè & absque dubio, eo quisque pessimus, quo optimus, si hoc ipsum quo optimus adscribit sibi, nempe pessimum hoc. Quid nequius seruo vsurpante sibi gloriam domini sui?*

Sed eia hæc ipsa donata videamus; quantula illa sunt, quàm vix in aliquo numero reponēda, quàm angusto limite concluduntur! Orbis ipse terrarum cælorúmq; vniuersus, angelorum hominumq; tota congeries, si cum Dei vnius immensitate componatur, vix, ac ne vix quidē, puncti aut stillæ roris antelucani instar habere possunt: tu igitur tantilla vniuersi pars, & qui tibi quam vendices atomum, in tali puncto non reperias, si te magnum aliquem esse putas, satisne mēte constas? Fateor, inquies, Deo cōparari non possum, at hominibus possum, & præ multis excellere. Accipio, quod vltrò concedis, Deo comparari non potes; ergo præ Deo nihil es, vnde consequens est, vt, cùm vbiq; præsenti Deo adstes, vbique corā immensa illa maiestate, te nihil esse profitearis, tuaq; te inanitate inuoluens totus humilitate contraharis, teq; ipsum (quod vnū vrgemus) aspernari nō desinas. De ceteris hominū, quid ad te? an si paulò magis egētes aut miseri sunt, ideò tu copiosus & beatus? Sume quē volueris, dic te præ illo abūdare: ergóne aliena egestate ditescis? ô ridiculā iactantiam! ego verò ad veriorē te calculum reuoco:

Quæ tibi virtutis, gratiæ, scientiæ, naturæ ornamenta insint, quantumuis amplificē voles enumera, nihil oblūctabor; at vnum hoc postulabo, nunquid non longè plura virtutum, gratiarum, scientiarum & naturæ ornamenta tibi deesse quàm

quàm adesse persentiscis? etenim sunt plurima, quæ ne quidem primoribus labris attigimus, vel in quibus minùs accuratè ipsi nos exercuimus; quàm multa, in rerum diuinarum & humanarum, præteritarum atque præsentium cognitione nescimus! in tot linguarum, nationum, artium, scientiarum, exercitationum varietate quàm multa, ne tenui quidem suspicione percepimus? ea verò, in quibus plus aliquid peritiæ nobis arrogamus, magna tamen mediocritate, & definito limite possidemus, cùm tamen accessio & profectus nullo certo termino concludi posse videatur. Cùm igitur tibi longè, imò quodammodo infinitè, plura desint, quàm adsint, cur plurimarum earúmque vtilissimarum rerum defectu, paucarum mediocritate, diuitem te potiùs mentieris, quàm fateberis inopem?

Sed neque tam temerarius ero vt facilè credam, te tot alios excellere, procliue est, vt quæ vult sibi somnia fingat amans, & maximè sui amans; aliena deprimis, tua extollis; tuis in malis cæcutis, si quid minimi boni adest, acutum cernis, in immensum auges, tuique mirator ineptus à te nusquam oculos auertis, dicisque quod olim quidam, *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Certè *sancti viri aliena opera, etiã parua mirantur, sua verò etiam magna despiciunt. At contrà, arrogantes, aliena etiam magna despiciunt, sua vel quæ parua sunt admirantur.* Vide igitur, annon arrogantem & superbum te iudicari par sit, meritóque, pro appetitione gloriæ, iustam ignominiam demetes, quoties præclaris tuis dotibus, præ ceteris eminere voles. Ita est in rebus omnibus; eloquentiæ, scientiæ, gratiæ, peritiæ cuiusuis exiguissimã portionem habemus, multis partibus alij plurimi nos vel superauêre, vel superant, & præillis id tantillum quod habemus vix est in aliquo pretio habendum, nostræque nos exiguitatis puderet si oculos potiùs ad præstantiora quàm ad inferiora conuertere liberet. Essetque in donis animi & virtute (cuius est pernicioſior elatio) diligentiùs hoc obseruandum, familiariùs vsurpandum.

Apoc. 3.

Greg. l. 26. c. 26. vel 35.

Isidorum sapiens ille Pastor laudabat, quòd se præ ceteris cognouisset, hoc est, quòd præ ceteris nihil sibi de suo profectu arrogaret, sed nosset semper quàm curta sibi supellex esset. Id verò sic obseruabat, vt quoties ei, se iam aliquem esse, cogitanti occurreret, toties ipse sibi diceret, Numquid tantus es, quantus Antonius, quantus Pambo, quanti Patres illi magni, qui Deo tãtopere placuerunt? Idem fuit B. Climaci præceptum, dicentis: *Iugiter probatissimorum Patrum, qui antè nos luminarium in modum splenduerunt, vitam & mores intueamur, nosq; ad illorum comparationem studiosiùs examinemus; tunc sanè, tunc nosipsos, ne vestigium quidem diligentioris cõuersationis attigisse inueniemus, sed adhuc sæculari seu peccatrice consuetudine obligari.* Idem B. Gregorius, qui sanctũ Iobum cõpellans, ait; *Etsi non habes iam quod corrigas, habes tamẽ adhuc quò crescas.— Ipse considerabas tuã, sed aliorũ celsitudinẽ nesciebas.— Scimus autẽ quòd cordis sui oculũ, per elationis tenebras extinguit, qui cũ recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contrà, magno humi-*

Vitæ SS. Pat. p. 2. 8. 97.

Gradu 22.

lib 31. Mor. extremo.

litatis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia dum ea quæ ipse fecerit, facta foris & ab aliis conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. Hinc est quod voce Dei ad Eliam, solum se æstimantem dicitur:
3. Reg. 19. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: vt, dum non solùm se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgere poterat, euitare posset.*

Ita quidem ille, & pulcrè omnia: at istud opinione mea optimum, quod initio dixit, *etsi quod corrigas, non habes; habes, quò crescas.* Rarum, & verè magnorum esset, non habere quod corrigas: verùm talem te esse faciamus, quantulum istud est, inquiet Gregorius? quàm multis cares? in iis quæ habes, quàm longè potes prouehi, in quantam celsitatem crescere? nihil est cur abundare te putes, cui plura desint quàm adsint: perfectionis via longissima, finem & terminos eius quis inueniet? *Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* Nos verò, qui decurrendum spatium, ne quidem cogitando assecuti sumus, vix è carceribus emissi, iam ipsam metam præteruolasse nobis videmur. Ignorantiam, stuporem, teporem, superbiam, inconstantiam, quid potissimum querar nescio: & his tot malis oppressi, superbimus? Prudentiùs igitur, & consultissimè sanè apud Climacum, fortis virtutum athleta fecit, qui subinde renascentem suæ existimationis opinatum vt contrario continuóque quasi conuitio retunderet, tugurioli sui parietinas, celsissimarum virtutum, vncialibus literis descriptarum, nominibus instruxit: Itaque circumquaque erat legere, PERFECTA CARITAS, ANGELICA HVMILITAS, MVNDISSIMA ORATIO, INCORRVPTA CASTITAS, & eiusmodi celsa nomina. Protinus igitur ad occursantem de se ipso opinionem respondebat; An ita sit probemus, vera profitentes consulamus; oculisque ad parietem conuersis, tantarumque virtutum nominibus lectis, represso tumore clamabat, Hei misero mihi, quàm longè præclaris rebus absum! quas cùm aliquando fortassis obtinuero, tum demum scire incipiam, quàm procul à Deo distem; quid enim nisi seruus inutilis ero, qui quod debuero fecerim? Hæc sunt cogitata Sanctorum, hæc benè decertantium stratagemata imitanda.
Iob 28.
Grad. 25.

Multa igitur, partim omnino nobis desunt, partim in iis ipsis quæ habemus deficiunt, & ecce in cumulum inopiæ nostræ (vt è superioribus patet) neque ad noua comparanda, neque ad imperfecta rite consummanda vlla nobis facultas adest, nisi largissimo Dei munere immeritis & indignis detur; atque ita non tantùm plurimorum egeni, sed quantum in nobis est, perpetuæ damnati egestati sumus, necesse vnde spes à nobis vlla melior affulgeat. Sed tamen, vt etiam donemus aliquid, concedamus, à Deo accepisse te plurima, præclarisque vel naturæ, vel ingenij dotibus instructum esse; fileamus non à te, sed à Deo esse omnia: illud verò an dissimulare licet, quòd in eis quæ tua sunt, ne vnum quidem mihi dederis temporis momentum, quo à tua potestate dependeant,

deant, quo precaria, planéque tibi incerta non sint, quo denique illa, ne tibi pereant, conseruare possis?

Tuas igitur, tot & tantis ornamẽtis abundantis, diuitias vt exploremus: Finge tibi animo Crœsum, aut Imperatorem quemuis ditissimum, auro, gemmis, thesauris instructissimũ, sed qui ad eum necessitatis articulũ deuenerit, vt nulla sua, vel auctoritate, vel potestate, vel industria, nulla etiam quorumcumq; hominũ ope, efficere possit, quin omnia funditus pereant, & Iro pauperior fiat. Amabo te, quod sentis loquere, cúmne, extremo illo tempore, quò abiturientes diuitias retinere non potest, diuitem potiùs, quàm pauperẽ nuncupabis? senties profectò vt voles? ego verò tanto dolentiùs pauperem dixero, quòd & eis vti nõ potest, & non dicendus est habere, quod in sua potestate nõ habet. Iam igitur vide te ipsum; annon eiusmodi es? eorũ omnium, quæ siue tibi donata sunt, siue per te acquisita putas, estne pars vlla, quã vel ad momentum tuis viribus conseruare queas? nónne desubito in nihilum reditura sunt, non sustentante Deo? cùm autẽ à Deo sit, vt ne in nihilum redeant; idq; totum quod sunt, à Deo perpetuò accipiant, (nec enim aliud conseruatio, quàm continua quædã rei effectio est) nónne continenter id totum à Deo accipis, & aliunde tibi accedit? sic inquam accipis, & sic accedit, vt nullo momento id in tua potestate habeas, tibi statim, non conseruante Deo, periturũ sit? igitur omni temporis momento pauper es, inops es, qui nullo temporis momento tuũ aliquid tua in potestate habes. *Quid enim sumus,* exclamat vir sanctus, *si à conditoris nostri protectione deseramur?* —— *Nemo ergo se alicuius virtutis æstimet, etiam cùm quid fortiter potest: quia si diuina protectio deserat, ibi repentè eneruiter obruitur, vbi se valenter stare gloriabatur.* Et alio loco: *Sancti viri cùm de quibusdam se vitiis ereptos hilarescunt, magno se metu, etiam in ipsa exultatione concutiunt: quia etsi iam de cuiuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse tamen se adhuc in incerti maris dubiis fluctibus sciunt, & sic spe exultant, vt pauore trepident; sic pauore trepidant, vt spei fiducia exultent. Vnde per Psalmistam dicitur; Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. At contrà hi qui de specie sanctitatis intumescunt, cùm vnum quodlibet vitium superant, mox mentem in superbiam erigunt, & quasi de vitæ suæ perfectione gloriantur: & pro eo quòd fortasse semel à periculo tempestatis erepti sunt, iam quia in mari nauigent obliuiscuntur: magnos se in omnibus æstimant, & viciſſe se antiquum hostem funditus putant: infra se cunctos respiciunt, quia se per sapientiam transcendere omnes arbitrantur.* Nauigamus igitur, & quidem mare procellosum, lintre fatiscente, per vada, per syrtes & scopulos, adnatantibus & insidiantibus plurimis dæmonum monstris; si nobis fidimus, mergimur, nec in vllũ certioris periculi scopulum impingere possumus, quàm si nostris viribus remigare, vel fluctus arte nostra secare cœperimus. Agnoscamus igitur, id modicum quod in nobis est, vt aliunde venisse, sic aliunde seruari, vigere, nobisque perdurare, ac idcirco non nobis, sed soli Deo, gloriam omnem & honorem deberi.

Greg l. 23. Mor. in fine.

Lib. 5. c. 17. seu 18.

Psal. 2.

Ne tamen demantur omnia, id etiam videamus, An, si in quopiam multa præ-

clita perdiderent, de se iure possit sentire sublime? nemo certè id non fecerit, si diuinorum iudiciorum est immemor: at, eorum si memminerit, quis nō trepidet? Cui plura data sunt, ab eo nónne plura reposcentur? Qui talentum, non quidem perdidit, sed defodit, nónne damnationem pertulit, quia lucrum nullum retulit? ipsa etiam ficus, quæ fructum non dedit, maledicente Domino exaruit. Ego verò sterilescenti radici meæ, quæ vix pauculos ferre fructus valet, si varios multos ramos inseri, ijsque onerari magis, quā ornari expeto, quid aliud, quàm ligna igni præparo, quibus æternùm ardeam? Quanto verius est, vt quo maioribus à Deo donis augeor, tanto me insolabiliter lugeam, ac tamquam rei familiaris æstimator prudens, fenebres auctus eò grauiùs tūneam, quo plura & pretiosiora in fenus accepero? Quid respondebo, cùm olim ad iudicandum venerit Deus? prima bona, pauciora, & minora, qui non rectè administrauí; qui incogitantia, ingratitudine, socordia, multa ociosè mihi perire neglexi: annon trepidabo, si curæ meę plura committantur, si de pluribus rationem exigar? Profectò, quicumque sapiet, serió id æstimabit, & adulatorum laude contemta, suæ saluti timebit: quis enim cùm dati & accepti rationes accuratè subduxerit, non se in multo ære alieno esse comperiet, in diesque & horas ita debiti: debita aggerare, vt in æternum soluendo esse non possit, nec aliud reliket, quàm vt ad misericordem liberalemque Patrem conuersus postulet, *Et dimitte nobis debita nostra*, quod quotidie rogare docuit, & quotidie donare consueuit. Quod nisi faceret, quis in iudicio diuino saluus esset? *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo*, inquit; *cui commendauerunt multū, plus repetent ab eo*. Quid gloriaris qui multum accepisti? alienum est, & quam non speras, hora veniet, qua id ipsum repetetur, & vsuras exigēris? Exciderat cuidam ferrum è securi, & dolens clamabat, *Heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam!* tantillum id erat, & sic lugebatur, quia durus exactor, cui reddendum erat, timebatur. quàm multa, quàm præclara, toties nobis in irritum abeunt, pereunt; nec saltem eorum iactura dolemus: nempe dum in præsens aliqui esse videamur, id satis est nobis; solutionis, & fructuum exigendorum tempus, quasi molestum, à cogitatione remouemus.

Luca 12.

4. Reg 6.

Verè tamen quidam, *Stultus est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, & tempus quo reddere debeat non attendit.* * *Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti prouidentia, etiam constitutum tempus reddendi cogitatur.* Quapropter sanctus ille Iob, cùm de se dixisset, *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo ei? Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* non est, ob beneficiorum in se à Deo collatorum multitudinem elatus, sed apertè profiteri audet, *Si putaui aurum robur meū, & obryzo dixi, Fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea?* Quid enim in illis diuitiarum, honorum & sapientiæ donis magni beatique reperiemus, quando sui pondere, nisi cauerimus, ad æternam

Greg. l. 12. Mor c. 3. vel 5.

* Id est moderatior redditur.

Cap 31.

nam nos miseriam depriment? Vnde piè pariter & humiliter exclamat Gerson, *Quis asſecurabitur homo viuens ſuper terram, etiamſi ſupra aſtra cæli poſuerit nidum ſuũ, etiamſi in lecto contemplationis dormierit, etiamſi manna deuotionis abſconditum guſtauerit? Quid hæc omnia? Quis non expaueſcat horrore vehementi, quando à cæli palatio detractus eſt Lucifer, à medio lapidum ignitorum, in ſterquilinium damnationis? Quando in illa die duobus exiſtentibus in lecto, vnus aſſumetur, & alius relinquetur? Quando demum filij Iſrael proſtrati ſunt in deſerto, qui pane cæli veſcebantur, & inimicos ſuos, eos qui mentiti ſunt ei, cibauit Dominus ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos? Væ mihi ſi gloriam meam quæſiero, illa prorſus nihil eſt, illa nihilominus condemnabit me. Væ ſi gloriatus fuero in damnatione mea, & in nihilo terreat Apoſtolica tuba; Si, inquit, habuero prophetiam, & nouero myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Quis autem certus eſt, ſine miraculo ſe caritatem habere? Quid ſcis, pauper homuncio, & ſi lumen aliquod intelligentiæ, aut aliquis tepor tenuis deuotionis videtur datus tibi ſeruo nequam, & hoc ad vtilitatem aliorum, vt illuminentur & caleſcant, tu verò inſtar cerei accenſi redigaris in cinerem? Aduerte hoc miſericordiſime Deus, & ſi de te loquendum, ſi in te exultandum, exultemus cum tremore, & doceamus cum humilitate, quærendo vnicam gloriam nominis tui, per ſeruos tuos dominos & fratres meos.* *In præf. ad Theolog. myſt.*

Ita quidem ille, vbi veriſſimè notat, & gloriam noſtram nihil eſſe, & perfrequenter gloriari nos damnatione noſtra, dum illis ipſis quæ in ſpeciem lucent, at virtutum ſuccum exſugunt, & ad extremum nos perdent, interim tamen gloriamur: ab illis longè diſſiti qui, vt teſtatur Climacus, *oneri ſuo ſingulis diebus per occultam diſſipationem adijcere ſe arbitrantur: & copiam diuinitus indultorum munerum, quaſi præter meritum acceptam, amplioris cruciatus additionem fore ſuſpicantur. Quare, ex ipſis Dei muneribus, quantumlibet in eis profecerint, ſeipſos humiliant, ſeq; eiuſmodi diuitijs indignos exiſtimant, nec ſecùs afficiuntur, quàm ij qui quotidie debita debita adijciunt.* *Grad. 25.*

Sed iam perſpicuè prolixeque demonſtraui, quàm nihil ſumus, quàm nihil noſtrum ſit, quàm illa ipſa mediocria ſint, quæ aliunde nobis data ſunt, & ex illis timoris potiùs quàm tumoris nobis materia præbeatur. Vt verò non tantùm agnoſcamus, ſed frequenter, familiariter, iucundè quinetiam & auidè id vſurpemus, omnique tempore & negotio, nos ipſos quaſi rem nihili habeamus, amor tantæ virtutis, & deſiderium Chriſtum Dominum noſtrum imitandi nos inflammet: & in hoc propoſito mixtus timori amor confirmet, ſeriò perpendendo mirabilem D. Gregorij ſententiam; *Euidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt; at contrà, humilitas electorum.* Quod vel vnicum, ſi pro dignitate ſuis momentis æſtimaretur, ingentem ſuperbiæ execrationem, mirabiles humilitatis amores pareret. *Lib. 34. Mor. in fine.*

CAPVT IX.

Quid sit quod facilem & crebram eiusce humilitatis exercitationem faciat.

VT facilè, vt crebrò quod diximus vsurpemus, Primò omnium id nobis certum esse debet, nec arduam, nec laboriosam, imò nec admodũ operosam, eam exercitationem esse debere. Quamuis enim paucorum, & maximorũm virorum sit, numquam vlla in re vel tantillum sibi tribuere, tantam tamen virtutis absolutionem ab nostro exercitatore non exigo; sensim longo vsu eò perreptandum est. Interea, forti sit animo: animo enim res hæc tota conficitur: oratione vires cælitus impetrantur; intimo sinu mentis hæc vniuersa exercitatio cõcluditur: sudore, fatigatione, agitatione, vel robore corporis, parum promouetur. Neque verò conclamatum esse credendum est, cùm subinde vitioso nostri amore furtim irrepente, aliquantulum nobis arrogauerimus; vix, ac ne vix quidem, post feros annos naturæ vitia exuuntur: acriores à lapsu oportet exsurgere, nec fragili nostra conditione terreri, si cubi forsan impingitur, cursus instaurandus, ad metam corona non deerit.

Faciendum autem est, vt facilè, vt frequenter, vt spontè animum nostrum ea incursent, quæ inanitatis nostræ exiguitatem, quàm poterimus clarissimè commonstrent, & sæpiùs memorent. Quare affluescendum est, vt omne bonum, iucundum, pulcrum, delectabile, nobile, amabile, honestum, aut perfectum, vim omnem, omnem efficientiam, motionem, conuenientiam, concursum complexumque causarum, variarumque rerum euentus, ab iis rebus quæ in oculos incurrunt remoueamus, quo puriùs & perfectiùs omnis laus & gloria Deo vni, cuius vnius propriè sunt, & in quo meliùs perfectiusque sunt, semper & vbique reddatur. Hoc verò fiet, si quoties sensum atque cogitationem nostram alicunde tangi animaduertimus, in ipsis nihilominùs rebus procreatis numquam resistimus; at eas, vel imperfectioris vestigij, vel riuuli, vel lucis aliunde manantis, instar habere credentes, ad nobiliorem, in quem digitum quodammodo intendunt, earum fontem & principium, qui Deus est, tendimus.

Vt enim tenebricoso loco conclusus, irrumpente per aliquam rimam limpidissimo lucis radio, amicè quidem iucundum illum radium contueretur, at maiore longè cupiditate flagraret, videndi illius illustris & luminosi corporis, vnde lux tanta manauit: ita si benè perspectum nobis fuerit quàm tenebricosum, informe, & omnium indigum sit illud (quod solum sibi res omnes vendicare possunt) Nihilum & inane, vnde sunt diuina voluntate & potestate solæ ductæ: quotiescumque eas μεταλαχθείσας ἀπὸ τοσούτου, καὶ μὴ ὄντος, σώσας

εἰς τοσοῦτο δὲ ὄντος, καὶ πολλῶν ἐνεργεῖν μεταχόντος, φέγγος ἴδωμεν: quoties, inquam, eas à tam densis prisci sui nihili tenebris, ad eam videremus lucem euocatas, vt & sint, & multa possint; quid possemus aliud, quàm vt vehementiùs cogitationem transferremus in admirationem tam nobilis præcelsique principij, à quo omnia, quæ nihil erant, abundè & indesinenter omne esse, omne posse hauriunt, conseruant atque perficiunt? Indeque altrouersus delati, non sine singulari mentis oblectatione spectaremus, summam illam, & nullius rei indigam naturam, hæc tam multa, tam varia, tam minuta, solisque rebus procreatis vtilia vel iucunda, tam constanter, multipliciter, indefessè & benignissimè impertiri? Atque ita perpetuò duo ista nobis occursarent, nempe, inania, & nihil esse, seipsis nihil habere omnia; Deumque per magnum istud inane peruagari, euocare vt sint, ordinare vt variè & aptè sint, exornare non pauca, vt pulcrè, vt etiam beatè sint, alia sibi ipsis relinquere vt miserè sint, quia sibi superbè quàm auctori humiliter esse malunt.

Iam, si vsu & re ipsa, hæc ipsa pauca peragimus, id quidquid commendaui perfectum est: addam tamen exempla nonnulla, vt faciliùs id constet; plura verò, his similia, sibi quisque nullo negotio effinget.

CAPVT X.

Idipsum plurimarum rerum enumeratione monstratur.

EQuidem in hominibus vis huius exercitationis propè tota spectatur, nihilominùs longiùs traducenda est: vix enim fit, vt quæ necessaria essent sarta tecta seruentur, nisi aliquanto pluribus quàm necessitas exigat abundes. Primùm igitur de rebus aliis ab homine; de ipso deinceps homine dicemus.

Et illis quidem omnino nihil, at illarum omnia Deo tribuere consuescamus: quod erit eo procliuius, quòd laudis illa deriuatio adeò non exterret, vt blandiatur & alliciat magis; quippe nulla re nobis detracta, creatori potiùs, quàm creaturæ fauere quis non malit? Hoc verò ita faciemus. Cælum si intueor, solem, lunam, stellas, tanta luce, varietate, formositate, mirabilitate dispunctas; mirabor, vnde ista acceperint, cùm se ipsis nihil sint? vnde istiusmodi esse pergant, cùm vi sua se conseruare non possint? vnde splendor, vnde volubilitas, vnde in concitatissimo motu tantus ordo? vnde in hæc inferiora, tamque dissita, potestas tanta ad tempestates, alternationes, generationes & mutationes plurimas ciendas? nempe qui dedit illis vt sint, formam etiam, ordinem, vires, & quidquid illis inest, pariter dedit, & perpetuò dat atque conseruat. Tu verò lucidissime Sol, in tenebras ibis, cæli orbes amplissimi in nihilum conuoluemini, protinus vt conseruatricem manum subducere voluerit Deus.

De

De terra, elementis, fluminibus, lapidibus, metallis, gemmis, arboribus, rebusque omnibus, quæ in vsum, sermonem, cogitationem inciderint, idem esto iudicium: contemnantur, nihili fiant, vt suapte natura & efficacitate propria nihil sunt, è nihilo sunt, moxque, recedente Deo, id ipsum quod esse videntur, esse desinent. In cibum, potum, medicinam, vestitum, & vsum quemlibet si assumantur, nihil esse, nihil nisi per Deum posse credamus; idque omne quod possunt, absque illis Deum solum posse, non credamus tantùm, sed etiam speremus futurum vt faciat, quoties factu melius fore iudicauerit. Quoties verò ex illis aliquid commodi, delectationis, ornatus, aut solatij haurimus, id ipsum Deo referamus acceptum, qui vim pani, cibo, vino, rebus aliis, nos alendi, reficiendi, tegendi, sanandi, oblectandi, dedit & conseruat, & se illis quodammodo admiscet & adiungit.

Iam, animantes omnes non dissimili modo spectandæ sunt, vt neque leonis fortitudo, neque tigridis velocitas, neque elephanti docilitas, neque canum sagacitas, nec aquilæ volatus, nec luscinię cantus, nec aliarum animantum vlla vis aut proprietas, in ipsarum laudem reponatur: assuescamus magis, vt cùm eiusmodi varia de illis narrantur, experimur, videmus, aut cogitamus, mentis aciem confestim in istud, vnde sunt eductæ, nihilum defigamus: diuinamque bonitatem laudemus, quæ tot rebus, tanta varietate esse, & sic esse, sic sentire, sic vigere, sic dedit viuere: & sæpè in minimis animalculis, vt apibus, formicis, aranea, mirabilem quandam industriæ vim, inseuisse dignoscitur.

Præterea, insecta, & vermiculos ab illo esse & conseruari, quomodo satis mirabimur? nos etenim, qui in cetera dominatu gloriamur, liberrimè illa proterimus, contemtimque delemus; quæ tamen si nobis componantur, longè potiori loco sint, quàm ipsi nos si componamur Deo: & ecce summus ille Deus, tantopere ista insecta & vermiculos esse voluit, vt infinitam suam potentiam non sit dedignatus adhibere, qua ex nihilo quasi eriperentur, & iam essent, dumque sunt conseruentur, ne in suum nihilum reuertantur. Sed hinc videmus, quàm nihili facienda sunt omnia, quæ omnipotenti Deo tam sunt exigua: etenim quæ iam sunt, antequam sint cogitemus, leones, elephantos, vrsos: quid plus sunt, quàm qui nondum est vermis? & quando sunt, quo iure, qua vi, propria an aliena, à se an aliunde pendente, plus aliquid sunt? nónne pari facilitate leonem, qua vermem progignet Deus? nónne vtrumque, vbi volet, pari etiam facilitate disperdet? quid? quòd si culicem vnum, contra leones, elephantes, animantes omnes, ipsosque adeò homines, instigare & roborare voluerit Deus, quàm euadet potens? vnoque culice, animantes omnes, omnes homines, terrebuntur, fugabuntur, interibunt. Vsque adeò scilicet, ab vno Deo, non tantùm esse, sed vires, & vigor, & virium dispensario emanat.

Sed hæc de istis vniuersè dicta sufficiant, vniuscuiusque erit id ipsum sæpius vsur-

vsurpando frequentare. Quod ad homines verò attinet, iam sæpiùs ostensum est, aliunde esse id omne quod sunt & habent, essé que permodica, & oneri magis quàm honori. Id etiam præ ceteris animantibus est illis maximè proprium, quòd viciniore cum ipso nihilo cognatione iunguntur: quamuis enim seminaria facultate, corpus è corpore progignatur; at, pars melior hominis, animus, ex eo quod merè pureque nihil erat, diuina potestate iubetur esse, & sic esse, vt sit immortalis, ratione & cognitione præditus, Deo similis, Dei capax: quæ, & alia dona, momento vno, sola diuina liberalitate (nec enim eius quidquam præcessit) simul conferuntur, & (si modò admitimur) ipso temporis tractu sensim miris auctibus ad sancta & æterna, Deo adspirante, procedunt. Verùm quo longiùs processerit, eo conuenit esse magis originis suæ memorem, & grata recordatione beneficium auctoris agnoscere, qui vel alios nos, vel etiam omnino numquam condere, liberrimè poterat. quare frequenter ipse sibi dicat animus, Ecce sexaginta, octoginta, centum ab hinc annis, quid eras? quis te inde euocauit? quis conseruauit, ornauit, quis à morte blandiente ad vitam, sed seueriorem & non amatam conuertit? nihil eram, absque Deo nihil essem; ex quo fui, absque eo, me ipsum millies perdidissem.

Aliorum bona, & ornamenta, seu corporis seu animi, nullo inuidiæ sensu libenter spectemus, prolixéque laudemus; at semper in principium, fontemque suum illa referentes. Doctrinam, eloquentiam, ingenium, gratiam, virtutem, auctoritatem, vel aliud cuiusuis bonum, non secùs quàm tenuem abs æterno lucis fonte radium contemplemur, perpetuò emanantem, perpetuò conseruationis & augmenti indigum, & quidem eum cuius animo sese insinuat illustrantem, at in sua tamen origine longè puriorem. Hinc quamcumque peritos; potentes, doctos, aut sanctos homines viderimus, eos quidem veneratione ideò dignos credamus, quòd eos exornandos ipse sibi sumsisse videatur Deus: attamen caueamus, ne in illis nimium reponamus, quanticumque fuerint, nihil Deo per illos accedet, nihil deficientibus illis decedet: imò non tantùm Deo, sed neque nobis decedet, si Deo perfectè fidimus & nitimur. estne in re quapiam vis vlla, quæ ab illo non sit, cuius ipse egeat, quam non possit cuicumque libuerit alteri rei parem, vel etiam maiorem dare, sine qua etiam eandem euentuum seriem procreare non possit? annon fortissimo Rege demortuo, imbellem quemuis excitare, vel nemine excitato, eodem in vigore regnum conseruare potest? sunt eiusmodi infinita quibus enumerandis supersedeo.

Longiùs progrediar. Iuuat, non solos ipsos terris adhuc affixos, mortalesque homines, sed ipsos etiam cælites, & æterna sua beatitate securos, modò solitariè seorsimque spectatos bonis exuere, modò suæ felicitatis copia instructos, & Deo adplicitos videre: & quamuis in illis exuendis, nonnullus amato-

ri Sanctorum horror inſerpat; nihil tamen eſt quod attentiùs propiuſque ſpectatum, non ad maiorem honoris illorum cumulum, & clariorem veritatis cognitionem faciat. Quemlibet igitur è Beatorum numero ſumamus, S. Cæciliam, S. Martinum, Laurentium, Petrum aut Paulum, mirabili gloria fulgidos, multa virtutum luce ſplendentes, non tantùm hominibus, ſed ipſis etiam angelis admirandos: caſtitatem, pietatem, fortitudinem, plurima præclarè geſta atque tolerata miremur, æternæ gloriæ tantam coronam, iure à iuſto iudice acceſſiſſe lætemur. at è quibus initiis tot & tanta iſta fluxêre? ad illam immenſitatem gloriæ, & beatitudinis perpetuam æternitatem, ab incerta mutabilitate, à peccante, & miſeriis ac flagitiis omnibus obnoxia vita, & denique, ſi altiùs à primo repetendum eſt primordio, abs eo quod nihil erant, ad tantam prouecti ſunt celſitatem: quam obtinent, æternumque obtinebunt, æternâ, quæque illos antequam eſſent, præuênit, & in excelſum illum gloriæ thronum præelegit, ſingulari Dei gratia.

Quid? quòd & ipſam Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti matrem beatiſſimam, in id mirabilitatis euectam contemplari, eique medullitus gratulari, tanto iucundiùs mihi videor, quo puriùs à Deo in immerentem illam tot theſauros diuinæ liberalitatis effuſos intueor? immò etiam, dum vndique & gloria & gratiis, in immenſo illo ſuo decôre circumfluit, dum ipſi etiam Deo materna ſua auctoritate veneranda ſpectatur, ſi ſuper ea, tali & tanta, penitiùs ad vltimum exquiro; vnde tantum ſplendoris & gratiæ, vnde virtutum, ſanctimoniæ, maternæ & virgineæ dignitatis prærogatiua manauit? illúdne ipſa à ſe, ſuo ſibi iure aſſeruit, conſeruauit, auxit? numquid communi hominum natura, imbecillitate, mortalitate, miſeriis ſe ipſam eximere poterat? nónne ex vno & eodem, quo ceteri principio, ex eoque quod omnino nihil eſſet, nihil iuris, dignitatis aut prærogatiuæ haberet, ad ſummum meræ creaturæ faſtigium, ſola Dei boni voluntate perducta eſt? Iam autem perducta, & æterni ſecura, vnde tamen ſecura cogitemus: iſtudne ſuæ ſolius poteſtatis eſt? an aliunde, ſemperque & in æternum aliunde mutuandum? quod enim numquam futurum eſt, ſi tamen fieret, qualenam eſſet, cogitemus: Abs illa, tot diuinis dotibus, tantaque felicitate cumulata, tolle quidquid Dei eſt, ſubitò nihil eſt: aut ſi mauis non omnia tollere; locum, & beatitudinem, & lumen gloriæ, quæ à Deo ſunt, auferat Deus; ecce in terris obnoxia miſeriis deget; vbi ſi omne diuinæ gratiæ priuilegium ſuſtuleris, & improba fieri (horret dicto animus) & peccatorum ſordibus immergi, & damnari poterit. adeò ſine Deo nihil certum, nihil probum eſt. At illa ipſa, quæ ſe ſolâ, in tantum miſeriæ non ſolùm cadere poſſet, ſed re verâ caderet, indeque ſe educere non poſſet; illa inquam, diuino firmata præſidio, aduerſantia cuncta deſpectat, Deo læta perfruitur, nec eam gratitudinis ac lætitiæ ſuæ minimam partem putat, quòd ab æterno in æternum *ancillæ ſuæ humilitatem reſpexerit Deus, pauperémque*, inanem,

nem, bonis vacuam, & quæ nihil erat, *plenam gratia ornauit, vt collocaret cum principibus populi sui*, cunctisque præpositam, singulari diademate gloriæ coronaret. Certè nescio an alia beatissimæ Virgini iucundior exoriri memoria possit, quàm quando mente peruoluit, aliquando se non fuisse, tam multa mala & misera, miserè esse potuisse, suisque viribus etiam nunc nihil esse; at Dei optimi maximi potestate & liberalitate conspirante, esse id sublime quod est, omnibusque malis liberam, in summa beatitudine esse, futuramque semper; nec alium sibi quàm ipsimet Deo, benè beateque viuendi terminum esse positum; æternum quidem illum, & nulla vmquam mutatione temerandum, at sola, sed certa, fixa & inuiolabili Dei voluntate decretum atque perdurans. ô quanto hæc distant interuallo, id nihil quod fuit, quod se solâ est, & istud præcelsum quod Dei gratia est! ex illo priore, ad hoc posterius deuenisse, quantum exigit mirationis, quantum gratitudinis, diuinarumque laudum!

Sed illa summa relinquo, & ab aliis ad me venio; sed ita venio, vt nihil inexpectati futurum videam, si, postquam summa illa nihil esse comperi, me quoque in eandem nihili classem referendum, ibique accensendum compererо. Ita est, occulti nihil habet hæc veritas: nihil eram, ex eoque quod non eram, nec ipse me, nec me alius quàm Deus eduxit, eductumque nemo alius conseruat: meum, nihil mihi est; illius, mea omnia, summo & optimo iure sunt. Itaque mea singula, quomodocumque ad me attinebunt, vt aliena spectabo, caueboque ne diuinæ gloriæ interuersor, aut bonorum Dei iniquus insessor, vllaex re mihi quidquam decerptum velim. Sed veniamus ad singula, & aliquorum enumeratione viam ad reliqua præmonstremus.

Certè quidquid in membris, in sensibus, in toto corpore, in singulorum ordine, vsu, vigore, symmetria, partibus, egóne à me habere possum, quod neque quale sit, neque quomodo compaginatum, neque quanta arte solidatum satis intelligo? Deus est, qui summè prouidè dedit singula; ossa, vt sustentarer; sanguinem, vt nutrirer; cutem, vt integerer; neruos, vt vigerem; pedes, vt mouerer; manus, vt operarer; oculos, vt viderem & cauerem; aures, vt docerer, & saperem; linguam, vt sermone sociarer. hæc & alia à Domino Deo meo accepi, accipio, &, vt non mea, sed eius esse cognoscam, nec ea conseruare possum, & sunt qui his vel illis carent, nec vlla medicinæ vel hominum arte sibi opitulari queunt: nempe solius bonorum omnium datoris ista sunt. Qui si tantummodo voluerit naturam meam sibi relinquere, permittendo vt naturalis concordiæ stabilita iura soluantur, & contraria humorum inter se pugnantium vis in mutuum interitum concitetur; nihil erit cur extrinsecùs quidquam ad ruinam meam aduocetur, ipse mihi tortor acerbissimus, ipse mei crudelis interemtor ero: quippe vndique diuissimi totum corpus peruadent morbi, humorum fluxiones, viscerum tortiones, putidi

abſceſſus, vermium & fœtoris ſcaturigines, monſtroſus faciei tumor, membrorum omnium tremor & horror, alijque plurimi dolores impatibiles miſerum depaſcent. quid verò? comperrúmne mihi eſt, fore vt tot iſtis terminibus, vel ſaltem eorum nonnullis numquam ſim laboraturus? Verè, non eſt qui ſibi de ſe certò ſpondere poſſit. vſque eò parum, aut potiùs nihil noſtri, in poteſtate noſtra eſt. Erit igitur optimum, ſi non rarò ad me cogitatione conuerſa, ipſe me (quantum quidem ad me attinet) modò cæcum, modò ſurdum, modò gibboſum, diſtortum, languentem, amentem quoque & furentem, variiſque angoribus confectum intueor, meæque imbecillitatis ac impotentiæ memorem reddo.

Sed hæc ipſa, in moribus & animo, longè clariùs elucet impotentia: nec enim perditiſſimorum ſcelerum, aut execrandorum flagitiorum modus vllus eſſet, niſi & Satanæ tentationibus, & noſtris cupiditatibus moderaretur Deus: ſed & optimus quiſque, iamque longo plurimorum annorum vſu virtuti ꝑbfirmatus, in omne vitium præceps rueret, ſi vel ſolam cupiditatum inſolentiam inſurgere, vel quibus pollet viribus, abuti dæmonem, ad pelliciendum in malum, ſineret Deus. Præterea niſi me gratis ad ſe vocatum, excitaret, roboraret, & in iuſtitia conſeruaret, nec ad eum venire potuiſſem, neque modò aliquid Deo gratum operari, nec perſeuerantiam conſequi poſſem: atque ita quod ad me ipſum ſpectat, nihil ſum niſi mali ſentina, niſi omnium peccatorum fomes, virtutis & gratiæ omnis exſtinctio, terrarum & cæli odium, dignum æternorum ignium pabulum.

Quid ſæpiùs, imò quid propè aliud in me comperio, Deus meus, quàm quod bonitati & gratiæ tuæ me perpetuum aduerſarium ſtatuo, eique vel ſocordiæ, vel ingratitudinis, vel cupiditatum varios obices pono? ſemperque id fit, quia ſtultè ſuperbiens, vano timore diſtendor, neque meriſſimam inanitatem meam ſatis agnoſco. Ecce enim veritatem tibi profitebor, Deo meo & iudici meo, nónne ſæpè cùm ſolutior exſtitero, imparatior ad orationem acceſſero, religioſæ perfectionis minùs obſeruans, &, vt verbo dicam, tuis donis tuaque maieſtate indignior fuero; præter conſuetum iuſtitiæ tuæ morem, me benigniùs excitas, foues blandiùs, conſolatione mulces, torpentique & ceſſanti tribuis quæ incitatiùs laboranti negares? Quod vbi perpendo diligentiùs, quid poſſum aliud, quàm nimiam tuam laudare bonitatem, nimiam meam accuſare ſuperbiam, quam toties repetito ſuæ impotentiæ ſenſu, ita ſanare dignaris? Cur enim conantem deſtituis, niſi quòd occultam ſuperbamque in ſuos conatus fiduciam, meritò auerſaris? Cur ceſſanti, improuiſus excitator & exhilarator occurris, niſi quòd & huiuſmodi fulcimentis imbecillum egêre noſti, & tunc temporis illa ſuffi-cis, quando largitionis tantæ nullam in me cauſam reperire, ideoque nullam ſuperbiendi anſam captare valeo? Et cùm iſta, ſingulari bonitatis lege me-

cum

eum agis, quid reſtat, quàm vt me, non ſolùm inſtar ceterorum inanem, ſed præ ceteris inaniter tumidum agnoſcam, & cuius peculiari inanitati peculiare remedium à tua ſit bonitate conſtitutum: hanc verò bonitatem, quæ eiuſmodi pertinax malum, & curationis genus non abhorreat, quibus præconijs, qua digna admiratione perſequi poſſim? Verè ſummè bonus es Deus meus, ego verò vel ſummè malus, vel ad ſumma mala ſponte mea, meaque incitatione procliuis. Cùm verò ſic feror in malum, numquid non deficio, & ad illud, vnde ſum eductus, nihilum ſenſim reuoluor?

Sed nihil eſt cur pluribus immorer; ſatis mihi conſtat, corpori meo animoque & plurima deeſſe, & nihil ineſſe, quod à me vel ſit, vel conſeruari poſſit, nihil item à me illi conferri poſſe quo meliùs aliquid accedat. *Quis veſtrùm*, inquiebat aliquando is qui ſolus poteſt omnia, ſed, *quis veſtrùm, cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* ſed magnum id forſan videbitur; audi quàm parum poſſis; *Non potes*, ait, *vnum capillum album facere aut nigrum.* Exigua iſta ſunt, nec tanti faciendum, aut certè ferendum leuiùs, ſi in rebus eiuſmodi minùs aliquid poſſumus: at verò quis non ab omni faſtu deiiciatur, quando ſibi ad æternæ vitæ (in qua noſtra omnis felicitas eſt ſita) conſecutionem, omnia prorſus deeſſe, certa fide perpendit, nullum ſe ad eam conatum, qualem oporteret, adhibere poſſe, non adſpirare, non aſſurgere, non denique ſuis vllis viribus, dignè de illa cogitare, multoque minùs, benè faciendo illam promereri? Quis enim ad Ieſum venire poteſt, niſi Pater cæleſtis traxerit eum? Quis, niſi in Spiritu ſancto, dicere poteſt, Dominus Ieſus? Certè ſufficientia noſtra omnis ex Deo eſt, nec ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis, ſenſuſque & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Me igitur ipſe continebor, inde quidem ad ſempiterna & ſumma bona procreatum, hinc verò vſque eò debilitatum, vt non tantùm ad illa non ſuſpiciam, ſed vltrò intùs, vniuerſum iniquitatis virus, miſeriarum & cruciatuum æternorum ſeminarium foueam, ipſeque me indeſinenter ad extremam ruinam vrgeam, adeoque volens & videns peream, vt non tantùm me ipſe inde non liberem, ſed ſemper penitiùs, profundiùs & inextricabiliùs me malis omnibus immergam. Poteſtne homine iſto miſerius aliquid fingi? at reverâ, iſtiuſmodi ſumus omnes: addam etiam infirmitatis genus aliud, quod in me ſemper agnoſcam.

Matth. 6.

Ibid. 5.

Eripiat me tot meis malis bonus & potens Deus, conuertat ad ſe, ad virtutes inflammet, vitia retundat, deſiderium vitæ ſanctioris adſpiret: certè nec illa mea ſunt, nec me alieno gloriari decet; aliunde verò vel maximè deiici, quòd ſemper in me, non tantùm ea ineſt infirmitas, quâ nihil ex me poſſum, & ea ipſa bona tueri non poſſum, ſed peſtiferum quiddam intimè delitet, quo ad deteriora ſum pronior, cum ipſa morte federa paciſcor, ad ſu-

perbiam, ad iniquitatem, ad bona euertenda, Deique dona perdenda, ardore cupiditatis inflammor; vsque adeò, & bonum nullum meum est, &, si aliquod mihi bonum aliunde aduenit, implacabiles cum eo, ipseque mecum inimicitias gero, Deo ipsi repugno, tantoque in perniciem meam auidiùs incumbo, quo benigniùs & salutariùs ad saniora consilia me prouocat.

En ergo qualem ipse me contemplabor; hominem nihili, bonorum omnium egentissimum, iacentem, languentem, erigere se non valentem, qui si erigatur & sanetur, alieno beneficio, in se & in eum qui beneficus exstitit, insurgat, superbia efferatur, elatus corruat, & illidatur & grauiùs vulneretur, & quoties medicinam feceris, toties sanationem in ægrotationem, remedia in venena mutabit: quid enim aliud facio cùm vndique è donis Dei omnibus arrogantiæ segetem capto? meque videns, tam peruicaciter veris bonis oblectari, semper ad me qui nihil sum conuerti, ab eoque qui summè & solus est, & omne bonum est, naturæ meæ peruersitate discedere; quæ mihi de me ipso opinatio, quæ non formido esse debet, ne procul à summo bono in summa omnia mala præcipiter, & qui summè beato non adhæresco, summis miseriis inextricabiliter aliquando inuoluar? Sic bonis auersum, sic malis immersum, à cælesti beatitate recedentem, ad inferorum calles toties accedentem, suamque ipsis in visceribus perniciem vltro fouentem, & sæpè miserabor, & me ipse, mortis æternæ pabulum, Dei hostem, mali & eius quod non est amicum, inanem tenebrionem, sectatorem vanitatis, veritatis oblorem, & aliis eiusmodi titulis ornabo: miraborque, si quando vel bonum aliquod desiderium, vel sancta cogitatio cordi meo affulserit, si quando per me, vel in me, vel in aliis boni aliquid effectum, malum quodpiam depulsum fuerit: totieque & ex animo dicam; Non à me id profectum, sed, ô incredibilem tuam Deus meus bonitatem, qui meam summam improbitatem non auersaris, & in eius rei, quam solus poteras, rectè faciendæ participationem me vocare dignaris! Domine mi, tuum est id totum, quod istic rectè gestum est, tibi gratiarum actio, tibi honor debetur & gloria: si quid à te sperare, à te flagitare audeo, istud est, vt mihi semper eum dones spiritum, qui tibi se semper agnoscat obnoxium, nihil sibi, tibi omnia tribuat, penituque à se ipso desciscens, integrè perfecteque se tibi subiungat.

CA-

CAPVT XI.

Eius rei frequentatio, & nonnulla cauenda commendantur.

EX iis quæ proximè dicta sunt, iam constat, & facilè, & in rebus omnibus, omnium rerum procreatarum, atque exinde nostram inanitatem deprehendi posse, si (quod de auicula quadam alienis plumis induta fabulantur) à nobis, & ab aliis, quidquid aliunde mutuatum, & quidquid alienæ potestatis, alienique iuris est secernere, auctorique & vero Domino suo, tribuere consuescimus. quod vt fiat, erit animus ab his infimis, & in oculos incurrentibus, ad supremam & omnia gubernantem, perque omnia peruagantem causam euocandus, idque quàm fieri poterit crebriùs: harum enim cogitationum vsurpatio frequentata, & facilior ipso vsu, & gratior redditur.

Illud tamen crebertimum & propè perpetuum sit, vt nos nihil esse, nihil posse, nobis cuncta confirment: qua certè veritate, si modò animum aduertere voluerimus, & nihil esse testatius, & nihil magis obuium reperiemus. Etenim, cùm non simus verè dicendi posse, quod nonnisi alterius ope possumus, quamcumque nos in partè verterimus, nihil nos posse deprehendemus, nō molestias, morbos, culices, pulices, æstum, frigus, ventos, imbres, angores, dolores, ignorantiam, mala denique vlla depellere; non iucunda, exoptata, aut bona vlla pro voluntate euocare, firmare, retinere: vndique alienis, & quidem vilissimarum etiam & egentissimarum rerum fouemur auxiliis, nostræq; inopiæ sustentandæ corroganda vndique & emendicanda sunt adiumenta. Cibum, quādo esuris; aurum, quando indiges; sanitatem, cùm ægrotas; gaudium, cùm tristaris; honorem, cùm infamaris; & quid pluribus est opus, vllámne etiam rem minimam, vlli hominum datum est, cùm voluerit, & solius voluntatis imperio excitare? O impotentissimam, si quod res est fateri voluerimus, hominum impotentiam? quid enim iustius, quàm vt qui nihil sumus, nihil possimus? eodemq; in nobis nexu coniugata perseuerent, nihil esse, nihil posse: nobisque tunc quoque cùm minùs volumus, id nobis ipsa nostra desideria exprobrent. quid enim vanissime hominum, cùm tibi de te multa sperata promittis, cùm eruditionis, prudentiæ, sanctitatis, multiplicisque gratiæ opinionem, cùm honores, munia, dignitates aut deferendas, aut comparandas concupiscis, dum te hæc tua cogitatio magnum aliquem mentitur; non intelligis, quàm verè, te nihil posse, tuorum tibi desideriorum potestatem esse negatam loquatur? & ecce ita desipis, vt te potiùs incerta & sperata vanitas inflet, quàm certa & præsens impotentia intra veritatis limites teneat?

Verè

Verè etenim, vt clariùs enunciemus, hoc tibi tua ista cogitatio loquitur, & re ipsa ostendit; & in hac tua desideratione qua menti tuæ obiicis, Honores, gloriam, diuitias, potentiam ambio, illasque mihi spero non indigno deferendas; euidentissimè profiteris, credere te, multum in illis boni latere, plurimumque felicitati tuæ deesse, quamdiu illis cares: vnde sit consequens, vt inuitus careas, & quoniam inuitus cares, id quoque simul videas, non tuæ sed alienæ potestatis eas esse, ac proinde inopiam impotentiamque agnoscas tuam, qui quæ maximè concupiscis, ea omnium minimè pro tuo arbitrio comparare possis. ex quo id quoque efficitur, vt quantumuis illa compararis, inde tamen bonis tuis certum aliquem accessum factum esse affirmare non possis: cùm enim id ab aliena potestate ita proficiscatur, vt à tua esse non possit, facilè animaduertis, esse mille casibus obnoxium, fermeque vt perseueret, ab aliena voluntate pendere, ac pro rerum humanarum inconstantia, nihil admodum noui futurum, si vel incursu hostium, vel incendio, ruina, calamitate improuisa è diuite pauper euadis, si auersis hominum animis, honore, gloria, opinione spoliatus, ijs omnibus ad quæ tantopere adspiraueras excidis. Ex quibus id certissimè efficitur, vt ad desideria explenda, ad bona retinenda, ad felicitatem fruendam, tibi omnem facultatem ademtam esse, tuas solius vires si spectes, necessariò fatendum sit.

Iuuat autem considerare, quàm, ad hoc ipsum nobis commendandum, ipsa sit opportuna desiderandi vis, qua cùm frequentissimè tangamur, semper tamen in res absentes & nondum in nostra potestate sitas, fertur: inde verò gradus fiat, vt, quemadmodum desideriorum consecutionem, ita etiam eorum quæ iam consecuti sumus conseruationem, non in nostra, sed in aliena semper esse potestate videamus, vnde denique nihil nos posse, nihil esse verissima ratiocinatione colligamus. Et quoniam è dictis hæc patent, ad alia veniamus.

Cumque adeò multa, ne dicam omnia, nostræ nos inanitatis, impotentiæ, miseriæ, infirmitatis, humilitatis commonefaciant; cauendum tamen, ne, inani nescio cuius complacentiæ vanissimæ afflatu, id quidquid nobis inditum fuerit boni infectum pereat: sic enim omnem eius vndecumque affulgentis speciem, intimis haurimus medullis, vt statim spretis ceteris ad eam toti conuertamur, & conditionis infelicissima sorte, illo omni bono excidamus, quod magno labore steterat. Sed hoc monitum, ne oscitantibus & incuriis elabatur, exemplis præstat illustrare: eo enim non satis animaduerso, primus (vt vidimus) corruit Angelus; fermeque fortissimus quisque hominum vulneri patuit, dum sensim intro serpens complacentia, sibi intimam penetralia cordis aperit, ac mox eius arce occupata, totos aduentanti, sibique cognatæ superbiæ, aditus pandit.

Finge

Finge igitur, frater carissime, bellè & pro votis aliquid cessisse, exempli causa; conciones ad populum, ad literatos, ad Religiosos, ad adolescētes, aut quoscuis alios habueris, multique inde ad meliorem frugem traducti sint. Negotia, lites, res implexas, propeque desperatas, seu in iudicio, seu apud viros principes, summa prudentia, desiderato fine concluseris. Peccatoris obstinati animum, seu confessione excipienda, seu conuersatione, seu monitis, aliáve via emolliueris. Ad extrema iam & pernicioſa respectantem, inde reuocatum, ad saluberrima & præstantissima, multo sudore conuerteris. Summis pariter, & imis, & vtilis admodum & gratus habearis. Denique, vt non sola priuata consecter, faciamus te in publicū, societatibus hominum, informationi morum, eruderādæ antiquitati, scientijs illustrandis, amplificandæ religioni, vrbium & regnorum commodis mirè vtilem esse, votiusque generis humani bono, singulariter natum: Clarè tibi, vereque edico; quo plura per te bona perfecta conspicies, eo pluribus circumuallaris insidijs, eo grauiora & flebiliora damna, ni diligentiùs caueris, incurres; ecce enim, modò ipsæ tibi res occurrent, suamque vtilitatem obtrudent, modò lenes hominum susurri blanda laude titillabunt, modò ipsa rectè facti conscientia, iam tibi aliquem te esse mentietur, modò (quod periculosissimum est) contra deprimentem, aut ingratum, aut æmulum quempiam, indignatio (mala defensatrix) insurget, tuaque præclarè facta enarrans, dum te tibi ea vendicare docet, fastu subeunte, veris bonis prorsus exspoliatum nudabit.

Attende igitur tibi, mi frater, illudque pro certo habeas, præsentissimum omnis virtutis, rectéq; factorum venenum esse omnem, etiam leuissimam complacentiam, quotiescumque tibi in tuis places, tibi aliquid tribuis, teq; aliquem esse opinaris. Hæc, aut iam ruina est, aut ad ruinam, & ad id quidquid boni effeceras, subruendum, via certissima: quare id omne quod ei cognatum est, instar damnosissimæ rei perhorresce, primo in sui ortu cogitationes eas obrue; sermonem omnem eò deuergentem totus auersare, & fac vt auribus ingratus insonet: Prædonem, animæ tuæ nequissimum prædonem inclama: Quid mihi blādimini, incursantia in oculos benefacta quasi mea? quid moleſti estis insidiosi laudatores? itáne, virtutem laudando, virtutem ereptum itis? mihi canitis, Annon istum & istum ad Deum reduxisti? ô insidias! vt scilicet, iram Dei mea prouocante superbia, retrorsum ferantur? Et quis bona facit, nisi tu Deus meus, qui solus bonus es? si me admouisti, nequam instrumentum, & bonum ipse fecisti, indéne vt mihi aliquid tribuam, & te non magis admirer, cuius tanta fuit bonitas, vt à bene faciendo, nec per meam improbitatem retardari potuerit, & me quamuis improbissimum, ad alicuius boni effectionem adhibere dignata sit? Deus meus, quid est meum, quod non mihi displiceat: quid est tuum, quod non mihi summoperè placeat? Da mihi, ô veri & boni omnis auctor, da semper hunc sensum; expelle omnem à me rectè factorum complacētiam. Quamquam quid à me rectè factorum dico, cùm à me, nihil nisi praue peruerseque fiat, à te solo

rectè fiat: verius vt fuerit, si petiero, vt me hoc intellectu dones, quo percipiam, quàm nihil à me rectè fiat? Hoc igitur, quàm possum obnixè postulo, ex quo id etiam sequatur, vt eorum quæ per me rectiùs forsan effeceris, nulla vanior in animum meum complacentia surrepat, sed purè & integrè, laudem omnem in te auctorem consummatoremque cunctorum refundam.

Sed de hoc monito plura non addam: vehementer tamen illud, non singulis tantùm Religiosis, sed totis ipsis cœtibus commendo: sic enim fiet, vt neque se familijs alijs præferant, magnique semper illas faciant, neque res suas, aut sæpiùs, & importuniùs, aut in maius efferant, neque à priuatis, aut publico, quidquam quasi suo iure, & ob rerum gestarum meritum postulent, & (quod consequens est) de nemine vnquam, quasi suis rectè factis ingrato expostulent, patientes semper & humiles, omniaque quæ in ipsos conferantur beneficia, ingratis & immerentibus conferri, re vera, & ex animo credentes. Verùm ad aliud accedamus.

Cumque in benè factis, ne quid nobis arrogemus cautum sit; id etiam caueamus, ne cuiuscumque quantumlibet leuissimæ molestiæ, depulsionem nobis acceptam feramus. Tanta enim naturæ nostræ, aduersus omnes incursus, imbecillitas est, vt suis solius viribus fatiscat, nec stare possit, nisi diuino præsidio fulciatur; quo tamen destituitur, quoties illius se non indigam credit; at vbi egestatem agnoscit suam, præstò adest auxiliator Deus. Firmè igitur stabis, & (vt quod agimus, eloquar) infractus perseuerabis, si neque in benefactis tibi plaudas, omnemque molestiarum omnium victoriam soli Deo tribuas; quo sine, te vincendum, te quouis pænè momento, ab omni recto vitæ proposito, in quæuis vitia, & summa mala deturbandum, adeò pro comperto habeas, vt hanc ipsam veritatem passim, creberrimis in euentis, ipse tibi quodammodo palpare videaris.

Sed vide quomodo id in singulis euincam. Æstus aut frigoris, etiam leuis molestia occurrat, illa, si me Deus mihi reliquerit, me sensim ab omni calle recto dimouebit: quomodo, inquis? nempe primò erit molesta, tum sequetur indignatio, inde obmurmuratio, tum impatiens desiderium depellendi, fastidium eius vitæ instituti in quo non sibi liceat pro libito consulere: dumque impunè hæc in animum penetrant, nouæ res agitantur, veteribusque & melioribus consilijs pulsis, deteriora succedunt. Audi aliud; sit quispiam qui, vt fit, à mea narratione, vel opinione modicè modesteque dissentiat; hoc vnum, nisi Deus affuerit, euertendis vitæ meæ rationibus est satis: etenim duriùs id mihi incidet, acerbè compellabo, & quamuis moderatior alter conticescat, effernescam, iritabo nolentem, arrogantem, mendacem, imperitè audacem nuncupabo, in odia, rixas, pugnam, vulnerationem erumpam, & abs illo in æternum implacabili simultate diuellar: ita planè fiet, neque me per abrupta præcipiti rotatu ruentem ipse potero continere, ne ad

ima

ima deuoluar. Attexamus & alia: Silentij legem quopiam sermone violarim, leuem aliquam iustamque pœnam infligat Præpositus: hîc, nisi fauerit Deus, omnino subruar: acerbiore primo vultu excipiam, tum verò animaduertente id, leniterque admonente Superiore, quòd leuem iustamque pœnam, quæ vltrò expetenda fuerat, nimiùm delicatus auerser; acrior insurgam, remurmurabo, potuisse id ferri, seueriùs omnia exigi, nihil quod meum sit placere; inde imperium detrectabo, & contumacia increscente, obedientiæ suaue iugum superba ceruice excutiam. Pulset animum inanissimæ cuiuspiam gloriolæ cupido, non tantùm illam sitientissimè exsorbebo, sed eius gustatione iritatus, eousque superbia ebriabor, donec omnes præ me fastidiens, Deo & hominibus exosus euadam. Orationis tempus ingruat, oscitanter & cum tædio illam peragam, inde mox tepor, rerum quæ ad spiritum faciunt neglectus, languor & remissio animi, eorum quæ sensus oblectent desiderium, profusa mens ad externa & vana, vnde tandem, quasi negatis honestioribus, ad spurcissimas oblectationes desciscatur. Et quidem ad has vsque adeò natura proni sunt homines, vt ab omni omnino castitatis amore, (non sustentante Dei gratia) sexcenties die vno, me deturbandum certò sciam: quauis enim occasione, imò cogitatione oblata, primò leniter admittetur, tum etiam blandiendo colludetur, placebit, iritabit ardentiùs, & denique quasi furiata, cæco secum impetu rapiet omnia, omnemque honesti speciem funditus euellet. Quid exequar, quàm leui momento, diuinarum virtutum fidei, spei, caritatis, ceterarumque omnium fundamenta quatiantur? pauca ista sufficiant, vt Sapienti occasio detur, & sapientior euadas, ac vbique agnoscas, *quoniam creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*: quamque sit verum quod è S. Antonio retulimus; ab ipsis vsque cælis ad terras, omnia laqueis esse plenissima: nec esse præter humiles, qui effugere queat: horum enim adiutorium in nomine Domini, qui euellit è laqueo pedes eorum, & sub vmbra alarum suarum protegit eos, angelorumque, ne quid exterreat, ne quid lædat, amico exercitu circumuallat. Sap. 14.

CAPVT XII.

Clausula iam dictorum.

MVltæ de hoc humilitatis modo, vtinam pro dignitate, dicta sunt; tempus est vt orationis vela contrahantur, & imposito fine ad alia me accingam. Prius tamen, frater carissime, id à te vehementer etiam atque etiam postulo, ne hæc legendo, intelligendo, approbando, aliquid promouisse te putes, re ipsa conandum est vt ea præstes, tantumque à te ipso impetres, vt à te prorsus desciscens, tibi ipsi constanter & perpetuò nihil esse videaris, mentem tuam sensus iste peruadat, occupet, eique dominetur: veritatem hanc tanto amore complectaris, vt arridentis gloriæ, vanæque existimationis omne mendacium exhorreas, & à te in tantum remotum cupias, vt ab omnibus nihili fieri, in postremis haberi, contemni, abijci, & (quod verè es) apud omnes nihil esse ardenter exoptes.

Et licet aliquando hîc sit aliquid forsan defuturum; id tamen necessariò tenendum, quod huius primi modi proprium est, nempe vt te ipsum omni bono exuas, nihil tibi tribuas, Deo soli omnia: quare, leni quadam seu contemplatione, seu præsentia mentis, continuò vel intuendus est fons bonorum indeficiens Deus, à quo perenniter cuncta fluunt, vel saltem ad omnem boni laudabilisque mentionem, memoriam, delectationem, complacentiam, consuefieri debes, vt purissimè & perfectissimè, nullam eius partem ad te deriuando, id omne auctori Deo adscribas. Hoc autem neque diu, neque in rebus omnibus assequeris, nisi diligenter, attentè & perdiu te ipsum in agnoscenda, qualem descripsimus, tua boni omnis nuditate, ad mala omnia pronitate, & summa Dei tui bonitate exercueris: idque tamdiu donec id tibi creaturæ omnes, omnes euentus, tua omnis actio, conatus atque cogitatus, loqui quodammodo atque exprobrare videantur. Sic videlicet vt in illis quæ vides, audis, miraris; continuò mentem pulset hæc recordatio, En, ex quo nihilo quàm pulcræ, sonoræ, vtiles, iucundę, perfectæ, mirabiles res emergunt, & illas, in eisque, & ex eis quidquid est, facit Deus, qui solus est, quo sine nihil sunt omnia. Similiter, in omni actione, conatu, desiderio, mea me interpellabit cogitatio; Quid agis? benè quidem, si quod officij tui rationes exigunt id agis: verumtamen quid agis? tibine vires ad id quod aggrederis suppetere arbitraris? verè destituti me omnibus video, nec tantùm ab inanitate mea inania omnia secutura, sed etiam peccatis & superbia mea exigentibus, futurum, vt contra quàm cupiebam cedant, damnumque pro speratis commodis importent. Deus meus est qui pro sua immensa bonitate cœpta secundabit, & peccata mea dissimulans pro pœna gratiam,

gratiam, pro maledictione benedictionem reponet: ipse propter se omnia in melius diriget, tantoque puriùs in eius laudem vergent, quo minùs à quoquam adeam absolutionem quidquam collatum fuerit.

Referam, quid me adolescentiorem, & literas humaniores apud Neruios profitentem, senior quidam, ac in palæstra pietatis apprimè exercitatus docuerit: Fili, inquiebat, quoties tibi peruicax, aut variè molestior & inobsequens discipulus fuerit; caue tuis artibus confidas, commenda illum & tuo, & ipsius, Angelo Custodi, & illos agere sine, ac patienter expecta: dum loqueris, mones, doces, reprehendis, & nihil proficis, non intelligeris, non audiris, in eadem vicia relabuntur, salubriora non sectantur; in sublime spem & cogitatum attolle, commenda Angelo Custodi, diuinæ bonitati commenda; verè, & non fictè cogita; Ecce, Deus optime, mihi docenti, monenti, consulenti resistitur, non capior, non persuadeo, nempe video quàm nihil possim, & si quid efficiatur, tuum erit; tibi laudem omnino omnẽ referam, nihil inde decerpam: Domine mi, mea quæso peccata tuam in alios bonitatem & largitatem non impediant; nec propterea, ô suauissime Deus, res hæc minùs feliciter cedat, quia illi me peccatorem applicui; quod peccaui ego, non ferat alius; misericordiæ tuæ abyssus infinita, miseriæ meæ riuulis non exaresçat. Ita bonus ille Pater, cuius verba, rectissimamente, summa veritate, summa ratione prolata, memoriæ equidem meę fic infixa sunt, vt ex eo tempore non potuerim non frequenter obseruare, eorũ quæ dicenda vel suadenda sumsissem, infaustos exitus ex eo esse, quòd mihi stultè fidens, tam salubre præceptum minùs obseruassem; &, si quando melius aliquid cessisset, id ex eo contigisse, quòd diuina gratia vberiùs adspirante, minùs à sancto isto monito recessissem.

Atq; vtinam, mi frater, ab eo recesseris numquam: tum enim sentries huiusce humilitatis, quanti non in te solum, sed in alios quoque fructus redundent. Verumtamen vt id obserues, diuina est respectanda & impetranda gratia, qua sine nihil possumus, & perinane nostrum in præceps voluimur, ruimus, summisque malis intricamur. Quod vnum si penitiùs memoriæ commendauerimus, mirum quanto compendio inopia nostra ditescet. Summus enim Deus qui in excelsis habitat, & humilia respicit, ampliſſima nos donorum suorum largitione cumulabit: mox enim vt huius minimè blandæ veritatis amor nostros animos occuparit, seuerocq; imperio, mendacem superbiam procul amouerit, ipsa se animæ nostræ finibus prima Veritas implicabit, & quoniam nõ nisi abundantissimo bonorum omnium cornucopiæ comitata procedit, cum ea pariter virtutum, & sanctorum charismatum multiplex copia pullulabit.

Ac in primis leniſſimus quidam nos mulcebit beneficiorum diuinorum sensus, verè agnoscendo nobis hominibus nihili, adeò immeritis esse collata; & ea ipsa numero tam multa, singularitate tam eximia; conseruari etiam, prorogari atque prouideri, ne quouis ea momento prodigamus; tanta benè nobis facien-

di quasi pertinacitate, vt cùm ipsi sponte in perniciem ruamus, nos tamen indefessè ac iugiter diuina bonitas erigat, & ad feliciora propellat. Hinc verò illud omnino præclarum, maximiúque faciendum consequitur; vt quoniam perpetuò, nos quidem ruimus, erigit verò Deus, perpetuò quoq; presentem & summè beneficum intueamur Deum, nec priùs eius, absq; quo neque sumus, neque benè sumus, quàm nostri ipsius memoriam ponere possimus. Quis autem nescit, quanta, vel hæc vna Dei cogitatio perennis, menti nostræ bona parturiat?

Necesse pariter est vt miros caritatis ardores hæc cogitatio suscitet: quid enim sequeretur potiùs, contemplanti diuinum & præpotentem amoré illum, qui à se ipso benefaciendi occasione quæsita, non à stercore tantùm, sed ab ipso inanissimo nihilo, ad tantam suæ similitudinis celsitatem, & æternam beatitatem, miserum hominem euocauit, milleque modis, vel naturæ conditione, vel voluntatis prauitate deficientem, reficit, erigit, paternæque prouidentię mira cura gubernat?

Quantam hinc etiam excitare in Deum fiduciam conuenit? scimus enim illum nostri curam gerere, & eo propius ac copiosius auxilium adfore, quo propiores ei fuerimus, magisque illo nitemur: numquam autem illo magis nitimur, quàm quando magis à nostri fiducia recedimus: tum verò vel maximè, & à nobis recedemus, & ad Deum accedemus, quando verè contuebimur, & sincerè sentiemus, quàm nihil sumus, nihil possumus; est, & potest omnia Deus, totque liberalitatis & amoris eius testimonia præstò habemus, quot & accepimus & in dies accipimus ab eo beneficia: longeque feliciùs nobiscum agitur, si bonum & beatitudo nostra omnis ab eo purè mereque nobis obtingat, quàm si seorsim abs eo, ex nostra inconstantissimorum voluntate decernatur.

Atque hinc magnam quoque animi partim voluptatem, partim consolationem & spem haurio. Voluptatem quidem, quoniam non immeritò solet esse iucunda, tenuitatis, in copiosore fortuna, recordatio. & quemdam è figulo regé factum, figlinis vasis abaco impositis, conditionis lætitiam iritasse, quin & renouasse, atque moderatum esse ferunt: quæ eadem quidni præstare potero, cùm à summa nihili inopia, ad tantas, vel naturæ, vel gratiæ opes, me contemplor euectum? Vbi si quando, errore meo, iacturam aliquam fecero, vel grauiùs impugnabor: numquid non spei & solatio fuerit, in Deum auxiliatorem meum intueri, profiteri nihil esse cur mihi præfidam, agnoscere quanto Dei mei amore fiat vt & grauiores inimici insultus, & ipsi etiam lapsus, retundendæ meæ superbiæ, & ruinæ cauendæ inseruiant?

Agathocles.

Denique ex hac exercitatione reddetur animus ad quoduis munus legitima auctoritate demandatum prorsus interritus, sit licet arduum, periculosum, laboris & sudoris plenum, anxium, honorificum, & eiusmodi vt sibi ad eius partes probè exequendas, virtutis & industriæ necessaria præsidia deesse videat. Quid enim? suorum Præsidum, quasi Dei vocantis imperia sequetur, sciensq; se qui-

quidem nihil esse, nihil posse; Deum verò vocare ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; quiduis ex quouis posse; ac nonnumquam sapiẽtiam sapientum, consilium prudẽtum velle contemnere; suam ipse imperitiam, summo omnium artifici & emendatori Deo committet; seq; non suum, sed totum Dei esse cognoscens, de se suo arbitratu quidquam statuere, optare, declinare, nefas arbitrabitur; id verò omne, quod à Deo suo, Præsidum iussu, illi obtinget, summa humillimæ mentis acclinatione, quasi denique salutare futurum, magno animo lætus excipiet.

Hi alijq; permulti sunt, qui ex hoc humilitatis exercitamento primo fructus propagantur, & per eos perseuerãtiæ gratia conciliatur, vt iam suprà probatum est, iterumq; infrà suo loco dicetur. Sed quoniam ad huius explanationem, clarissimo Doctore multùm vsi sumus Augustino, libet hîc, quem sæpiùs relegas, ex eius operibus locum attexere. Ita igitur piè admodum loquitur Deo:

Si vis, potes me saluare, ego autem etsi vellem, non possem. Magna est multitudo miseriarum mearum mecum. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio: velle quod bonum est nõ possum, nisi tu velis; nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet; & quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cælo & in terra. Et quod volo & possum ignoro, nisi tua sapientia me illustret: etsi etiam sciam quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adiuuer à vera sapientia tua. —— Et quis est homo natus de muliere, qui viuat & non videat mortem, & eripiat animam suam de manu inferi, nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitæ, per quem omnia viuunt? *Soliloq. c. 24.*

Etenim tibi iamiam confessus sum, laus vitæ meæ, Domine Deus meus, virtus salutis meæ: Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus: & cùm sic volui currere, vbi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro, & non antè, & quod credebam consequi, magis elõgatum est à me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco nunc, quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse per me, minùs semper potui. Dicebam enim, Hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat volũtas, non erat facultas: aderat facultas, non erat voluntas, quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confite or tibi Domine Deus meus, pater cæli & terræ, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, vt glorietur ante te stultà præsumtio omnis carnis. Non enim est hominis, velle quod possit, aut posse quod velit & possit; sed potiùs à te gressus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non à se, sed à te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiæ tuæ, vt velis Domine, saluare quod creasti, quoniam si vis, potes nos saluare, & in tua voluntate virtus est nostræ salutis. Ita ille. *c. 25.*

CAPVT

CAPVT XIII.

De secundo humilitatis exercitio: quod est, nemini se præferre, postha bere potiùs.

PRius humilitatis exercitium, de quo proximè actum est, partes duas complexum est, quarum vna humilem docet, nihil sibi tribuere se posse, cùm nihil boni à se, omnia illi foris adueniant; altera, bonum omne à Dei solius potestate manare, perque eandem perdurare profitetur: è quibus consequens est, vt quicumque memori hæc mente recondiderit, se tenebricosum, bonorum omnium indigum, Deo æternæ luci, & bonorum indeficienti fonti verecundè repræsentet. Vnde statim animaduertis, posse aliquem in primo illo exercitio longè processisse, qui secundi huius aut parum aut nihil habuerit: ibi enim sola sui & Dei, hîc aliorum hominum ratio habetur; erit igitur etiam ad huius consecutionem animus adhibendus.

Quamquam ex illo priore, ad secundum hoc facilior erit transitus: non tantùm, quòd cognatæ sunt omnes implexæque virtutes, veritasque veritatem, humilitatem humilitas, & gratiam parit gratia: sed maximè, quòd nulla censeri potest humilitatis actio ex vera virtute proficisci, nisi inde fiat quòd verissima sui cognitione sibi vilescit, ideoque veræ, atque rationi & Deo consentaneæ de se opinationi se conformans, intra conuenientis modici limites, vel ipsa se continet, vel redigi exoptat: hoc autem vniuersum, illa denique, nostræ inanitatis, natiuæque egestatis, quam suprà expressimus, cognitione metiendum est: quare & primum illud ceteris fundandis conuenit, & vix possunt aliunde, quàm ex primi radice, propagari.

Facit equidem immodicus excellendi & imperitandi affectus, à primo parente nostro heu nimiùm congenitus; facit etiam nimiò blandus nostri amor, cautusque dissimulator malorum, at bonorum amplificator ementiens, facit, inquam, vt alia longè quàm debueramus opinione, de nobis, deque alijs imbuamur: siquidem alienas laudes liuido inuidentiæ dente arrodimus, minuimus, eludimus; at id omne quod à nobis proficiscitur, si laudabilis aliquid vel perparum habeat, speciosiùs adornamus, efferimus, in maius extollimus, ac etiam eius nos recordatione oblectamus, sermocinatione crebra, ad nauseamque repetita, vanissimæ laudis venatores ambitiosi sumus. *Habet*, ait S. Gregor. *humana infirmitas hoc proprium, vt plus ei intueri libeat, quod sibi in se placet, quàm quod sibi in se displicet.* Quam tamen infirmitatem qui superauere viri perfecti, *pænè soli bona sua non vident, quæ in se videnda, omnibus ad exemplum præbent*: siue quod sequente capi-

l. 22. Mor. c. 6.

capite dicit, *bona quidem quæ agunt vident, & tamen cùm peregerint, ab eorum memo-* cap. 7.
ria oculos auertunt.

Etenim vtroque modo res accidit: nam interdum præ contentione ad maiora, & quia desideriorum amplitudinem angustiæ operum nequeunt adæquare, nihil præclari à se præstari putant: idque potissimè, quia, vt idem Sanctus docet, *dum iudicis districtionem vigilanter attendunt, plus de malis suis metuunt, quàm de imperfectis bonis exultent: plus inspiciunt, quòd de his, quæ adhuc eis agenda sunt, debitores tenentur, quàm quòd operantes quædam, iam debiti partem soluant. Neque enim absolutus est debitor, qui multa reddit, sed qui omnia; nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte stadij velociter currit, si iuxta metas veniens, in hoc quod est reliquum deficit: nec ad quælibet destinata loca pergentibus, inchoando prodesset longum iter carpere, si non etiam valerent consummare.* Meritò igitur, sua rectè facta, quia etiamnum imperfecta, nec ad destinatum pertingentia, in rectè factis non adnumerant: addo etiam, vix ita rectè aliquid fieri, quin vel aliquid imperfecti sit admixtum, vel ne minùs recti propositi, complacentiæ, appetentiæ laudum sese insinuauerit aliquid, meritò timere vir etiam sanctissimus possit, ac fermè quoque nonnihil à summa perfectione defuisse percipiat. Sed hæc licet ita se habeant, nonnùmquam tamen eiusmodi sunt, vt rerum gestarum splendorem obruere prorsus nequeant, quin earum auctor quàm rectè à se factum sit agnoscat; at quoniam sibi ipsi blandiri dissuecuit, semperque ad meliora atque maiora properanti similis est, quidquid à se iam factum est de memoria deponit, torasque animi vires ad mox facienda conuertit: scit enim se sub oculos minimè obliuiosi agonothetæ decertare, nec aliunde grauius naufragij periculum onustæ suæ naui imminere, quàm si superbis existimationis suæ flatibus, vanus sui mirator indulgeat. Sunt & alia plurima, quæ huic tumori comprimendo, vel ex antè dictis, vel è mox dicendis peti possunt.

Planeque istud solet viri humilis esse maximè proprium, suis vt in bonis, alienisque malis peruidendis cæcutiat, acutum verò & mala sua & aliena bona cernat: quod ipsum propterea fit, quia omnis quæ animum nostrum occupauerit virtus, eum solet ad ea quæ sibi maximè consentanea sunt flectere, cuiusmodi ea sunt omnia, quæ virtuti cuidam exercendæ aptiorem materiam præbent: vnde illos videas qui timore Dei plurimùm aguntur, totos in seueritate; at illos qui fiducia & amore, totos pariter in iudiciorum diuinorum contemplanda benignitate versari; hîc habitant, hîc vigent, at hebescit acies mentis ad opposita. cur? nisi quòd menti insidens domina quædam virtus, suas in partes blandiùs iritat, & à sibi repugnantibus potenter auertit? Idem igitur, si cuius animum insederit, præstat humilitas; excogitari, obseruari, notari facit ea quæ deprimendæ elationi, superbiæque retundendæ conferant: cui rei non facilè aptius aliud est, quàm si magni ceteros, te vnum parui feceris: hoc verò non alia via consequeris, quàm in ceteris bona multa, in te ipso mala multa; præclara

in ceteris, & laude digna, in te verò vilia, & vituperanda plurima videndo. Hoc vt videas, sola faciet humilitas, sola, ad hanc normam, tuæ mentis oculos diriget. Quam in rem præclarè sanè dicere solitum Abbatem

In Bibl. PP. to. 2. orat. 8. ex ipso. Isaiam legimus, *Humilitatem nec linguam habere, qua de aliquo tamquam negligente aut superbo loqueretur, neque oculos quibus aliorum errata perspiceret, neque aures quibus ea quæ animæ suæ non prodessent audiret, nihil denique habere negotij nisi cum peccatis suis. Illi enim cum ceteris omnibus pacem esse, non amicitiæ gratia, sed propter mandatum Dei. Quòd si quis sine humilitate, vel ieiunijs incumbat, vel sese vehementer affligat, vel mandata conetur obseruare, eius esse labores inanes.* Ita ex illo referunt.

Cuius sententiæ postremam partem edocendam & affirmandam, ipsa sibi sumsit prima Veritas, in eos agens qui præfidentes, aspernabantur ceteros, eleëmosyniisque, ieiunijs, orationibus, (quibus quid melius esse potest?) decimis, ac mandatorum Dei obseruationi superbæ, vnicam peccatoris confessionem humilem prætulit. tantum scilicet est in superbia dispendium, in humilitate compendium. *Damnum iustitiæ*, Magnus ait Basilius, *pertulit arrogans, mercedem amisit confidens, imminutus est infra humilem & peccatorem, qui se magnificauit super illum, & non expectauit iudicium à Deo, sed suum ipsius protulit. Tu verò, contra neminem te vmquam efferas, & ne contra eos quidem qui magni sunt peccatores. Liberat sæpenumerò humilitas eum, qui multa & magna peccata commisit. Ne igitur te ipsum supra alterum iustificaueris, nequando tuo suffragio iustificatus, Dei suffragio condemneris.* Ita ille, & verè, & acutè: sed argumentatur Climachus; *Si superbia, ex angelis quosdam dæmones fecit; humilitas prorsus ex dæmonibus angelos efficere potest.* Indeque conficit, *Quocirca qui ceciderunt, bono animo sint.* Adiungam etiam, Quocirca qui lapsos videt, ne iudicet, quis nouit annon mox in angelos redituri sint, tu verò superbia tua in dæmonem abiturus? Sed hoc totum, prolixiùs quidem, & præclarè admodum è D. Bernardo audire satius fuerit, quippe verissimè & doctissimè rem hanc omnem explanat.

Luc. 18.

Orat. de humil.

gr. 25.

hom. 37. in Cant.

Sicut initium sapientiæ timor Domini, ait, sic initium omnis peccati superbia; & quomodo perfectionem sibi sapientiæ vendicat amor Dei, ita desperatio sibi omnem malitiæ consummationem. Et quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia, Dei itidem amor: sic è contrario de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tui, cùm meliorem quàm sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur. Hoc quippe est superbia, hoc initium omnis peccati, cùm maior es in tuis oculis, quàm apud Deum, quàm in veritate. Et ideo qui primus peccauit hoc grande peccatum, (diabolum loquor) de ipso dictum est, quia in veritate non stetit, sed mendax est ab initio: quoniam quod in sua fuit cogitatione, non fuit in veritate. Sed *quid si* quis *in eo discordaret à veritate, vt minorem se inferiorémque putaret, quàm veritas haberet? Ex-*

Ioan. 8.

cur-

cùsaret eum sua proculdubio ignorantia, & minimè reputaretur superbus, nec tam inueniretur iniquitas eius ad odium, quàm humilitas fortasis ad gratiam. Si enim in quonam statu vnumquemque nostrûm habeat Deus, liquidò cognosceremus; nec suprà sanè, nec infrà secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem quia consilium hoc posuit tenèbras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita vt nemo sciat si dignus sit amore vel odio, iustiùs tutiúsque profectò iuxta Veritatis ipsius consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superiùs educamur, quàm præsumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem quàm sis, hoc est quàm te veritas habeat. Est autem grande malum horrendúmque periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tua te cogitatione præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimiùm bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris: nocet autem si vel transuersi digiti spatio plusquàm ostij patitur mensura erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris. sic in anima, non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem, nimiúmque pauenda, vel minima temerè præsumta erectio. Quamobrem noli te homo, comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim, ô homo, si vnus ille, quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam, ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modò præ te, qui fortè iam sobriè, & iustè, & piè viuere te confidis, sed etiam præ ceteris omnibus sceleratis, tamquam omnium sceleratissimum; quid scis, inquam, si melior, & te, & illis, mutatione dexteræ Excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? Et propterea, non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit: sed, Recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas. En quantum malum venit de ignorantia nostri; vtique peccatum diaboli, & initium omnis peccati superbia. Et ista quidem S. Bernardus, quæ diligenter obseruata sufficient, vt autem diligentiùs obseruentur, restat vt nonnulla quæramus. Luc. 14.

CAPVT XIV.

Posse hominem, se minoris quàm res alias æstimare.

AVdiuisti quàm piè de hac sancta humilitate, Spiritu Dei docente S. Bernardus philosophetur, atque obiter ea perstringat quæ vel vberiorem explicationem, vel subtiliorem disquisitionem exigant: quare omissa molesta consectatione verborum, rem ipsam sic explanabo, vt sperem his perlectis, nihil admodum fore quod desideres. Vt igitur seriatim, à primis initijs ad summum ordine perducatur:

Id sanè primò omnium satis perspicuum est: nihil honoris, gloriæ, aut cuiusquam prærogatiuæ eum sibi vendicare posse, vel velle, qui ex primo humiliatis exercitio, suum nihil esse, imò sibi omnia deesse, nihil se posse, semperque deficere se nouerit: summa enim bonorum omnium inanitas, cum præcipiti ad quasuis miserias procliuitate coniuncta, vllumne sibi ad rem vllam, nisi fortè contemtionem, repulsas, opprobria, ius arrogare audeat? Adhæc cùm eius quod nihil est, cum eo quod nihil est, nulla possit iniri comparatio, facilè dabitur neque præferri posse, quod conferri non potest: atque hinc istud etiam certissimò consequetur, vt quicumque sibi nihil suum, imò se nihil esse crediderit, non modò nulli hominum, sed ne vlli quidem animantium, aut inanimatorum se conferre, ne dum præferre audeat. ô virum felicem! qui tam frequentata humilitatis recordatione feriatur! non vermiculis, non insectis, non pulueri, non ipsi, quod calcat, luto antecellere se existimat: audeo dicere, postponit etiam; & hic est, quem suprà recensui, Sisoianæ humilitatis modus, vt se creaturis omnibus qui verè humilis est postponat. Sed hoc primum stabiliamus.

Nouum enim, & à ratione videtur alienum, si hominem, quem, vt cunctis rebus præesset, fecit Deus, commutato ordine vel exæquemus, vel (si superis placet) postponamus: quis in benè morata republica Regis cum priuatis æquationem probet? nos verò quibusdam permoti ratiunculis, hunc quem tanto sui sanguinis pretio redemit Deus, rebus ad eius commoda conditis, non æquabimus tantùm, sed etiam posthabebimus! Mouent hæc nonnullos, vt vel minùs capiant, vel probent minùs, sic hominis existimationem deijci: neque interim perpendunt, aliud esse si naturæ, aliud si morum, virtutum, gestarumque rerum spectatur dignitas. Hinc enim adeò omnis rerum æstimatio mutatur, vt quo præclariùs conditæ, & celsiùs erectæ fuerant, eo turpiùs in summam degenerasse vilitatem censeantur, naturaque ita comparatum est, vt sit optimarum & præstantissimarum rerum pessima maximeque exosa corruptio: muscarum, & insectorum cadauera non exhorremus, at hominis abominamur. ac vt in moribus

bus hæreamus, quid istis est tetrius, quos conditio angelos, at fecit improbitas dæmones? & nonne de homine à Spiritu veritatis est literis traditum, *Cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis?* Psal. 48. Dum autem insipientia sua se fecit illis similem, quibus tanto prælatus fuerat, annon meritò deteriorem dicemus? quippe bonis, quæ habueras, tua culpa excidere, quàm numquam habuisse, miserius est.

Præterea, cùm vniuscuiusque rei præstantia sit ex diuinæ naturæ maiori vel minori similitudine æstimanda (quædam enim eam nobiliùs quàm ceteræ præferunt, omnisque veri boni & excellentiæ ratio ex eodem est fonte deriuanda) quantopere se omni honestamento exuisse, turpitudine & vilitate dedecorasse ille censendus est, qui quantum in se fuerit, sibi impressam Dei imaginem abradit, & monstrosam turpissimorum vitiorum similitudinem inducit, ad improbissimi dæmonis sese exemplar effingens? quid restat, quàm vt omnium sceleratissimus, omni genere ignominiæ notatus, perduellionis diuino iudicio reus, & diris omnibus deuouendus habeatur?

At, inquies, perseuerat, ob quam præferri debeat, natura Deo similior, nec habent cetera cur homini peccanti præcellant, quando vbi omnis deest voluntas, ibi peccatum virtusque, ac proinde laus & vituperatio desit necesse est. Verùm (vt quod primo allatum est, primò diluatur) angeli quoque natura perseuerat in dæmone, nec tamen est qui non illum hominibus longè postponat: quippe in rebus ratione præditis, cùm ea sint conditione factæ, vt voluntate se regant, voluntate stabiliant, voluntate perficiant, potiores haberi solent voluntatis partes, magisque ex eo quod voluntate, quàm ex eo quod natura sunt, æstimantur. nec immerito, cùm aliunde, & nescientibus, natura; at scientibus, & vltrò, id quod est voluntatis obtigerit: imò etiam in liberrimæ voluntatis arbitrio positum fuerit, vel ad infima & turpia, summa fœditate deuolui, vel ad diuinæ similitudinis admirandam atque beatissimam perfectionem euehi. Eorum enim quæ intelligentia pollent, ab ijs quæ carent, est longè diuersa ratio: hæc quippe, prima sui conditione, eam omnem, quam consequi vmquam possunt, perfectionem, aut consequuntur, aut consequendi vim obtinent: at intelligentia prædita, suam extra se positam perfectionem in Deo esse contemplatur, ad quam voluntatis imperijs, conatu perseuerante, sit nitendum; vnde si quo suo errore exciderint, non tantùm naturæ suæ bonum omne deperdunt, sed in summas etiam, numquamque desituras calamitates incidunt, eò miseriore sorte secutura, quò feliciorem potuerant consequi.

En igitur quomodo hominibus perditis, nihil, nisi ad infelicitatis cumulum naturæ dignitas confert. Ad alterum venio; & quidem quando fœdatum vitijs hominem infra belluas, resque cunctas amando, non propterea fit vt has (pressiùs loquendo) laudabiliores asseram, satis fuerit si integriores, si congenitæ perfectionis, & inditorum à Deo bonorum retinentiores fuerint. quod sanè est,

minùs esse vitiosum, minùs odio, minùs execrationi expositum, minùs denique sibi & ceteris noxium: hoc autem ipsum, licet eis eadem, quæ peccatum & virtutem negauit, natura concesserit, ideoque nulla sua laude compararint, habent tamen & seruant, nec infelicissima, qua subinde degenerant homines, vitiorum peruersitate fœdantur. quid ergo veriùs dici potest, quàm eas, si minùs, esse meliores; at, minùs esse malas, hominemque quia peiorem, ideò factum esse viliorem; imò quia peccato nihil deterius, peccando quoque factum esse deterrimum. atque hinc id denique efficio quod initio sumseram, vt quando quo quisque humilior est, eo se peccatorem veriùs agnoscit, tanto etiam se rebus omnibus ex animo quisque postponat, quanto penitiùs vera humilitas mentem eius insederit.

Nam, quòd nos Deus, aut cunctis præposuerit, aut infinito sanguinis pretio redemerit, indignis & immeritis est collatum, nec aliena liberalitas nobis in cumulum dignitatis accrescit: nisi fortè nos vel angelis ipsis præferre, vel nostro Redemtori Deo, quasi rem pretio, impudenter æquare ausimus. quanto consultius est, vt ijsdem de causis demissiùs de nobis sentiamus? ad excelsiora facti atque prouecti, ad ima præcipites ruimus; diuinique pretij prodigi concemtores, ad lurcissima vitiorum volutabra, iterumque iterumque, etiam post immaculati agni purissimum sanguinem haustum, impiè reuoluimur. Et hinc fit in nobis quædam improbitatis accessio, quam nec in ipsis dæmonibus reperiemus, nempe vt sæpiùs, tamque pretioso balneo loti, in sordes pristinas relabamur, ac detestabili ingratitudine peccatis peccata cumulemus: atque hoc pacto tantopere nostris sceleribus deprimamur, nulla vt sit res procreata, præ qua non immeritò nos abijcere possimus.

Equidem clara sunt quæ diximus, vixque crediderim reluctaturum quemquam, qui modò animum dictis attentiùs aduerterit. Sed hinc inquiet minimè confici; debere se quemquam cuiuis hominum æquare, nedum postponere; quandoquidem & natura saltem pares, & voluntate, quam facta produnt, multos videt abiectiores. annon se multi, neque luxuria diffluere, neque ebrietate madere, neque latrocinijs grassari, neque alijs plurimis quibus alios vident scatere, flagitijs addictos probè norunt? & verò fierine poterit, vt perdito ganeoni homo temperans, latroni iustus, incesto castus, se ipsum non fictè & dicis causa, sed verè ac iure postponat? si enim neque verè, neque iure, profectò non erit ea humilitatis virtus, at potiùs error, mendacium, aut iniuria nuncupanda. Neq; verò obtrudat quisquam, castum illum, iustum ac temperantem hominem, non quid diuina gratia, & aliena ope sit, sed quid sponte sua esse potuisset, animo voluere: non enim ex eo quod esse potuerit, sed quod sit, res est vnaquæque æstimanda; quod nisi seruaueris, quid cui sit præferendum, quis dicet? & quamuis diuinę fuerit opis, quòd hic sit melior, melior tamen est, nec quòd peior esse potuisset, ideò deterior est.

Hæc

Hæc sunt, quibus perspicuè faciendum est satis; quod ita conabor, vt ab aliorum sententijs & apophthegmatis abstineam: scio enim variè hac de re locutos esse non paucos, quibus recensendis & conciliandis si immorarer, à fine mihi proposito longiùs abirem. Gradatim igitur accipe quid hîc agendum & sentiendum putem.

Et quidem quando hîc exigitur, vt se nemo cuiquam præferat, postponat potiùs; non hoc agitur an iustus iniusto, innocuus peccatori sit præferendus? cùm enim sic vniuersè quæritur, nemo est qui in dubium vocet, an malo præstet bonum? id autem propriè agitur, an suijpsius eam rationem habere quis debeat, qua se altero iustiorem, & iure præferendum censeat: quod sanè in longè diuersum abit, alijsq; rationibus nititur. Nam primò & maximè videndum erit quid de se, tum deinceps quid de ceteris sentiendum sit.

Et verò satis cuique constat, (quod dixisse S. Franciscum ferunt) tanti & non pluris esse quemlibet, quanti sit in oculis Dei, hoc est æstimatione & iudicio diuino, ex quo omnis rectè æstimandi, & iudicandi regula sumenda est: qui omnino, & certissimè, quæuis intima & maximè latentia perspiciens, ab eoque quod rectum est, nec affectu, nec errore deflectens, nec supra, nec infra rerum modum, illis pretia ponit: *Principium enim verborum eius veritas, & viæ eius rectæ, & iudicia eius vera.* Quare id quoque nobis erit obseruandum, vt sic humilitatem excolamus, vt tamen à veritate non recedamus, & quæ dicturi sumus, certissima veritate firmentur. Verùm si vniuscuiusque ea est æstimatio iustissima, quæ diuinæ conformis est, id etiam consequetur, ea quoque ceteris aut postponi, aut præferri debere quæ vel postponuntur à Deo vel præferuntur: at cùm hoc ipsum ita sit obscurum, vt nemo prudens de se ipso iudicare possit se à Deo præferri ceteris, nihil sanè est cur hinc quisquam vlli se hominum præferat, vt è D. Bernardo verè audiuimus. *Psal.* 118. *Dan.* 3.

Quid ergo? inquies, nónne viri sancti, qui in terris adhuc degentes, magna & mira multa perpetrabant, se pluris à Deo fieri, maioribus donis ornari, re ipsa, & factorum contestatione sentiebant? sed & aliorum nonnulli, qui modò ingrati esse noluerint, facilè agnoscunt, maiori quodammodo, quàm cæteros hominum, curæ se esse Deo, pluribus eius donis & gratijs affluere: ergóne vel illi credidere, vel credunt hi se ceteris præferendos? Absit: quin potiùs hinc vrgendi se ipsos, & deprimendi occasionem arripiunt. Sciunt Deum multa sæpè multis, qui in æternum perierunt, beneficia contulisse: sciunt lucere alieno lumine non paucos: frigidam crystallum sciunt collecto Solis radio incendere: sciunt luce sua in tenebras & cineres carbonem ire: sciunt plurium donorum periculosiores esse rationes: sciunt denique non esse sapientis, aliena cura, alienáque liberalitate gloriari: quæ cùm antè memorata sint, nunc obiter notasse sit satis: quæ sequentur, non parum ad illud idem conferent.

Tantum

Tantum enim abest vt sibi quisquam de iudicio diuino præfidat, vt potiùs illud sit quo vno ad summum terrorem, suique summam contemtionem viri sancti mouentur: quid crebriùs, quàm vt eos legas exclamantes, Alia iudicia sunt Dei, alia hominum? Insonuit auribus eorum quod à supremo Iudice, quibusdam dictum acceperunt, sibique ne dicatur expauescunt, *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Quibus è verbis duo animaduerto quæ in rem nostram maximè faciunt: primò, quàm se quisque nesciat: secundò, quàm se quisque miserum sciat.

Luc. 16.

CAPVT XV.

Quàm se quisque nesciat.

QVanta in ignorantia nostri versemur, inde facilè probatur, quòd Deus solus nouit corda hominum; quod non eò tantùm refero, vt (quod solum exigit ea sententia) simulationes hominum, sanctitatem, qua se carere norunt, mentientium, deprehendat: sed etiam vt certum sit nobis, multa esse quæ ipsimet in nobis ignoramus, & sunt Deo notissima: est enim spiritus eius, vt sacræ Literæ tradunt, *viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Ideoque rectissimè ab illo postulare vnusquisque potest: *Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.* Et quidam Iustorum postquam liberè dixerat, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: etenim seruus tuus custodit ea:* subitò de hac sua custodia addubitans exclamat; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo:* mauultque humiliter postulare, *Non intres in iudicium cum seruo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Cuius rei veritatis rationem profert Sapiens cùm ait, *Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est.* pleniusque illud asserens Iob inquit, *Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Quæ quoniam ita esse, satis perspicuum est, ideò ait D. Gregorius, *Iste in hac vita iustorum labor est, vt semetipsos inueniant: & inuenientes, flendo atque corrigendo ad meliora perducant.* Et mox: *Peccata operis tanto citiùs cognoscuntur, quanto exteriùs videntur: peccata verò cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo inuisibiliter perpetrantur. Quisquis igitur æternitatis desiderio anxius, apparere venturo iudici desiderat mundus; tanto se subtilius nunc examinat, quanto nimirum cogitat, vt tunc terrori*

Heb. 4.

Iob 13.
Psal. 18.

Psal. 142.
Psal. 129.
Eccli 7.
Iob 7.

lib 11. Mor. c. 21.

terrori illius liber aßistat, & ostendi sibi exorat vbi displicet, vt hoc in se perpœnitentiam puniat, seq; hic diudicans, iniudicabilis fiat. Sed inter hæc intueri necesse est, quanta peregrinationis nostræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, vt nos ipsos ignoremus. Perpetramus mala: nec tamen hæc celeriùs deprehendimus vel perpetrata. Exclusa quippe mens à luce veritatis, nihil in se nisi tenebras inuenit, & plerumque in peccati foueam pedem porrigit & nescit. Ita vir sanctus, non de hominibus suæ salutis incuriis, sed de iis quos iustos, quos æternitatis amantes dicimus : vnde videas quàm immeritò se quisquam alteri præferat, qui an damnationis æternæ sit futurus reus nesciat: sibique (quod mox demonstrabimus) eo acriùs timeat, quo longiùs in virtute processit.

Ideo que apud Cassianum Theonas pronunciat: *Quanto magis profecerit mens humana, & ad sinceriorem contemplationis peruenerit puritatem, tanto se impuriorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet, quia necesse est vt, dum animus ad sublimiorem se extendit intuitum, & maiora quam agit, prospiciens concupiscit, illa in quibus est, vt inferiora semper ac viliora despiciat.* Iterumque grauiùs & pressiùs altero capite addit: *Parit sibi maiorem reprehensionis dolorem, irreprehensibilis vita, & multiplicat gemitus atque suspiria emendatio morum, & æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo, in quo profecerit, gradu potest esse contentus, & quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videns, magis humilitatis, quàm elationis inuenit causas; quantoq; pernicius ad sublimiora contenderit, tanto ampliùs præuidet sibi superesse quò tendat.* Et D. Gregorius, *Humana mens,—— tanto se ream verius cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse, quod super se intermicat conspicit; ficq; fit, vt illuminata, plus metuat.* Et alio loco, *Sancti viri quo apud Deum altiùs virtutum dignitate proficiunt; eo subtiliùs indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inueniunt.* neque verò nouum est, vt quem locum densiores tenebræ premunt, immundus esse nesciatur; at si splendorem lucis immiseris, fastidiosis vndique sordibus turpiter scatere cernatur. Sed & siue hac, siue potiùs alia de causa, de se tamen magnus ille profitetur Apostolus, peccatorum esse se maximum: *Venit, inquit, Iesus Christus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Hoc autem, vt optimè est apud D. Bernard. l. de Vita solit. *Non dicebat Paulus mentiendi præcipitatione, sed æstimandi affectione. Qui enim perfectè examinando, seipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum par esse existimat, quòd non sicut suum existimat.* Quæ ratio diligenter est notanda.

Coll. 23. c. 20.

Ibid. c. 21.

Lib. 5. Mor. c 21.

Lib. 32. c. 1.

1. Tim. c. 1.

His igitur partim argumentis, partim testibus quando constat, signũ esse profectus, multa in se quæ sibi, quæ Deo displiceant videris: numquid non vnumquemque sic animo affici necesse est, vt multa istiusmodi defectuum vides contremiscat; vel non videns, tanto grauiùs cæcitatis suæ ignorantiam expauescat? scimus enim quòd delinquenti non parcit Deus, non flectetur, neque parcet, cumque ad iudicandum venerit, vnicuique quod iustum est ad extremum reddet. Quis autem extremam illam æterni iudicij diem, quis sententiam æterni-

rate firmandam intrepidus expectet? ô formidinem, iustissimæ aduersus omnes humilitatis procreatricem simul & altricem!

Quantumuis enim, quouis homine pessimo, me nunc temporis meliorem facias; neque tamen id mihi constat, & vt constet, at certè non constat, pariter id in æternum futurum: & verissimè, ad cuiusuis hominis occursum, mihi ipse dicere possum; En ille, & ille in cælis aliquando beatus triumphabit, dum ego infelix inferorum incendiis æternùm implicabor! absit quidem, faciesque, bone Iesu, pro tua clementia, vt hoc postremum non accidat: quia tamen nontàm fieri potest, sed re ipsa in hoc omnes discrimine versamur, quid si fiat? quid tum me misero fiet? in quantam præcipitabor vilitatem! in quantam extollentur ceteri dignitatem! sed & hinc quanta mihi contemtio accedit, quòd ea conditione viuo, vt in eiusmodi malorum barathrum & ruere possim, & ne ruam, certò præstare ipse non possim? Cumque huiusmodi sim, quid melius, quàm vt frequenter, vel cautionis, vel humilitatis augendæ causa, memoriam istam renouem, crebroque vsurpem coriarii Alexandrini laudatissimam vocem, qua se ipse quotidie increpitans dicebat, En Alexandria tota cælum rapit, ego peior omnibus, æterna damnatione multabor? quam eius cogitationé vsque adeò probauit Deus, vt summum virtutum omnium athletam Antonium, tantæ humilitatis exemplo erudiendum, abs eremo ad eum emiserit: qui cùm eò venisset, idq; auditione didicisset, admirans exclamauit, Verè hæc est salutis via!

Neque verò mihi obiicias velim, ex eo quod nondũ euênit, re ipsa haud me minoris esse, cùm præsertim & idipsum alijs immineat. Quid enim? tantáne in re, tamq; inelúctabili, expectandum erit donec euenerit? scilicet; emorere, & mortuo medicina fiet! sed, si infelicem esse non posse, est summa felicitas: infelicem esse posse, ad summam infelicitatẽ natura sua tendere, nec se à prolapsione tutari, aut prolapsum erigere posse, quis infelicitati summæ proximum esse non putet? ego verò, qui me ad istiusmodi miserias pronum, imò ceteris proniorem sentio, annon meritò me, quasi tandem tot malis inuoluendum, ipsemet aspernabor? Er quamuis in ea ipsa ceteri æquè delabi possint: at illorum infirma non sentio, mea verò sentio, ideoque meorum pressu, meritò præ illis deprimor, minùs mihi de me, quàm de alio spondeo, mea mihi mala (vt curari & defleri valeant) ob oculos pono, alterius recta quæ videntur lætus inspicio, & sic illum longè mihi præfero, de illo confido meliora: de me verò non ita possum, cùm enim & mihi cauere, & mihi timere, mihi incumbat, me verò passim nutantem, lapsantem, titubantem sentiam, quidni pelota formidem? & quamuis nunc forsan melius mecum agi credam; at hoc ipsum (vt dicemus) incertum est, & quoties aliàs, à meliore & puriore vitæ tenore, subitò sum ad deteriora traductus? igiturne vitrea mea constantia nitar? nec verebor, ne vel prauitas, vel imperitia mea summa, aut in portu naufragium faciat,

aut

sut à portu in summum mare se referat, ventis & procellis ludibrio denique futura?

Et quoniam quid tandem euenturum, & quorsum casura omnia ignoro, clarissimum profectò redditur, ignorare quoq; me alicuiúsne, an nullius omnino pretij in æternum sim futurus: temerarium itaque fore, si me in periculo certo ex incerta salute magni æstimem. at, inquies, cur ex incerto, minoris potiùs, quàm pluris æstimas? Dixi, quia in hoc ipso; esse æstimationis incertæ, minoris est, vbi maximè maior est ad inferiora procliuitas: quod tanti facio, vt hoc vnum satis esse putem, ad omne, quod nunc forsan in me vigeat, bonum obscurandũ, suaque æstimatione priuandum. Cùm enim immortalis animi ea sit conditio, vt breuissimæ huius vitæ angusto tempore superato, ad ipsius æternitatis infinita sæcula porrigatur & excurrat: cumque id omne quod huius nostri temporis decursione finitur, sit præ æternitate momenti instar, desinatque, nec minùs obliteretur, quàm si fuisset numquam; profectò id quidquid sumus, & agimus, non alio à nobis in pretio habendum est, quàm quo futura sunt in æternum. Quid hæremus? quidni prætereuntia, ac fumi instar euanescentia præterimus? in æternitatem oculos, in æternitatem curas cogitationesque conuertamus, hinc de nostra virtute, de existimatione nostra iudicium petamus: è momento, ex instabili, ex incerto, nihil nobis vani tumoris irrepat. Hæc autem cùm & certissima, & rationi maximè consentanea sint, annon consequens est, vt qui de mea æternitate nihil statuere, nihil asseuerantiùs pronunciare possum, nihil etiam habeam quo de mea existimatione statuere, cur alij cuiquam hominum præferre me valeam; nisi potiùs eò postponam, quòd & de eis meliora omnia cùm credere, tũ spondere mihi in æternum possum, mihi verò vehementer ab æterna dãnatione, & perennatura infelicitate formidare? certè quis vel pili, rem alioquin pretiosissimam, faciendam putat, si quàm mox momento difflanda, æternumque peritura est? atqui præ æternitate, tempus omne momentum, & momento minus est; omnis igitur mea bonitas, virtus atque præstantia, si huius vitæ breui puncto finienda, & numquam desituris miseriis, & desperatione mutanda est, quid habet quo lætari, quo se possit extollere? Quid est ergo cur me, non meis laudibus, ô vani laudatores, effertis? Auertamini statim erubescentes, qui dicitis mihi, Euge, Euge? Anima mea, quite beatam prædicant, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Ecce stat ad iudicandum Dominus: cuius timorem si de oculis deponis, Contritio & infelicitas in viis tuis, & viam pacis non cognosces: si verò de illius iudicio non præfidis, te adhuc reum, & quamdiu viuis iniudicatum, profectò temerè non tentabis absoluere. quàm impudentis esset audaciæ, summo iudici, tuo de te iudicio præiudicatum velle? *Isa. 3.* *Psal. 13.*

CAPVT XVI.

Quàm se quisque malum sciat?

QVandoquidem satis demonstratum est, vnumquemque de se ipso nescire quid verè sit: veniamus ad alterum, ita scilicet multa videre & sentire in se quemlibet, vt se potiùs mali quàm boni feracem sciat, quam in rem vnico, licet variis probationibus implexo, argumento vtar: & eo quidem perfacili, & ad sensum certo, dummodo in se vnusquisque attentè & sincerè inquirere velimus.

1. *Reg.* 16. 1. *Paral.* 28. *Homo quidem*, vt sacra docent eloquia, *videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*: imò verò *omnia corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit*. Ex his autem curiosiùs inspectis, est vnde vehementer nos ipsos deprimamus, & ex ipsa summæ veritatis doctrina, summoperè formidemus, ne certa & venenata, quamuis occulta, in nobis lateat radix peccati, & in nos quadret, quod in Simonem recèns baptizatum, & Spiritum sanctum, licet non rectè, postulantem, dixit S. Petrus, *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*. Vt enim nos docuit summa Dei Patris Sapientia, is cui iudicium omne dedit Pater, qui vnde & quomodo sit iudicaturus nouit: *à fructibus* hominũ *cognoscetis* homines. *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona, malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Bonus* enim *homo, de bono thesauro profert bona; & malus homo, de malo thesauro profert mala*. Itaque videas exire *de corde eius cogitationes malas, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias*, & ea *quæ coinquinant hominem*: *quæ enim*, vt antè dixerat, *de corde exeunt, ea coinquinant hominem*. Quapropter non sapienter tantùm, sed omnino necessariò monuit Sapiens: *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*.

Act. 8. *Matth.* 7. *Ibid. c.* 12. *Ibid. c.* 15. *Prou.* 4.

Quam in sententiam piè & exquisitè omnino facere mihi videntur quæ his verbis S. Gregor. cõmendauit, in hæc S. Iob verba commentans; *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento. Vestimento vtique*, ait, *cùm vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in alijs actionibus iustus est, in aliis iniustus; quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit, nec iam bona sunt opera, quæ subortis aliis prauis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur: Qui in vno offenderit, multa bona perdet. Hinc Iacobus dicit: Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Quam videlicet sententiam*

Lib. 19. *c.* 12. *vel* 16. *Eccl.* 9. *Iacob.* 2.

suam

suam ipse diligenter exposuit, cùm subiunxit, Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis. Cordis ergo oculis circumquaque perrectis, vndique nobis adhibenda custodia est. Vnde rectè quoque per Salomonem dicitur: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Dicturus enim, Custodia, præmisit Omni, vt videlicet vnusquisque hinc inde se diligenter inspiciat, & quamdiu in hac vita est, contra spiritales inimicos in acie se positum sciat; ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat; ne hinc hosti fores obstruat, & aliunde aditum pandat. Si qua etenim ciuitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia: vnum verò in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui vndique exclusus videbatur. Pharisæus namque Luca 18.
ille qui in templum vraturus ascendit, ciuitatem mentis suæ quanta munitione vallauerit audiamus: Ieiuno, inquit, bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Qui præmisit, Gratias ago tibi, magna certè munimina adhibuit. Sed videamus vbi insidianti hosti immunitum foramen reliquit: Quia non sum sicut publicanus iste. Ecce, ciuitatem cordis sui, insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per ieiunium & eleëmosynas clausit. Incassum munita sunt cetera, cùm locus vnus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias rectè egit, sed peruersè se super publicanum extulit. Ciuitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo seruauit. Victa est per abstinentiam gula, destructa mentis ingluuies, superata est largitate tenacia, auaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ô quot labores vno vitio percussi ceciderunt, quanta bona vnius culpæ gladio sunt peremta! Vnde magnoperè oportet & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire: ne si mentem eleuant, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. Et nonnullis interiectis; *Bene quoque per Salomonem dicitur, Cogitationes iustorum iudicia: quia ipse eorum intimus motus cordis, quasi quædam libra est iudiciariæ potestatis.* Ibid c. 15. vel 18. Pron. 12.

Quæ verba quoties accuratiùs mecum ipse perpendo, & omnem mihi de virtute fiduciam excutiunt, & vehementem, de vitijs latentibus, timorem incutiunt; ac nescio annon quilibet qui modò in eadem animum intenderit, idem tiunt; ac nescio annon quilibet qui modò in eadem animum intenderit, idem mecum de se quoque sit sensurus. Quippe ex eis agnòsco, nec vllam à me virtutem integrè possideri, nec vitium vllum ex animo meo esse funditus euulsum. quod si ita est, annon & quauis virtute careo, & sum cuiuis vitio obnoxius? quod quid aliud est, quàm omni carere laude, omni vituperio esse dignissimũ, bonis vacuum, malorum esse sentinam: non vnius tantùm, aut alterius, sed omnium esse reum? eritne cur eiuscemodi hominem, vel cuiquam præferas, vel alicui non postponas? & vnde mihi, tot in me scaturigines vitiorum videnti, elatè sentiendi cogitatio surrepet? Hæc autem nequaquam fictè (quod vtinam esset!) sed verè à me sumi & dici, clarè commonstro.

Arbor bona, vt Domino nostro Iesu Christo docente didicimus, bonos edit fructus, & è bono thesauro bonus homo bona depromit. quod sic intelligo;

Cuius totum animum recti & æqui amor, Deiq́ue sancta caritas penitus occuparit, ille à se omnes iniquitatis fibras, omne malitiæ fermentum expulit, atque à dominatrice caritate quasi sub iugum missus, nusquam nisi eius imperio mouetur, omnis eius cogitatio & actio à Deo incipit, Dei gloriæ decurrit, Deo denique auxiliante finitur: cumq́ue illum toto corde, tota mente, totis viribus diligat, eius, quam totam Deo dedit, dilectionis partem nullam, rebus alijs relinquit: cumq́ue in eo perseuerare amet, molestumq́ue sit quidquid in diuersa deflectit, omnis conatus & desiderium eius, vno diuini amoris quasi cardine voluitur, ipseq́ue sibi operum seuerus exactor instat, bona bonis cumulans, deq́ue bono cordis thesauro, indesinenter noua bona proferens: & quoniam radix bona, bonus succus, & quidquid in animo est, bonum est; quidquid etiam ab eo proficiscitur, sua bonitate gaudet.

Præclarum profectò istud & omnibus votis expetendum: at quis est hic, & laudabimus eum? tu de te affirmato si voles: mihi tantum non assumo: aliam adhuc in membris, & animo meo vigere peccati legem sentio, timeoq́ue ne virtutem meam in puluerem deducat; nullam, fictam, mendacem esse comprobet. Quid enim? ausimne profiteri esse profectum, vel semel à me aliquid cum virtute coniunctum, cuius non sibi partem aliquam, aut commodorum, aut gloriæ aut cupiditatum quædam prauitas vendicaret? vmquámne quidquam ago, vbi non mei, meorum, existimationis, famæ, oblectationis, emolumenti, vel spe, vel timore permouear? vbi, vbi vmquam, sola virtus, sola ratio, solus Deus in oculis fertur? at sanè non diligitur, quoties aliquid, vel ex æquo cum illo, vel etiam magis diligitur.

Bona verba, inquies: bona sementis est, at superuenit qui lolium interseminet inimicus homo; messis tempus veniet, & areâ purgatâ lolium igni, frumentum horreo tradetur, expurgabitur actionum scoria, virtutis aurum permanebit. Vtinam id saltem liceat sperare! at, cùm in tenui actionis vnius quasi cauliculo lolium deprehendo, eritne vnde certior fiam, id vniuersum aliud esse quàm lolium? atque hinc, quid potiùs pertimescam, quàm ne cum infelici lolio fasceatim colligatus, & cælestibus horreis pulsus, æterno igni tradar concremandus? non equidem diffitebor ingratus; bonam animo meo sementem, & sanctos virtutis impulsus inserebat Deus; at, hæc mea improbitas, hic maior est reatus; bonis haud benè vtor, & optimum gratiæ vinum nimio animi mei acore corrumpitur. Quid dicam, & quid respondebo, cùm venerit ad iudicandum Deus? hærere, & me deflere magis, quàm pergere liberet. ô æternorum ignium palea, quid superbimus? Audiamus quid hîc quoque vir sanctus timeat dum sic Deum alloquitur: *Contremisco totus, tuam Domine Ieſu, quantillo possum intuitu, considerans maiestatem, præsertim cùm recordor, in quantu ipsius aliquando contemtor exstiterim: sed & nunc, cùm iam à facie maiestatis fugi ad ge nua*

D. Bernard. epist. 42.

genua pietatis, quid ampliùs facio? vereor ne qui aliquando contrarius exstiti maiestati, nunc ingratus pietati inueniar. Quid enim si cessant manus, & non cessat pectus? quid si os iam silet, necdum cor quieſcit? si singuli illiciti motus animi, singula sunt in te Deus conuicia, vtputa iracundiæ motus in mansuetudinem, inuidiæ in caritatem, in frugalitatem luxuriæ, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei etiamnum incessanter ebulliunt, inundantes & impinguantes in serenitatem præfulgentis vultus tui, quid magnum feci solos cohibere artus, actus corrigere? si has atque huiusmodi, quas, foris licet vacans, intus actitare non cesso, iniquitates obseruaueris, ô Domine, quis sustinebit! Sed pergendum, & aliæ sunt huius argumenti partes euoluendæ.

Vbi etiam non parum hoc nomine vrgeor, quòd cùm virtutum singularum plures sint partes, earumque singulæ suam in animo sedem habeant, nec partes eas in me comperio, & si quid virtuti assimile video, vereor ne rei veritate carens, inani specie & vmbra deludar, cumque animo meo vera desit virtus, vanum tamen eius aliquod fictumque simulacrum, per cogitationes & opera mea peruagetur. Hoc autem quàm non ex vano timeam, mihi quidem compertissimum est, vt verò etiam aliis demonstrem videndum est.

Negat quodam loco Cicero, strenuos animososque milites, fortes illa sola de causa esse dicendos; quia licet ad ardua audenda, & ad vulnera in bello perferenda ingentes animos gerant, pars tantùm fortitudinis illa est; res aduersas, probrum, egestatem, ferent iniquissimè: quare, cùm vera & integra virtus ad omnem circumquaque sui partem vigere debeat, vel nonnisi elanguida & inchoata, vel potiùs nonnisi quædam inductio animi in eam partem persuasi, habenda est ea omnis affectio, quæ in omne virtutis munus circumquaque diffundi nequit. Præterea constans est, firma, perseuerans, sibi æquabilis, loco moueri & cedere nescia virtus, vbicumque radices penitiùs egerit; sin autem nondum egerit, nondum est vera virtus, nondum vitium mentis arce depulsum est, sed vt summum, in quodam virtutis & vitij confinio habitatur.

Quid pluribus opus est? in hæc pauca si intendo, verè me deprehendo omni virtute spoliatum? eritne vel vna cuius omnes partes exequar? quam constanter, firmè, æquabiliter, quouis renitente, vel illiciente conseruem? si potissimè virtutes ad Christianæ Religiosæque perfectionis normam exegero? quàm multa, quàm magna, vel patientia, vel fortitudo, vel humilitas, vel paupertas, vel castitas, vel obedientia, & alia quæuis virtus Religiosa complectitur? pati quæuis, à quibusuis, quando, & quamdiucumque, non indignari, lætari, amare persequentes, non retaliare, laudationem & beneficia rependere, & in his semper esse sibi similem, numquam exardescere, commoueri numquam, numquam à summa perfectione deflectere: re vera, meum non est, & quod consequens est, meum non est, me nuncupare patientem.

quid?

quid? humilitatis propè omnia deesse, nónne suprà monstraui? Paupertatis, castitatis, obedientiæ, virtutum maximè necessariarum, partes enumerare non instituam, quantum illarum desit sentio, rerum vsus idem comprobat, & seipsum non ægrè quiuis pertentare potest: videat quoties meliora probat, deteriora sequitur: videat quàm in rebus arduis, sensui molestis, diuturnis, iudicio, desiderio cupiditatique aduersis, ad earum se virtutum perfectionem conformare, ab earumque præscripto, nulla vmquam occasione, vel latum vnguem recedere sit solitus: eumque se à tantæ constantiæ firmitate longiùs abesse persenserit, fateatur esse iustissimum, de cuiusquam virtutis certa possessione dubitare: atque hinc non malè coniiciat quanta sub eorum verborum cortice laus
3. Reg. 14. lateat, cùm de Rege Dauide Deus loquitur, *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in*
2. Reg. 12. *conspectu meo.* Atqui Dauidem scimus grauissimè lapsum, ac (vt Propheta ad illum loquitur) *alienam tulisse vxorem, militē fidelem in circumciſorum gladio occidisse, contemsisse verbum Domini, & nomen eius blasphemari feciſſe.* sed hoc peccatum, & alia pariter seriò defleuit; & in alium virum immutatus, adeò nihil sui sibi seruauit, vt iam diceretur esse vir secundùm cor Dei: quasi si, veluti in Deum nulla vndecumque iniquitatis vmbra cadere potest, ita quantum homini fas erat, nullus prorsus vitiosus amor in corde Dauidis lateret, atque inde clamaret; Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Inflammatum est cor meum. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. Tanta ista sancti Regis totum se Deo redhibentis integritas vsqueadeò diuinæ maiestati grata fuit, vt hanc eius quasi palmarem laudem esse voluerit, & alios reges ad hanc normam exegerit. vnde toties repetitum legimus, Sicut seruus meus Dauid, Non
4. Reg. 23. sicut Dauid pater eius. Sed & probatur hoc ipsum exilla singulari Iosiæ Regis laude qua dicitur; *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominū in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.* Ita semper totum cor, totam animam, totas vires exigit sibi Deus, suo calentes amore amat, frigidosque minùs quàm tepidos odit, clamatque facula ardens
3. Reg. 18. Elias, *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum.*

Videsne, ex istis quò iam deuenerim? eò certè vt me omni virtute nudum clarissimè cernam. id enim omne quod in me videtur esse virtutis, nutabundum, fluctuans, incertum, decurtatum & mutilum sentio, multa etiam perturbationum fuligine inspergitur, nec ratò inolitorum vitiorum improba contagione fœdatur. Cùm igitur instabilitas, imperfectio, perturbatio, vitium

&

& mali amor, à cõstantia, perfectione æquabilitate atq; virtute insociabili odio dissideant, nec in eadem sede morari simul possint, necesse est vt qui in me ista regnare nimiùm (heu!) sentio, omnes ab animo meo virtutes longiùs exulare confitear. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* 2.Cor.6. si in imis cordis mei latebris iniquitas delitet, mihine iustitiam vendicare, lucem & tenebras sociali vinculo iugare possum? atqui duobus dominis seruire nemo potest, & cordis humani angustum pallium duos non operit.

Diuisum tamen est cor meum, & quod peius est, ex imo eius fundo iniquitatis amaror erumpit. Quod vtrumque me non mediocriter perterret: quàm verò iustè, sic accipe: Bona multa & perfecta video, diuini ad maiorem sanctitatem impulsus non rarò affluunt, sentio nonnumquam ad ea persequenda subsilire mihi cor, at non toto impetu, sed cessitando, respectando, intermorando, dum nescio quid intus repugnat, retardat, aliorsum euocat, ac sæpenumerò prorsus auertit. Quæ molestia, cùm sit perpetua: *sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Gen. 8. video bonæ voluntati, sanctisq; desiderijs, insidians & renitens aliquod malũ semper inuolui: cumq; nihil bonum sit, nisi quod sua vndiq; integritate constat, malum verò vel ex vno defectu fiat, annon summopere mihi pertimescendũ est, ne potiùs mala, quàm bona sit, quæ tot malis inspergitur, mea voluntas? Atque hac ratione permotũ crediderim magnum illum virũ qui dixit: *Ipsa nostra perfectio culpa non caret, nisi hanc seuerus iudex in subtili lance examinis misericorditer penset. Vnde rectè per Psalmistam dicitur: Melior est misericordia tua super vitam: quia quãlibet videatur innocẽs, apud districtum tamen iudicẽ, nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debitum, misericordiæ benignitas non relaxat.* Lib. 5. Mor. c 8. Lib. 8 c. 19. vel 22. facilè quippe è vicino malum contrahitur, felleumque mel euadit si fortè felle misceatur. Quæ si ita sunt, cur ex aliena sperata, nondumque obtenta misericordia, potiùs quàm ex veritate, meaque indignitate me iudicem?

Præterea si virtus omnis cõstans est & firma, me infirmũ, inconstantem, fragilem scio, tum natura, tum quia corde diuiso, has qualescumq; viriculas, ne quidẽ totas, ad meliora confero; inde frequentes tardationes, cessationes, lapsus, & à bene cœptis recessus; inde noua cõsilia, recti fastidiũ, ad vitia debellanda horror atque desperatio. Quæ singula cùm in me vigeant, eritne vnde mihi aliquã virtutẽ adesse meritò existimem? Neque verò tantùm sic frequenter vacillo, vel impingo, sed id quoque mihi certũ est, nullum esse tam abnorme peccatum, in quod leui dæmonis aut mei sensus impulsu ruiturus non sim, omniq; virtuti æternũ vale dicturus, nisi diuinæ suæ gratiæ munere me tueretur Deus: imò verò quamuis copiosa mihi adesset gratia, nisi tamen tentationis illecebrarũ & occasionũ vim temperaret, nisi semper intra gratiæ virium que modum contineret, heu quàm præcipiti vitiorum profundo totus immergerer, nec virtutis, nec honesti, nec mei, nec Dei cura vlla retineret! certo certiùs nouit Deus, vbinam, &

vndenam præcipitandus essem, & pro summa bonitate sua, ne ad eum periclitationis articulum deueniam prouidet, ac vt spero prouidebit. Interim tamen, cùm hæc ita se habere mihi sit compertũ, quis nouit, an mihi istius à peccatis abstinentiæ partem aliquam, an potiùs soli gratiæ totam adiudicaturus sit Deus? *Psal 138. imperfectum meum vident oculi eius*, ac fortasse *substantia mea in inferioribus terræ.*

Quid? inquies, ergóne ex iis quæ futura forsan essent, nec fuere tamen, iudicabit Deus? hoc si fóret, *non esset salua omnis caro*: nec diuinæ bonitati esset consentaneum, si non de præteritis tantùm, sed & futuris quæstionem exerceret. *Lib. 3. cont. Pelag. c. 2.* reclamat ille quoque seueritatis assertor Hieronymus: *Deus*, ait, *præsentia iudicat, non futura: nec condemnat ex præscientia, quem nouerit talem fore, qui sibi postea displiceat; sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum quem interim bonũ cernit, & scit malum futurum*: & ita raptum quemdam legimus, *ne malitia mutaret eius intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius*: id verò qua causa? quia *placens Deo factus erat dilectus*, valdeq; placuerat, cui cauebat Deus ne vmquã displicere posset, dum futura peccata præoccupans, *properauit educere illum de medio iniquitatum.* Nihil igitur est, inquis, cur ob lapsum qui contingere poterit, quamdiu nó contigit, sit animus contrahendus: fragilem verò esse, labi posse, posse graui quadam aggressione superari, naturæ est, non vitio tribuendum, & ad misericordis gratiam, magis quàm ad tribunal iudicantis deferendum.

Benè sanè, ac, vt opinor, verè loqueris, quæ si non essent, quæ posset spes esse reliqua? ac nonnihil hinc solatij affulget: quàm verò perparum, mente mea clariùs exposita, vltrò fateberis. Nec enim ex iis quæ futura essent, sed ex præsenti mea imbecillitate occultaque teredine me iudicandum & damnandum pertimesco: & ex ruina, quam pro certo secuturam, meq; bonis omnibus euersuram, nisi Deus obstiterit, video; quantum in me putredinis & cariei lateat, animaduerto. Vt enim fatiscentibus antiquis trabibus, & ædificio corruente, nemo ruinàm subitã subito, sed olim ac furtim illapso vitio tribuit, verissimeque, licet non ad extremum, carioſæ tamen & putridæ trabes antea fuerant: ita quando mihi compertum est, arcere à me Deum tentationes eas, quarum pondere diffractus ruerem, cur ad repulsam in diuino iudicio ferendam, mea erit ruina præstolanda? annon cariem, occultumque meum vitium perspicit? quis docebit, vtrùm virtus animi mei tentationis impulsu fracta, an potiùs iam antè fracta, nunc demum, quod erat verè, sed nesciebatur, occasione oblata in apertum prodat? cumque hoc postremum & procliuius sit, & facilius creditu, etenim quotusquisque derepentè fit improbus? cur non quoties lapsus fuero, aliquid istius improbitatis in me antea delituisse credam? cur non, quod consequens est, plus minusue eam in partem adhuc delitere, in quam facilior mihi ruina imminet? cumque semper (quod in me est) immineat, consequens est, vt meritò ac vehementer pertimescam, ne in me semper aliquid eiusce veneni deliteat?

CA-

CAPVT XVII.

Vitiorum turba plurima nos implicari.

EST quædam & alia ratiocinatio, quæ me non mediocriter angit, nec habeo vnde excutiam, victas trado manus, hæreo, impalleo, obmutesco, nec aliud quàm summæ diuinæque clementiæ suffugium reperio. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cũ habitantibus Cedar; multùm incola fuit anima mea! Domine, si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei; corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima. Libera me, & pone me iuxta te,* nec enim aliter peccatum eruetur à me. Ideoque tuus ille fidelis & in cælum etiam raptus Apostolus clamabat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* tantique luctûs causa erat, quòd sentiret *aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, eúmque captiuantem in lege peccati.* at ecce præsidium; *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum:* quem sciebat aliquando dixisse, *Veritas liberabit vos. Filius manet in æternum; si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Sed quò tendam accipe. Psal. 119. Isa. 38. Rom. 7. Ioan. 8.

Si quis ea se corporis habitudine affectum sentiat, vt, quamuis lautos apteque conditos cibos moderatè ad victum adhibeat, vbi tamen concoqui cœperint, protinus frequentes amari saporis, & fœtidi odoris ructus assurgãt; verè omnino aperteq; colligit, purulentum & noxium aliquid stomacho insidere, vnde amarorem & fœtorem optimi cibi contrahant, quare ad sanitatẽ necesse esse, vt noxium istud virus expurgetur: quod si consequi non possit, nec perfecta sanitate perfrui poterit. Non dissimiliter de mentis nostræ conditione disserendum est. Quare, cùm vndiq; in me beneficiorum diuinorũ densus imber depluat, cùm quidquid est procreatum, ad procreantem inuitet, cùm in Religione quidquid auditur, legitur, videtur, agitur sit sanctum & salutare, ad æterna & diuina propellat; ecce tamen, ex animi mei quasi vtero prodeunt, & certatim ebulliunt, superbiæ, luxuriæ, inuidẽtiæ, & pessimarum cogitationum agmina; neque verò violentè & molestè, & quasi forinsecùs intrusæ irrumpunt, sed leniter, amicè ac blandè, non sine voluptario sensu, quasi domesticæ & innatæ, veluti ad sedem propriam conuolant; nec tantùm, sed etiam tam obfirmata frequenter potestate dominantur, vt, quamuis eas censoria ratio conetur expellere, instent tamen, neque loco cedant, donec mentem letifero suo afflatu clanculum infecerint, improboque dente vulnerarint. Cùm igitur non aliunde, sed à me ipso tot prauos animi motus sentio enasci, foueri, roborari, magna vt mihi ad eos reprimendos sit frequenter vis inferenda: cumque non durè, non implacatè, quasi alieni, adueniendo perturbent, sed leniter & amicè, quasi domestici subintrent; vbi tamen, quæ rectiora & perfectiora sunt, magna sæpè

contentione, vix & ægrè aduocantur. Annon vides, ingens hinc mihi creari præiudicium, aut verissimum potiùs iudicium, iniquitatis ac peccati in me latere radicem, haustíque aliquando veneni succum, in intimas demissum medullas, subsedisse, vigere, eoque potentiùs, quo occultiùs, vim virtutis elidere, fucata tantùm & simulata me bona ostentare, veris, grauibus & pluribus vitiis abundare? Quid enim? si quæ sanctæ probæq; cogitationes, si quæ per me rectè facta sunt: à Deo ista sunt, in Deumque referuntur, quem non est nouum, etiam per improbos probè agere: at arrogantes, iniusti, impatientes, inhonesti, impuri, auari, superbi, blasphemi cogitatus, mei, mei planè sunt; egregiam hanc mihi prolem, sine inuidia, sine mendacio vendico, & licet in partem aliquando veniat dæmon, neque tamen id perpetuum, & fermè occasione ex me hausta, aliquid audet. Ad initium ergo reuertamur: numquid non à fructibus homo cognoscitur? an non malus homo dè malo thesauro profert mala? malos fructus edit arbor mala? & coinquinant hominem quæ de corde exeunt? nónne ex corde meo praui isti cogitatus agminatim pullulant? quid me igitur aliud censere possum, quàm inquinatam, prauam, distortam, tot fructuum pessimorum arborem? hominem cuius *ossa impleantur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*? cuius occultiorem cordis recessum pertinaces malorum reliquiæ, vigentes & vrgentes obsident? atque inde iustissimas timendi causas habeo ne ista ipsa in me vitia dominentur, eoq; penitiùs infixa sint, quo tanto tempore, tot sanctis propositis, vitaq; in Religione traducta, ex occupatis animi sedibus necdum potuere auelli. Quid dicam, aut quò me vertam? facit hoc ipsum vt pessimis, & qui vulgò putantur sceleratissimis hominibus, me sceleratiorem, si non factis, at animo credam.

Iob 20.

Cùm enim non aliud in ipsis animaduertam, quàm id quod perpetrant malum, graue licet, at infrequens & rarum, ac vt plurimùm egestatis, cupiditatis, consortiorum vi extortum, in me verò prauorum desideriorum instinctus creberrimè, & sponte, ac propemodum affectatè vigere sentiam: æquum est vt existimem, aliquos quidem qui vulgò nequiores habentur, tentationum, atque ad praua facinora inuitamentorum quasi torrente violenter abreptos, peccatisque tantùm extimè illudentibus, in profundam eam voraginem esse delapsos; cùm tamen in intimas animi mei medullas penitissimè se malignũ iniquitatis virus penetrarit, & in me, quàm in illis, longè altiores radices egerit. Hinc est quòd tot annis, eam quæ iam induruit, prauitatem cordis corrigere non valeo, cùm tamè illi (quod pluribus accidisse aut vidimus aut legimus) vbi ad se rediuerint, tantos in virtute progressus habere, ita funditus mala omnia eruere soleant, vt nihil eiusdem hominis in eis perseuerare videatur. Nempe non dissimiles erant solo, quod stercore & sordibus inspersum horret & fœtet, at leui brachio euerritur, & ad natiuum nitorem redit: ego verò sepulcrum sum dealbatum, ossibus & tabo cadauerum intus emarcidum, qui longo situ & simulatione putorem

rem in interiora demittente, néve vaporatione mitescat arcente, rabificos peccatorum humores neque tot gratiarum diuinarum fluuiis eluo, neque temporis diuturnitate, vel perpetuatione laboris exhaurio: viget malum, ac subinde ita recrudescit, vt me subitò tempestas aquarum obruat, affligar & humilier nimis; cor meum conturbatur, & derelinquit me virtus mea, lumbi mei implentur illusionibus, non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, miser factus sum & curuatus vsque in finem: laboraui ingemitu meo, sed miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: conuertere, & eripe animam meam, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.

Sed rei iam vt opinor, satis probatæ, finis est imponendus, & quæ diximus abundè sufficiunt: breui summa dicta recolligam, vt isto quasi redintegrato impetu, superbiæ nostræ colossus proruatur. Is enim, quantum sentio, neq; se cuiquam præferet, atque etiam in postremis locandum credet, cui probè notum fuerit; nihil se, peccato dumtaxat excepto, posse suum dicere; nec virtutem, nec rem vllam laude dignam suam esse; si quid sibi boni inesse videatur, id superbia deperdi, id admissis peccatis inici, in multis deficere, valdeq; formidandum, ne iudicante Deo virtus nostra reprobetur, æterniſq; miseriis addicamur. Tot malis intus mentem depascentibus, quanto dispendio in aliena mala, nostris præteritis, quærimus? atqui aliena sola bona videre, nostra sola mala vestigare oportet, quæ tanto plura deprehendemus, quo maiores progressus in virtute faciemus. Aliena non sentimus, & fermè nemo est qui non eximium aliquod bonũ, peritiam, facultatem sit sortitus, qua nos caremus: at si nos attentius introspexerimus, quàm multa, verius dixero, quàm omnia nobis desunt? fragiles, labiles, cadiui, quouis impulsu ruere procliues, viribus exesi, qui casuros propellat, præstolamur: & quoties mole nostra premimur, nostro incitatu perimus? quàm amaræ, virulentæ, pertinaces, omnium propemodum vitiorum radices, cordis nostri vitalia insederunt, virtutem pullulantem opprimunt, sancti Spiritus afflatus suffocant, adeóque ab exterminio absunt, vt vltrò aduolent, sese non vocatæ obiiciant, ei quod rectum est praui semina inspergant, atque vsque adeò per omnia peruabentur, nihil vt integri, nihil intaminati in homine relinquant? Et quis omnia dinumerare poterit, quæ vel mala inuehunt, vel bona proturbant? qui eiusmodi in se nulla sentit, ille securus degat, se magnis adnumeret, parui faciat cæteros, ita si lubet, si nouit, de bonis extolli securum esse. Ego verò qui iniquitatis pondere oppressus gemo, non habeo quò assurgam, intus marcesco, foris valentes æmulor, & me qui cor intuetur iudicabit Deus. ista perpendenti quid animi possit esse super?

CAPVT XVIII.

Quomodo erga domesticos humilitas obseruanda.

DE domesticis non idcirco quæro, quasi ceteros præteritos velim: imò verò quàm maximè in omnes est obseruanda, cauendumque ne (qui non aliud quàm humilitatis palæstra esse debet) Religiosus status nostro vitio fiat superbiæ incentiuũ, si vel illis ipsis, qui in vanitate sui sensus vitam terunt, vel (à quo longissimè abesse oportet) alterius instituti Religiosis nos vel nostra prætulerimus. Domesticorum igitur memini, quia conuictus eorum est perpetuus, quia, vt vulgò ferunt, familiaritas contemtum parit, quia si hoc vnum benè obseruetur, vitæ Religiosæ, quæ forsan occurrerent, molestiæ mirè lenientur, facilisque atque iucundissima perseuerantia reddetur.

Hinc B.P.N. Ignatius nequaquam id in postremis habuit, imò quanti faceret, appositissimis & grauissimis verbis atque sententiis testatum reliquit. Cùm enim ageret de suis, vt loquitur, *in sua vocatione conseruandis, iuuandisq; vt proficiant in via Dei, & virtutibus*: paulò pòst, hæc omni commendatione memoriaque dignissima perscribit, *In omnibus procurent atque optent potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo, tamquam sibi Superiores ducendo, & exteriùs honorem ac reuerentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate & moderatione Religiosa exhibendo: atque ita fiat, vt se mutuo considerantes, in deuotione crescant, Deumq; Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, vt in illius imagine, agnoscere studeat.* Quæ si obseruentur, & satis est, & optimè est: ideoque illorum vim partitè explanabimus, aut potiùs (perspicua enim sunt) ideò latiùs diducemus, quòd iucundum sit eis immorari.

3 p.c.1.§.1.

Ibid.§.4.

Equidẽ huius præceptionis, quam tamẽ tunc exstare nesciebamus, obseruatio animaduersa me meosq; socios olim ante Societatem initã, admiratione haud parum perculit. Crebri ad Duacensis Collegij atrium vocabantur, sacerdotes, Professores, studiosi quoque literarum, ijdemq; iam Religiosi Societatis, cursitabat alacer & frequens ianitor, plurium accessus recessusq; perpetuabatur, & quamuis nihil curiosiùs obseruaremus, ipsa tamen illa Religiosa inter eos veneratio adolescentes oculos salubriter vulnerabat. Nec semel regressi alter alteri diximus; Vidistine, quàm amicè inter se consalutant, quanta comitate & reuerẽtia, nec secùs quàm post longas absentiæ moras excipiunt, quàm blandè compellant, quàm paratè, pacatè, molliterq; respondent! senioribus in iuniores, sacerdotibus in non sacerdotes, & in suos Coadiutores, quàm nihil imperiosum, nihil sibi prærogans est aut acerbum! Mirabamur, mouebamur, nec immeritò: quin & illorũ qui tum erant, grata etiamnũ apud me, ideò viget recordatio: ac

propterea refero, vt, quantum in ea re ad permouendos animos momentum insit, clariùs conster, posteriq́ue etiam atque etiam videant, ne huiusce patrimonij opimam hereditatem sua vnquam socordia dilapidari sinant.

Vigeat igitur aduersus vnumquémque, eximia quædam, non sine ingenuo pudore reuerentia, affabilitaté, comitatem, ac sereni vultus amabilitatem præferens, ita vt ad cuiusuis occursum iucunditate subsiliat pectus, caritate incitetur, veneratione temperetur. Nihil mihi hîc vanorum & leuiculorum hominum familiaritati cognatum sit, seria non morosa tamen, grauitatis & sanctimoniæ plena, sed omni acerbitate carentia adhibeantur, candor sine fuco, sine solutione remissio, sine leuitate iucunditas, sine suspicione prudentia, moderata consiliorum sine fictione retectio, purus, castus & cælitùs haustus, ac in cælum stimulans amor. Quæ ducuntur humanitus, humanitusque coalescunt amicitiæ, quadã fermè nituntur similitudine, conuenientia & paritate naturæ affectuq; modum nesciente, paularim sibi vsque adeò implicantur, vt decorum, rectumque & iustum, præ amore suo, non admodum pensi habeant; aut saltem, si moderatiores fuerint, tacitè, nimiumque patienter multa dissimulent, quæ à præscripto rigidæ rationis exorbitant. Amantium, ait quidam, rixæ, amoris redintegratio est: quippe inter eiusce generis amantes, leuitate, procacitate, dicacitate, petulantia, amarulentis iocis, in rixas, in contentiones itur: moderatus & æquabilis amor deest, sed est incertus, perturbationum fluctuationi obnoxius, solicitus, inuidus, suspicax, modò exardescens, & amici omnia, vel mala excusans, vel bona supra verum efferens; modò verò languescens, frendens, indignans, minitans, & quò se vertat ignorans, ac nisi breui placetur, in implacabiles inimicitias desinens, ignem & flammas, mox & cineres daturus.

At Religiosus amor, virtute, ratione, Deoque connixus, coalitus atque perseuerans, nusquam à vero, decoro, honesto rectoque deflectit, sibi semper similis, eodem tenore decurrit; dicteria, sermo blandus & fractus, ioci leues, soluti risus, molles oculorum coniectus, contactus atque complexus corporum, procul hinc exulant: nihil datur auribus, nihil adulationi conceditur, perrara est amici in faciem laudatio, at frequentissima, ac propè perpetua ad meliora cohortatio: perperam facta non dissimulat, amicè sed grauiter, modestè sed fortiter, leniter simul & acriter monet, reprehendit, vrget, neque cessat donec in rationis gyrum reduxerit: ab æmulatione & inuidia tantũ abest, vt nihil magis opter, quàm vt is quem diligit diligatur à cunctis; ideoq; non in angulis, non secretò, non in tenebris, non in latibulis ac seorsim, sed luce, palàm, in omnium conspectu, sine trepidatione, sine cuiusquam tremula vitatione versatur: amici præsentiâ gaudet, ita tamé vt suo tempore, vt neque diutiùs aut crebriùs quàm par sit, & Religionis mores exigant, neque otiosa in longum colloquia protrahantur, neque velit sibi, vel ad momentum, adesse amicum vltrà quàm ratio postulet; ideoq; non est anxia, non sollicita, non querula, & obuersantibus desideriis

sideriis molesta absentia, imò nec imperatus discessus diuturnus tristitiam ciet; sed vnius diuinæ maiestatis obsequiis omnem amicitiæ dulcitudinem egregiè compensari putant, nec eos aut spatia temporum, aut locorum interualla seiungunt, quos vnus cum Deo spiritus, æternæ caritatis non dissociabili vinculo pariter vnos fecit. Quod ipsum in sua cum D. Basilio familiaritate Nazianzenus Theologus animaduertens dixit; Orat. 20. *Corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoque ipsi, non secùs ac veris flores. (nam nec flamma consumta materia remanet, sed vnà cum ea extinguitur: nec cupiditas marcescente fomite subsistit.) At pudici, & Deo grati amores, quandoquidem rei stabilis & firmæ sunt, propterea diuturniores etiam sunt. quantoq; maior pulcritudinis species ipsis obijcitur, tanto etiam arctiùs & secum, & inter se rerum earumdem amatores deuinciunt. Hæc quippe superni amoris lex est.* Ita ille, & optimè.

Cùm enim illius modus, fons & origo sit Deus, nec aliter in animis nostris Religiosus fratrum amor, quàm diuina gratia obstetricante pariatur: Dei verò gratia & paterna beneficentia, non in vnum, aut alterum, sed in omnes variè diffundatur, ac nonnumquam ibi copiosior lateat, vbi minùs in speciem seseoffert: non debet angusto paucorum numero Religiosus amor arctari, latiùs in plures vagetur, cunctosque, quos eiusdem Religionis fouet sinus, præcipuè complectatur necesse est. Cumque *non dissensionis sit Deus, sed pacis,* nihil verò sic pacem exterminet, dissensiones gignat animorum, vt inæqualitas, vt singularitas: sibi enim quisque negari dolet, quod in alium videt largiter effundi; ideo etiam amorem hunc in omnes æqualiter expandi oportet, vitiumque fuerit, si vel in pauciores tantùm, vel intensiùs in nonneminem conferatur. Qua de re grauiter S. Basilius. Homil. 4. ascet. *In hoc communi contubernio,* inquit, *partiarias amicitias ac societates communis lex non permittit. Omnino enim necesse est, partiarios fauores in multis ladere communem concordiam. — Si verò quis maiori caritatis affectu mouetur erga monachum, fratrem, aut cognatum, quàm ad alium quendam, propter quemcumque tandem prætextum, is velut iniuriam faciens communitati castigetur: nam redundantia affectionis in vnum, multam accusationem affert defectus in ceteris.* Homil. 5. ascet. Iterumque alio loco; *Qui vnum præ aliis diligit, accusat semetipsum, quòd erga alios non habeat perfectam caritatem.* Docet enim ibidem, communem & æqualem esse oportere, qualis naturaliter inest homini in sua membra: his enim omnibus æqualiter vult sanitatem, quamuis, vt vnum alteri præstat, ita non æquè in oculum, pedisque digitum afficimur: nec dissimiliter in hominibus, pro honestatis ratione, suam, in his qui vtiliores sunt, prærogatiuam habet dignitas. Sed hæc obiter pertrinxisse sit satis, suus illis debetur differendi locus: ad nostra redeamus.

CA-

CAPVT XIX.

Cuiusmodi veneratione familiaritas Religiosa conditur?

REligiosis ergo singulis in alios is amor, ea familiaritas vtenda est, quæ humilitate, quæ veneratione condiatur, fierque nescio quo modo, vt, quemadmodum palato maximè arridet, quæ nonnihil illud feriunt, ita iucundior reddatur ille conuictus, quem virtutis obseruantia, præstabili decore honestabit. Id etiam eximiè vtilitatis consequetur, vt vltrò aliarum amicitiarum incommoda omnia caueantur, nihil dicatur aut fiat, quod à præscriptis Regulis, aut à Religiosa perfectione sit alienum. quid enim? singulos in animo suo, quasi Superiores ducit, exteriùs honorem & reuerentiam exhibet, vt inquiebat Beatus Ignatius: qui nihil fictum & affectatum, sed quod verè ex animo proficiscatur amat; nec animo contineri, sed foras prodire, alijsque tum ad exemplum, tum ad caritatis conseruationem, id ipsum iubet prodere.

Hæc verò reuerentia, partim ab eo definita est, dum vult vt in omnibus potiores alijs partes deferri procurent, & exoptent; partim vniuscuiusque iudicio, pro rerum & personarum occurrentium varietate, ac locorum & gentium diuersis moribus, est relicta, dum honorem palàm deferri exigit. Ne quid tamen hîc peccaretur, modum adhibuit, Religiosam simplicitatem ac moderationem, iuxta cuiusque statum: & nostri enim, & aliorum, est ratio habenda, vt decorum, absque quo nihil benefit, obseruetur. Vt nostri ratio habeatur, simplicitas & moderatio est necessaria; estque hæc, ad cuiusque Religiosi instituti modum, rite metienda.

Nostra quidem Societas, vt in hominum medio est posita, Deique causa omnia fit omnibus, non vult suos; quosdam esse misanthropos, & ab humanis moribus alienos, lucifugas, barbaros, hispidos, austeros & horrentes; ciuiles mores, comitatem, affabilitatem, vultus & verborum amabilem leporem, idque omne quod ad aliorum animos honestè deuinciendos facit, perlubenter amplectitur. Religiosè tamen, non aulicè, non iuueniliter, non blandientium, assentantium, vanamque loquacitatem iactantium in morem, est interdum in sermone, ac (vt vocant) aulicismis & ciuilitatibus nimium quiddam & affectatum, molle, fractum, exquisitum, quod & simplicitati aduersetur, & moderationis limites trãscendat: Religiosam verò comitatem decet, non ambitiosis verborum circuitionibus inuolui, non obnoxia laterum, corporis, capitisque fluctuatione circumagi, non lenocinia captare sermonis, non pronuntiandi aut loquendi ambire nouitates; at sincero mentis candore, quem assimilis & rotundatus sermo prodat, propensionem affectus, & animum benenolum ita testari, satis vt appareat,

plus in receſſu latere, quàm foris oſtenſum fuerit, cureturque, (quod B. Patrem conatum ſcribunt) vt non æquentur tantùm, ſed etiam factis promiſſa ſuperentur.

Præterea moderationem in honore reuerentiaque deferenda, non verò admodum in animi exiſtimatione ſeruari vult: dum enim omnes magni, pluriſque quàm te ipſum, & inſtar Superiorum æſtimes, haud magnopere refert quanti, & an pluris facias aliquos; neque iure, in tam obſcuris humani cordis latebris, poſtularetur à quoquam, vt ad veritatis libellam æſtimationis pondus æquaret. At refert plurimùm, vt neque crebriùs, neque contentiùs, neque diffuſiùs, in vnius cuiuſpiam laudes excurras, nemini etiam honorem deferas, quem hominis conditio indecorè admittit, at vnicuique quod rationi, quod vſui & moribus conſentaneum eſt reddas. Pronuntiat Sapiens; *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Quod quamuis ita ſit, alius tamen quidam honoris modus, alia compellatio eſt iunioris virtute ſenili præditi, & viri ætate ſenis, itemque non ſacerdotis atque ſacerdotis, Superioris & non Superioris, aliorumque plurium: ſoletque hæc diuerſitas, benè moratis mentibus ſponte ſua occurrere, cumque iudicio rerum, locorum ac hominum conſter, præceptionum formulis comprehendi nequit, ſeruetur quod vſu receptum, quod ab ijs qui experientia & prudenti comitate valent, fieri videmus. Quod verò decet, id promtè, alacriter, integreque præſtandum eſt: vel enim affectationem vel ruſticitatem redolere, ſuoque magis quàm aliorum honori ſubſeruire videtur moroſa & cunctabunda illorum grauitas, qui tardè, ægrè, vixque modicè, laſſam (exempli gratia) manum, ac veluti pondere depreſſam affixo capiti pileo admouent, eique vel extremis digitis minitantur, vel tantillum à delicato capite ſubmouentes, trepidè loco priſtino reſtituunt. faſtidientium, non honorantium iſta ſunt.

Sap. 4.

At præceteris cauendum, ne vmquam qui exhiberi potuiſſet honor, ijs defuiſſe videatur, quos conditio vel caſus contemtioni magis obnoxios reddit: hos enim ad ſiniſtram ſui contemtus interpretationem, naturæ ſenſus facilè impellit. Huiuſmodi ſunt, qui magiſtratu, imperio, poteſtate, vel munere ampliore abiuerunt, tum potiſſimè cùm in eo minùs erga te beneuoli fuiſſe, vel munus illud ſuum non adeò præclarè geſſiſſe, nec ad illud niſi ægrè redituri, vulgi rumore creduntur. Sed præſertim, ac perpetuò, in hoc genere ſunt, quos Coadiutores vocamus, qui proprio ſuo ritu, nec ſunt, nec eſſe aliud vi ſuæ conditionis poſſunt, quàm aliorum adminiſtri: quam (opinione hominum) ſortem infimam, Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti amore, liberè cupideque complexi, ei tanto ſimiliores euaſerunt, quòd, vt loquitur, *filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & eſſe in medio noſtri ſicut qui miniſtrat.* Quare cùm Domini noſtri ſimilitudine nihil illuſtrius, nihil poſſit eſſe glorioſius, virumque Religioſum

Matt. 20.

non

non externa ſpecie, ſed vera virtute, & honeſtatis dignitate, æſtimationem hominum metiri deceat, erunt illi ob præſtantiſſimas humilitatis caritatiſque virtutes, conditioni ipſorum induiduas comites, ſuſpectu & honore animitus proſequendi.

Iam verò, vt id aptè conſtanterque fiat, primò quidem de ſe ipſo demiſsè ſentire oportet: nec enim alijs, ſed ſibi honorem arrogabit, qui eius cupiditate flagrat, & qui magnificè de ſe ſentit, ægrè adducetur, vt ex animo honorem (qui præſtantiæ ſignum eſſe ſolet) alteri deferat. Prætereà, adhibere ſibi ſtimulos variè oportet, ſeipſum domo, ſupellectile, rebus omnibus, & potiſſimè aliorum conuictu indignum habendo. Hoc autem vt fiat, eiuſmodi ſunt rationes & modi comminiſcendi, qui nos permoueant, qui etiam vſu crebro frequentari, memoriæ ſedulò commendari, & mentis oculis quàm celerrimè recurſare poſſint. Cuiuſmodi fuerit, ſi domum, ſi ſupellectilem, ſi victum, veſtitum, ceteraque omnia velut ſacra, Deoque dicata veneramur, nihil eorum temerè contrectamus, inſtar templi, ſacri anathematis, diuinique, & non temerandi dominij ſuſpicimus. & re vera eiuſmodi ſunt Religioſorum omnia: ſunt enim Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto donata; ille eſt cuius nuditate veſtimur, eſurie paſcimur, ſiti potamur, paupertate ditamur; ille eſt, qui accepti & expenſi rationes exiget, qui nullum in re ſua detrimentum irreſarcitum abire patietur; ille eſt qui te tradet exactori, exactor mittet in carcerem, nec inde licebit exire, *donec*, inquit, *etiam nouiſſimum minutum reddas*. In huius tanti Domini, tam perſpicacis Iudicis, medio patrimonio poſitus, non potes quin rerum iſtarum omnium, conſpirantes quaſi voces, ad Dominum ſuum reuocantes, frequenter exaudias, quo fiet vt tibi ipſi præſentior, modeſtiæque ac humilitatis obſeruantior euadas. *Luc. 12.*

Hinc etiam domeſticos quicumque occurrerint, non ſecùs excipies, quàm ſacræ ædis, aut palatij regij, aut potiùs cæleſtis paradiſi incolas, Patris ſui, ſupremi omnium Regis, domo receptos, interimque hac bonorum moderatione vtentes, donec vberiore copia, in æterna beatitudine, gloria & honore circumfluant. Plurimum conferet, ſi, quoties obuiam factus quis fuerit, toties pium aliquod deſiderium mente iaculeris; veluti, Ah vtinam tuæ aliquando, mi frater, gloriæ particeps euadam! vel, O mi frater, cùm benè tibi in cælis fuerit, memento mei, à Deo precibus impetra, vt educat me de carcere mortis huius, & in Sanctorum patriam euocet! vel, Erit aliquando cùm animula hæc miſella, iudicanda Deo offeretur, & vos fratres mei aſſidebitis iudici, vnà iudicantes tribus Iſrael, adeſte trepidanti, fauoremque veſtrum ex hoc nunc poſtulanti adeſte. vel, O quantis, quibus careo, virtutibus frater hic abundat! Benedictus Deus, qui me, nullo meo merito, timentium eum participem effecit. Da mihi, Deus meus, vt hoc ſancto, & tua caritate inolito conſortio, non reperiar indignus.

Nõn desunt dona Dei plurima, variæque virtutes quas in singulis obseruare possimus, vt inde in illos obseruantia maior accedat: fuitque semper hæc exercitatio à Sanctis, Antonio, Bernardo, ac ceteris admodum commendata. Commune istud omnibus, neque propterea minùs laudandum & adamandum in singulis, quòd magno & celsiore quàm vulgus hominum animo, ad grandia & diuina, spretis sensuum illecebris, non dissolubili se nexu addixerunt; Veneris oblectamenta, diuitiarum cupidinem, honorumque blanditias, speciosos nempe titulos, & blanda vincula, imperatorias & regias animas subiugare assueta, ipsi tamen, fastidiosa terrarum, cælique ambitiosa, humilitate calcarunt: tanto celsiores mundi principibus effecti, quanto terris cælestes orbes eminent. Et erit qui tales viros non omni veneratione dignos putet?

Certè singulos illorum, quasi Dei angelos intuebor, me, si quid illis commodare potuero, beatum putabo, fiamque (quod ait Dauid) *vilior, plusquàm factus sum, & humilis in oculis meis*: quid enim me esse ducam, quando in fratrum corona consedero, nisi coruum inter olores? in cælo Luciferum? vereque me videre tunc credam quod olim Michæas, qui referebat; *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris. Egressus est autem & spiritus mendax, & stetit coram Domino.* Vel quod in Iobo scribitur; *Cùm quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venit quoque Satan inter eos, & stetit in conspectu eius.* Sic igitur in Superiore Deum, in ceteris contemplabor angelos, meque inter illos, quasi tenebrionem quemdam, verecundè intermixtum, ac beneuolo illorum ardore nonnihil calescentem, pariterque fulgore collustratum.

2. Reg 6.

3. Reg. 22.

cap. 2.

Facile fuerit eiusmodi plura piè comminisci, Deumque in fratribus quasi vera imagine, vel quasi templo, vel throno amicè & multipliciter insidentem, adamantem, permouentem, prouidentem contueri: nullibi enim illustriùs, quàm in veri Religiosi mente splendet Deus. Hoc verò si diligentiùs effecerimus, præter alios pacis, tranquillitatis, amoris & exempli fructus, proximè & maximè fiet, *vt in deuotione crescamus, Deusq; ac Dominus noster vbique laudetur*, vt docet Beatus Pater, estque adeò perspicuum vt pluribus non sit opus.

De

De tertio humilitatis exercitio, quod est, sui continua in omnibus accusatio.

CAPVT XX.

Sanctorum id esse proprium.

EX eo quod antè dictum, & in confesso est, nullam esse posse sine humilitate sanctitatem; humilitatis verò id proprium, vt neque bona sua videat, & plurima sibi etiamnum deesse, acutissimè verissimeque perspiciat: cùm etiam virorum sanctorum id sit vnicum & ardentius desiderium, imperfectum omne deponere, perfectaque virtute decorari; quamdiu se nondum eò pertigisse vident, (& verò semper vident) tamdiu se tarditatis, negligentiæ, ingrati animi reos peragere non cessant. Estque istud exemplis adeò certum, nullus vt fuerit qui non summopere & virtutis cuiuscumque iactantiam cauerit, & se semper in postremis, tum habuerit, tum haberi voluerit: *Iustus* enim, vt loquitur Sapiens, *prior est accusator sui*: quasi iustitiæ sit proprium accusare semetipsum, illeque sit & iniustus, & gloriæ indebitæ vsurpator, qui peccator cùm sit, iustitiam sibi vltrò arrogat. Itaque sanctissimus ille vir, qui pronuntiare de se audebat, *Ipse scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus; viam eius custodiui, & non declinaui ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius: neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*: huius tamē virtutis quàm non sit oblitus, dilucidè confirmat, cùm ait, *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Ecce, ô vir Dei, ô quisquis perfectionis amantior es, ecce quem sequi, quem imitari non pudeat, non pudeat humili confessione, minùs rectè facta purgare: caue ne silentio, ne dissimulatione malis culpam tegere, quàm veri enuntia voce malum aperire; caue, sagitta est in nocte perambulans, & à superbiæ pharetra specie recti prouolans, quoties animus opinione virtutis elatus, & bonam in animis proximorum, existimationem sui agnoscens, nimio pere timet ne quid reprehensione dignum à se profectum esse credatur.

Iob 23. c. 27. c. 31.

Vide D. Greg. l. 22. Mor. c. 8. sect 13.

At, inquis, scandalum vereor, malo exemplo esse formido. Equidem si de peccatis grauioribus & flagitijs ageretur, excusationi forsan esset locus; sed his immunem alloquor; cumque istis careas, vsque adeone pertimescendum putas, si vspiam imprudentius egisse, concitatiori affectu impulsus esse, errasse, impegisse, offendisse, verbo dicam, homo fuisse censearis, talemque te esse fatearis? Estne, fuitne, hominum quisquam, solo Christo Domino, sanctaque eius matre

sepositis, qui erroris, qui peccati omnis, vndiq; fuerit expers? Sãctè asserо, qui in omnibus innoxius videri voluerit, is mihi longè veriùs in omnibus noxius esse credetur. Veritatis amore, nil sanctius: vitium omne falsitate, simulatione, mẽdacio suffarcinatur. Quare ille dilectus Deo scribebat, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quid ergo, si peccatum in nobis est, cur id fateri formidamus? ecce continuò vt à nobis id timoris depellat, addit, *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* En confessionis, en accusationis sui mercedem præclaram: culpam diffiteris? culpa grauiore inuolueris: fateris, accusas? errori datur venia, iudex pronuntiat innocentem: parum est; eum etiam in virorum perfectorum numero collocat. Nec enim alio, quàm planè diuino spiritu locutus fuisse credendus est Magnus ille Gregorius cùm dixit de sancto Iob, *Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet cum in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minùs admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum. Scio enim, quòd per infirmitatis verecundiam, plerumq; grauioris est certaminis, commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare; & vnumquodq; malum quamuis robustius vitetur, tamen humiliùs prodatur.* Meritò igitur prouideque vir quidam longo spiritualium rerum vsu probatus, cùm interrogaretur quam potissimùm viam reperisset, qua peruenireturad Deum; respondit, Hanc præ omnibus, vt seipsum homo in cunctis semper accuset. Cuius rei quanta sit vis, non illepido apologo Abbas Pastor expressit, narrans virtutes omnes, ad quandam virtutis vnius domum, cum gemitu commigrasse, nunc autem magna pace iunctis dexteris insimul habitare, quo fit vt qui extra domum eam virtutes quæsiuerit, frustra nitatur vano labore desudans; at quicumque ad eas eò loci adiuerit, expeditissima omnia sortiatur, eumque vltrò ac pænè certatim, virtutes primo inuitatu sequantur. Hic igitur interrogatus, quæ demum tanta illa, tamque nobilis esset virtus, cuius vnius domus incoleretur à ceteris? Omnino, inquit, ea est, perennis & indefessa suiipsius in omnibus accusatio, siue reprehensio. Hanc qui constanter, & ex ardenti intimæ humilitatis affectu exercuerit, tranquillissima animi quiete, gaudioque & solatio perfruens, in perfacilem virtutum omnium consecutionem veniet. At verò (vt idem vir sanctus pergens addebat) qui ab hac se accusandi via declinauerit, etsi innumeras, ac, si dicere liceat, infinitas virtutes possederit, numquam requiescet, semper affligetur, tandemque suorum omnium laborum fructu excidet. Quæ sanè tam asseuerata viri in studio perfectionis exercitatissimi affirmatio, nobis quidem instar plurimarum probationum esse debet; quare nec addam plura, & ex ijs quæ dicta sunt ac dicentur, abundè stabiliri potest.

1. *Ioan.* 1.

lib. 22. *Mor. c.* 10. *seu* 14.

CAPVT

CAPVT XXI.

Improborum esse seipsos excusare.

VErè admodum scripsit B. Hieronymus; *Omnes homines, vitijs nostris fauemus;* ac nescio an aliud vllum, penitiùs inolitum vitium nobis inhæserit: etenim cùm natura nostri peramantes simus, id omne quod fœdum, probrosum, & dedecoris est plenum, aut à nobis quantum datur amouemus, aut certè maculam quantum licuerit, eluimus, dissimulamus, obtegimus: quo fit, vt, cùm eousq; demetire nemo soleat, vt probrosa non putet quæ cum peccato, vel stoliditate, vel imprudentia sunt coniuncta, fermè imprudentiæ ac peccati à se suspicionẽ tanto solicitiùs amoliatur quisque, quo clariùs id à se perpetrari non debuisse perspexerit. Hoc facit stolidus & letalis pudor, quo non tam peccatorem esse, quàm videri pudet: atqui, vt verissimè D. Chrysostomus, erubescendum fuerat quando peccabatur, non quando nos pœnitet; sed cõtra quàm debuit, diabolus peccato audaciam, pœnitentiæ affingit verecundiam, facitq; vt malum tanto altiùs penetret, quo tectiùs ne erumpere possit cauet. Grande quidem, attamen vt D. Gregorius Magnus loquitur, *vsitatum humani generis vitium est, latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis, hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicẽ traximus culpæ.* Cùm enim legem sibi positam primus hominum parens temerare esset ausus, confestimq; audaciæ pœnas, rebellione carnis exprobrante, sensisset; aduenientẽ omnium inspectore Domino, erubuit, fugit, latuit, nisi potiùs, latere voluit, at non potuit: eumq; admissi facinoris argueretur, tenuit quod semel cœperat, sui defendendi, & à se culpam amoliendi institutum. quid enim? *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de ligno, & comedi.* Sed & ipsa illa mulier, quasi eodem docta ludo, itidem à se culpam amouere, vel minuere saltem in alium traijciendo nititur, *Serpens decepit me, & comedi*, inquit. ô vanas & noxias nimiùm tergiuersationes! vt quid excusationes texitis in peccatis, nec videtis cur interroget, cur vrgeat vos Dominus? interimque serpẽtem non interrogare, sed damnare solùm voluerit? *Mitigat iudicem pudor reorum, excitat pertinacia deneganti*um: deprehensam culpam qui tuetur, quid aliud quàm veteri nouam adiungit? ita Adam, ita Eua nouo se excusationis crimine obstrinxerunt, & in Deum ipsum peccati sui partem obliquè retorquere conati sunt. Ille enim, Mulier, inquit, quam dedisti; hæc, Serpens quem creasti, ipse me seduxit: quasi vno ore dicerent, Præceptum posuisti, & eius violandi iritamenta præbuisti: cur tantopere id fecisse damnemur, cuius efficiendi, per res eas quas tu ipse dedisti, nobis est & facultas & voluntas oblata? id perpetrasse si peccatum est, debuitne

epist.147.

to.5.orat. 3. de pœnit.

l.22.Mor. c.9.seu 13.

Ambr l.2. de Cain c.9.

buitne ad id perpetrandum, admoueri illecebra ? Ecce quàm pertinaciter peccatum peccato cumularunt; nos verò exinde superbissimorum parentum superbior soboles, eandem ad vitia integenda, & mendacibus inuolucris obtexenda, procliuitatem hausimus : indeque id nobis mali accedit, vt tanto tardiùs & difficiliùs corrigamur, quanto ægriùs ad agnoscenda & fatenda mala nostra perducimur.

Primus enim ad sanandos animi morbos, maximeque necessarius gradus est, velle sanari: id autem velle non potest, qui prauo errore deceptus, morbos suos ipsammet, imò summam & solam, putat sanitatem. Quapropter capitalis humani generis hostis Satan, vel maximè nititur, ne mali nostri grauitatem agnoscamus, vt cæcata mentis acie, numquam ad iustitiæ splendorem conuertere libeat oculos. Itaque & Samsoni, animo scilicet Solis instar virtute radianti, in suam potestatem redacto Philistæi, hoc est cinere peccatorumque tenebris conspersi, oculos effoderunt; & rex ille Babylonius perturbationem confusionemque sonans, visionis pacis siue Hierosolymorum euersor, sacrificiorum, sacrique templi impius erasor, Sedeciam, hoc est iustum Domini, at longa iam obsidione superatum vinctumque, ad se iussit adduci, & in Reblatha, quæ rixam significat, excæcari. vbi enim melius ? nec enim pax inpijs, aut in impietate cæcis esse potest, propheta teste.

Id hebraicè sonant hæc verba.

Hanc ipsam improbitatis vim atque naturam, non subtiliùs quàm veriùs expressam tradit Magnus Gregorius, his de Leuiathan verbis, *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquã separabuntur.* Sed & facilè in eundem conspirant sensum, quæ proximè præcedunt: *Quis reuelabit faciem indumẽti eius, & in medium oris eius quis intrabit? Portæs vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.* quæ singula satis denotant, quàm ægrè, ad latentis iniquitatis retectionem, peruenire queat. Quare aptissimè dicitur, *Corpus illius quasi scuta fusilia*, quia omnes iniqui, ne ad se, corripiẽtium verba, quasi iacula perueniant, eorumque deprehensa nudetur iniquitas, defensionum & variarum excusationum scuta obijciunt, multiplici tergiuersatione vtuntur, tamque sinuosè obscuris excusationum gyris facta sua inuoluunt, vt neque satis peruideri species externa, nec ad interiora penetrare possis. vnde & meritò densatum compactumque squamis idem corpus dicitur: quippe squamæ lubricæ sunt, & imperfectè collucent, & non rotæ videntur, sed latiore & lucidiore sui parte exstant, angustiore & obscuriore reconduntur: habentque omnes improbi quiddam in suis actionibus speciosum, quod vltrò & affectatè in lucem proferant, quod reprehendentium asperitatem læuore & glabricie sua effugiat, partemque sui probrosiorem oculis suffurantes, id solum proferunt quod aliqua honesti imagine intuentium oculos possit fascinare. Et quoniam id quod defenditur placet, quod autem placet, à voluntate non expellitur; ideò quamdiu peccatum defendimus,

Iob 41.

dimus, placet, & voluntati adhæret: quare verissimè dicitur, *Nec spiraculum vitæ incedit per eas*, peccatorum excusationes; quomodo enim in eum vita penetraret, quem mortis amor totum occupat? squamis tegitur; & veritatis volante sagitta penetrari non potest. At verò si potente illa voce feriatur, quæ cedros confringit, desertum concutit, præparat ceruos; decidunt implexæ squamæ, omnique simulatione posita, simplex veritatis candor apparet; ideoq; forsan de quodam ab impietate reuocato scriptum legimus, *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis eius*: ex eoque tempore, non tantùm ab erroribus pristinis excusandis desijt, sed toto corporis animique nisu, sudoribus, laboribus, periculis plurimis, ad extremum vsque spiritum, palàm priora facta damnauit, & contraria omnia statuere, ipsius etiam vitæ prodigentia, conatus est. *Act. 9.*

Quamdiu intra viscera residens morbus latet, vires ipso tempore acquirit, & sensim ad vitalia depascenda prorepit: at si deprehensum foras expuleris, continuò redintegrari quod tentatum fuerat, restitui quod ex parte deperditum, atq; ita singula ad suam reparata naturam redire senties. Enimuerò id ipsum longè certiùs in morbis animi accidit, quos deprehendisse, dimidia ex parte sanasse est; accusatos foras prodere, iam expurgare, iam persanare est. *Sic enim quisque inuenit gratiam apud Deum*, inquit D. Bernard. *si inuentus erit durus iudex in semetipsum.* Vel, vt alter, *ipsa nos apud districtum iudicem, accusatio nostra excusat.* quodque in alium finem protulit Cassianus, hîc maximè quadrat; *Illico vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit. & — serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, & productus quodammodo, & dehonestatus, abscedit.* Et hoc ipsum Serapionis cuiusdam, viri percelebris auctoritate ac exẽplo confirmat: Hic enim cùm perdiu, intempestiuæ furtiuæque edacitati sic assueuisset, vt assuetudinis quodammodo tyrannide oppressus, quamuis gemens, & seipsum miserè lugens, iugum tamen, nec auderet, nec posset excutere, iamq; immedicabili vitio laborare videretur; accidit vt Abbate Theona multa grauiter copioseque, de gastrimargiæ vitio, in corona fratrum disserente, Serapion conscientia redarguente perterritus, & sibi ea, Deo reuelante, dici putans, vbertim profusis lacrymis, veniam postularet, & audientibus ceteris, suiipsius accusator durus, inolitæ consuetudinis omne virus euomeret. Quid verò? sic accusasse, non tam accusasse, quàm criminis absoluisse fuit. quod ipsum prodigiosus probauit euentus: quippe mox ad illa verba, obscura & fœtida quædam flamma, ab ipso furti conscio & susceptore sinu erupit, cumque aliquamdiu cellam totam odore sulphureo complesset, euanuit: diceres dæmonem, accusatione sui, victum loco cedere. & re ipsa cessit: nam ex eo tempore, vt eiusdem Serapionis testimonio constat, adeò est illius diabolicæ tyrannidis dominatio exstincta, atque in perpetuum sepulta, vt ne vel sola quidem recordatione, eiusdem vitij cupiditate pulsari se senserit. Credas autem peruelim, hanc esse perpetuam, nec separabilem ab accusatione sui vim, *Greg. l. 25. cap. 7. Collat. 2. c. 10. Vide latius apud Cass.*

qua, si ex animo vsurpetur, mirè tentationum & vitiositatum omnium robur eliditur.

CAPVT XXII.

Quibus in rebus nos ipsos accusare oporteat.

VTinam tam esset huius quæstionis vsus, quàm expedita responsio! verè etenim in rebus omnibus nos ipsos accusare, & possumus, & consultum est, & si non semper ore, at semper corde versare illud Prophetæ, *Peccatum meum contra me est semper*: contra me, id est è regione, & ex aduerso positum, ita vt quocunque me vertero, illius tamen molestissimam imaginem oculis incurrantem videam semper; vigilanti adstat, dormientem infestat, domi, foris, agēti, cessanti, vltrò sese ingerit. quemadmodum enim illa quę coloribus plurimùm exstantibus expicta, & ad molestiam vel terrorem composita sunt, si propiùs ad oculos admota perseuerant, non possunt, quin eos ad sui contuitum vehementer alliciant, aut etiam totos in se detineant: ita qui suorum peccatorum, seu inducta cicatrice obductorum, seu vigente vulnere adhuc sanguinantium, fœditatem probè peruiderit, qui suam ipsius vilitatem, multiplicem ad mala plurima pronitatem, lapsus frequentissimos, bonorum omnium egestatem, ingratissimum ad immensa beneficia diuina animum, perpetuam denique, & à natura congenitam, ad mala omnia prolapsionem, atque à melioribus auersionem, in se tantopere vigere deprehenderit, potestne malorum tam crudeliter infestantium obliuisci? tantæ miseriæ fontem, tantarum spurcitiarum sentinam, circumferre se, imò esse se perspiciens, potestne à sui detestatione cessare? potestne, aliquando non dicere, Peccatum meum contra me est semper? Potestne vllis adulantium, vel amore deceptorum laudibus, potestne rerum è voto succedentium, aut prudenter, & ex virtute gestarum frequentatis euentis, à sui accusatione perpetuanda retardari.

נגדי תמיד

Crediderim equidem, non magis id posse fieri, quàm claudo vel cæco persuaderi possit, aut claudicationem aut cæcitatem esse depositam, quia vel equo vel curru impositi absque tardatione vel offensatione vlla, longius progredi, & celeriùs, quàm valentiores pedites, possint. Qui enim se ipsum ex ijs quæ antè diximus nouerit, quantumuis animaduertat se prudentia valere, eloquentia instructum, auctoritate pollentem, gerendis rebus industrium, ipso etiam Deo perbenigno & perfacili ad iusta sua desideria vtentem: attamen longè sibi plurima abesse sentit, verissimeque toto cordis affectu Domino canit, *Imperfectum meum viderunt oculi tui: Tu scis Deus insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudi-*

nem

nem miserationum tuarum respice in me. Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me. Susceptum, ereptum, donis tuis, Deus meus, ornatum: vident homines, & ecce id meis laudibus tribuunt, quod soli tuæ bonitati debuerant. Recedite à me, onerosi laudatores, parumne vobis est mentiri hominibus, nisi & mentiamini Deo meo? Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ego verò laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude: clamorem pauperis exaudiuit Dominus, & indignum non despexit: ideoque laudationem Domini loquetur os meum. *Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est.* Istiusmodi si non vocibus, at cogitationibus, abundat humile pectus; bonum omne, laudem omnem in Deum integerrimè refundit; at quòd in bonis decurtatum & mancum sit quiddam, malumque omne vndecumq; irruens, id verò sibi peccatisque suis meritò fert acceptum: his vnis proba consilia euerti, calamitates importari, aduersa omnia inuehi, diuinæ bonitatis clementiam in vindictam proritari videt. Isaiæ 10.

Videt, inquam, (vt alium quoque horum verborum sensum venemur) Peccata sua contra se semper: videt iniquitates, peccata, ingratitudinem, vitiositatem plurimam, verarum virtutum egestatem, fucata & adumbrata permulta, ingenti numero, quasi manu facta, instar hostilis exercitus, continuò in acie stare, inimicare, oppugnare, subuertere: nec habet quid circumquaq; verius exclamet, quàm, Peccatum meum contra me est semper: semper contra me mea pugnat iniquitas, mihi semper nouas clades molitur; quocumque me vertero, adoritur, inclamat, exterret, nouasque de peccatore pœnas reposcit. Hinc fit vt numquam aliorum, sed sui semper solius sit accusator; suum vnius, & quidem nocentissimi; caput peti credat, quoties publicè priuatimúe in homines Dei ira desæuit.

O miseram, inquis, vitam, tam anxifero timore vallatam! imò verò, ô præclaram securamque vitam, stabili moderatæ mentis tranquillitate perfruentem! nec enim vlla vera est, nisi in veritate tranquillitas: citò, falla ficta que labascunt. quid est aut verius aut certius, quàm sibi mala tribuentem, à solo diuini fontis profluuio bonum omne arcessere, indeque semoto omnis creaturæ contagio, quo purius, eo cellius, plenius, copiosius haurire? sed vbi fuerit de fiducia in Deum differendi locus, melius ista probabuntur: nunc est nobis in hac exercitatione pergendum, & minutim ad singulas eundum.

Curandum igitur, vt nusquam pedes, nusquam oculos, aures aut sensum & cogitationem vllam inferamus, quin istic reperiamus, vnde nos meritò incusemus, nisi fortè ipsa rei natura vel grauitas, occupatæ mentis vigorem aliorsum vertant, vt in intricatis, grauisque momenti negotijs, oratione, contemplatione, diuinorumque mysteriorum operatione contingit.

Atqui duobus modis nos ipsos accusandi materiam vestigare debemus:

Vno quidem, ex ea quam res animaduersæ præbent occasione, argumentum nos reprehendendi aptè comminiscentes: Altero verò, malorum, defectuum ac imperfectionum variè per res plurimas diffusarum, causam omnem in nostra peccata conferentes; atque ita, vtroque quem antè notauimus sensu, quasi solemne carmen recinentes: Peccatum meum contra me est semper.

CAPVT XXIII.

Se ipsum vbique incusandi modus vnus.

IN priore modo, facilitatem & copiam suppeditabit ardens incitatio mentis, in omnem huius exercitationis occasionem excubantis: cùm enim nec soli gloriam Dei enarrent cæli, nec sola pigritiæ vitium exprobret formica, sed nos vndique erudiant omnia, & defixas humi mentes in sublime vocent; qui sibi, qui singulis rebus, haud incuriæ cogitationis perspicaciam applicuerit, is profectò quid sibi loquantur, quàm se grauiter exstimulent, audiet.

Etenim cùm Solem tanta constantia, tanta rapiditate, cursum conficientem intueor; possumne, vel inconstantiæ meæ, vel lentitudinis arguendæ obliuisci? Quid? nónne vniuersim omnibus, bonis & malis, summis & infimis, amicis Dei atque perduellibus, pariter lucet? ego verò & paucis benefacio, & hominum delectum habeo, pauperum contemtor, potentiorum obnoxius obseruator, iniuriarum apprimè memor. Sol ecce, exortu suo tenebras omnes momento dissipat, rigentia fouet: at ego nec à me, nec ab aliis, erroris tenebras, vitiorum frigus amoueo, promoueo potiùs & implico. Sol vitam corporibus impertit: heu, nullius animam Deo meo feci viuere, tenebricosis potiùs operibus, exemplisque pessimis perdidi. Calore suo fouet & auget corpora tepore meo, virtutum ardorem sopio. Fœcundat solum, & prata terrasque conuestit: at ego infœcundus sterilesco: & alia eiusmodi plurima quæ conferre possum.

Cæli verò quàm multam mihi miseriam exprobrant! ecce omnibus enarrant gloriam Dei, quam factis & vitæ prauitate obscurare non vereor. Cælum à terra & corruptione remotissimum est; at ego totus, perituris harumce rerum amoribus & desideriis æstuo: angelorum, purissimarumque mentium cieturimpulsibus; at ego lutulentæ carnis, cupiditatumque prauarum perturbationibus transuersus abripior! non potuit cælorum celsitas superbum suis in orbibus sustinere Luciferum, sed inde præcipitem deuoluit; & ecce in hoc meo carneo terrenoque corpore, iactantia, elatio, superbia stabulantur! purissimi & mundissimi sunt cæli; at ego impuritatis & luxuriæ fœda & impura sum cloaca! cæli æquabilitate summa ordinem suæ conuersionis obser-

uant,

uant, numquam motori suo inobsequentes: heu quoties angelorum, & motorum meorum, hoc est Præsidum, non tantùm nutibus, sed & imperiis, non tantùm non obsecundo, sed obsisto, sed in contraria deflecto: in capite, in cauda draconum, in fraudis & consiliorum pessimorum machinatione nonnumquam inuoluor, eclipses & lucidarum virtutum obtenebrationes patior; leonem iræ; gemina vitia, luxuriam & gulam; retrogradum imprudentiæ cancrum, & istiusmodi monstra cælo afficta, non verè infixa, mihi verè & penitùs insita deprehendo. quòd autem in cælis nihil dispar, nihil sit confusum, inordinatum, sibi pugnans, ô quantopere meam ordinis peruersionem, actionum compugnantiam & inæqualitatem arguit! Stellas plurimas, vim quamdam, maximeque penetrantem efficaciam, intimo quasi sinu suo occultant cæli: at ego vanæ iactationis & gloriæ vile mancipium, & nihil intus recondo quod non effundam, & virtutis laxata compage suo robore vires destitutæ flaccescunt. En quot, præter cetera multa, nominibus, me ipsum, quoties cælum intuebor, accusandi seges præstò erit? quid? vt adillud suspirem, excidere timeam, nihildum tanto dignum præmio feciſſe me indigner? quid noctium tenebræ, quid lucis diuinæ fulgor clamat? sed hæc indicasse, & peramplo de corpore, oculisque semper exposito, paulò plura dixisse sufficiat. Progrediamur ad reliqua.

Quidni enim diffusus ille æther, vndequaque perflabilis & permeans, cælestium in inferiora illapsuum, & quodammodo impressionum vehiculum, multa mihi mala mea exprobranda in memoriam reuocet? nempe modò durum illabenti spiritui cor, modò varium & mutabile, modò nec pellucidum, & tenebris, niue, grandine, iratumque fulmine turgidum, modò graueolenti vitiorum peste letiferum, modò chimæris, vanisi næque superbiæ fictis impressionibus, quasi quibusdam meteoris inumbratum, modò variè hinc inde luctantibus affectionum procellis luxatum; quidni sic, quidni sexcentis alijs modis, me mihi exprobret?

Si mare, si aquas cogito vel video; quidni ipse me compellare valeam: Heus tu, en quomodo tecum agitur; æquor vidêris, at profundo fidentes mergis, vndecumque ventos incubantes admittis, & turbaris; hîc scopulos, ibi syrtes, istic vada vitiosus occultas; pisciculos ripis, pleno alueo cete grandia, hoc est minora vitia extimè quidem, at peccata grauiora intimo recessu mentis recondis; vbique tamen salax, amarus, inconstans: & quamuis septemplicis ostia Nili, quamuis tot grandia diuinæ gratiæ dulcissima flumina, in te quotidie influant, numquam tamen tua illa nimia amarities edulcatur.

At ecce, Sole vapores sursum euocante dulcescunt, & in pluuiam roresque pergratos eunt: nec dissimiliter percolata per terræ poros vnda maris,

in suaues & limpidos fontes exit. O si terrarum vilitate despreta, si cælestis patriæ exæstuante desiderio, cupiditatem recidere, idque omne quod crassius est mentemque hebetat, exuere valeam! sed en aquas: vt in mare refluunt, pristinoque redduntur amarori! verè, & mihi quoque prona est in deteriora prolapsio, sursum euolo, nonnihil emundor, at mox ingenito pressus pondere, in ima deuoluor, cupiditatibus implicor, delicias parum probas consector, turgidis vanæ spei desiderijs efferor, curandisque terrenis rebus admistus, in vile lutum, quin & putens cœnum degenero.

Ad terras vbi me conuertero, nihil reperiam quod non mihi quidpiam exprobret: Si aut siccitate, aut æstu, aut neglectu sterilescunt, aut hispidæ sentibus horrescunt; si densior imber irruens, si atrociùs impacta grando, vel quæuis inimica tempestas maturescentem anni spem violenta demessuit, quàm procliue est, vt animi mei calamitates, & egestatem, quasi in imagine expressas intuear? Adscribam, quod è Sulpitio, hæc scribenti memoria ingerit: *Boues ex parte prata depauerant*, inquit, *porci etiam nonnulla suffoderant, pars cetera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit Martinus, gerit illa coniugij, quæ pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò quam porci, pecora immunda, foderunt, formationis imaginem fœdam prætendit. Cæterùm illa portio quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit: herbis fœcunda luxuriat, fœnum in ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. beata species & Deo digna! nihil enim virginitati est comparandum.* ita ille, vnde videas hasce è rebus occurrentibus, pietati fouendæ cogitationes, viris sanctis perfamiliares fuisse: sed ad nostra. Si crebris iugis arduam, rupibus & saxis difficilem, si torrentium rapiditate, præcipitiorum immanitate regionem inuiam videro, si dolosis niuibus complanata pericula, si erraticos in euagante silua meandros obseruo: non dissimiliter animi mei vitia enotabo, incusabo, nempe superbiæ tumores, pertinaciæ asperitatem, cupiditatum impotentiam, profundum vitiorum inexhaustum, dolosæ virtutemque simulantis naturæ astus, ac multiplicia ne deprehendatur inuolucra. At verò vbi amœnos, vernantes, fœcundos, atque vndique ridentes agros videro, eiusmodi esse debere animum meum, at non esse deplorabo: illi solum extimum, ipsa etiam viscera metallis & lapidibus frugifera sunt, ego verò foris & intus detrimento sus totus, venientem cælitus imbrem excipio, fructum non refero, maledicto proximus, procellæ & inextinguibili igni mox forsan addicendus.

Dial. 2. c. 11.

Quid attinet singula terris infixa persequi? herbæ omnes & arbores sursum germinant, cælumque qua possunt petunt: ego, cælo natus, deorsum feror, terris immergor, ac propè insepelior. in illarum floribus, fructibus, seminibus, mirisque proprietatibus, quàm multa me redarguunt! Quid in animantibus? cognoscit bos possessorem suum, suum tempus miluus, littora sua pisces, habent-

bentque singulæ vnde in omnem partem eradiri, & in cognitionem ac odium plurimorum vitiorum venire possimus. Nec dissimiliter res omnes, siue natura, siue arte constantes, adeò conuenienter apteque mea mihi vitia exprobrant, ac si non ad aliud factæ, vel totæ prauitatibus ac nequitijs meis propalandis destinatæ forent. Ibone per singula? & serpentium venena, ferarum latibula, audaciam leonum, tigridum feritatem, vulpium astus, imbelliam ceruorum, porcorum ingluuiem, salacitatem passerum, chalybis duritiem, plumbi mollitiem, scoriæ impuritatem, æruginis perniciem, & id genus mala plurima, ad horum intuitum an mihi exprobrabo? an si quid boni rebus ijsdem, aut ceteris adsit, vt puritas auro, candor argento, chalybi firmitas, docilitas cani, pietas ciconiæ, gratitudo leoni, prudentia serpenti, an & has & plures, à me abesse dotes lugebo? infinitum id esset, & vellicandæ auri sedulæ hæc dicta sufficiant.

Id etiam perpetuum, quodque vehementer nos vrgeat, esse debet, vt meminerimus, in illo formidabili & decretorio iudicij die, de rerum procreatarum vsu reposcendam esse rationem. Quod igitur tunc vitio dabitur, an non iustam nunc nos accusandi materiam præbet? itaque de tempore incassum effluente, annis, mensibus & horis infrugiferis, me ipse reprehendam. Luce, virtutem simulo; tenebris, flagitia contego: victu ad intemperantiam, ieiunio ad iactantiam abutor: rerum abundantia, superbiam; penuria, impatientiam generat: luxum, commoda, cupiditatum mearum expletionem vndequaque emendico; cumque singulæ res & datæ sint & factæ, vt ex eis Creatorem docear, illumque tanto perfectiùs diligam, in eis tamen ipse me nimiùm complector & quæro; peruersoque illarum vsu, contra suum, quantum in me est, Creatorem, illas inuitas repugnantesque detorquens, nónne acerbas, in extremum illum iudicij diem, accusatrices mihi præparo? nónne rebus procreatis circumuestitus, & vndique circumdatus, quasi ex hoc nunc partim clamantium, partim accusandi formulam meditantium voces exaudire mihi videbor: meque ipse pariter accusando, veniam quam innocentia non possem, animi saltem summissione sperabo? Sed hæc pauca de plurimis dicta sint, ad primum illum, & occurrentium rerum occasione se accusandi modum: ad alterum, qui malorum omnium causam in se confert, transeamus.

CAPVT XXIV.

Altera se ipsum incusandi ratio.

EST hæc, admodum propria, & ad æquabilitatem, ac mentis tranquillitatem maximè conducens: quam sedulò obseruare conabimur, tum in varijs naturæ euentis, tum in hominum aliorum, & potissimè nostris conatibus & factis.

Varios

Varios naturæ euentus voco, id quidquid publicè priuatimúe solet accidere: vt est, exempli gratia, grandinatio, fulminatio, tempestates, inundatio, torrens æstus, sterilitas, fames, annonæ caritas, epidemici morbi, & pestilentiæ, ærugo segetum, arborum sideratio, cunctæque vel solo vel cælo calamitates inflictæ, atque cum iactura damnisque coniunctæ. Casus item varij naturaliter exorti, vt ruinæ subitæ, animantum internecio, & quæcumque permolestè solent accidere: hæc enim singula peccato meo, multo nimis, accepta feram.

At in ijs quæ spectant ad homines, aptior & potior huius accusationis nostri vis est collocanda, ita vt eorum omnium quæ, siue in rebus, siue in hominibus desiderantur, in nos vnos & culpam & causam conferamus. Si malè cessit consilium initum; si offensior, iratior, implacatior quispiam est; si bellica vastatione, si hostili incursu, si latrociniorum impunitate respublica turbatur: si vigescunt hæreses, mores deprauantur, à recto deficiunt plurimi: si lites, rixæ, odia, discissionesque desæuiunt: si contentiones, homicidia, adulteria, & peccata multa, in nos iram Dei prouocant: quid longiore enumeratione est opus? si mihi contumeliæ irrogantur, affinguntur crimina, pœnæ inferuntur, plagæ, vulnera, mors denique intentatur: quid melius possum, quàm vt in his omnibus, & in omni iniuria, cum viro quodam sancto, in hanc humilitatis vocem erumpam, *Peccata mea illum cogunt: ac propterea hæc mihi accidunt*? Verè, eousque grauitatis excreuere peccata mea, vt etiam ceteros exacerbent, aliosq; quodammodo cogant, ad me iniurijs varijsque malis lacessendum, meritoque imò infra meritum puniendum.

p. 4. Vit. SS. PP.

Sed hoc, ad ipsa quoque minima, & sigillatim aptari debet; si quid curæ nostræ demandatum, quod non cedit ex voto; vt si discipuli, famuli, amici, subditi, quidquam secùs quàm optaremus admittant, aduersi aliquid illis eueniat, à recto virtutis tramite exorbitent, in morbos incidant, morte rapiantur; id ego à peccatis meis profectum arbitrabor. Si labores, conatus, consilia, in irritum abeant, aut certè minùs fructuosa sint, quid dicam, nisi Peccatum meum contra me est semper? si offendi vspiam, si impegi, si collapsus sum, si vitrum fregi, si memoria aut sermone lapsus sum, aut in quemcumque quomodocumque errorem incidi; quid, nisi Peccatum meum contra me est semper?

Plura non attexo, nec enim certo numero comprehendi possunt: sit nobis hic vsus commendatus, & materia deesse non poterit. Sentiemusq; hinc pacem maximam in animo nostro, apud ceteros verò amabilitatem plurimam efflorescere. quam in rem iuuabit referre, quæ reprehendit in suorum quibusdam Dorotheus, & quanam ratione meliore, correcta vellet.

Venisse ad se olim duos è suis memorat, qui cùm domi nescio quid rerum turbassent, rationem reddituri accedebant: atque en tibi ille qui maior erat, ait imperasse se quidpiam minori, ex quo confestim turbatus iunior fuerit, quo viso, nec sibi se ab ira temperare potuisse; si enim, inquiebat, in me fidem & cari-

Do Tr. 7.

caritatem habuisset, à me omnia cum fiducia & mansuetudine excepisset. At contrà iunior, Da veniam Pater, inquiebat, hic mihi non est ex timore Dei locutus, sed vt qui ambiret imperare, ex quo existimo duriùs id mihi incidisse, nec potuisse me à memetipso id spei & fiduciæ in illum impetrare. En quomodo vterque alterum, neuter seipsum accusaret. Audi & alterum simile: Duo quidam, post iurgium, pœnitentiam ob læsam caritatem egerant, at nondum plenè perfectéque consentiebant. Dicebat alter, videri sibi alium non ex animo condonasse, & idcirco non planè posse confidere: alter verò, nondum penitùs condonare se posse, cùm alium viderit non remisisse offensam, nisi quia prior rogabatur. Videsne iniquum cogitationum prauarum turbinem? vides veterem iurgiorum hodiernorum imaginem? vides vt in omnem nos vertamus partem, quò nos expurgare, alios culpare possimus? At certè primus ille, se imperiorum nimium & auctoritatis affectatorem debuit edicere: alterum verò sibi persuadere oportuit, sibi cum caritate & fraterna dilectione imperari, se verò inobedientem, superbum, sine timore Dei, & temerarium alieni animi iudicem esse. Aliorum verò duorum etiam vterque sui accusator meritò esse debuerat; & alter quidem se ipsum reprehendere, quòd non sponte, & prior condonasset, eoque factum esset vt minorem sui fiduciam ostentaret; alter etiam sibi debuit vitio vertere, quòd priorem rogasse quasi pœniteret, ideoque non exiguam in corde suo superbiam & impatientiam occuleret. At in alios causam intorquere maluerunt. *Hinc fit*, inquit Dorotheus, *vt numquam proficiamus, numquam procedamus; conterentes omne vitæ nostræ tempus, computrescimus in cogitationibus nostris, bellóque intestino nos inuicem lacessimus. Vnusquisque etenim nostrùm se iustum facit, labitúrque quiuis ad quæcumque sine cura, sine custodia vlla suiipsius. Extorquet vnusquisque præcepta à proximo. Hinc fit vt neque ad bonum consuescamus. Cùm enim paululum excanduerimus ira, omnia ex proximo volumus extorquere, accusamúsque illum illico, & dicimus, sic agere eum debuisse; inclamamúsque, quare ita non egerit? At cur non magis ipsi nobis imperamus? cur non accusamus nos ipsos potiùs, vt desides & negligentes in rebus nostris?* Et mox: *Aiebat D. Antonius esse hanc humani operis partem maximam, quæ peccatum proprium in conspectu Dei ponit: quæ nullum tentationum vitabit incursum, sed durabit semper dum vita spiritusq; manebit. Hinc Patres & seniores nostros inuenimus, huius virtutis fuisse studiosissimos.* Ita ille, non immeritò à priscorum Patrum tanta perfectione nos desciuisse lugens.

Videigitur, carissime frater, vt Sanctorum æmulator, quàm hypocritarum imitator esse malis; hi enim peccatores esse volunt, videri nolunt; illi se peccatores esse nolunt, at esse sentiunt, & quia in veritate stare cupiunt, quod verum est fatentur; ac etiam sibi metuentes, nec suas latebras sibi satis exploratas habentes, & vndique multa se iniquitate circumdatos videntes, suis vndi-

dique se peccatis impugnari agnoscunt: humana iudicia pro nihilo ducunt, ad diuina contremiscunt, vtque his absoluantur, istis condemnari desiderant: accusationibus impugnari, cõdemnationibus deprimi, humilitatis exercitium, crucisque Dominicæ experimentum esse credunt. Quapropter caueas factum tuum dictumúe, à reprehendentium aut vellicantium morsibus, vlla vmquam occasione tuearis, aut subtrahas; imposita, licet falsò, licet grauia, ne verbo, ne signo amoliaris; numquam culpæ vel munitionem, vel auertionem vllam tentare coneris: nec vllus vmquam tibi sit, teipso durior exactor, aut iudex. Insuauis hæc est amori proprio cantilena, sed certum de superbia trophæum, humilitatis corona, secura perfectionis adipiscendæ via.

De vita solit.

Sed in Bernardo hunc locũ concludam; *Obsecro fratres*, inquit, *non excusemus nos, sed accusemus nos & confiteamur. Et qui magni nominis vmbram, & personæ quoddã figmentum perfectionis apud homines induimus; apud Deum, conscientiæ nostræ cognoscẽtes paupertatem, non vsquequaque recedamus à veritate, & veritas liberabit nos.* Et alio loco; *Volo vos non parcere vobis, sed accusare vosmetipsos quoties fortè in vobis vel ad modicum tepere gratiam, virtutem languescere deprehenditis, sicut & ego pro huiusmodi memetipsum accuso. Hoc facere, hominis est, qui curiosus est circumspector sui, & scrutator viarum suarum, ac studiorum, atque in omnibus suspectum semper habet arrogantiæ vitium ne surrepat. In veritate didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo, inueniaris non altum sapere, sed timere.*

Homil. 54. in Cant.

Enimuerò si tanti id esse momenti solet in ceteris, at vno in tempore maximè necessarium est, ibique si defuerit, hominem ego istum nil verebor asserere perfectioni & religioni esse prælanguidum: nempe si quando ex quacumque causa corripiatur à Prælato, & suæ ausit ipse esse assertor innocentiæ. quam in rem legendus omnino idem ille Sanctus homilia 42. in Cantica; vbi post exaggeratam eorum qui obiurgationi non acquiescunt improbitatem, *Vides*, inquit, *à quantis è regione malis, & se & nos liberat, qui correptus mansuetè respondet, verecundè acquiescit, modestè obtemperat, humiliter confitetur? Huic ego animæ, in omnibus me profiteor debitorem, huic me ministrum & seruum, tamquam dignissimæ Domini mei sponsæ, & quæ vera dicere possit; Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis adscendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suauitate respergat.* Ita ille.

Cant. 1.

CA-

CAPVT XXV.

Qualis esse debeat accusatio sui?

HAec sunt, ait Magnus Gregor. *veræ humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire.* Et Dorotheus humilitatis esse filiam, sui ipsius perpetuam accusationem scribit: vnde conficitur eam demum esse sui accusationem laudabilem atque frequentandam, quæ à sincero humilitatis affectu ortum ducat, & de se non aliter loquatur, quàm in animo sentit. *Li. 22. c. 13.* *doctr. 1.*

Illustre quiddam, omnibusque suspiciendum virtus emicat, plurimumque approbationis & amabilitatis comitari solet humilitatem; contra verò ex eo quod vitiosum aut superbum est, tenebrosum quiddam, & horroris ac odij plenum solet erumpere: inde fit vt lucem & publicum amet virtus, at vitium latebras quærat, nisi si ementita specie virtutis, ex alienæ lucis imitatione splẽdorem simulet: quod nonnumquam tam dolosè perficit, vt philautia sibi patrocinante ne quidem sentiatur dolus. Quod sanè præ ceteris, in sui accusatione obseruare licet, quam plurimi oretenus, at sincerè & ex animo fortasse vix vnus vsurpat: cùm enim scriptum esse, omniumque ore decantari sciant, Iustus in principio accusator est sui; vltro in sui accusationem, non vt deprimantur, sed vt extollantur excurrunt: ex accusatione purgationem, ex humilitate gloriam venantur, & vt quidam Sanctorum loquitur, *de confessione peccati ornari volunt, non humiliari, & per accusationem suam, humiles appetunt videri, non esse.* *D. Greg. l. 24. Mor. c. 6. vel 12.*

Non igitur cuius, non nostræ ipsorum assuetudini, nos peccatores dicenti, credendum est; non est inquam, cur de humilitatis profectu nobis gratulemur, si quando ad nos accusandos erumpere non ægrè possumus: excutiendus est animus, & curiosiùs explorandum, numquid curiosum aliquid & adulterinum sinceritati officiat. Ac primò quidem, vt accuratus ille cogitationum suarum explorator Gregorius obseruauit, *Indicium veræ confessionis est, si cùm quisque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit. Quod si superbè defendimus, liquet quia peccatores nos ex nobis fictè dicebamus. Superbiæ quippe vitium est, vt quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur.* Quod alio loco dilucidiùs & paulo diffusiùs exponens, *Peccatores*, ait, *se esse plerumque confitentur, etiam qui se peccasse non credunt. Nam sæpè contingit, vt passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter alijs arguentibus audiunt, defendunt sup. se summopere atque innocentes videri conantur. Vnusquisque ergo cùm talis est, si deliquisse se dicit, verè non dicit: quippe qui peccatorem se, non ex cordis intimo, sed verbo tenus asserit. nam si confitendo peccatum, esse humilis veraciter appeteret, de perpetratione* *Lib. 22. c. 10 seu 14.* *Lib. 24.*

ne peccati arguentes se alios, non impugnaret. Quæ quidem vt veriſſima, ita vſu propemodum aſſiduo deprehenduntur.

Et vt clariùs cognoſcantur, animaduertendum quoque à quo, & quo animo, quibus audientibus obiecta videantur, & cuiuſmodi illa ſint. Si enim qui nos arguit, vir grauis & magnæ auctoritatis eſt; idque verè ex animo, præmeditatè, & quaſi ſic omnino perſuaſus obiiciat, hoc ægrè patietur, qui de ſe non idem ſentiet, ſibique planè viluerit. Præterea, ſi obiicitur iis audientibus, quos magni facimus, vel quorum in poteſtate ſumus, meritoque credendum eſt, propterea nos his vel illis munijs arcendos, minorique in opinione apud eos eſſe futuros; profectò id non feret, niſi ille qui ſe, non tantùm accuſare, ſed coram Deo ſuo condemnare conſueuerit. Denique quædam ſunt, in quibus facilè vel imperitiam, vel errorem, vel etiam peccatum agnoſcimus. & hæc duplicis ſunt generis, primum eorum, quæ parui ducimus, nec ad nos putamus propriè attinere, vt in artificiorum à nobis alienorum peritia, belli artibus, controuerſa forenſis Iuris cauſa, quando vitæ inſtitutum ab his remotum ſequimur: alterum eorum, quæ paſſim quiuis hominum proborum atque prudentium, à ſe amoliri non ſolent, idque fermè, quòd nec adeò graue cenſetur, & propè omnibus commune eſt, eo vitio laborare, aut ſaltem eius nonnumquam fuligine afflari; cuiuſmodi ſunt, ſi animum pluribus occupatum, aliquid præterierit, ſi minùs vbique patiens, minùs humilis, laudis amore tangi dicaris. In huius vtriuſque generis rebus vel accuſare te ipſum, vel acculationem pati, nihil excelſi, nihil ardui continet. At ſunt alia, quæ peculiarem quamdam nobis notam inurunt, idque in eo quod magni facimus, aut ſaltem quod magni facere, vulgò ſolent homines; hîc igitur, humiliter accuſare ſemetipſum, vel alienam reprehenſionem ac improbationem æqui bonique conſulere, humilitatis eſt, pænè dixerim, heroicæ.

Sin autem quæſieris, quæ illa ſint, quibus tantoperè permouemur? non poſſum equidem aut numero, aut forma certa comprehendere; quot homines, hominumque ſtatus, tot fermè varij affectus vigent. Vniuersè dico, vnuſquiſque in rebus ſibi commiſſis impiger, ſtrenuus, peritus & ſolers videri vult, & quicumque in re, exercitio, vel arte vlla affectat excellere, numquam, niſi maximos fecerit in humilitate progreſſus, vel ipſe in eo ſe accuſabit, vel ab alijs reprehendi patienter feret: itaque neque concionator, in oratoria; neque Iuriſperitus, in formulis; neque medicus, in curatione; neque philoſophus, in diſſertatione; neque artifex in ea quam profitetur arte reprehendi, neque vult quiſquam in eis rebus tiro & imperitus putari, quarum præ ceteris peritiam ipſe ſibi vltro arrogat; qui comis, vrbanus, facetus in colloquijs haberi exoptat, is incomtæ ruſticitatis damnari ſe iniquis animis accipiet. Quare ſi noſipſos diligentiùs perſcrutemur, vel vnum vel plura deprehen-

demus,

demus, vbi nostros, nostra, vel nos ipsos perstringi, & minoris fieri nolumus.

Erit autem hic aculeus tanto acerbior, toleratuque difficilior, si nobis vel imperitiam vel errorem exprobrari viderimus, ab eo quem in eiusdem rei pertractatione patimur æmulum, vel cui superiores nos haberi volumus; vel si ab eo quidem non exprobratur, at is ab alijs nobis præfertur, aut etiam abrogato nobis munere demandato, id ipsum illi quasi peritiori traditur: vt si à concionandi, docendi, procurandi, regendi munere, improbata opera nostra remoueamur, alterique demandetur, qui parum sit in nos propensus, qui alia & diuersa omnia sit secuturus, qui in speciem multa, pauca reipsa vtiliter præstet, sibique tribuat quæ antea præclarè confeceramus, ac nihilominus in omnium ore versetur, vigeat, floreat. Hîc nihil de istius opinione, neque verbo, neque voluntate detrahere, de sua innocentia tacere, de suo iure, rebusque falsò sibi impositis silere, nec aliud quàm culpare semetipsum, impauidumque ac Deo soli fidentem, casus omnes excipere; hîc, inquam, patientia Sanctorum, & victrice humilitate est opus.

Et quidem tunc sese potissimè effert, quando rebus ipsis premimur: fit enim nescio quo pacto, vt suæ existimationis retinentior animus, in aduersis, quàm in prosperis accusari, & in se calamitatis causam reiici molestiùs ferat: siue quòd rebus quasi exacerbatior, faciliùs iritetur; seu potiùs quòd acerbæ sortis casibus, quasi quodam vel rerum, vel impugnantis Dei testimonio rei peragi; contrà verò, lætiore sorte, cùm rerum, tum ipsius Dei fauente calculo absolui videamur: quapropter, quoties aduersis premimur, insurgimus; &, si fortunam non potuimus, at causam tamen videri volumus habere meliorem. Prauum istud est, nec tibi, carissime frater imitandum, nec est tui ipsius accusatio extra patiendi tempus, sed potiùs in eo vel maximè frequentanda. *Valdè facile est, vt peccatorem se quisque, cùm nihil pro peccato suo patitur, fateatur*, inquit Diuus Gregorius. *Securè videlicet iniquos nos dicimus, cùm vindictam nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos quidem, in tranquillitate loquimur, sed cùm de peccatis ipsis flagello intervenienti corripimur, murmuramus.* Cùm tamen, vt paulò antè asseruit, *Vnusquisque in flagello positus, minùs adhuc peccata sua consideret, si vel tantum, vel amplius percussum se, quàm merebatur existimat.* Quis enim peccatorum suorum, vel multitudinem, vel grauitatem, pœnis vllis æquari posse putet? quid enim est homo, qui iniquitatem quasi aquam bibit, nec est mundus, ipso etiam in vitæ limine, primo in ipso natiuitatis die? quàm multa exinde, seu aliena contraxit, seu propria patrauit? dicat igitur, vereque & ex animo, & cum tremore dicat, quod magnus ille virtutum athleta dicere non erubuit, *Peccaui, & verè deliqui: & vt eram dignus non recepi.* Afflixit me, sed non sine misericordia Dominus; corripuit, sed patris & amantis, non iudicis & irati flagello corripuit: ideoque cum sponsa pariter cano, *Trahe me, & in odorem vnguentorum tuorum curremus: Me, inquam, ô sponse,* *lib. 24. c. 6. seu 12.*

Bern. in Cant. hom. cor- 21.

corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te: quoniam ego in flagella parata sum, & paratus ad sustinendum: vnguentum enim in plagis tuis, & in vulneratione sanitatem reperiam. Quis virum sanctum Bernardum, tanta vitæ innocentia, tot laboribus pro Dei gloria, Ecclesiæ pace, tam fortiter & feliciter obitis, de sui corporis infirmitatibus acerbissimis loquentem audire, & à lacrymis temperare possit, quando fratres sic alloquitur? *Infirmitas mea pausandum indicit, sicut & sæpè facit. Sed quid? Ego in flagella paratus sum, sciens me adhuc longè recipere impari meritis. Vapulem, sanè vapulem, vt malè operans, si fortè verba in merita reputentur: fortassis miserebitur flagellato, qui bonum in me non inuenit quod remuneret, sponsus Ecclesiæ Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

Homil. 44.

CAPVT XXVI.

Quo veritatis impulsu, nos vbique accusare possimus?

CVm diuersa nos ipsos accusandi genera recensuerimus, non potest in ijs omnibus vna & eadem veritatis esse ratio, sed accedendum est ad singula, & quid in eis lateat edisserendum. Sic igitur nostri accusationem dispertiuimus, vt quæ diximus, in triplicem rerum ordinem seu occasionem referri possint; nempe si quacumque re oblata, si alijs nos incusantibus, si quouis in euentu, frustratione, peccato, & rebus aduersis, reperimus vnde in nos culpam conferamus: quæ singula qua veritate nitantur, declarandum nobis est.

Et quidem, quòd è quibusuis in sensum & oculos incurrentibus, occasione nos ipsos deprimendi, docendi, arguendi reperire possimus, non habet opinor res ista controuersiæ quidquam, dum tantùm, & ea quę cap. 23. dixi, probè intelligantur, & veræ humilitatis desiderio flagrans animus, quæ ad eam conducant scrutari & sectari non pigritetur. Cumque nihil amplius iure desiderari posse putem, non est cur agam pluribus.

At in alijs duobus modis haud paulò plus obscuritatis latet: nam, quod ad secundum attinet, quis nescit facilè accidere, vt reprehendentium feruor metas veritatis transiliat, ipsoq; obiurgandi æstu veris falsa permisceat? quid? quòd, & facilè error intercedit, vt innocentem pro nocente habeas, & id vel aliorum criminatio conficta, vel probabilis aliqua, sed tamen falsa coniectura persuadeat: dubia pro certis, coniectanea pro compertis, conficta pro factis, pronis ad deteriora credenda auribus, admittimus. Iam igitur, inquies, si ab alio, eius criminis aut erroris insimulor, à quo sum omnino alienissimus; si vehementer, & supra verum exaggeratur, quod erat alioqui leuissimum, ideoque toleratu difficiles pœnæ iniunguntur; quî fieri potest, vt ego me, vnà cum increpantibus, illæsa veritate condemnem?

De

De perpessione harumce rerum, alius erit differendi locus; nunc de veritate paucis; & primò quidem, verissima Dorothei sententia respondeo; *Profectò si se quis cum Dei timore diligenter examinet, numquam omnino se insontem inuenier, videbitque vel facto, vel verbo, vel specie, aliquam à se occasionem datam. Quòd si in nullo horum se tunc sontem inueniat, profectò alio in tempore, vel eâdem, vel dissimili in re* peccauerit. Tum igitur, quoties nihil nobis ipsis parcendo, reos nos esse compererimus, veritati erit consentaneum, vt nos quoque grauiter incusemus: nec in animum eam excusationis vmbram admittemus, quasi supra verum, error noster modicus, in immensum, ex inuidentia augeatur: vbi enim, vel culpæ aliquid, vel saltem speciem aliquam deprehendemus, (& vbi quæso non deprehendemus, si seuerius inquisierimus?) non est quod parcamus nobis, cùm debeat esse perspectissimum, perspicaciùs alienis, quàm nostris, & sui amatoribus oculis, mala nostra peruideri. Ex quo id etiam conficio, quod hîc valet plurimum; vt, quoties à tui amante, à Religioso, à Præposito tuo, imò verò à quocumque, quem vitæ non omnino perditæ putes, alicuius non probè admissi facinoris argueris, id semper humiliter agnoscas, credas non id illum à se vltroneè finxisse, sed occasione per te oblata in mentem eam tua opera venisse, cumque illo te pariter accuses potiùs, quàm argumentosè suspicionem eam à te amoliri coneris. Licet enim id ipse non aduerteris, quidni tamen tibi potiùs, quàm illi de te, fidem abroges? Et verò, quàm incurij sumus nostri obseruatores? quàm multa nos præteruolant? quàm multorum dictorum factorumque non meminimus? quàm igitur procliue & expeditum est, vt quamuis factum dictumue non meminero, obiectanti tamen credam, minusque à me animaduersum putem? Quòd si nulli harum exceptionum locum esse posse sumseris, sed certo certiùs de falsitate obiecti criminis constare: neque verò in tanta rerum humanarum varietate, id accidere posse negauerim: tum nihilominus & patientiæ est exercitatio seruanda, tacendo, perferendo, de nemine conquerendo, non recriminando, non denique innocentiæ patrocinia anxiè ambiendo; ac etiam se ipsum, si non ob istud, at certè generatim ob similia aut dissimilia multa peccata accusandi locus est semper, quasi si in opinionem eam, illorum promeritis inuecti fuerimus, eaque sint quæ sic meruere puniri. Sed hæc vt ad tertium modum pertinent, ita nos ad eum vocant.

Vbi equidem longè grauiùs instantem te vrgentemque audire mihi videor: Eritne vt tot in rebus quæ improuisò immeritis accidunt, se quisquam verè possit accusare, rerumque à se alienissimarum causas tamen in se comperire? & vt plurium enumeratione acrior insurgas; Itáne, inquis, siue volenti, siue nolenti, imò fugienti & præcauenti mihi quid inciderit, si quid etiam ceteris publicè, seu priuatim, casu, industria, lenius, durius quomodolibet euenerit; erûtne hæc tam multa, tam diuersa, vnius eiusdemque sui accusationis lance pensanda? & vbique in rebus cõtrarus, vna & eadem, simplex sibi constabit veritas? arden-

ti

ti æstu torreantur infames agri, rigente gelu torpentia concrescant omnia, humusque glaciata seminibus neget exitum; bello, peste, fame ciuitates & regna atroci depopulatione vastentur; egóne vt meis id tribuam peccatis? quis, id si fecero, non pro deridiculo habeat? Sed pergamus ad similia: si præmaturè, mihi pergratus moritur amicus; si latrocinia, adulteria, factiones, & peccata grauia impunè grassantur, si perditis, & à vera fide alienis hæreticis ex voto cedunt omnia, pertinacioresque erroribus adhærent, si quæ ad lætitiam comparabantur funestos exitus sortiuntur, optimorumque consiliorum deplorandi euentus existunt, si digni à reipublicæ Ecclesiæque gubernaculis amouentur, admouentur indigni: si, in priuatis & singulorum erroribus, à sanatione medicus, à sectione phlebotomus, à lege Iureconsultus, ab artis præceptionibus artifex, imperitè recedit, denique in omni aberratione, frustratione, iactura, illato damno, eritne hoc in mei vnius caput congerendum? Quid? si abs Ecclesiæ hostibus in vinculis habear, torquear, & exquisitis tormentis de medio tollar, eritne hîc quoque omnis in me vnum, peccatumque meum culpa conferenda?

Planè, quantum video, indulges animo, & prolixiùs obijcis, ac ita multa, vt non ægrè possit eò referri, quidquid aliud humanitus occurrit; quæ si pleniùs explananda suscipiam, longiùs à proposito limite recedam; erit forsan vbi aliquando id liceat; nunc paucis indicabo, vnde fiat satis.

Et quidem quod postremum attulisti, essetne tibi peccato tuo tribuendum, si in carcerem & mortem tuendæ fidei causa incideres? est mihi à ceteris planè seiungendum: tum enim gratiarum actioni locus est, gaudendumque, quòd pro nomine Iesu te contumeliam pati donauerit Deus: & in rebus prosperè fluentibus, non est alius propriè se accusandi modus, quàm si vel peccatis tuis agnoscas fieri, vt angustiore alueo profluant, quæ ruptis aggeribus vndequaque diffusius exundassent; vel agnoscas fuisse quidem, ob peccata tua, vnde bona sua cohiberet Deus, at maluisse bonum Dominum misericordiam superexaltare iudicio, quare misericordias Domini & cantas, & cantabis in æternum. Qui affectus, longè est optimus, & eum perfamiliarem habeas opto.

In eis verò, quæ passim contingerent, frustrationibus, vel iacturis, & id genus erroribus, nihil vrgeo vt te incuses, nisi quapiam ratione ad te spectant, vt sunt communia in tua repub. damna, vt Ecclesiæ res aduersæ: at si sunt qui ad te nihil attinent, quorumque nihil est quod in te redundet, nihil opus est vt calamitatum, quibus incursarentur, te reum facias.

Iam, si in peccata tentationesque incurris, si à virtutum quas peroptares consecutione arceri te sentis, ac propè inuitus cupiditatum vinculis implicaris: certè hîc satis patet, verissimè acclamari posse, Peccatum meum contra me est semper. Quòd si alios vel peccantes cernis, vel peccatis tenaciùs adhærescentes, vel etiam iniquitatem dominari, vt si hæresi inuectâ, Catholica pellatur; idem quoque tibi potes recinere, quasi si solum peccatum tuum, tantum sit, vt tanta pœ-

na,

nâ,& in ceteros redundante puniendum sit, vel certè (quod faciliùs suaderi potest) tantum sit eius pondus, vt ipsius ad ceterorum peccata accessione communis mensura compleatur,& in vindictam iusta diuinæ iustitiæ ira concitetur. Sed & quicumque perspicaciùs id contemplari voluerit, ita reperiet, vix esse peccatum vllum, quod non sit vel peccati pœna, vel propiore aut remotiore aliquo modo à peccato ortum ducat. & quis nescit ab vno ingrati animi vitio, gratiæ fontes obturari, & peccati genus omne manare?

Quod autem ad res aduersas, consiliorum frustrationes, desideriorum aberrationes,& alia id genus attinet, pronunciat vniuersè Dorotheus: *Verè, quid-quid patimur, ob delicta nostra patimur: at sancti viri passi sunt, vel ob Christi Iesu nomen; vel vt virtutem suam in lucem ederent, ad multorum vtilitatem; vel vt præmium suũ maius apud Deum fieret: de nobis autem infelicibus quomodo possumus hoc dicere, qui quotidie peccantes, & passionibus nostris vitiisq; obsequentes, relinquimus viam rectam, quam patres nostri dixerunt in vera suipsius accusatione consistere?* Sed & D. Augustinus inquit, *Deus meus, vbiq; præsens est, vbiq; totus, nusquam inclusus, qui possit adesse secretus, abesse non motus. Ille cùm me aduersis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemq; mihi æternam pro toleratis piè malis temporalibus seruat.* Quare qui te Sanctorum numero inserere necdum audes, nihil est cur in quibusuis aduersis, peccatorum tuorum pœnas exigi, vel dubites, vel vereari agnoscere. *Doctrin. 7.* *Lib. 1. de ciuit. c. 29.*

Denique & potissimè, oportet vt hæc omnia diuinæ prouidentiæ seria contemplatione nitantur, quam nostri causa sic omnia dispensare credam, vt in omnibus, vel misericordiâ me alliciat, vel iustitiâ terreat, meque vnum in rerum omnium ordine & spectet & velit; *Nec enim vniuersis deest cùm disponit vnum,* ait D. Gregor. *nec vni deest, cùm disponit vniuersos.* Et, vt D. August. *nihil sit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore & inuisibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaq; republica.* Benè igitur animaduertêre Sancti, aduersa omnia vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris peccatis esse tribuenda; præteritis, vt purgentur; præsentibus, vt purgentur & expellantur; futuris, vt quæ imminebant arceantur, atque ita vbique dicere possumus, Peccatum meum contra me est semper. Malorum etiam publicorum à nostris peccatis esse causam perendam, audi quàm attenerenter D. Chrysost. *Cùm reliqua nostra negotia, tum respublica malè geritur. quid causæ est? Inopia, inquis, consilij. Imò nostrum peccatum, & erratorum nostrorum vindicta, illa sursum deorsumq; omnia turbauit, omnis generis mala inuexit, hostes ad bellum armauit, nobisq; superiores effecit: non aliunde examen malorum in nos inundauit & irruit.* Pergitque vir sanctus asserere, peccata nostra esse causam cur magistratus & duces imperitos nanciscamur,& eadẽ euentura etiam si sapientiores & sanctiores fuerint. Dein addit; *Sed quid ego cùm vniuersus populus peccat, hoc euenire vrgeo?* *Lib. Mor. 25. c. 13. vel 19.* *Lib. 3 de Trin. c. 4.* *Tom. 5. or. 7. de laudibus eorum qui in Eccl. frequentes.*

vrgeo? cùm & paucorũ peccata, imò etiam vnius peccatũ, eorum qui iustè res administrant, libertatem apud Deum impediat? quod postquam latè probauit, concludit, *Hoc igitur cùm teneamus, quotiescumque aduersæ res nos affligunt & premunt, delictorum & scelerum nostrorum pœnas à nobis exigi statuamus: quotidieq́, criminum nostrorum instituto examine, non alijs, sed nobis ipsis horum culpam acceptam feramus.* En auctoritates omni exceptione maiores, quibus vt nihil detraham, nihil super his addam.

CAPVT XXVII.

De quarto humilitatis exercitio, quod in rebus & officiis ad speciem vilibus versatur.

SOlet in omni, non virtute tantùm, sed arte, peritia & scientia obseruari, vt iis exercitationibus acquirantur quæ illarum propriæ sunt, eandemque naturam induunt: Mathematicus lineas, problemata, figurarumque demonstrationes cogitatione peruoluit: Medicus morbos, corporis partium situm, ciborum, succorum, temporum energiam dispicit: Miles equos, enses, arma pertractat: Iurisperitus legum scita, iura populorum, regionum mores, roboratæ vim consuetudinis, æquitati naturæ comparat. Denique argutatur Dialecticus, pangit versus Poëta, orationem meditatur Orator. Quid igitur? annon fortia qui fortis, casta qui castus, humilia exercebit quicumque verè volet esse humilis? Profectò id est vel maximè necessarium: cùm enim superba naturæ propensione perpetuò vrgeamur, nisi contra eadem & assiduam torrentis istius alluuionem humilitatis vallum obfirmauerimus, perfacilè fiet vt pedetentim exesum corruat, totique superbia & vanitate exundante diffluamus. At si exercendæ humilitati, quasi nouo aggeri comportando insudauerimus, ita fiet vt quod antè partum fuit magna securitate seruare, & etiam quasi ex quadam frumentatione militari nouum commeatum magna nostra voluptate comportare possimus.

Hoc erat ipsum quod in præclara de humilitate oratione, Magnus docuit Basilius, quando inquirens, quanam potissimè ratione ad salutarem humilitatem, pernicioso superbiæ tumore relicto, peruenire valeamus? *Si*, inquit, *per omnia ipsam exercuerimus, & nihil neglexerimus, tamquam hinc aut inde damnum non perpessuri.* Hoc est, omni data quantulacumque eius exercendæ occasione, ne id neglectim præterire patiamur, ignauo scilicet naturæ torpore blandiente, & ex omissa tenui illa exercitatione nihil damni emersurum suadente; quibus profectò vocibus nequaquam accommodandæ sunt aures, sed per omnia vbicumque dabitur exercenda humilitas. Rationem reddit his verbis; *Nam anima suis euadit similis studijs ac exercitijs, & ad ea quæ facit efformatur, ac eorum quasi*

quasi figuram induit. Ideoque præcipit ibidem vir sanctus, vt habitus, vestitus, lectus, incessus, supellex, sermo, conuersatio, omnia denique sint ad humilitatem composita, eam redolere, & externa etiam specie præferre videantur. Et sancto illi viro Bernardo displicuere aliquando ædificia non satis humilitati consonantia, eiusq; suæ opinationis causam reddit his verbis; *Conferunt non modicum interioribus nostris exteriora nostra, ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito, suo modo conuenientia.* *Lib. de vita solit.*

Sed quoniam ad S. Bernard. defleximus, addamus quid super hac re ita docet vt præteriri, multoque magis ignorari non debeat. Ita igitur epist. 87. ad Ogerium quemdam scribit; *Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam, si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi. Prodest itaque mihi meam insipientiam sciri, & à scientibus iure confundi, cui sæpè contigit à nescientibus iniustè laudari.* Et trigesima quarta homilia in Cantica docet, *Maxima, nisi humilitatis merito minimè obtineri, ideoque eum qui prouehendus est, correptione humiliari. Tu ergo,* inquit, *cùm te humiliari videris, habeto id signum, in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis.* nempe, vt mox docet, si & patienter & libenter te humiliaueris: *Est enim humilis,* vt ait, *qui humiliationem conuertit in humilitatem, & ipse est qui dicit Deo; Bonum mihi est, quòd humiliasti me.* Sunt enim ex D. Bernardi sententia, qui humiliantur inuiti, idque iniquè ferunt, remurmurant, indignantur: qui profecto, stultè admodum rem magnopere frugiferam correptionem, cùm sibi habere cogantur, quod amarum est gustant, & reuoluendo regustant; quod suaue, quod vtile, & solatij plenum esset, id à se improuidè atque pertinaciter respuunt; quin, quod miserum est, pœnis istis, peruicaci animo toleratis, nouas, easque grauiores pœnas commerentur. Igitur, sic humiliari, pessimum est, non rei tamen, sed hominis vitio. At sunt, qui molestè quidem id ferunt, quantumque licet declinant, se tamen intra rationis gyrum continent, tantumque vi animi à se ipsis impetrant, vt saltem patienter ferant, & abs eo quod iustum, Deoque placitum est, non recedant. Sed horum humiliationem, nondum sibi, nondum Deo ad plenum satisfacere asserit S. Bernard. Vult præterea vt ametur, vt magni instar beneficij cũ gaudio, & sancta gloriatione cupidè admittatur: iuxtà eum qui docet, *Glorietur frater humilis, in exaltatione sua;* eumque qui dixit, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* adeò in humiliatione, non tantùm patienter ferre, sed magis, libenter gloriari voluit. De quo viro, eique similibus, *Generalem,* inquit Bernardus, *audi regulam: Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Significat profectò non omnem exaltandam esse humiliationem, sed eam tantùm quæ de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium, omnis qui exaltatur, humiliandus erit; sed tantùm qui se exaltat, humiliabitur; nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat, exaltabitur; vtique ob meritum voluntatis. Esto enim* *Iacob. 1: 2. Cor. 12.*

quòd humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia, probra, damna, supplicia: non tamen idcirco rectè, ab alio quàm à semetipso, humiliatus ille dicetur, qui illa omnia, tacita & læta conscientia, causa Dei subeunda decreuerit.

Quæ è doctrina, verè diuinitus afflata, intelligimus, quantum nobis ex omni aduerso euentu commodi, quantum pariter incommodi si velimus affulgeat: si enim indignabundè vel nostram sortem, vel hominum, aut rerum iniquitatem incusamus, quid aliud, quàm nos, non ista, sed potiora, honoratiora, optatiora meruisse iactamus, ipsi nos extollimus, atque idcirco, (quod ex modò dictis sequitur) Deum superbiæ vindicem, vt nos iteratò, & grauiùs afflictos deprimat, iritamus? At verò, si id omne quod euenerit, placabili & æqua mente excipimus, nosque solos, quod superiore capite dixi, incusantes, Deum nostrum in omnibus laudamus, nostraq; omnia desideria, sanctissimæ eius prouidentiæ iudicijs conformamus, quid restat quàm vt humiles, si non exalter (id enim spectare non debemus) at certè roboret, soletur, eripiat periculis, & securos æterni seruet Deus? Sed his, quorum suus fuit antea locus, omissis; id in præsens animaduertamus, quantopere conferat, humiliationem omnem, siue vltrò oblatam, siue sponte quæsitam, cupidè amplecti, velut efficacissimam conciliatricem, & omnis diuinæ gratiæ pronubam. Si enim virtutum atque gratiarum mater est humilitas, humilitatis verò procreatrix est humiliatio, necesse omnino est vt ab ipsa quoque humiliatione omnis gratia, & virtus omnis emanet.

Amandum igitur nobis est, quidquid eam redolet, & fugienda omnia quæ iactantiam, affectationem, fastum aut superbiam præferunt, cuiusmodi multa in superioribus enumerauimus. Pia quadam, & absque inuidentia, æmulatione leniter tangamur in eos, qui abiectiora, & in speciem viliora exercent, beatosillos ex animo credamus, mentisq; tranquillitate seruata, tum ad eandem, si obtingeret, sortem subeundam semper parati simus, tum ad eam, vbi consultum fuerit, postulandam ac impetrandam, gnauiter incumbamus.

CAPVT XXVIII.

Quæ ista sint viliora, & quibus animis vsurpanda?

QVòd si, quæ sint humiliora ista nominatim quæsieris? docebit hoc ipse humilitatis amor, qui sibi congenita & similia, facilè & subtiliter aucupabitur: sunt enim in varijs institutis varia, sed & nationes ac regiones, suam etiam hîc varietatem pariunt. Quod in commune nobis, hac in Societate, vsui venire queat, obseruari facilè potest ex ijs quę in B. P. Ignatij, Xauerij, Borgiæ, Gasparis, & huiusmodi virorum rebus gestis memoriæ tradita sunt, nihilque vel consultius, vel efficacius mihi videtur, quàm ad eorum imitationem remittere. In ijs au-

autem obseruabitur, respuisse semper, quantum in ipsis fuit, quidquid speciosius, magnificentius, magisque esset ad plausum; at obscuriora & depressiora omnia cupidè sectatos, frequenter carceres, pauperes, nosocomia triuisse, pueros, rudemque plebem, & agrestes salutari doctrina libentiùs imbuisse, trita pænula, habituque pauperrimo esse vsos, domi abiectissima ministeria toties vsurpasse, quoties vrgentiora negotia ferrent; ac vt sæpiùs ferrent, multa cura, humiliorumque cupiditate perfecisse.

De aliorum Religiosorum exemplis, quæ multa sunt, taceo; sed sunt ista domestica, quæ acriter ad eadem stimulare debent, eoque acriùs, quòd neminem, seu in Societate nostra, seu in aliis Ordinibus opinione sanctitatis altiùs euectum legimus, qui non ad hæc, pro suæ Religionis instituto, abiectiora propensior fuerit. Quod non aliunde profectum putem, quàm ex eo quòd sine vera humilitate, non est vera sanctitas; non est autem vera humilitas, vbi non est verus rerum humiliorum amor; cumque verus amor nequaquam sit otiosus, & ad id quod amat, vehementer impellat, ibi deerit humiliorum amor, vbi eorum exercitatio deerit; vnde conficitur, & sanctitatem, & humilitatem pariter quoque defuturam.

Contundenda igitur est superba nostra præcellentium rerum appetentia, crebraque humiliorum cogitatione, desiderio atque tractatione faciendum, vt quod natura asperius, id assuetudo lenius reddat. Quare optimè D. Basilius præcipit, *Decet pietatis cultorem, viliora etiam opera, magno cum studio, magnaque animi alacritate suscipere; scientem, eorum quæ Dei causa fiunt, nihil esse minutum, sed grande, & spirituale, & eiusmodi quod cælum nobis & præmia cælestia conciliat. Itaque etiamsi iumenta oneraria ad communem vtilitatem sequi nos oporteat, reluctari non conuenit. Siquidem in mentem venire debet Apostolorum, qui Domino pullum adducere iubenti promtè obediuerunt; & reputemus, etiam eos quorum causa iumenta ducenda suscepimus, fratres esse Saluatoris, beneuolentiamq; & studium ipsis impensum, in ipsum Saluatorem redundare, qui dixerit, Quod vni ex his meis fratribus minimis fecistis, mihi fecistis. Quod, si verum est, de quouis cuiuis benè facto, quantò magis de benè erga Sanctos facto?* Et mox; *Porrò si aliquod abiectius munus exercendum sit, scire conuenit, Saluatorem quoque ipsum discipulis ministrasse, & abiectiora opera facere, non recusasse: magnumq; hominis esse, si Dei imitator existat, dum per humilia hæc in excelsitatem imitationis istius adscendat: quis enim de cetero ausit humile id vocare, quod ipse Deus non recusauit attingere?* Quod argumentum, velut admodum vrgens, latiùs & eleganterà Magno Leone pertractatur, quando inter cetera ita loquitur; *Crux Christi, quæ saluandis est impensa mortalibus, & sacramentum est, & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur diuina; exemplum, quo deuotio incitatur humana: quoniam captiuitatis iugo erutis, etiam hoc præstat redemtio, vt eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, vt quem sibi ducem elegerit, eius opiniones, & mores, atque omnia instituta sectetur: quæ nobis*

Constit. c. 24.

Homil. 2. de resurr.

erit communio nominis Christi, nisi vt ei inseparabiliter vniamur, qui est, vt ipse insinuauit, via, veritas, & vita? Via scilicet conuersationis sanctæ; veritas, doctrinæ diuinæ; & vita, beatitudinis sempiternæ? Inde interiectis nonnullis cùm illa S. Apostoli verba retulisset, *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu:* addit, *Si magnæ pietatis sacramentum intelligitis, & quòd pro salute humani generis vnigenitus Dei filius gesserit aduertitis, hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, cuius humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum prouehi potest quælibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quòd manens Deus in forma Dei, Deo non est arbitratus indignum.* Vnde & B. Nouatus, *Aduersarius non vincitur nisi humilitate, & caritate: quia & ipse D. N. Iesus Christus non vicisset diabolum, nisi humiliatus fuisset: humiliatus autem, non necessitate, sed caritate. — — Si ergo, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, Dominus angelorum omnium, qui creauit omnia, propter nos humilis factus est; quare nos, propter nosmetipsos, humilitatem recusamus? Via ergo salutis, non est nobis peruia, nisi humilitas.*

Philip. 2.

Tom. 2. Bibl. PP. orat. de hum.

Optimum igitur, & ex horum sanctorum Patrum mente, humilitatis condimentum fuerit, intueri in ipsummet Dominum nostrũ Iesum Christum pro nobis tantopere humiliatũ: maximè verò, si eum eadem & similia viliora peragentem, diuinisque illis manibus pertractantem contemplemur: cùm enim Apostolorum, ludæque proditoris pedes lauerit, & de se sit professus, *Venit filius hominis, non ministrari, sed ministrare*; si neget multa illum, & sæpiùs famularia munia obiuisse, ægrotorum composuisse lectos, expurgasse sordes, cibos apparasse, mundasse domum, supellectilem instruxisse; & subinde res varias humeris comportasse, laboreque ac sudore multo, alacritate magna, cùm Apostolis, tum aliis egenis necessaria ministrasse? Quid? quòd eundem Deum ac Dominum nostrum, supremum omnium Imperatorem, nobis, etiam nunc, comitem, eademque simul exercentem, intueri meritò possumus? quippe, licet in excelsis habitet, familiariùs tamen cum humilibus conuersatur, & ad humiliorum exercitium desideria instigat, & vires porrigit, & gratiam præsens præstat, cumque in ipso & per ipsum id fiat, profectò non sine ipso, sed vel maximè vnà cum ipso, ipsoque quodammodo collaborante peragitur. Ingens equidem solatium, stimulus acer, Christum sibi, actionum earumdem participem & socium habere. Quod licet de aliarum virtutum exercitio dici queat, hîc tamen ideo magis & propriè, quòd hæc est eius propria & singularis virtus, quam præcipuè nos docuit, qua vel maximè delectatur.

CA-

CAPVT XXIX.

Sitne vltro ad viliora prouolandum?

SEd hîc mihi negotium facessit auctor, quem in ascetica doctrina maximi facio, Dorotheus; qui doctrina 21. super hac re ita pronunciat: *Currere sua sponte ad vilia exercitia, nullius profectus est, quin potiùs inanis gloria. Sed cùm tibi vile aliquid præcipitur, neque tu contradicis, sed iussa facis cum omni mansuetudine & obedientia, tunc fit hoc ad profectum: & hoc est contemtum sui ipsius habere.* Pauciscque interiectis, *Humilitas est nihili se ipsum existimare, & propriam voluntatem in cunctis amputare, ita vt sis in cunctis subiectus, & intrepidè ac constanter feras quidquid euenerit. Hæc est vera humilitas, in qua locum non inuenit inanis gloria. Sed humiliter loqui, arrogantiam præ se fert, & magis nocet, quàm prodest: sed sufficit dicere, Ignosce, & ora pro me.* Immò etiam sanctus ipse Chrysostomus huic sententiæ suffragator accedere videtur, quando monet; *Propterea te humilias, vt superbiam euites. Si igitur per humilitatem in superbiam incidis, melius fuerit non humiliare temetipsum.* Quid hîc dicemus? tantis enim viris fidem abrogare hominis fuerit, nec prudentis, nec modesti satis: atecce affirmando; & omnium benè currentium retardabitur impetus, & ignauo torpori patrocinium paratur, & virtutum omnium initia propterea redduntur inaccessa, quòd incipientium exercitationes alicunde mutilæ, ac næuo aliquo inspersæ vitiari solent, essentque prætermittendæ, si omne omittendum foret vnde fortassis vitiosum quidpiã emergit. Quid? nónne rectè factorũ insidiosa comes, ac nonnumquã interemtrix esse solet vana gloria? ergóne illius formidine otiosi nihilq; audẽdo torpebimus? & vbi istud Sanctorũ toties decantatũ apophthegma: Nec propter te cœpi, nec propter te desinã? sin autẽ quantumlibet obstrepente illa audemus, cur nõ pariter humiliora tẽtemus, licet indẽ vanæ de nobis opinionis leuior sensus irrepat?

Tom. 5. orat. de hum.

Vt igitur hæc conciliari, & ex ratione ritè obseruari queant, subsidio fuerit virtutum omniũ moderatrix & regina discretio, quã à tantis illis viris etiam hîc cõmendatam fuisse crediderim: ad eamq; spectare, vt locorũ, personarũ, motiq́ue atq; cõsuetudinis ratione perspecta, nihil insolens, nihil iactabundum fiat, nihil præceteris affectatius adhibeatur. Si enim quapiam ex parte modũ excesseris, quàm facile est, vt vanæ gloriæ, quæ ipsis etiam rectè factis adnascitur, id quidquid peractum est inseruiat? Docuerat, & præclarè, idem Dorotheus, duo esse superbiæ genera; monasticum, atque sæculare: Sæculare definit, quando ex iis rebus insolescimus, aut nos ceteris præferimus, quas ij qui communem &, vt aiunt, sæcularem vitam degunt, magni ducere, ac inde se reliquis præferre solent: quare, isto sæcularis superbiæ morbo laborabit is Religiosus, qui

Doctrin. 2.

qui se alteri præferet, quòd ditior, pulcrior, ornatior, doctior, nobilior sit, quòd monasterium aut institutum antiquius, celebrius, numerosius, abundantius, honoratius incolat: quippe hæc sunt quæ permagni ducere, & ob quæ aliis præponi solent, qui communi lege ciuile inter homines vitam degũt. Eôdem quoque spectant, gloriolæ quædam è naturæ dotibus captaræ, vt à voce grationre, cantu modulatiore, contentiore psalmodia, nitidiore atque comiore ministerio, & id genus pluribus; quę licet Religionis magis propria sint, laudẽ tamen ab aliqua non Religiosa, sed naturali, seu sæculari industria vendicant. At monastica superbia est, cùm ex eo laudem sibi quis arrogat, quod non soleat aliunde laudari, quàm quòd sit virtus, virtutisve, vel similitudinem induat, vel partes explere videatur: vt quando ieiuniis, vigiliis, humicubationibus, obsoleto vestitu, incomta barba, sordibus affectatis, caloris & frigoris patientia, & eiusmodi rebus quispiam efferretur: *quando*, inquit idem auctor, *adipiscendæ gloriæ gratia, quis humiliatur.* Additque, *licere, (si omnino gloriandum) monasticè potiùs, quàm mundanè gloriari.* Quibus verbis innuit, modicam quamdam è rebus bonis gloriam, non admodum obesse, quin & nonnumquam, ijs qui incipiunt, non secùs prodesse posse, quàm solet, vel paulò copiosior imber, vel stercoratio pinguior, tenello & recèns sparso semini adminiculo esse, ad faciliùs & copiosiùs germen proferendum.

CAPVT XXX.

Sitne è sanctis & vilibus, quàm è profanis & vanis minùs periculosa gloriatio?

AT ecce, dum superiorem dubitationem soluere putamus, ac necdum planè soluimus, in implexiorẽ inuoluimur, quam tamen euoluere necesse est, Sitne è sanctis, quàm è profanis vanisq; rebus minùs periculosa gloriatio? quod asserere hîc videtur Dorotheus, & vt probè intelligatur non parũ refert. In quo existimo spectandum esse gloriationis modum, & ex quo fine, quibusue in hominibus oriatur. Est enim quædam gloriatio, qua ex rei benè gestæ bonitate delectationem haurimus, laudemq; nos promeritos esse credimus, & ex istius laudis amore, quamquam non solo, neq; præsertim, incitamur tamen, & ad eadem agenda alacriores reddimur, ita vt primò & maximè istius rei benè gestæ bonitate moueamur; at non sola, sed quia inde in nos aliquid laudis redundare animaduertimus, latetq; etiamnum in animo nostro vitiosus nostri amor, & gloriolæ cuiusdã vana cupiditas; hominum animis, vel naturæ, vel educationis atque consuetudinis corruptione sic insita, vt viri ingenij acumine præcellẽtes affirmarint, esse veræ virtutis fructum honestissimum gloriã, vix inueniri qui non

Cic. in Pis. l. 1. off.

quasi

quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Et quidé quamdiu illa tantùm sequitur, aut præclarè factis comes accedit, quiddam habet imperfectum, ac pedetentim recidendum, nondum tamen planè venenatum, & vitalem succum virtutis elidens. In ijs autem qui stadium virtutis ingressi, Incipientium nomine censentur, frequentior vberiorque reperitur, neque acriùs eos comprimi conuenit, sed potiùs probari & laudari quòd iam tandem meliora respectent, abductumque à voluptatibus, & parum honestis rebus animum, ad iusta & honesta sapienter fortiterq; traducant. Plantis teneris, luxurians folium indulgemus, at vbi induruerint, ad viuum resecabuntur: decet, vt qui nouè meliora spirant, gloriam è rectè factis, quasi humanam quamdam honesti lucem, spectare non inuiti aliquamdiu sinantur, donec robustiore ad æternam & interminam lucem mentis oculo, caliginosum hoc vitæ spiritualis crepusculum spernere, solaq; diuinæ maiestatis claritate, quasi meridiano splẽdore regi atque collustrari appetant. Hæc igitur prima sunt incunabula, prima rudimenta virtutis, quæ vt non omnino laudat, sic non penitus reijcit Dorotheus, vt potiùs ab eo quod honestum est, quàm quod vanum & iactabũdum gloria captetur, paupertatẽque, humilitatem, obedientiam, diuitijs, nobilitate, licentia, gloriosiorem putemus.

At pernicioſissima hæc esca fugiẽda est, vix erit vt non etiam emoriatur si diutiùs laudi immorabitur virtus: etenim nescio quo pacto, sit tamen, vt mentium, huic deliciario humanæ gloriæ philtro epotando insuescentium, palatum sic ebrietur, vt eiusmodi laudes & ardentissimè & impatientissimè semper sitiant, honestiq́ue ac decori eum solum reliquum habeant sensum atque gustatum, quem appetentia gloriæ dederit. Hinc iam ad errorem longè priore grauiorem prolabuntur, vt in omni actione gloriæ seruiant, eam vndiq; venentur, ad hunc vnum scopum colliment, ad agendum cessandumque moueantur. De quibus omnino loquebatur Dominus cùm diceret, *Exterminant facies suas vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quippe antè docuerat, *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Quàm stultum & deplorandum, si pro summa inanitate popularis auræ, æterna Dei nostri felicitate, sanctorumque omnium societate excidamus? *Matth 7.*

Equidem video; vt perfunctorij mentium nostrarum indagatores, & bonorum nostrorum creduli, nobis imponimus, multi erunt, qui se confestim, horum sic gloriam appetentium, numero eximent, quod vtinam verè faciant! Mihi verò iustiùs videor vereri, ne tantò inextricabiliùs eius cupiditate vincantur, quo minùs eam agnoscendo, minùs cauent, iamque sensus ipse diuturnitate mali nimia obstupuit. Subtile malum est, quod fibris, & plurimis, & tenuissimis implectitur, quod euulsisse summorũ est ac sanctimonia perillustrium virorũ: vt non dubitauerit asserere D. Augustinus, *Tanto est quisque Deo similior, quanto ab hac immunditia*, hoc est à laudis cupiditate, *mundior. Quæ in hac vita, etsi non funditus eradi-* *lib. 5 de Ciuit. c. 14.*

dicatur ex corde, (quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat) saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ. Vt, si alicubi iacent, quæ apud quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanæ laudis erubescat, & cedat amori veritatis.

In hoc igitur diligentiùs intendendum est, vt ne vires maiores cupiditas gloriæ sumat: vbi enim dominari cœperit, virtutis & sanctitatis regnum omne subuertit, nihilque vel dici fœdius, vel cogitari turpius potest, quàm si ea quæ soliditatis & firmitatis plurimum habere debet virtus, seruire dicatur gloriæ, quæ si non improbitatis, at vanitatis & inconstantiæ habet plurimum, totaq; ex incerto, turgido inflatoq; conflatur. Hic autem gloriationis modus, à superiore longè diuersus est: quippe in priore, cupiditas benè agẽdi præcedebat, proximèsequebatur bona actio, cui comes adhærescebat gloria; huius autem & compescendæ sunt illecebræ, & non admodũ pertimescendus aduentus: cùm enim re iam constituta, & aliunde ritè perfecta, quasi foris & extra numerum accedat, nequit id quod firmatum iam stabilitumque est, propterea euerti: ipse quidem gloriæ appetitus vitiosus esse potest, at rem iam factam vitiare non potest. Si tamen adblandiẽtem teneriore quàm par est amore complecteris, facilè, quod antè monui, in posteriorem & pernicios iorem hanc gloriæ cupiditatem incidis, quæ comitandi vel subsequendi impatiens, vbique ambit præire, vt non iam quid rectũ, quid honestum, sed præcipuè, sed maximè, quid glorios um sit futurũ quæratur. Adeò scilicet magnum bonum gloria iam creditur, vt ipsa præ ceteris quæratur: hoc autem vbi persuasus fueris, primò quidem id spectabis, vt à rebus non omnino & apertè malis oriatur, at mox ad id quoq; facies gradum (ni casus aut præcipitium potiùs sit dicendum) vt vndecumque gloriam captes, idq; omne expetendum putes quod cum humana gloria sit coniunctum, ea verò omnia fugienda quæ vanæ hominum existimationi repugnant. quo nescio an aliquid vnum esse possit veræ virtuti, sanctitati, Christianæque fidei magis aduersum, magisque, vt idem loquitur Augustinus, inimicum: adeò vt propterea diceret Dominus, *Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est, non quærentes? Item de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palàm confiteri, ait Euangelista: Dilexerunt gloriam hominum, magis quàm Dei.*

Ioan. 5. & 12. vt est apud D. Aug sup.

Iam verò ex hac tanta gloriæ cupiditate, qua fit vt ipsa velut ingens quoddam bonum diligatur, in alia etiam deteriora delabi cõtingit, nempe vt simulatione, fictisq; iactationibus virtutem ementientibus comparetur, vt non è virtute gloria, sed è gloria virtus æstimetur, vt denique (quod longè pessimum & calamitosissimum est) pro verarum virtutum actionibus, quæ longè longiùs exulant, aduocentur & subrogentur fucata omnia, idq; quod in speciem sanctum & laudabile videtur, re vera profanum, vitiosum, exècrandum sit, totumq; vanissimæ superbiæ seruiat: idque tantò immedicabilius, quòd mentis oculos excæcante vanitate, gloriæque dulcitudine, ac honesti specie illudente, etiam sibi virtutis aliquid spondere præfidunt.

Ex

En igitur quibus incrementis gloriæ cupiditas augeatur. Primum est, vt suo gradu contenta, comitetur, aut sequatur potiùs virtutem. Inde, si leniùs excipitur, insolescit priorq; præcedere ambit; quod si assequatur, ecce virtutem loco mouit, nec iam virtuti, sed gloriæ seruietur. Hinc, primò verecundior, non omnino mala sectabitur; at mox posito pudore, vndecumque, licitis & illicitis, bonis & malis perinde vtetur, dum tantùm seruire gloriæ possint. Quo fiet, vt neque simulata, & ficta perhorrescat, imò sit futura, fingendi, vultumq; ponendi, & mutandi, artifex peritissima: atq; hinc, nihil ex virtute, ex ratione, sed ex gloriæ spe cuncta metiatur; sanctis ipsis, & præclarissimarum virtutum actionibus, ad aucupandos etiam anicularum rumusculos abutatur, cumque tantopere superbia, vitiorum omnium pessimo, intabuerit, præfidat tamen, vanisque credula laudatoribus, haud modicum sibi veræ virtutis inesse putet. Sed hæc ad nodum suprà positum euoluendum sint satis.

Hinc enim satis patet sentiendum esse, moderatam quandam gloriationem, quæ ex rebus & exercitijs sanctitatem virtutemq; redolentibus oriatur, illi præstare quæ ex vanis & futilibus ducitur: qui enim ob rem bene gestam gloriatur, bonum & rectum in pretio habet; at qui vanis vel etiã malis rebus gloriatur, aut omnem pudorem posuit, aut etiam peruersis iudicijs, à vero & recto abducitur. Et quidem ita se res habet, quamdiu gloria, vel comes, vel consectaria factorum est, at vbi ipsa præcesserit, euersoq; recti ordine imperarit quæ parere debuerat, tum quidem pessum eunt omnia, tantaque perturbatione miscentur, vt non facilè dici queat quid primum, quidue sit in malis postremum: attamen fidenter audeo dicere, eam esse omnium pessimam gloriationem, quæ ex sanctitatis, humilitatis, & virtutum vsurpata affectatione conquiritur; eò quippe peruenit amentiæ, vt rebus longè præclarissimis & diuinis, ad inanissimarum cupiditatum expletionem abutatur, cumq; iam sitibundo gloriæ ardore sic exarserit, vt summas res illas, quæque supra hominem, & supra omnia humana sunt, ipsius quoq; Dei, ficta omnia introspicientis, oculos laudum delicijs posthabeat, poteritne in eius hominis animum vlla sinceri & honesti vera species illabi? Quid potius in illum, quàm istud summæ Veritatis quadret: *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Si humiliatio quæ in te est, superbia est, si virtus vitium, si veritas mendacium & simulatio; ipsa superbia, vitium, mendacium, quantũ & quàm execrandum erit? Hinc in voragines flagitiorum omnium fœdissimas prolapsos legimus, qui magni videbantur, posterisq; lugendum & tremendum exemplum fuisse, vt omnis affectatio, nostrique iactatio formidetur. *Matth. 6.*

Quòd si nobis persuasissima, & sincerè in optatis fuerit humilitas, intelligemus vera esse quæ dixit Dorotheus, de ijs qui cupiditate gloriæ perciti, magis videri, quàm esse volunt humiles, ideoque humilia vsurpant, vt de humilitate laudentur; summissionem in verbis & sermone ostentant, cùm ipsi se in animo vana sui opinione efferant, cumq; suos cogitatus & conatus eò conferant, vt laudem

ab hominibus reportent, in conſpectu tantùm hominum, & coram eis quos talia magni ducere putant, ea exercent; magni aliquid perpetraſſe ſe credunt, aliiſque idcirco ſe præferunt; quid alij de ipſis credant, anxiè quærunt, & hinc inde varia hominum opinione cruciantur.

CAPVT XXXI.

Quomodo ſint aſſumenda vilia.

ERgóne, inquies, iſtiuſmodi imperfecto viro non ſunt humiliora complectenda? Equidem ea mente vt inde glorietur, vel hominibus placeat, nequaquam ſuſcipi conuenit, longéq; præſtat ab eis abſtinere, quàm ſic & rebus optimis abuti, & inolitum vitium, tum aſſuefactione, tum virtutis aſſimulatione firmare. At in facilieſt, vt qui eiuſmodi morbo laborat, eandem rem teneat, aliorſum tantùm mente conuerſa; eadem humiliora vſurpet, at præcipuè, imò tantùm vt ſe ad inferiora deijciat, vilitatem ſuam agnoſcat, ea tractet quibus ſolis dignus eſt, ſi tamen ſe dignum audet credere. Cùm verò iſta mente ad horum exercitium acceſſerit, ſubinde verò importunior gloriæ cupiditas interpellans laceſſiuerit, tum ſanè impetus eius iſto clypeo retundat, Nec propterte cœpi, nec propterte deſinam.

Idē D Aug. l. 4. cont. Iul. Pelag. c. 14. Bern. ſerm. 15. de diu. &c.

Quam in rem nullum aptius occurrit exemplum, quàm illud de quo latiùs D. Greg. l. Mor. 20. c 12. è cibo & alimentis ductum. Cùm enim neceſſariò vita noſtra reparanda & fouenda ſit cibis; neceſſitatem cibi voluptas guſtationis aſſectatur, pronumque eſt, vt dum neceſſitati ſeruitur, voluptati indulgeatur, & neceſſitatis metas voluptatis ineſcatio tranſcendat. quid ergo? an propterea dimenſum ſuum neceſſitati negabimus? abſit: at ratione arbitra fortiter vtendum, vt reſecetur quod nimium eſt, & intra naturæ modum, voluptas appetentiæ, ac beni[illegible]iori ſuſceptioni, firmiorique ciborum retentioni, nequaquam ingluuiei, [illegible]que ſaturitati inſeruiat. Idem planè de gloriæ aculeis eſt cenſendum: ſti[illegible]nt illi ſubinde, & quoniam vt cibo voluptas, ita virtuti gloria comes accedit, [illegible]mò verò vt non tantopere vtilitate, quàm voluptate cibi tangimur; ita fit neſcio quo pacto, vt imbecilliorum mentium acies, haud paulò minùs vero ſplendore honeſti, quàm ficto gloriæ fulgore moueantur. Moueantur igitur ſolùm, at non etiam abducantur; moueantur, at illis motibus ratio ſapiens aduigiler, vt & reprimantur ſemper, & quantum dabitur opprimantur, illorum nos neque ſenſus à virtutis exercitationibus abſterreat, neque delectatio ad aliquid ſui ſolius cauſa audendum admoueat, ſed certiſſima mentis firmitate atque conſtantia, quid rectum, quid factu ſit opus definiamus; vbi autem ad ipſam rei effectionem conatum adhibuerimus, magno & intrepido animo ſeu blandien-

dientem, seu adlatrantem gloriam missam facientes cœptis insistamus, & ad scopum, certa destinatione semel benè positum, irretortis oculis contendamus.

Obseruandum insuper est, non tantùm inanes eos motus extimescendos non esse, dum tibi inuigiles, ne gloriæ solius causa quidquam facias, sed etiam eos ipsos à rerum humilium frequentatione superari; tum quòd humilia humilitatem pariunt, tum quòd ille se ipsum vincendi conatus eos comprimit, tum verò & maximè quòd diuina bonitas fortiter & constanter agenti præstò est. itaque eo diligentiùs & frequentiùs sunt humiliora vsurpanda, quò magis eorum exercitium gloriatione vana impugnat dæmon.

Cauendus item illorum error, qui propterea ab istis abstinent, quòd ab illis exercendis auersos animos nequaquam sentiant. Quod forsan non ita est; ipsi enim nobis imponimus: sed ita esse, vel concedamus, errant profectò grauiter, qui donatum vel quæsitum humilitatis ornamentum, otiosum delitere patiuntur: virtus omnis quæ in actione posita est, actionem amat; si non amat, non virtus, at virtutis magis est dicenda simulacrum. accedit, quòd in commune viuentium, necesse est rectè factorum exemplis, vitam bonam exornari. At quando, quàm frequenter, quamdiu, & in quibus, quis in tanta hominum, rerum, institutorum varietate præscribet? Consulat quisque semetipsum, rationes officij, instituti, virium; sancti denique Spiritus impulsus, eiusque cui se regendum dedit consilium audiat, & ex his quid & quousque agendum sibi sit intelliget.

Tironibus tamen quàm veteranis huiusmodi abiectiorum tractatio longè magis est necessaria; quippe his accessio tantùm, at illis, etiam virtutis est assecutio, & nisi earum rerum horror ab ipsis primordijs corrigatur, non est cur sera vlla industria superari posse speretur. Itaque D. Basilius de probatione nouiter admissorum agens, docensque quomodo in reliquum vitæ præmuniendi sint, grauiter his verbis nos erudit; *Communis illa est ratio vnumquemque pertentandi, si animaduertatur, Numquid paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missa omni verecundia, ita videlicet, vt sordidissima quæque artificia suscipere non recusset, quandocumque illorum exercitationem vtilem esse ratio suadebit.* & mox paucis interiectis; *Maximè ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere, ad imitandum modestissimæ humilitatis Domini nostri Iesu Christi exemplum festinat, munera quædam præscribi debent, de numero eorum, quæ illi sordida existimant qui in ciuili vita versantur. obseruandumque, num in ijs cum omni animi alacritate, non erubescentem & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.* Cuius rei exempla è sanctis Patribus ducta cùm suprà posuerim, à repetendis abstinebo. reg. fus. int. 10.

Vnum istiusmodi clariores viros, sed & ceteros monebo, diligenter vt videant, non tantùm vt Dei causa, propensè ad humiliora se conferant, sed sui etiam apud ceteros contemtionem, quantum licet, & expetant, & læti com-

complectantur; quod profectò, longè quàm humiliorum exercitatio, magis arduum est, & eiusmodi vt ad veram ducat humilitatem, cuius comparandæ causa omnia ista subeuntur. Tum autem sui ipsius contemtioni seruitur, quando sic ea vsurpantur, quasi necessarium, minusque voluntarium, & ex alterius præscripto fieret, ex animo nos habendo indignos, reliquumque sermonis, habitus & vitæ modum eiusmodi vilitati, qua decet, conformando.

CAPVT XXXII.

Quid supradicta humilitatis exercitia ad perseverantiam conferant?

Eiusmodi virtus est humilitas, tamque amplè diffusa, vt eius exercendæ plurimæ possint esse rationes & viæ, quatuor tamen eas quas explicui recensuisse contentus, meipse à ceteris continebo. Volentibus, valebunt plurimùm, &, quod nostræ scriptionis caput est, perseuerantiam dabunt.

Et quidem primo exercitio, quo nihil nobis, Deo verò bona omnia tribuimus, ipsam adeò perseuerantiam elucrari, tamq; certò videmur, vt constantissimè asseuerare non dubitem, tam eum qui id perpetuò habeat, cadere non posse, quàm eum perseuerare non posse, qui non habeat: vt enim omnis lapsus à superbia, suiique existimatione ortum ducit, ita diuinæ gratiæ præsidium illis deesse non potest, qui à sui fiducia prorsus desciscentes, in omnibus ab vnius liberalissimi Dei largitate sola pendent. Estque istius rei hæc ratio certissima, quòd sit Deus bonorum omnium fons perenne scaturiens, & homo sit malorum, & lapsuum, ac perpetuæ (si dicere liceat) deficientiæ in deteriora profluuium; quo fit vt horum vtrilibet accesserit, eius modum induat; deficientem, inconstantè, elanguidum, quoties ipse sibi præfisus fuerit; at insuperabilem, efflorescentem, & semper vegetum, quoties in Deum abiens, diuino se robore, humilitatis ope muniuerit. Quapropter, quotiescumq; in hoc primo humilitatis exercitio peccatur, perpetuum est & solemne, vt si leuiùs, si grauiùs delinquitur, leuiore aut grauiore aliqua secutura prolapsione puniatur: sin autem in cuiuscumque rei aggressione atque processu, à te plurimum deficis, maioribus incrementis augescis, & firmissimis ad perennandum præsidijs roboraris. Experire, & diligentiùs obserua, qui voles, & ita semper esse comperies.

Alterum humilitatis exercitium, quo nemini nos præferimus, postponimus potiùs, fermè nititur primo: qui enim sibi nihil tribuit, non videt cur se alteri præferat, vixque ac ne vix quidem fieri potest, vt in hoc secundum impingat, qui in priore non offenderit; cùm omnis sui ipsius præ alijs existimatio, quippiam quasi sui iuris & vnde sibi meritò gloriandum sit, assumat; atqui supra de-

mon-

monstrauimus, eum qui sibi sic aliquid adscribit, in primum humilitatis exercitium peccare. Quæ licet ita se habeant, nil tamen repugnat, quin grauiter in hoc secundum peccare is possit, qui non nisi admodum leuiter in primum peccet: sunt enim qui offensionum humanarum perquàm timidi sunt, qui in hominum opinione momenti plurimum reponunt, qui admurmurantes rumusculos, velut ingens bonum, cupidè venantur, omnique sinistræ existimationis vmbra consternati perterrefiunt; hi profectò suarum laudum, & ceteros antecellendi occasionem, vndecumque oblatam auidè arripiunt, inuitissimi cedunt alijs, vltroque ad existimationis & honoris subsellia prima prorumpunt: sunt, qui licet prima non ambiant, deprimi tamen postponique non ferunt, sibique non minora quàm alijs naturæ, virtutis & gratiæ dona diuinitus esse collata credunt. Qui, & similes illorum, furtim semper & clanculum in se quidpiam honoris eius deuergunt, quem totum purissimè in vnum Deum collatum oportuisset; attamen minùs in eiusmodi vsurpationem animum aduertunt, sibiq; solis relicti, in seipsis, modicè de se sentiunt, & admodum obnoxiè Deo suo se summittunt: sed in homines eo grauiùs peccant, quo liberiùs putant aduersus eos erigi se posse. inde contentiones, rixæ, dissidia, inde diuturnæ graueſq; dissensiones, inde plurimæ in humana vita offensiones, inde repugnantibus ceteris, multorumque exacerbatis animis, ac potissimè puniente Deo, multa secùs quã sperabamus accidunt, euertuntur nostri conatus, amicitiæ dissiliunt, tanto ambitu quæsitus honor probro inficitur, vita ipsa tota, totumq; contubernium votis frustrantibus amarescit, susceptus vitæ tenor fastiditur; noua, incerta, intuta consilia, perturbatè & inconstanter agitantur. quæ tam sunt constantiæ perseuerantiæque pugnantia, quàm quæ maximè, præsertim vbi de vita sociali & cœnobitica agitur; hæc enim communionem rerum omnium, & quandam eunctorum æquationem exigit, cui nihil aduersius est quàm amor excellentiæ, fuga demissionis: ipsoque rerum vsu patet neminem in communi conuictu gratiorem illo homine esse, qui nusquam contentiosus, nemini se præfert, posthaberi, deq; suo iure decedere semper est paratus, potiora ceteris, sibi deteriora deferri, æquis animis patitur; quo fit vt nullum offensioni locum relinquat, omneſq; vitæ suæ partes, sibi semper similis in summa mentis æquabilitate decurrat.

Id ipsum quoq; à tertio humilitatis exercitio (quod in sui accusatione situm est) planissimè consequimur, omninoque qui reprehensionum vel criminationum impatiens fuerit, necesse est, vt in Religiosa, multorumque oculis exposita vita, in graues aliquando perturbationes incidat, & non rara naufragij pericula subeat: quippe in tanta vel spectantium, vel rerum, vel præsidum varietate, Deo quoque ne sua virtuti desint exercitia vigilante, materiamque certamini apparante, fieri non potest, quin subinde, vel supra verum exaggerentur leuia quædam, vel bene facta detorqueantur in prauum, vel ex probabili coniectura, falsum etiam aliquid affingatur. quibus in rebus, nisi nos ipsos reprehendi, accusa-

ri,

ri, puniri patiamur humiliter, necesse fuerit, vt graui molestia pressi, gemebundi sub onere lugeamus; &, si nos ipsos accusare nolimus, quàm erit acerbum, tristitiæ, molestiæ, dissensionisque plenissimum, cùm ad singulos aduersos euentus, modò in hunc, modò in illum, molestiarum causa suspiciosè simul & inuidiosè conferetur? Adhæc nihil ita Deum hominesque mitigat, iratos placat, placatos amicat, atque sui humilis & sincera accusatio: vnde id sequitur, vt ei quiad se accusandum pronus fuerit, Deo hominibusque propitijs, nihil euenturum sit, quod eius in virtute perseuerantiam grauiùs impugnet: ac si fortè euenerit, protinus tamen tam humili corde, quasi molli tomento exceptum iaculum, ictu cassum concidet, animæque, tam ad sui correptionem paratæ, inferre vulnus erubescet.

Quartum denique humilitatis exercitium apertè id efficit, vt in Religiosis munijs nullum nobis esse possit ingratum, & numquam vllum Præpositorum nostrorum detrectemus imperium, quo vno maximam ad perseuerandum vim contineri nemo non videt.

Atque hæc de humilitate, vsquea deò ad perseuerandum necessaria virtute dicta sint, det bonus Deus, & humillimus Dominus Iesus, factis consequi, quod quomodocumque verbis persequi dedit. Cùm autem dederit, imò & quiuis cui dederit, non existimet magnum aliquem se esse postquam ista perfecerit, etenim si diligentiùs, quæ sunt antè dicta scrutamur, omnis illa quantacumque humilitatis excelsitas, non aliud est, quàm ipsa pura & puta veritas, & qui se summopere per omnia humilem præstiterit, non fecit nisi quod vilissimam infimamq; naturam suam decuit, nec habet quod Domino Deo suo verius, quàm Euangelicum illud dicat, Domine, seruus inutilis ego sum, quod facere debui feci, quid præmij reposcam non habeo; bonus es, & pro tua bonitate, secundùm iudicium diligentium nomen tuum me iudicabis. Si autem isti magni, & præcelsa humilitate spectabiles, ita de se loquuntur, & eò verè sunt loco; quid de nobis miseris dicemus, quo nos loco habebimus? ô lugendam vilitatem nostram! eoque lugendam magis, quo minùs eam lugemus!

LIBER

LIBER QVINTVS,

De Timore & Spe, firmis Perseuerantiæ subsidijs.

CAPVT I.

Timor Dei commendatur.

POst humilitatem tantopere commendatam, de Timore Dei silere non possum, cùm vel eam gignere, vel ab ea gigni sit dicendus, imò virtutum omnium, salutisque nostræ fidissimus sit, aut custos, aut parens. *Timor*, ait D. Hieron. *virtutum custos est: securitas, mater negligentiæ.* Et D. Basilius, *Vbi timor Dei, omnes affectuum maculæ ex mente nostra expulsæ sunt.* Volebat, vt aliàs retuli, Abbas Pœmen, humilitas & timor Dei, essent monacho instar vitalis flatus & reflatus, vt illis viueret, spiraret & respiraret. Etenim, vt dixisse ferunt Iacobum Abbatem, quemadmodum lucerna in obscurum thalamum illata totum illustrat, ita timor Dei in cor illabens illuminat illud, mandata Dei, & virtutes omnes docet. quod pulcrè & eleganter Clemens Alexandrinus, *Peccatorum proserpentes corrosiones sistuntur ab amara metus radice: quamobrem salutaris est metus. — Qui ægrotamus, saluatore opus habemus; qui aberrauimus, eo qui nos est deducturus; qui cæci sumus, eo qui nos ad lucem deducat; qui sitimus, fonte vitali, cuius qui participes sunt non ampliùs sitient; qui mortui sumus, vita egemus; qui oues, pastore; qui pueri, pædagogo; & vniuersa natura humana Iesu, ne qui insolentes & peccatores sumus, incidamus in finem condemnationis, sed à paleis segregemur, & in apothecam paternam recondamur.*

epist. 127. manss. 23. Hom. 11. Hexaem.

l. de compunct.

l. 1. Pædag. c. 9.

Dilucidè, more suo, S. Chrysostomus, *Nisi bonus esset timor, filijs patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus præficerent vllos magistratus. — Vbi timor est, liuor non est; vbi timor est, pecuniarum amor non vexat; vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationalis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propiùs audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium perturbationum nulla facilè surrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur, timoris imperio vndique exactæ. Nec hoc solum est quod ex timore lucramur, verùm & aliud multò maius: non enim improbas tantùm nostras expellit passiones, sed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor est, ibi & eleëmosynæ studium, & orationis intentio, & lacrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum, peccata quidem consumit,*

hom. 15. ad pop. Ant.

virtutem verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non viuit in timore, rectè illum agere non est facile: sicut vicissim cum timore viuentem, est impossibile peccare. Idem quoque alio loco præclarissimè, *Dei timor*, inquit, *hoc habet vtraque, stabilis est immotusq; , tantamq; lætitiam emittit , vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, & Deo confidens, voluptatis radicem lucratus est & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut scintilla breuis, in immensum mare decidens, facilè doletur; sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia exstinguuntur atque perduntur.* Exequitur deinceps, quàm sit id admirandum, tribusque Babylonijs pueris persimile, quibus ignis, tantusque & sic succensus ignis, tanta rapacitate alios deuorans, nocere non potuit; irrorare, vincula soluere, delectare potuit.

hom. 18. ad eos d.

Præclarum illud quoque quod è D. Basilio transcriptu dignum indicauit S. Damascenus. *Domini timor, animi expiatio est, iuxta id quod precibus à Deo contendebat Propheta, his verbis vtens, Confige timore tuo carnes meas Domine. Quemadmodum enim qui corpus clauis transfixum habet, in eiusmodi cruciatu versatur , vt nihil efficere queat: sic qui Dei timore constrictus tenetur, non oculos ad ea quæ minimè opus est, adhibere, non manus ad interdictas actiones mouere, nec denique quidquam, vel paruum vel magnum præterquàm conueniat , moliri atque efficere potest , suppliciorum videlicet eorum quæ Deus comminatus est timore, non secus ac cruciatu quodam, transfixus.* Sed auditum tanti viri nomen in memoriam reuocat singularem eiusdem hac de re locum, qui in psalmum 33. post alias timoris Dei laudes ita scribit; *Timor salutaris, & qui sanctitatis operatorius est, timor idem qui studio acquiritur , vis enarrem qualis sit? Si quando te senseris ab appetitu ad peccandum pertrahi, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto & excelso throno: adstabit autem omnis creatura, ad gloriosum eius adspectum contremiscens. Adducendi etiam sumus nos singuli, eorum quæ in vita gesserimus rationem reddituri. Mox, illis qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidam & deformes assistent angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes , ea re propositi & voluntatis acerbitatem ostendentes, nocti vultu similes, propter mœrorem & odium in humanum genus. Adhæc cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, vrendi quidem vim habentem , sed priuatum lumine : deinde vermium genus veneuum immittens , & carnem vorans, inexplebiliter edens, neque vnquam saturitatem sentiens, & intolerabiles corrasione ipsa dolores infigens. Postremò quod suppliciorum omnium grauissimum est , opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore correptus, animam à peccatorum concupiscentia, tamquam freno quodam reprime. Hunc timorem Domini docturum se Propheta promisit, Venite filij, audite me , timorem Domini docebo vos.* Verùm vt auctoritatum harum sit satis, & primis postrema respondeant , D. Hieronymo Tertullianus suffragator accedat. *Qui præsumit , inquit , minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur. Timor, fundamentum salutis est : præsumtio , impedimentum timoris. Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere : sperando enim timebimus,*

Basil. in ps. 33.

Paral. c. 4.

de cultu fem. in. c. 2.

mus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contrà, si præsumamus; neque timendo, neque cauendo, difficilè salui erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est is verè poterit esse securus.

Tam consonis atque conspirantibus horum Patrum aliorumque sententijs, quædam in eiusdem timoris commendationē è sacris Literis oracula decerpamus. Et quidē magnus ille Legislator clamat; *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius?* Cùm autem id non obseruassent; quàm grauiter apud Prophetam ipsemet expostulat, *Audi populestulte qui non habes cor qui habētes oculos, non videtis; & aures, & non auditis? Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminū mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud: populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt. Et non dixerunt in corde suo; Metuamus Dominum Deum nostrum. Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, ô Rex gentium!* Ideoque ad omnes, quid præ ommbus magni faciendum, & præ quo cetera omnia vanissima sint, Sapiens clamat, *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* Et hortatur ipsos etiam reges Psalmista; *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et ad omnes Apostolus, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quidni enim? cùm etiam dictum sit, *Timete Dominum omnes sancti eius*: & ille *simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo*, cui teste Deo, *non fuit similis in terra seruans innocentiam*, de se palàm profitetur, *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. & pondus eius ferre non potui.* Quid? quòd ille Apostolus qui in tertium raptus cælum, arcanis Dei mentis aures applicuerat; qui curiebat, nō quasi in incertum pugnabat, non quasi aërem verberans, quem neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterat separare à caritate Dei (ô securum, nec penetrabile timori pectus!) ille tamen, tam ad cetera omnia imperterritus, à iudicijs Dei trepidat: illi prominimo est, vt ab hominibus iudicetur, sed neque se ipsum iudicat. *Nihil mihi conscius sum*, inquit, *sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est.* Ac propterea *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Sed quisquis hæc legis resiste, ad tantum verborum pondus attende: Nihil mihi conscius sum. si minimè conscius es, quid formidas? quod quis nescit, noxiæne verti poterit? Ah! inquit, Dominus est qui iudicat, cuius oculi multò plus lucidiores Sole, nihil indiscriminatum relinquunt. & væ virtutibus nostris, si remota miser cordia, velut pannus menstruatæ, abiudicantur! Castigo igitur corpus meum, vitiorum fomitem suffoco, insto illi, premo, & tantopere opprimo, vt sub iugum ducam, quasi seruum in vinculis habeam, ne fortè, licet multis laboribus exantlatis, heu! reprobus efficiar, à

Deut.10.
Ierem.5.
cap.10.
Eccles.12.
Psal 2.
Philip.2.
Psal.38.
Iob 31.
1 Cor 9.
Rom 8.
1.Cor 4.
ibid.c.9.

Deo meo excidam, æternùm à bono Iesu abdicandus. Potuitne S. Apostolus pleniùs præstare, seu aliorum omnium contemtum, seu magni Dei timorem, ad
Luc. 12. diuinæ Sapientiæ præscriptum, tanta energia pronuntiatum; *Dico vobis, amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita, dico vobis, hunc timete.* Annon meritò, Domine timeam eum qui cælo terraque stupentibus, nil inultum relinquet, reuelabit abscondita cordium, scrutabitur Ierusalem in lucernis, tantoque in iudicio, etiam de verbo ocioso, de talentis creditis, & lucro non appositis rationem reposcet? Quid de damnis illatis, peccatis perpetratis fiet, si lucra non addidisse, si bona non peregisse, erit vnde damnemur?

Quapropter docente nos Domino & Deo nostro sectemur quod iam olim
Prou. 3. per suum Sapientem, *Time Dominum, & recede à malo. Sanitas quippe erit vmbilico*
Iob 28. *tuo, & irrigatio ossium tuorum. Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo*
Eccli. *intelligentia.* Mirumque quantopere se in eius laudem effundat, *Timor Domini,* ait, *expellit peccatum: nam qui sine timore est non poterit iustificari. Radix sapientiæ est, timere Dominum, & rami eius longæui. Initium sapientiæ, timor Domini. Plenitudo sapientiæ est timere Deum. Corona sapientiæ timor Domini. Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Quàm magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum. timor Dei super omnia se superposuit: beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum cui assimilabitur? Timentis Dominum beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Timor Domini, sicut paradisus benedictionis. Timor Domini fons vitæ. Timor Domini, ipse est thesaurus.*
cap. 25. cap. 34. cap. 40. Prou. 14. Isaiæ 33. Iudith 16. Psal. 30.
Quidni ergo verissimè canat quædam: *Qui timent te, magnificati sunt apud te per omnia! Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!*

CAPVT II.

Idem timor exacuitur.

QVi tot bona, de timore Dei, tanta veritate affirmata considerat, fieri ne potest, vt vel non vehementiùs in eius desiderium inardescat, vel acerrimo dolore non tangatur, si bonorum thesauro, fonte vitæ, exultationis corona, initio, radice, & plenitudine sapientiæ, aut carere se, aut tam tenuiter præ-

prædictum deprehendat? vt non satis mirari possim, quid sit quòd hoc sæculo, diuini timoris excitandi cura, tantopere esse remissa videatur: an propterea minùs timemus, quia peccamus minùs? ô vtinam! an quòd peccata grauioribus pœnis expiamus? vbi ergo pœnæ illæ tam acerbæ, quas à se ipsis ob lenia etiam delicta veteres reposcebant? An potiùs, perfecta nostra caritas timorem expulit? noui scilicet Antonij, qui instar illius profiteamur, Non iam timeo, sed amo Deum! & nónne ad finem sæculorum decurrimus, vbi caritas refrigescit, abundat iniquitas? Et vt cetera missa faciamus, *Quis*, vt verbis D. Gregorij Magni vtar, *considerare valeat quanta mala, per momenta temporum, ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? —Et tamen scriptum est, Væ vobis, qui cogitatis inutile. Et rursum; In die cùm iudicabit Dominus occulta hominum. Qui etiam præmisit; Inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Et rursum: Labia dolosa, in corde & corde locuti sunt mala. Et rursum; Etenim in corde iniquitates operamini in terra. —Sæpè ergo electis, etiam nolentibus, in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspiciunt, & ante Dei oculos, quanti sit reatus attendunt, & cùm de his omnibus semper iudicia districta pertimescant; tunc tamen hæc vehementer metuunt, dum ad soluendum humanæ conditionis debitum venientes, districto Iudici appropinquare se cernunt. Et fit tanto timor acrior; quanto & retributio æterna vicinior: ante oculos autem cordis, nihil inane tunc transuolat, de phantasmate cogitationis: quia subductis è medio omnibus, se & illum tantummodo considerant, cui appropinquant. Etsi ea quæ sciunt, numquam prætermisisse se meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt: quia videlicet, semetipsos diiudicare & comprehendere omnino non possunt, atque vrgente exitu, subtiliore vrgentur metu. Consideramus quippe quòd viam præsentis vitæ nequaquam sine culpæ transire potuimus, consideramus etiam quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrûm vitam præcedentium Patrum valeat vel superare, vel assequi? Et tamen Dauid dicit, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Paulus cùm diceret, Nihil mihi conscius sum; cautè subiunxit, Sed non in hoc iustificatus sum. Iacobus dicit; In multis offendimus omnes. Ioannes dicit, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur? Video Paulum ex illa persecutionis sæuitia, ad gratiam Apostolatus vocatum, qui tamen sic inter iudicia occulta formidat, vt reprobari se, etiam postquàm vocatus est, timeat: Ego me non arbitror comprehendisse, inquit: vnum autem, quæ quidem retrò sunt oblitus, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei in Iesu Christo. Sequor autem, si comprehendam, in quo & comprehensus sum. Et certè iam de illo voce Dominica dictum fuerat, Vas electionis est mihi. Et tamen adhuc castigans corpus suum, metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, &* lib. 24. c. 7. seu 17. & 18. Mich. 2. Rom. 2. Psal 11. Psal. 57. Psal. 142. 1. Cor. 4. cap. 3. 1. epist. 1. Idem Greg. l. 29. c. 9. Philip. 3. 1. Cor. 9.

iam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò, debet in spe esse, non solùm securitas, sed etiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & iste torpentes pungat. Vnde rectè per Prophetam dicitur, Qui timent Dominum sperent in Domino. At si apertè diceret: De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. Vt etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate iudicetur! quia districtè discussa, inde ante oculos iudicis, vnde se placere suspicatur, obruitur. Vnde benè per Salomonem dicitur: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Hinc rursum per eumdèm Salomonem dicitur; Quis hominum intelligere poterit viam suam? Et nimirum, bona malaúe quis faciens, conscientia attestante cognoscitur. Cognoscitur, nunc quidem humanis iudicijs, at diuina quis nouit? Ipse de se loquens D. Bernardus ita scribit, Ego, quoniam peccator sum, dissolui non cupio; sed formido: sciens quia mors peccatorum pessima. Quomodo non pessima mors, vbi non subueniat vita? formido exire, & in ipso contremisco portus ingressu, dum non confido propè assistere, qui excipiat exeuntem. quid enim? securéne exeo, si Dominus non custodiat exitum meum? heu! ero ludibrium dæmonum intercipientium me, non assistente qui redimat, neque qui saluum faciat. Nec dissimiliter trepidabat magnus ille Theologus cùm diceret; Nóune, si quid mœroris concipiendum est, idcirco potius mœrorem suscipiemus, quòd incolatus noster prolongetur, quòd in sepulcris in quæ circumferimus, diutiùs hæreamus, quòd vt homines, peccati morte moriamur, cùm dij facti simus? Hic me timor exagitat, hic dies noctesq; mecum versatur: nec me liberum spiritum ducere sinunt, hinc futura gloria, hinc futurum tribunal, ex quibus illam quidem adeò appeto, vt dicere possim, Deficit in salutare tuum anima mea; hoc autem horreo & auersor. Nec verò illud timeo, ne mihi corpus hoc, cùm semel defluxerit, ac corruptum fuerit, prorsus extinguatur: sed ne nobile illud Dei figmentum, (nobile enim est cùm officij sui numeros probè explet, quemadmodum contrà infame cùm peccat) in quo est ratio, lex, spes, eádem, qua cetera animantia quæ rationis expertia sunt, ignominia mulctetur, nihilq; meliore post mortem conditione sit: quemadmodum improbis hominibus, atque igne illo dignis optandum esset! Vtinam membra, quæ super terram sunt, mortificem! Vtinam omnia per spiritum absumam! arcta viâ, & quapauci gradiuntur, non autem lata & facili incedens!

Idemque alio loco, planè tragicè; Horrendum est fratres, in manus Dei viuentis incidere. Horrendus vultus Domini super facientes mala, vitiumq; funditus euertens, & delens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horrendi pedes improbitatem cursu assequentes. Horrenda vniuersi *orbis impletio, ita vt nemini vsquam Dei commotionem effugere liceat, non si in cælum auolauerit, non si in infernum se contulerit, non si ad Orientem profugerit, non si in profundos & extremos maris sinus sese abdiderit. Quid faciemus in die inductionis, hoc est diuinæ ad nos expostulationis, cùm nos coarguet, atque ex aduerso stabit, peccata nostra, hoc est acerbos & amarulentos accusatores, nobis in faciem statuens: acceptaq; beneficia, cum ijs quæ inique admisimus, ex aduerso conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actione actionem examinans;

Psal. 113.

Eccl. 9.

Prou. 20.

hom. 56. in Cant.

Nazianz. orat. 10.

orat. 15.

*Orbis impletio, id est, quòd totum orbē vbiq; implet præsēs Deus.

nans; & imaginis, vitio contaminatæ atque confusæ, dignitatem à nobis exposcens; postremò nos abducet, à nobismetipsis condemnatos, hucq; adductos, vt ne id quidem dicere queamus, nos iniquè supplicio affici? Illic autem, quis patronus? quæ causificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quæ consilij solertia tribunal illud circumscribet, ac rectum iudicium eludet, quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesq; cum vitiis ex aduerso expendit, vt victoriam obtineat id quod propendet, atque ab ampliore parte sententia stet, post quam non tam prouocatio supereſt, non sublimior iudex, non alia opera per quæ quispiam pœnam deprecetur. Hæc & plura Nazianzenus, Iudicis summi terrorem penitissimis animi medullis infixisse contestans.

Hoci psum sibi prisci illi, omniq́ne sanctimoniæ genere conspicui Patres, calcar adhibere soliti erant, eoq́ue instigatore perpetuò vsi, tam contento, & nusquam elanguente conatu ad summa peruenêre. Tres res timeo, dicebat Abbas Elias; Vnam, quando egressura est anima mea de corpore; aliam, quando occursurus sum Deo; tertiam, quando aduersus me sententia proferetur. *l. de cem-punct.* Mirabantur, qui peregrè aduenerant, nec tantam vsquam vitæ duritiem viderant, mirabantur inquam, senis cuiusdam in arido squalidoq́ue loco, summis *Vitæ SS. Pat. p. 2. §. 2.* in ardoribus perseuerantiam, sudores, inediam, multorumq́ue annorum in omnium virtutum studio labores; quibus ille sapienter, Totius, quo hîc dego, temporis labores quantilibet, vix vni tormentorum æternorum horæ, repensandæ sufficiant. Atqui nos, per breuissimi vitæ nostræ spatio, æternum dolorem quasi lucrifacere oportet, omnesq́ue tum animi, tum corporis motus, ita domare, vt præclara illa demum & æterna quiete non reperiamur indigni. Et verò magnus ille Agathon, tres totos ante mortem dies, vno in obtutu defixus, *ibid. §. 151. & l. de sobr.* apertos & vix nictantes oculos è regione sui quasi attonitus adiecit: quod animaduertentes qui aderant, alienatumq́ue sensibus credentes, pulsarum interrogarunt, Vbi es Abba? quibus ille, In cõspectu iudicij Dei sto. At illi, Numquid & tu times? quibus ille, Quantum in mea virili fuit, semper in hoc enixiùs intẽdi, vt Dei mei præcepta seruarem, sed homo sum, & vnde scio vtrùm opera mea placeant Deo? cui fratres; Non confidis opera tua esse secundùm Deum? Non confido, inquit, in conspectu Dei; aliud enim est iudicium Dei, aliud hominũ. Cùm autem in percunctando vellent pergere; Obsecro, inquit, per amorem nostri omnium Domini, quieto mihi esse liceat, nolite mecum loqui, occupatissimus sum: moxq́ue his dictis, ipse se collegit, vultumq́ue ac speciem salutantis aduenientes amicos præferens, placidissimæ mortis somno obdormiuit. Ita fit, Deum timenti animæ, certatim & alacres angeli, præsidio futuri, obuiàm prodeunt. Sed permirum quod de Sisoio produnt veteres: extremum is vitæ *§. 153 & l. de conuers. Pat.* limitem attigerat, cùm ad eum de Religiosorum more plurimi confluunt; at ecce vident de repentè, nouo faciem eius fulgore radiantem, audiuntq́ue animo exultante clamantem, En Abbas Antonius venit ad nos: exiguoq́ue silentij inter-

teruallo, En & ipse Propheratum chorus: & mox, Beati quoq; Apostoli adsunt: facies verò eius, quasi nouo luminis accessu, semper clarescebat. Visus denique est cum quibusdam loqui, interrogatusque quinam forent? Angeli sancti sunt, inquit, qui animam meam deducturi venerunt, ego verò supplex rogo, vt adhuc aliquam pœnitentiæ peragendæ moram concedere ne grauentur. Cumque dixissent Patres, Iam satis est pœnitentiæ, Abba, diuturniore nil indiges; Amen, amen, dico vobis, inquit, ne quidem eius initium aliquod antipuisse me memini. Tantum scilicet in eo vigebat timor Dei, facta eleuans, & ad maiora succendens. Verùm instar Solis resplendente vultu, exclamauit, Videte, videte, fratres, Dominus Iesus venit. Quibus dictis, sanctissimè obiit, totusque locus miro quodam gratoque odore repletus est. Sed profectò, & nescio an præ omnibus, & admiror, & perterreor Arsenio, viro tanto, tam grandæuo, tanta in perfectione & virtutum omnium absolutione, traducta vita; cuius lacrymas, continuis riuis defluentes, bibebat appensus sinui pannus, cuius palpebræ perenni erant stillantium fletuum alluuione depiles. Etecce, quando instare sensit mortem, in largos fletus est solutus: cumque lacrymabundi, talique exemplo consternati fratres dicerent, Quid fles, pater? post tot lactymas, numquid & tu times? respondit, Ita est, filij, verè timeo: & ille qui nunc in me est timor, ex quo monachus fui, mihi semper comes fuit. O timorem omni securitate meliorem! etenim illo mortuo, benè exclamauit sanctus Pœmen, Beatus es, Abba Arseni, quòd tantopere hac in vita planxeris: qui enim hîc non planxerit, ibi sed serò lugebit! Ita sancti, ita perfecti, nos vbi hæremus?

Bern. serm. 28. de diu. in illud Iob, In sex tribul. &c.

Vnde nobis ista dissimulatio, fratres mei? vnde hæc tam pernicioſa tepiditas? vnde hæc maledicta securitas? quid seducimus miseri nosmetipsos? forsitan iam diuites facti sumus, forsitan iam regnamus? nónne ostium domus nostræ, horribiles spiritus illi obsident? nónne exitum nostrum, laruales illæ facies præstolantur? Quis ille pauor erit, ô anima mea, cùm dimissis omnibus quorum tibi est tam iucunda præsentia, tam gratus adspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occursantia tibi, cateruatim ruere, teterrima illa monstra videbis? quis tibi, in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? filioli mei, memoremur hæc nouissima nostra ne peccemus: nam & per ignem nobis transeundum est: & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam: ibi reuelabitur vniuersa impuritas, ibi veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, iustitias iudicabit. Quid verò illic omnes iustitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? quidquid nunc quasi paruipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Vtinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum! forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset. Iam verò, post ignem illum, putas, residuum aliquid inuenietur in nobis? aut tantum erit,

vt

vt audeamus illud vultui maiestatis offerre, aut eius sic adstare conspectui? quis ille pudor erit, quæue confusio, post tanta beneficia, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Dei nostri? Fugiebat Adam vt absconderetur ab eo, post vnius vtiq; pomi vetiti gustum: quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus? quando ab hac confusione purgabitur oculus cordis, cui nunc operam dare negligimus, vt irreuerberata acie, veri illius Solis radios valeat intueri? Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei. Ingrediatur vtique putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis huius septimæ, & in ea non tangat me malum: malum hoc triplex, horroris, doloris, & pudoris. Felix siquidem anima quæ fiducialiter inimicis suis loquetur in porta, Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Felicior cuius opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentum, lapides pretiosos examen illud inueniet. Felicissimus qui sine vlla nube confusionis, reuelata penitus facie, gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, vtiq; super omnia Deus benedictus, & laudabilis, & glorioſus in sæcula sæculorum, Amen. Psal 67.

CAPVT III.

Cur timor adhibendus.

VT verissimè, ita paucissimis verbis plenissimè dixit Sapiens, Qui timet Deũ nihil negligit: scit enim oculis eius omnia penetrantibus placere nihil posse quod prauum sit, prauum autem esse quod mali aliquid vndecumque admistum habet: vbi enim aliquid alicunde luxatur, id mancum, decurtatum & mutilum sit necesse est. *Modicum fermentum totam massam corrumpit: Qui in vno offenderit, multa bona perdet.* Hinc illa vel ad agendum solicitudo, vel post actionem formido Sanctorum, ne quid minùs rectum, vel operi, vel cogitationi irrepat: quod in tanta, vel hominum infirmitate, vel blandientium sensuum pellacia, vel insidiantium hostium astutia, quàm procliue est? quàm pronum est, vt vel formido ab agendis præpediat, vel præcipitatio ad non agenda impellat; impugnet, aut etiam apertè praua cupiditas expugnet, insidietur denique inanis gloria, victosque superet? & nihil istorum, nihil ceterorum, occultum est Deo, nihil dissimulabit Iudex. Eccl. 7. 1. Cor. 5. Eccl. 7.

Quis ille est qui non aliquando ex negligentia torpeat, qui cupiditatum æstu nõ abducatur, qui affectibus nõ concedat interdum, blandientibus & adulantibus oblectetur, plus iusto ferueat, moderationis affectatione, in languorẽ soluatur? Quàm sæpè in confinio virtutũ sunt vitia, & in hæc prolabimur, dum illas improuidè sectamur, & nonnũquam vitia sunt, quas virtutes putabamus? Quare, si nec virtutũ securi sumus, ecquid erit vbi cõfidemus? Offerebat B. Iob holo-

Iob 1.1. cauſta pro filijs, *Ne fortè peccaſſent*: quod ad mores, & ad rem noſtram euocans
Lib 1.c.18. seu 35. Beatus Pater Gregorius ait, *Holocauſtum per ſingulos filios offerimus, cùm pro vnaquaq; virtute, Domino hoſtiam noſtræ precis immolamus, ne ſapientia eleuet; ne intellectus, dum ſubtiliter currit, aberret; ne conſilium, dum ſe multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet; ne ſcientia, dum nouit, & non diligit, inflet; ne pietas, dum ſe extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus iuſto trepidat, in deſperationis foueam mergat. Sed hæc agere neſciunt niſi hi, qui priuſquam cogitationes ad opus prodeant, internos ſuos motus ſolicitè frenant. hæc cauere neſciunt niſi hi, qui viridi cuſtodia munire mentem nouerunt.*

Vt autem cetera miſſa faciamus, tria potiſſimè in rectis operibus, & cauenda, & timenda, & obſeruanda nobis ſunt, quemadmodum & iis maximè
Vide Greg. in Mor. l. 1. c. 19. seu 38. ſtruere inſidias Satan aſſolet: omninoque æquiſſimum eſt, vt non minùs ſeruandis nobis, quàm ille perdendis, vigiles excubemus. Primò igitur, & maximè nititur, à prima origine, & quaſi à capite, quæ volebamus bona ſic inficere, vt deinceps impurum omne ſit, quod à perturbato fonte dimanat. Tunc autem à capite ruunt omnia, quando ex aliquo fine malo appoſito, ſeu, quod clariùs dicitur, intentione non recta, ad agendum accedimus, vt ſit quoties opinionis, fauoris, gloriolæ humanæ, oblectationis, aut alterius minùs rectæ intentionis cauſa, impellimur ad agendum: nobiſque quadrat quod de Iudæa
Thren. 1. dictum; *Facti ſunt hoſtes eius in capite.* ideoque vt grauiter vulnerato capite, colloque obtorto, totum hominem in poteſtatem redigere facile eſt; ita Satan actionem eam, quam in prima intentione vitiauit, ſuam totam ſibi facere videtur. Sin autem hîc minimè procedit dolus, tum verò aſtutus ille conatur, vt propoſiti ſecura mens, abſque timore incauta pergat, eique latenter vitia ſubiungit, quibus inſidiosè in laqueos ipſa procurrat: boni delectationem exaggerat, vt illabente ſuperbia efferatur: humanam laudem arridentem obiicit, vt, ſi quæſita non fuerat, ſaltem oblata delectet: ſæpè iuſto aliquo opere inchoato, ira ſuccenditur; dumque zelus immoderatior mentem turbat, quietis intimæ pacem exturbat: grauitati cordis, mœſta & deprimens triſtitia inſidiatur; dumque iners mœſtitia cauetur, in tam effuſam lætitiam animus effunditur, vt grauitatis modeſtiæque metas indecorè tranſiliat. Sed & mille alijs
Pſal. 14. occultis modis in fraudem agimur, nec eſt qui non veriſſimè dicat: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Quàm miſerando exitu ex aliena ca-
Ierem. 41. lamitate vis audire? narrat Ieremias; *Venerunt octoginta viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria, raſi barba, & ſciſſis veſtibus, ſqualentes: munera & tus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini. Egreſſus autem Iſmaël filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſpha, incedens & plorans ibat: cumq; occurriſſet eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam. Qui cùm veniſſent ad medium ciuitatis, interfecit eos.* Hæc eſt eorum quæ non raro nobis accidunt, imago. Quaſi oblaturi in domo Domini tus & munera venimus, quiſancta opera iunctis orationibus aggredimur.

mur: qui velut rasi barbam, nostris viribus minimè fidimus; qui velut conscissis vestibus, nos ipsos, vitamque transactam cum pœnitudine lugemus. At vbi minùs cautè in ipsa sanctæ deuotionis & operationis via circumspicimus, Ismaël Nathaniæ filius, hoc est malignus quilibet spiritus, & priore nequior, in occursum egreditur; simul incedit, & plorat; idem virtutis studium simulat, lugentis induit speciem, vt ad cordis intima penetrans, tanto profundiùs vulnus infigat: spondet etiam altiora, vt securiùs perimat, Venite, inquit, ad Godoliam; & in medio ciuitatis interficit, non in saltu, non in nemore, sed vbi tota & mera securitas. ita dum ad sublimiora, quàm pro viribus nitimur, qui per præcipitia stetimus, in plano labimur, ipsaque securitate, non secus quàm in mari vento nimiùm secundo, in scopulos latentes impacti, prædiuitis nauigij, pretiosarumque virtutis mercium, quo insperatiorem, eo miserabiliorem iacturam facimus.

At verò, si nec à capite potuit, nec in ipsa seu fluxione, seu effectione operis eneruare vim virtutis, acrior aduersus extrema cooritur, finemque & actionis extrema vitiare, omni conatu, vi, fraude contendit, id vnum sibi superesse sciens ex quo aliquid possit euincere. *Ipsi calcaneum meum obseruabunt*, ait Propheta; similiterque asseritur, *Ipsa tuum obseruabit caput, & tu calcaneum eius.* Solemus enim, vigilantiores in principiis, ab initio solertiùs cauere: quod animaduertens humanæ salutis hostis, vim totam calliditatis pessimæ, ad nos in extremo saltem debellandos, astutè collocat: inde videas, longo iam decurso stadio, meta propinqua lassatos, & à cursu cessantes; videas à sanctarum actionum crebritate & sollicitudine, ad raritatem remissionemque deflectentes; videas qui iam se diuites esse, iam triumphare credant, cùm pauperes & egeni, ne quidem quàm sit curta domi supellex norint; incerta, malis admixta, turgentia, pauca, parua, distorta, mutila, integrorum & perfectorum loco habent, iisque non secùs ac lacernis & scrutis pauperes, vanissimè atque stultissimè gloriantur. *Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentũ, cõsumentur velut à tinea? Quis potest dicere, Mundũ est cor meum?* quis dicat, In toto quarumlibet actionum mearum tenore, nihil est in exordio, in progressu, in fine vitiatum? Quis ita sibi perpetuò præsens est, vt nihil vsquam eripi, nihil incogitanti patiatur irrepere? Mitto ceteras timendi causas, peccata præterita, *de quibus quamuis propitiatis, noli esse sine metu*; beneficia ingentia, ingentem gratitudinem exactura, gratias, dona, talenta, tempus, vitam, occasionem, aliaque plurima, quorum, cùm tempus fructuum aduenerit, prouentus reposcetur, datique & expensi rationes conferentur: quàm multa, hinc deesse, inde superesse reperientur! profectò, quod asseruit S. Iob, vnum pro mille non respondebimus. Excitet nos hic salutaris timor, nimiumque ad torporem pronos vigilare solicitos cogat.

Psalm. 55. Genes. 3. iuxta 70.

Iob 4.

Prou. 20.

Eccli. 5.

Quid verò de amore mei censebo? si totum sibi Deus postulat, si & illi & mihi simul amando, par esse non possum: ergóne ab illo excidi? ô quàm iusta formido! quàm vehemens trepidatio! sentio ex hoc amoris mei fonte consilia, conatus, actiones fluere, sentio illo moderatore cuncta fieri, illo remittente cuncta langue scere, inarde scere vbi se inflãmatiùs excitarit. Isti profundo, sine fundo immergor, emergendi conatus in irritum est, deprimor dum attollor, dumque enitor sursum, densiùs infigor, placent vincula, durum est solui. O feram domesticam, ô blandum venenum! mortemque Sardonio risu inferens! Vtinam, orbe toto, vociferans exaudiri possem, & singulis perpetuò accinere; Cauete, mortales, cauete, vos amando, vos perditis; in Deum transferte amorem, & hæc vnica salus est. Sed ô inanissimam inanitatem mihi vndique sexcentis artibus illudentem, idque ex mei inimio studio! ita fit, alios homines cogito, monitos erroris cupio, tum vt mea mihi culpa eò leuior, quò in plures cõmunicata videatur, tum vt quasi peritior quidam habear, aliis etiam monendis idoneus: at mihi mea priùs fuerant, quàm aliena, ad viuum vincta cædenda. Verè, si me penitiùs introspicio, non habeo, vnde hunc amoris nimij timorẽ excutiam.

Insidiosam verò illam, furtimque semper alicunde irrepentem prolem eius, nempe sui suarumque rerum, quam dicunt, complacentiam, quando & quomodo vitabo? hei mihi, quoties illam quæro, diligo, amicissimè cõplector, nec extimesco, sed præfido, serpentem in sinu fouens? & quàm penetrabilis pernicioſiq; afflatûs serpens! quàm grande malum, malorum omnium pestifera radix, angelorum prima cõcussura, & extrema prolapsio! ecce tã letifero istius excẽtæ sibilo, purissimi illi spiritus à cœlis ad inferna detracti sunt, ego verò, quâ nimiâ temeritate, eodẽ illo toties delinitus, nihil impalleo, sed cælestem mihi & stabilẽ gloriam spondeo? dico quod quidam olim, *In cælum conscendam, ascendam super* Isaiæ 13. *altitudinem nubium, super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero Altissimo: nec ab illa auditione pessima timeo: Verumtamen*, quidquid ipse tibi placueris, imò quia tantopere tibi placuisti, quia omnia tua tibi vt placeres fecisti, *Amen dico tibi, operarie iniquitatis, recepisti mercedem tuam, ad inferos in profundum laci detrahetur superbia tua.* Verè, Domine Deus meus, quoties hæc attentiùs cogito (fateor tamen, ratiùs & leuiùs quàm deberem cogito, da gratiam, vt frequentiùs & vtiliùs;) quando tamen cogito, pertimesco, nec video quid à me sperare possim; totus enim isti complacentiæ implicor, neque sic hedera multiplicibus fibris vitem, vt illa singulas meas actiones circumamplectitur, stringit, strangulat, enecat, nec mihi vsquam, nisi à seuero iustoque, ad clementem & misericordem Deum, effugium patet.

CA-

CAPVT IV.

Quis Timor commendandus.

HÆ sunt quas dixi præter plurimas alias, Religioso etiam viro, iustæ timendi causæ. Adquemuis timorem nolim, eum desidero qui optimus est. Varia enim sunt timoris laude digni genera, quæ breuiter indicabo, ab imperfectiore gradatim inchoans. Primus timor est, cùm pœna peccato decreta perterret, ideoque licet peccati oblectatio non respuatur, à peccato tamen timore incurrendæ pœnæ abstinetur. *Vide Aluarum de Paz tom. 2 l. 1. p. 1. cap. 5.*

Alter est, cùm non solùm pœna grauissima, sed etiam damna ingentia timentur: nam peccato letali, longè maxima gratiæ, virtutum, laborum, mercedis, cælestis habitationis, Sanctorum & Angelorum societatis, gloriæ corporis & animi, summi denique & infiniti Dei, non reparabilis iactura fiet: quarum rerum qui dignè pretia æstimabit, erit vnde tanta damna timeat, seque summæ damnet amentiæ, quòd leuissimè præteruolantis voluptatis causa, res omnium æstimatione longè maximas, improuidè profundat.

Hi tamen duo timores, quia vel pœnæ, vel damni formidine mouentur, nondum ad perfectæ virtutis gradum pertingunt, initium sapientiæ & virtutis tantùm sunt, non ipsa sapientia & virtus: at ex his proximè patet adscensus ad tertium illum timorem, quo timemus ne peccemus, non solùm ob pœnas & damna, sed etiam ob culpam & offensam, quæ in Deum conditorem nostrum admitteretur. Atque hic timor, filiorum quidem est, sed nondum manumissorum, verùm sub ferula & pædagogo trepidantium; patrem amantium, ideoque eum iritare nolentium, ad cuius irati iussa, tot sunt damna, tot supplicia secutura.

Hinc autem ad quartum & perfectissimum timorem planus est aditus: qui timor, est reuerentia bonitatis diuinæ, quam omni cultu, obsequio, obedientiâ, reuereri & colere est æquum; tantamque in illa iritanda indignitatem esse censemus, vt nihil non vel damnorum subire, vel tormentorum perpeti in animum potiùs inducamus, quàm vt aduersus tantæ bonitatis leges insurgere temerarij audimus. Hic est ille *timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi*: Timor, non iam initium, sed ipsa sapientia, & se omnibus superponens, aliasque illas omnes, quas è Sapiente recensuimus, laudes assequens. Plura de hoc S. Augustinus variis locis disserit, eumque timorem castum nuncupat. quod nomen præ ceteris mihi arridet: nec enim virtutis vllius magis quàm castitatis, proprius est ingenuus quidam pudor, ad illicitas delectationes verecundè erubescens, & oblatum vitium rubore *Psal 18.*

pudico refutans; qui aptissimè huius timoris verecundiam & honestatis amorem significat; quando enim castus dicitur, dicitur esse eiusmodi, vt, si vspiam de Dei offensa periclitetur, delicato protinus honesti amore, verecundiâ suffundatur, neque ferre possit fœdos coram purissimo sponso suo Deo, vllius rei procreatæ amores aut complexus. In hoc argumento latè versatur idem Sanctus Pater in primam D. Ioannis scribens, vbi ait: *Incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati: cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor: minor caritas, maior timor: si autem nullus timor, non est quà intret caritas. sicut videmus per setam introduci linum; quando aliquid suitur, seta priùs intrat, sed nisi exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit vt introduceret caritatem.* Pluribusque interiectis, quærens quomodo caritas expellat timorem, cùm dicat Psalmista, *timorem Domini permanere in sæculum sæculi*: hunc postremum, esse castum timorem asserit, aitq; non posse meliùs explanari, quid inter vtrumque interfit, quàm duarum mulierum exemplo; quarum vna quia maritum timet, à voluptate quam perfrui cum alio optaret abstinet, optat mariti absentiam, sed eo absente ne tamen resciscat timet, & abstinet; hæc profectò non est casta: At alia est, quæ immunditiam nullam amat, sed castitatem, fidem, immaculatum thorum, hæc viri præsentiam optat, ne deseratur timet, non timet ne puniatur. Vtrumque animum sic erga Deum affectum alloquitur Augustinus, & quidem postremum his verbis; *Alloquamur & animam illã quæ habet timorem castum permanentem in sæculum sæculi. Putamus, inuenimus illam, vt alloquamur illam? Putas, est in hoc populo? Putas, est in ista exedra? Putas, est in hac terra? Non potest non esse, sed latet: hiems est, intus est viriditas in radice. Sed vbicumque est anima illa, vtinam eam inuenirem: & non aures suas præberet mihi; sed ego meas aures illi. Illa me doceret aliquid, potiùs quàm à me disceret: anima quædam sancta, ignea, & desiderans regnum Dei. hanc non ego alloquor, sed Deus ipse; & patienter viuentem in hac terra ita consolatur: Iam vis veniam, & ego noui quia iam vis vt veniam. Noui qualis es, quàm secura expectes aduentum meum. Noui quia molestia est tibi. Sed magis, expecta, tolera: venio, & citò venio. Sed amanti tardum est. Audi eam cantantem tanquam lilium de medio spinarum: audi suspirantem, & dicentem, Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me? Sed in via immaculata meritò non timet: quia perfecta caritas foras mittit timorem. Et cùm venerit ad eius amplexus, timet, sed securitas. Qui timet, cauet, & obseruabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet: non, ne mittatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa; quid? Timor castus permanens in sæculum sæculi.* Ista & plura ibi D. Augustinus.

Tract. 9.

Psal. 100.

Sed annon obseruasti, mi frater, quanti faciat, quàm suspiciat, veneretur, nec facilè reperiri credat, virum illum, qui casto timore sit præditus? quid est ergo vnde nobis eum æstimatores blandi arrogamus? quàm verendum, ne tantam

tam eius, quantam audiuimus, præstantiam necdum agnoscentes, ideò nobis eum tribuamus, quòd nobis minùs nota sit egestas nostra? si verò, non immeritò timemus, ne casto illo timore careamus, nónne par est demississimè sentire de nobis, qui ne quidem verum Dei timorem nobis insitum certò asserere possimus? Sed vt ad D. Augustini doctrinam redeam, eleganter & copiosè eam tradit Cassianus, iis quæ mox addam verbis, ordine tamen commutato. *Duplex est timoris gradus*, inquit, *vnus incipientium, id est eorum qui adhuc sub iugo & terrore seruili sunt, de quo dicitur, Et seruus Dominum suum timebit. Et in Euangelio, Iam non dico vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Et iterum, Seruus, inquit, non manet in domo in æternum. Imbuit enim nos, vt ab illo pœnali metu, ad caritatis plenissimam libertatem, & amicorum filiorúmque Dei fiduciam transeamus. Denique beatus Apostolus, qui seruilem illum timoris gradum, olim caritatis Dominicæ vigore transcenderat, inferiora despiciens, maioribus se ditatum donis à Domino profitetur: Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis.* Ita de hoc timore Cassianus, qui de altero perfectiore sic antea disseruerat, *Quisquis fuerit in caritatis perfectione fundatus, necesse est, vt ad illum sublimiorem timorem, gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx sollicito reueretur affectu; dum eius non verbera, neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis, attonita semper pietate distenditur, ne erga se, quantulumcumque feruor dilectionis illius intepescat. Cuius timoris magnificentiam vnus Prophetarum eleganter expressit: Diuitiæ, inquiens, salutis, sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus eius. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis euidenter exprimere, quàm vt diuitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaq, consistunt, diceret nisi à timore Domini non posse seruari. Ad hunc igitur metum, non peccatores, sed sancti, propheticis inuitantur eloquijs, dicente Psalmographo, Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Qui enim hoc timore Dominum metuit, certum est perfectioni eius nihil deesse.* Verùm supra omnes quæ vel dici vel fingi possunt, timoris Dei laudes, id mihi videtur esse, quod apud eundem Isaiam, cùm Christi Domini nostri plenitudo spiritus enarratur, postquam dictum est, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis*; ad extremum denique, velut summum quiddam, & verbis addito pondere, pronunciat, *Et replebit eum spiritus timoris Domini*: quasi non satis fuisset, vt in prioribus, dicere, *requiesceet*, nisi etiam & *replendum spiritu timoris* asseueraret. Timoris enim Dei, vt loquitur Cassianus, *tanta est vbertatis magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immeritò: Illi enim, quæ numquam excidit, caritati cohærens, non solùm replet, sed etiam perpetua & inseparabili eam, quem ceperit, possidet ingitate, nullis latitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus: quod nonnumquam illi qui foràs mittitur*

Collat. 11. cap. 13. Ioan. 15. Ioan. 8. Isa. 33. Psal. 33. Cap. 11.

titur timori, euenire consueuit. Sed longè optimè ac dilucidissimè, licet more suo sine ornatu verborum, quem ætas illa spernebat, Guil. Parisiensis, *Spiritus timoris*, ait, *specialiter eum repleuisse dicitur, quantum ad gratiam reuerentiæ, quia secundùm hominem prouidebat Deum in conspectu suo semper; propter hoc, vltra omnem cogitatum nostrum, repleuerat sanctissimam animam illius gratia reuerentiæ; sicut dicit Apostolus in quinto ad Hebræos, In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hæc autem gratia mirabiliter purificat animas videntes, siue prouidentes Deum, nec patitur aliquod culpabile, vel accedere ad ipsas, vel remanere in ipsis. Tanta quippe reuerentia est diuinæ maiestatis intuitibus illam, vt nihil culpabile in seipsis sustineant, & si quid tale in se perpendant, tota festinatione excutiant, atque à se abiciant. Quare sicut benedictus Redemtor plenus erat visione Patris, sic erat plenus & reuerentia eiusdem; & sicut visio qua Patrem continuè intuebatur, incomparabilis erat caritatis ad omnium aliorum Patrem videntium visiones, sic reuerentia ipsius erga Patrem ad reuerentias aliorum. Quare & puritas sanctissimæ animæ illius, ad puritates non solùm animarum humanarum, sed etiam angelorum, omnino incomparabilis, hoc est super omnem comparationem maior. Quia igitur timor reuerentiæ ita est purificans & sanctificans eos in quibus est, specialiter ipsum repleuisse dicitur, quem incomparabili sinceritate purificauit.* Ita Parisiensis. Quando ergo, etiam in ipso omnium rerum Domino Iesu Christo, tantopere se diuinus timor extulit, quis non videat ad illum in nobis comparandum & perficiendum, omnem operam laborem que nostrum optimè fore collocatum?

De virtutibus c. 11.

Tomo 5. Bibl. SS. Pat. c. 17.

Iam verò quòd timore animum nostrum purgatiorem reddi Parisiensis dixerit, & hoc apud omnes in confesso est, & aptè demonstratur à Diadocho his verbis: *Sicut vulnera quæ corpori accidunt, postquam squalida & sine curatione relicta sunt, medicinam si à medicis adhibeatur, non sentiunt, purgata verò, sentiũt vim medicamenti; sic anima quamdiu expers curationis est, & lepra voluptatis eam totam operit, metũ Dei non potest sentire, quamuis ei tribunal Dei horribile & præpotens perpetuò denuncietur. Postquam verò magna attentione purgari cœperit, tunc sentit veluti remedium quoddam vitæ, Dei metum; qui eam vrit arguendo, tamquam igne quodam sine dolore.* Proximè verò præcedente capite dixerat; *Nemo potest in sensu cordis Deum amare, nisi prius toto corde eum timeat: timore enim Dei efficitur, vt anima, pura & mollis effecta, ad exercendum caritatem se applicet: numquam verò aliquis, eiusmodi metum Dei qui dictum est, capiet, nisi extra omnes vitæ huius sollicitudines positus fuerit. Cùm enim quietem, & multam curarum vacuitatem mens ceperit, tunc metus Dei solicitat eam, & purgat multo cum sensu, eyciens omne terrenum & crassum, vt sic eam ad amandum valdè bonitatem Dei adducat. Quare metus quidem cum mediocri caritate, eorum est qui adhuc purgantur; perfecta verò caritas eorum qui iam purgati sunt, in quibus non est amplius timor: — sed potius ardor & agglutinatio continua animæ ad Deum per operationem Spiritus sancti, sicut scriptum est, Adhæsit anima mea post te: me autem suscipit dextera tua.* Si autem nec expurgatur animus, nec ad perfectam caritatem absque Dei metu peruenitur, numquid non à via veritatis aberratur, quoties timor Dei, nullo vnquam

Cap. 16.

quam tempore in corde viguerit,& nihilominùs quasi ad summam perfectionem contenditur? nónne & idipsum à deceptione superbiæ ortum ducit, quæ primis insudare dedignans, ad summa contendit, at neque summa neque prima consequens, vtrilque excidit? Timore igitur Domini stabiliamus progressus nostros, credamusque hoc fundamento non probè iacto, ruiturum denique, id quodcumque in altum euexerimus.

At longè pulcerrima, nobisque ad id quò tendimus omnino necessaria est illa quæ apud D. Bernardum legitur, duplicis timoris præclara distinctio: *Vides certè, quem timorem tibi incutere nitor,* inquit, *non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis. Est siquidem timor, inutilis, tristis, crudelis: qui veniam, quia non quærit, non consequitur. Et est timor, pius, humilis, fructuosus, qui cuilibet quantumlibet peccatori, facilè misericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit & seruat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem. Quem non delectet tam inclyta proles? Alterius verò misera soboles est, pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, contemtus & desperatio.* Et interiectis nonnullis pergit; *Caue gloriationem, tolle & securitatem, quatenus vtiliter semper solicitus sis, semper humiliter pauidus, non illo scilicet timore, qui, sicut iam dixi, prouocat iram, sed illo qui mitigat. Qui horribilis timor, si quando tuum terrendo pulsauerit animum, — fidenter respondè & dic: Malè quidem egi, sed factum est, & iam non potest non fieri. Quis scit, si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo, ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit? Malum ergo puniat quod ego feci, bonum autem maneat quod ipse prouidit. Nostris quippe inordinatis seu voluntatibus, seu actionibus, nouit bonitas Dei vti, semper quidem rectè in sui ordinis pulcritudinem, sæpè etiam piè in nostram vtilitatem. O clementissimæ circa filios Adam diuinæ pietatis recordatio, quæ sua non desinit largiri beneficia, non solùm vbi nullum inuenit meritum, sed plerumque etiam vbi totum inuenit contrarium! — Volo ergo te timere, & non timere, præsumere, & non præsumere. Timere vt pœniteas, non timere vt præsumas. porrò præsumere ne diffidas, non præsumere ne torpescas.* Ita Bernardus, ea docens quæ moderando timori obseruatu necessaria sunt, & quæ mox ad vsum Deo dante referemus. Epist. 87.

Ceterum quod de timore perfecto & imperfecto, in medium protuli, eo consilio feci, vt clariùs quid rei sint intuentes, certiorem & destinatiorem conatum ad comparandum frugiferum istud timoris donum afferamus. Donum enim est; & à Deo tum postulandum, tum expectandum; ita tamen, vt quamuis vnius industriæ nostræ partus esse non possit, otiosis & cessantibus haud adueniat, sed laborantibus & nitentibus iustus & liberalis largiatur Deus. Sed in hoc adnisu quædam obseruanda sunt.

CAPVT V.

Quomodo timor commendandus.

PRimò cauendum est ne plus æquo properatâ nostri fiduciâ, timorem illum damni vel pœnæ imperfectũ, mentis intimæ medullis insinuare negligamus: ima qui non pertransierit, non perueniet ad summa; & initia qui contemnit, ad extremorum perfectionem non pertinget. Habet etiam timor iste, ad arcenda mala, & cupiditates coërcendas vim maximã, quam in tanta voluntatis humanæ infirmitate ac inconstantia, inprimis cõseruari ac vigere necessum est. Sic autem conseruari, imò & augeri cupio, vt timor quidem damni, timorque pœnæ augeatur, id verò imperfectionis, quæ forinsecùs & aduentitiè adiuncta est, nempe prauæ delectationis cupido, minuatur, imò extrudatur; nec enim in Religiosi viri animo, eiusmodi labem insidere, ferendum esset.

At, inquies, vbi nullus praui amor supereſt, timor perfectus adest, cùm ideò reddatur imperfectus, quòd malum amaret, si pœnã nõ timeret. Verùm, sit necne in eiusmodi homine timor perfectus, nihil affero, nihil moror; id dico, ex timore pœnæ vitare malum, nullo modo adamatum, nonnihil adhuc imperfecti habere; nec enim ita perfectũ est, ac si solius virtutis, soliusque Dei gratia vitaretur; atque hic timor, quãdiu hanc miserã peccantemque vitam viuimus, vtiliter admodum animum insidet: nec est à ratione alienum, si in eo viro qui perfectum timorem possidet, aliquam etiam actionẽ timor imperfectus exprimat. quis enim abs vllo hominũ exigat, vt omnia semper perfectissimè faciat? & quis nesciat, remissioni, alternationi, varietati, iustissimas esse leges & tempora?

Sed ne fallaris nomine, obserua diuerso significatu dici aliquid imperfectũ, Primò ita vt deficientis & à recto alieni aliquid ineſſe indicetur, qualis est ille timor, qui amat voluptatẽ, timet pœnã, eiusque solius formidine à malo concupito abstinet: hæc enim illicitæ voluptatis cupiditas adiũcta, praua est, & imperfectio est, reprehensione digna. Aliter imperfectũ dicitur, quod & vitio propriè careat, & careat vera & absoluta perfectione, qualis est timor pœnæ, cuius vnius formidine sic abstinetur à malo, vt licet non ametur malũ, eius tamen vitandi, sola tunc ratio pœnæ, menti occurrat; quæ ratio, iusta quidẽ est (quid enim iustius, quàm tantis suppliciis occasionem negare?) nihilque mali admistum habet, cùm nihil prauæ cupiditatis animum tangat; attamen non ea est, quæ ex summo virtutis Deique amore sit profecta, ideoque (quod est imperfectum esse) non omnino perfecta est.

Alterum etiam notatu dignũ est, non iisdem è rebus huius vtriusque timoris concitandi, petenda esse argumenta, cumque vtroque nos instructos esse, & ab

imperfectiore ad perfectiorē progredi oporteat, eas in nobis esse cogitationes ciendas, quæ timori Dei excitando, cōseruando, perficiendo conferant. Diuinæ seueritatis exempla, angelorum in dæmones miseranda conuersio; tot myriadū Deum ignorantiū inopina, sed crebra damnatio; diuitum, sapientum, nobiliū, eorumq; quos deprædicant homines, nulla apud Deum æstimatio; gratiæ, prouidentiæ, prædestinationis modus & ratio, modū omnem & rationem ingenij nostri superans; eorum, quos casus dicimus, neque tamen Deo improuisi sunt, conuersiones admirandæ, tam in priuatis quàm publicis rebus, vita, morte, pace, bello, lætis, tristibus, secundis, aduersis, gloria, infamia, ruina, perseuerantia, & reliqua varietate infinita; sed præ omnibus, æternitatis, fine carituræ, miserrimæ, vel beatissimæ, immensum vtrimque pondus; & quòd harum alterā, perspicacissimo rigidissimoque Dei iudicio, & sententiâ numquā euomendâ, omnes homines, breui, post huius effluentis vitæ momentū necessariò subibimus. Hæc sunt quæ sæpiùs in memoriā reuocata, salutari timore fauciabunt: quæ tamen eadē, si non tantopere ad diuinorum iudiciorum terrorem, sed ad sapientiæ & prouidentiæ diuinæ tum admirabilitatē, tum in eos quos adamauit potentem benignitatem flexeris, castum, quem diximus, timorem excitabis: illum tamen præ ceteris pariet & fouebit crebra beneficiorum diuinorum cum gratitudinis affectu recordatio, sed eorū maximè beneficiorū, quæ tibi vni, & maximè immerenti, multa & magna collata fuisse recensebis: itemque humilis & sedula, immensæ maiestatis diuinæ, nos & nostra omnia perpetuò respectantis, nobisque intimè semper adstantis contemplatio. etenim si ex abiectissima plebe pauperculus, potentissimi Imperatoris miseratione in filium adoptetur, nobilissimoque huic, & in corona Magnatum conspicuo parenti adstet, quanta futurū putas vt eum veneratione prosequatur, composito ad modestiam oculo respecter, caueatque ne ex vllo corporis totius habitu, erumpat quod meritò oculos eiusmodi patris offenderet? quid nos igitur decet, vilia ex nihilo germina, peccati tabo fœdatos, perduellionis reos, æternorum fomites ignium? quanta solicitæ mentis reuerentia Deo adstare, purissimisque angelorum spiritibus admistos erubescere, & omnia in nobis contentissima vigilia circumspectare, ne fortè aliquid prodeat quod tantæ maiestatis præsentiâ sit minùs dignum? *Magna nobis est, si dissimulare nolumus, necessitas indicta probitatis, cùm ante oculos agimus iudicis cuncta cernentis,* verè & probè suam consolationem claudens dixit Seuerinus. *Boët extremo lib 5. consol.*

Denique cùm timore Dei tangeris, velim vt non magnopere angaris, missum potiùs facias, vter te timor impellat; habet ea disquisitio parum admodū vtilitatis, nitendum vt sit vigeatque timor Dei, modò ex his, modò ex illis rationibus, crebriùs tamen ex illis quæ à beneficiis, à iudicio in futurū incerto, à summa Dei maiestate & dignitate ducuntur. Quibus permotus, si nihil actionum tuarum indiscussum abire permiseris, crebrò, sincerè, seuerè, de singulis à te

ipso rationem exegeris, pacatè in res ipsas non effundaris, tuis animi motibus scrutator accuratus inuigiles; ne dubita, timorem illum sanctum, siue sciens, siue nesciens, consequêris.

CAPVT VI.

Quomodo timore Dei vtendum.

LAtissimè spectat Dei timor, eiusque vis in omnem humanæ vitæ partem vsquequaque diffunditur, quare ad quoduis virtutis exercitium, cuiusuis peccati fugam valet plurimum, possetque multiplex eius vsus prolixiùs recenseri; paucis eum notabo qui Religiosum magis deceat.

Opto igitur, mi frater, vt ne vmquam à memoria tua recedat, tibi coram eo esse contremiscendum, qui potest & corpus & animum mittere in gehennam, mittetque si grauioribus peccatis obnoxium, æternáque beatitudine indignum repererit; qui in cogitatus & actus nostros intentissimè prospicit, eorumque partes omnes exquisitâ iustitiæ lance perpendit; qui quem vult, iustè derelinquit, quem vult, piè atque miseranter ad gloriam prouehit; qui nullius egens, benè facit quia bonus est, iustè iudicat quia iustus est, quos vult amat quia solus amore dignus est, & solus amore dignos facit; potens & sapiens est, potentesque & sapientes non idcirco abiicit; bonus & verus est, ideoque humiles & abiectos erigens, inflatos & sibi præfidentes aspernatur; solus bonitatis, virtutis, gloriæ, salutis æternæ largitor optimus; spiritus, infinita quadam puritate puritatem omnem procreatam antecedens, obsequio, amore, cultu, reuerentia infinitè (vt sic loquar) infinita dignus; *Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem,* coram quo, in reuerentiæ & pudoris argumentum, ipsa Seraphim faciem velant, conditor, & supremus omnium Dominus, qui apud Prophetam ait, *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: — Omnia hæc manus mea fecit: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Audi quid loquatur; terra, cælum, quidquid cæli ambitu continetur, estque vel sola Dei voluntate, vel indita naturis facultate, vel hominum industria & arte perfectum, ea omnia quasi sua summa sibi iure vendicat, & vt res nihil vix aspectione dignatur; ad eum verò qui se pauperculum agnoscit, cuius animus timore Dei exornatur, benignus respicit, eumque suis donis augendum, felicitate cumulandum, bonus Dominus, miserator & misericors suscipit. Hunc igitur hac ratione frequenter tibi præsentem facias, reuerearis & timeas velim.

Iob 9.

Isaiæ 66.

Huius autem timoris vim eò maximè dirigi, ac de industria destinari cupio, vt dicere cum sanctissimo Iobo possimus aliquando, *Verebar omnia opera mea:* quod est, in omni meo cogitatu, & opere, perpetuò mihi comes adest timor Dei, hic me dormitantem excitat, torpentem stimulat, cessantem instigat, se-

Iob 9.

curum,

carum, de insidiis admonet: scio cui milito, cui placere, cui me probare cupio, scio *quia non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus*, ideoque omnem operum meorum partem, initia, progressum, finem, trepidus vereor, attentus dispicio, ne quid sit, quod perspicacissimis iudicis iusti oculis prauum videri queat. Sed & postquam omnia, quantū potuero, circumspexero, *Quantus sum ego, vt respondeam ei? etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinget me, & abominabuntur me vestimenta mea; Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo.* Hoc verò si vir ille Dei ore laudatus, verè dixit, si etiam bonis suis timuit ne vel in radice, vel in medulla, vel in aliqua latebrosa parte, vitium resedisset; quid nobis miseris fiet, quorum & tam multa mala sunt, & bona tam emarcida, nutantia, & exstantibus perspersa næuis? Vigiles igitur in omnem partem excubemus, oculisque instar sanctorum animalium vndique patentibus, antè & retro contentissimè caueamus, ne nostris actionibus aliquid vndecumque prauitatis irrepat. Sin autem nihil nisi rectum apparet, Deo tamen iudice timeamus, & longissimè ab omni fiducia nostri recedamus, meminerimus, *nondum nos comprehendisse, sic esse legitimè certandum & currendum vt comprehendamus*, ridiculam esse ante prælium gloriationem, temerarium ante victoriam triumphum, cecidisse vel sola victoriæ referendæ præfidentia multos, vicisse infirmiores quidem, at sibi vndique timentes, & cautos. *Militia est vita hominis super terram*, circumstant atrocissimi, licet visum effugientes, hostes, nec pacem nec inducias pacisscuntur, insidiantur si cessant, suamque improbi opportunitatem captant, vt pacis obtentu, laxatis excubiis, repentina imparatos aggressione opprimant. Sed neque in pace, militem otiari oportet, aggerē comportare, velitationibus excurrere, prolusionibus bellicis exerceri, variisq; ne eneruis fiat laboribus durari necesse est: atqui, *si huius sæculi filius*, in pace vt sapiens aptabit idonea bello, probaturq; timor prouidus futuri, te, *filium lucis*, prudentiorem reddet timor Dei, facietque vt numquam hac in vita mortali, fidentia securitatis elangueas, sed pacatis vt videtur rebus, venturæ tempestati animum obfirmes, crebraque sanctorum operum exercitatione pugnacior, & impetrato gratiæ præsidio firmiore, munitior euadas.

Alterum quod semper à Dei timore proficisci velim, istud est, vt numquam in mentē veniat diuitiarum & abundantiæ tuæ, si quando præclari aliquid egisse videberis; nā prēterquàm quòd hac tui opinione ad summam egestatem deuolueris, hoc est semper præ oculis habendum, nihil te tuis viribus aut egisse boni, aut agere posse, à Deo & per Deum esse atque conseruari bonum omne, si verò vel illud vel partem eius tibi sumseris, suum sibi ab ingrato resumet Deus, te tibi nudum & inopem relinquet. Faciet igitur hic timor, vt ipse tibi nihil tribuas, gloriam Deo, tibi modestiam & humilitatem serues.

Ne tamen improuiso impetu in præceps feraris, sua etiam hic timor moderatione indiget, cauendumque ne rectũ & à Dei spiritu profectum timorem dolosus Satan ad praua detorqueat. Nonnumquam enim, vbi animũ iudiciorum Dei terrore salutariter permoueri, & non facilè ad securũ torporem reuocari posse videt, veterator vafer accedit, obsecundat, timorẽ aggerat, variè implicat, & vndique ita multiplicem ostentat, vt homo peccandi terrore circumuallatus, nihil se sine peccato vel aggredi, vel omittere posse credat: dumque his implicatur angustiis, nec se ipse valet extricare, dum solam, quæ hîc in audendo sita est, salutem timor expellit, vel tristi otio emarcidus languet, vel scrupulorum inanissimis vmbris, femineum in morem, territandus insenescit. Atqui sanctus Dei timor modũ inani pauori ponit, & vbi certam cur peccaretur rationẽ non videt, vbi se ipse respexerit, & pro suo modulo cur sibi agendum, vel cessandũ sit, viderit, fidenter in alteram partem fertur, scitq; Deum moderatam, & bonæ (vt aiunt) fidei, & ex æquitate diligentiam à nobis exacturum, quã vbi sincera mente adhibuerimus, fallamur licet, haud tamen nostro periculo fallemur: at grauius erit periculum, si, quia supra hominẽ sapere, supra quàm par sit securi esse volumus, cessamus, & officij nostri partibus desumus. Itaque vt timori Dei fiat satis, imperturbatum mentis oculum in id quod agendũ imminet defigamus, tum deinde, quod bonum & rectum iudicauerimus, magna tranquillitate peragamus; sin autem obscurũ & controuersum est, quid potissimè fieri debeat, vel alios prudentiores, vbi res moram patitur, consulamus, vel, vbi desunt, vrgetque gerendi articulus, id agamus quod ratio potentior suadet, aut si nulla potentiore ratione in æquilibrio dubitamus, sequamur vtram voluerimus, Dei quidem implorata ope, sed longiore tamen cessatione abiecta, ac etiam (aliud melius nisi occurrat) sorte ad eligendum iacta. quid enim periculi aut imprudentiæ hîc est, cùm vtrimque iustas esse rationes iudicatur? imò verò, & securitatis esset, & prudentiæ, hac saltem via legitima, sese lentitudinis & trepidationis implexa tyrannide liberare.

Hîc tamen, neque hîc tantùm, sed omnino in omnibus, diligenter etiam cauendum, ne pusillos animos timoris assuetudine induamus; non est à Deo ille timor, à Deo quæ sunt, ad magna, ad excelsa, & summo Deo digna, ad fiduciam, ad æternitatem, ad perennantia bona ducunt: nec mentiebatur qui Domino exultans clamabat, *Saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate: Beatus vir qui timet Dominum, in memoria æterna erit: Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, non commouebitur donec despiciat inimicos suos.* nec putauit contraria, sed maximè consonantia canere cùm alio quodam psalmo concineret, *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Quid verò, inquies, quanta erunt isti audacia, quos ne quidem tanta maiestas exterret? vbi non erunt audaces, si etiam contra Deum, in rebus pessimis & lætantur & audent? at ecce, inquit, *Dominum non inuocauerunt; illic trepidauerunt timore vbi*

non

non erat timor. Habet interdum suos audaces impetus cupiditas, constantem fortitudinem non habet, sed neque habere potest: solius enim est virtutis, quæ vera nulla, nisi à Deo & cum Deo est. Pauidus verò, & quouis terrore consternabundus animus, hærens, nec se in partem vllam explicans, nonnisi abs hominum ofore spiritu esse potest, qui minis & terroribus implicandis, effingendis, exaggerandis torquere, pigroque ignauiæ torpore lentare, humiq; depressos nec se erigere audentes affligere amat. Hic itaque vanus timor, quasi clauus clauo, ita veriore timore pellendus: vanus est timor quo nullum, aut nonnisi tardum admodum, consultationi & prudentiæ finem ponimus, moderatam tantummodo cautionem à nobis exiget Deus; at verus est timor quo timemus, ne otiosi nobis dies & anni, sine fructu ad æternitatem duraturo pereant, ne toti pusillis timoribus implicati, ad ea quæ sola curanda, sola magni facienda essent, numquam nos pro dignitate erigamus. Meminerint qui eiusmodi sunt dixisse Sapientem: *Pone prudentiæ tuæ modum. Qui ventos considerat, numquam seminat. qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Nec est leuiter prætereundum, ab istiusmodi prudentiæ viro B. Patre Ignatio profectum monitum, quo edicebat, *Eos qui nimis prudentes esse volunt, haud sæpè magna præstare. Numquam enim se ad ea quæ pulcherrima sunt, admouebit is, qui eorum difficultates, & ancipites euentus, scrupulosè cogitat, aut anxiè nimis reformidat.* Ita ille.

Sed sunt etiam, qui postquam ab eo quod benè constitutum fuerat, recessisse se ex aliqua infirmioris animi fragilitate viderint, postquam se variis casibus, iterum & sæpiùs labi, multaque præter voluntatem cedere deprehenderint, contrahuntur animo, spem abiiciunt, & in futurum omni conatu deposito desperant. Timori nimio id passim tribui solet: sed licet aliquod meticulosi animi vitium inuoluatur, id tamen potiùs ego impatientiæ, superbiæ, ac supra verum æstimationi tribuerim. Impatientiæ, quia fermè tot suos conatus in irritum cecidisse indignantur, putantque non è sua dignitate fore, si toties ad eadem aggredienda descendant: Superbiæ verò est, quia cùm suis viribus, suæque industriæ præfiderent, non adfuit qui superbis resistit Deus, ideoque ad finem optatum non potuit res perduci. atque hæc est quæ latissimè per omnes adnisus nostros peruagatur causa, cur pro voto non accidant: ex illis enim quæ consulendo, nitendo, prouidendo perficere non possumus, docemur, cuius misericordi ope id possimus quod aliquando peragimus. Est denique, & in multis Dei timentioribus, quædam nonnumquam æstimatio supra verum, atque adeò cauenda; Deus enim summa veritas est, nec potest quod veritati aduersatur, Deo non aduersari. Quare, licet nullius vmquam, quantælibet rei illecebra, peccatum vllum admitti oporteat, si tamen, aut leuius aliquod admissum sit, aut in fraudem, ex errore vel fragilitate illecti sumus, non est plus iusto id æstimandum, nonputandum præclusum locum gratiæ, imò neque

que grauiùs excruciari animo conuenit: ad spem potiùs & alacritatem, maioremque in posterum solicitudinem, cautionem, vigilias & fortitudinem, vt è D. Bernardo diximus, nos ipsos hinc excitemus.

Vniuersè verò, quod & hîc & in plurimis aliis non parum iuuerit, monebo: Deus est lux, & (quod dilectus asseruit Apostolus) *tenebræ in eo non sunt vllæ*: similiterque Deus est pax animi, & *in pace factus est locus eius*; nec est *dissensionis Deus, sed pacis*. Obserua igitur timorem illum, qui mentem ita terret vt turbet, vt inuoluat, vt veri & æqui, perfecti & imperfecti, vtilis & damnosi perspicientiam obscuret, anxios, & in vtramque partem dubios ac hæsitantes torqueat, ab iis quæ sui muneris sunt exequendis retardet, inutilibus aut sanè non propriis & alienis curis implicet, caliginosis timorum tenebris, & ex se inuicem enascentibus, acimplexis labyrinthis, iudicium obnubilet, actum agat, & in eosdem renascentes, repressos, at subinde resurgentes timores relabatur, nec sibi, nec suæ conscientiæ moderatoribus constanter credat; pro comperto habeas, omnem illum vel perturbatorem, vel tenebricosum timorem, à Deo non esse, ideoque fugiendum, non audiendum, & aduocata mentis hilaritate superandum. Terret interdum Deus, fateor, maximeque peccatis inuolutos, at terror eius, si mortificat, & viuificat; si deducit ad inferos, etiam reducit; si humiliat, simul subleuat, dilucidus, placidus, spei plenus, viam qua redeatur ad Deum, demonstrat, complanat, iucundiorem & munitiorem reddit. Hæc obserua, & non facilè in fraudem inducêris.

Sed hæc de timore Dei sint satis, quem si possides, perseueras; qui enim timet Deum, nihil negligit; solicitus in eo perstat, & vigilat, vt eiusmodi sit cui aduenienti Dominus dicat, Beate serue quem vigilantem inueni. At verò, qui Deum minùs timet; in securitatem soluitur, dormitat & indormit, ac Domino media nocte de improuiso veniente, dum extinctæ lampadi oleum quæritur, excluditur, & quamuis serò pœnitens, longum clamet, & importunus pulset, quid aliud ei respondebitur, quàm triste illud, Nescio vos? Non timuisti, cùm vtilis erat timor, nunc timeas & lugeas vbi timor est & luctus æternus. Verè & salubriter dixisti sancte Macari, & alloquebaris Sanctos quando dixisti, Ploremus, fratres, & producant oculi nostri lacrymas, antequam istuc hinc eamus, vbi nostræ igneæ lacrymæ corpora nostra comburent! ad quæ verba proni omnes vbertim fleuerunt.

Vitæ SS. PP. l. de compunct.

CA-

CAPVT VII.

De ſpe & fiducia in Deum. timorem & ſpem in vnum conſpirare.

ALiquanto, quàm volueram, fuſiùs de timore Dei egi, iſta maximè de cauſa, quòd eius curam nonnihil iacere crederem; nunc ad ſpem atque fiduciam ſcriptio noſtra conuertenda eſt; quamquam ſine illo hanc qualem oportet habere non poſſumus. Excelſus eſt Dominus, & humilia reſpicit in cælo & in terra; ſumma imis, ima iungit & adnectit ſummis, totoque hoc orbe res maximè diſſitas arctiſſima copulatione coniungit: hominem ipſum quaſi totius familiæ, ſic omnium Dominum, è quàm pugnantibus mortali & immortali, terreno & cæleſti, corporeo & incorporeo, quàm arcta ſocietate deuinxit? de ſe quoque quàm multa, in ſpeciem pugnantia, ſed re ipſa maximè conſona, ab hominibus credenda proponit? iuſtus & miſericors, patiens & acerrimus vindex, occultus & præſentiſſimus, homo & Deus, æternus & Virginis filius, mortalis & immortalis, haberi vult. Vult hanc quã circumferimus maſſam carneam, eſcam vermium, iamque putidum cadauer, ſurſum ferri, morti eripi, immortalitati aſſeri, cælo donari, angelis intermiſceri, æterna gloria perfrui. Quid igitur mirum, ſi tam viles, & ad tanta tamen euocatos, velit etiam virtutibus in ſpeciem pugnantibus, at maximè conſpirantibus exornari? vult prudentes, at ſimplices, vult humiles, at magni animi, vult benignos, at zelo ardentes, vult hominum contemtores, at omnibus ſeruientes, omnes Chriſto lucrifacientes, vult denique à iudicijs Dei trepidantes, at miſericordiæ optimi patris præfidentes. *Omnis lapis pretioſus operimẽtum tuum*, ô dilecta & Deo præparanda anima. Ecce Deus tuus, Deus vnus eſt, & ab illo vno, ac in illo vno, omnis omnium rerum diſtinctio, varietas eſt, & ordo atque pulcritudo: tu igitur, tam ſanctis conſpectibus vt non reperiaris indigna, enitere, & plurimarum ac pulcherrimarum virtutum gratiam, varietatem, ornamenta & decora, tibi comparare ſtude: cauc præ ceteris, ne vel pudor erubeſcentiæ, vel fiduciæ candor deſit; hæ ſunt, quæ primos gratiæ aditus parant, quibus quaſi conciliatricibus, prona paſſim ſanctorum votorum impetratio ſequetur.

Intelligentium quidem ſummum & ſingulare, quódque in eundem cum ceteris ordinem redigi nequeat, eſt Deus; infimum verò & infinitè à primo illo diſtans eſt homo: ideoque ab homine ad Deum accedenti, infinita quædam procurſio exhaurienda eſt, & ea ſunt in vnum cogenda quæ inter ſe quàm maximè diſſident. Atqui hoc præſtabit timor & ſpes; nec enim hic timor eſt qui à curſu auocet, & in fugam agat, ſed qui deſiderium prouocet, & ne noſter nobis

amor pereat, solicitos angat; spes est, quæ facit animos, quæ sãcti Spiritus afflatu instructa, alacres ad perueniendum vires innouat. Iam verò hoc vtrumque, à sui & Dei cognitione ortum ducit: nostri enim, præ Deo vilissimorum, omniq́ue beneficio indignissimorum, imò potiùs mala multa meritorum, vera cognitio quid nisi timorem pariat? hinc autem, si à nostri, ad Dei cognitionem, quasi ab obscura imagine ad exemplar infinitis partibus perfectius transimus, quid nisi bonitatis, liberalitatis, mũnificentiæ, φιλανθρωπίας, & clementissimæ amabilitatis infinitus ac inexhaustus thesaurus occurrit, qui blãdissimè spem nostram excitat, solatur timorem, inopiam ditat? cumq́ue hæ duæ cognitiones ita sibi sint implexæ, vt altera foueat alteram, neque commodè separari queant; timor quoque à spe, & spes à timore, nisi vtriusque interitu seiungi nequit. Audi quid suiipsius experimento teste loquatur vir sanctus.

Bern. hom. 6. in Cant. *Felix mens cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. Ipsi sunt timor & spes: ille iudicij, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, cùm timor initium sapientiæ sit, spes, profectus; nam consummationem sibi caritas vendicat. Porro si iam dolore peccati, & iudicij timore compungeris, veritatis iudicijq́, vestigio labia impressisti. Quòd si timorem doloremq́, diuinæ intuitu bonitatis, & spe consequendæ indulgentiæ temperas, etiam misericordiæ pedem amplecti te noueris. Alioquin alterum sine altero osculari te nõ expedit, quia & recordatio solius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordia fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est & mihi misero, nonnumquam sedere secus pedes Domini Iesu, & modò hunc, modò illum tota deuotione amplecti, inquantum me sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus, stimulante conscientia, iudicio panlò diutiùs inhærerem, mox metu incredibili, ac miserabili confusione dejectus, & tenebroso circumfusus horrore, hoc solùm palpitans de profundis clamabam: Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quòd si eo relicto, pedem misericordiæ plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria & negligentia dissoluebar, vt confestim, & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promtior, & sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistra edoctus experientia, non iudicium iam solum, aut solam misericordiam, sed misericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine. In æternum non obliuiscar iustificationes istas. Cãtabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ: quousque misericordia superexaltata iudicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar.* Agnouisti lenissimè fluentem Bernardum, sed & verissimè monentem, necessarium esse vt hæc vtraque misceantur, quod profectò ipsa pedum nuncupatio aptè declarat: qui enim altero careat, is ad progrediendum ineptus redditur, & ruinæ certissimæ exponitur.

Eccli 5. *Ne dixeris*, monet Sapiens, *Miserationes Domini multæ sunt, peccatorum meorum non memorabitur.* Cur autem id neque dici, nec in mentem venire conueniat, verissimam rationem reddit, dicens, *Misericordia enim & ira ab illo.* Ira est, Miserationes

tiones Domini,& multę ſunt,& per omnia diffuſæ:ſed & iræ ipſius reſiſtere quis potèſt?ſic illas tibi promitte,vt in hanc tamen tuo merito incidere formides: æqualiter enim,& miſeretur omnium, & omnia in iudicium adducit Deus, ſiue autem iudicare,ſiue miſereri maluerit,idem ſemper perſeuerat, in vtroque laudabilis,in vtroque mirabilis. *Pius,ac iuſtus eſt conditor noſter:* acutè dixit Magnus Gregorius,*Nemo dicat,Quia pius eſt,venialiter pecco:& nemo qui peccauerit dicat,Quia iuſtus eſt,de peccati remiſſione deſpero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur,ſed perpetrare quiſque timeat,quod an dignè deflere poſſit ignorat. Ante culpam ergo iuſtitiam metuat, poſt culpam tamen de pietate præſumat: neque ita iuſtitiam timeat, vt nulla ſpei conſolatione conualeſcat:neque ita confidat de miſericordia,vt adhibere vulneribus ſuis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam; ſed quem præſumit ſibi piè parcere,ſemper etiam cogitet & diſtrictè iudicare.Sub pietate itaque eius ſpes peccatoris gaudeat,ſed ſub diſtrictione illius pœnitentis correctio contremiſcat.Spes præſumtionis noſtræ habeat morſum timoris: vt ad corrigenda peccata iuſtitia iudicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ gratia parcentis inuitat.* Sunt autem hæc ita certa,& paſſim nota vt probatione ſit ſupersedendum. *lib.33. Mor. c.10.ſeu 15.*

Vixque eſt aliud aliquid, quod ſæpiùs, aut acriùs ſacræ Literæ rebus præceptiſque commendent. nouit enim Deus, quantopere in partem alteram deflectere,improuidi,& cupiditatibus acti ſoleant mortales; nouit quàm captioſis vtrimque ſophiſmatis,fallax dæmon intricatos irretire affecter;quare ne hîc impingere aut labi quisquam facilè poſſit, clariſſimis nos monitis exemplisque voluit eruditos. Cùm etenim(vt è plurimis vnum aliquod exempli cauſa notemus)ſanctorum Dauidis & Petri graues lapſus, & poſt lapſum vitam iterum ad meliora reparatam legimus, quis, cadentibus tantis viris, altum ſapiat? Quis, tantis viris tam grauiter prolapſis, poſtque lapſum ad tanta diuinitus decora vocatis deſperet? Quis Luciferum è cælo, Adamum è paradiſo, Saulem è regno deiectum, ſapientem Salomonem à mulieribus dementatum, Iudam Apoſtolum in proditorem commutatum legens, non expaueſcat, trepiduſque ſibi diffidat? Sed quando receptum in gratiam Adamum, reſtitutum ſolio regio Manaſſen, quando Paulum è perſecutore Apoſtolum, quando Matthæum, Magdalenam, publicanos, latronem denique in ipſa morte paradiſo aſſertum legimus,quis non ſpei plenus exulter?atqui eiuſmodi ſunt, quæ paſſim in ſacrorum voluminum lectione ſibi implectuntur, vt metum & ſpem inter, ſeu potiùs in metu & ſpe,nauigationis noſtræ curſum,ab hac mortalitate ad æternitatem dirigamus. Et hoc ipſum ea lege nobis fuiſſe ſignificatum qua cauebatur, *Non accipies loco pignoris ſuperiorem aut inferiorem molam,* exiſtimauit vir quidam ſanctitate doctrinaq; percelebris: vt enim ſuperiorem inferioremq; molam ſibi iungi neceſſe eſt,vnamq; ſi demas,inutilis molendo frumento iacet altera,ita,inquit, *inceſſanter debet ſpes & formido coniungi;quia incaſſum miſericordiam ſperat, qui non etiam iuſtitiam metuit; incaſſum iuſtitiam metuit,qui non etiam de miſericordia confidit.* *Deuter.24.* *Greg.l.33. Mor.c.11. ſeu 16.*

Sed è plurimis pauca proferamus, quibus hasce duas virtutes arctissimè sibi
Eccli 2. deuinctas agnoscamus. *Et metuentes Dominum*, inquit Sapiens, *sustinete misericordiam eius: & non deflectatis ab illo ne cadatis. Qui timetis Dominum credite illi: & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Ecce quàm disertè & ordinatè, à metu ad patientem expectationem, ad fidem, ad spem, ad oblectationem, ob misericordiæ copiam nobis viam munit. Sed ne solus eat, qui satis fuerat solus, addamus huius virtutis
Psal. 113. experientissimum Dauidem: *Qui timent Dominum*, inquit, *sperauerunt in Domino,*
Psal. 102. *adiutor eorum & protector eorum est. Secundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Do-*
Psal. 144. *minus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Misericordia Domini ab*
Psal. 146. *æterno in æternum super timentes eum. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.*

Quibus è verbis penitiùs introspectis, non tantùm ita fieri, sed quomodo & cur fiat, cõiectare licet. Timor enim nos nobis exhibet quales verè sumus, pauperes, nudos, imbelles, ignauos, omnium rerum egenos, aspectuque summi regis indignos, cui tamen propria est beneficentia, misericordia, largitas in eos qui suam solius largitatem præstolantur, ac propterea quo nos pauperiores agnoscimus, eo munificentiorem illum expectamus, & quoniam nouit amatque figmẽtum suum, talem etiam eum experimur. Sed hæc magis è dicendis patebunt.

CAPVT VIII.

De desperatione.

CRudelissimam, & maximè abominandam hanc belluam obiter detestemur, vt tanto longiùs ab ea recedamus, & spes nobis tanto gratior arrideat.
Mar. Dum. l. de Moribus. hom. 37. in Cant. *Nemo*, vt breuiter, at neruosè Dumiensis Episcopus, *se mutat, qui se mutari desperet.* nec enim ad ea, quæ fieri non posse creduntur, conatum adijciet quisquam. Et D. Bernardus, *Desperatio sibi omnem malitiæ vendicat consummationem.* D. autem
de doctr. Christ. lib. 1. c. 18. Augustinus, *Quisquis non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius, quàm malum esse remaneat.* Quæ acutissimi Doctoris ratio diligentiùs excussa docet, ex quantula cumque desperatione peiorem tamen semper vnumquemque reddi. Etenim variè desperatur, de æterna nempe salute consequenda, de perfectioris instituti formula sectanda, de aliqua virtute comparanda, superando vitio, nobili aliqua virtutis actione peragenda, ingenti cruciatu vel peracri morbi dolore perdiu fortiterq; tolerando: at in his & id genus plurimis quicumque desperat, deterior fit, animum despondet, iamque nihil sibi reliqui

reliqui putat, quàm vt ad inferiora confugiat, virtutis altiorem tramitem relinquat, omniq́ue conatu ac repugnandi cura depoſita, non aſſurgat, non contrà audentior eat, non ſibi viam vi aperiat, ſed ignauè feratur in præceps, riſus & fabula hoſtibus, quos vincere voluiſſe, fuerat victiſſe, at victus eſt, quia non ſatis voluit vincere. Bone Deus, quanto id futurum eſt probro, quàm acerbo, ſed inutili luctui!

Veriſſimè igitur dixit S. Chryſoſtomus, *Nullare magis quàm deſperatione deſipimus*: quare ſimul probat deſperantes loqui ſtulta, inſulſa, parumq́; ſibi conſtantia, quæ ab amentia, an deſperatione profecta ſint, meritò dubites; ſuperbi ſunt, & contemtiſſimi, audaces & timidiſſimi. Id verò, animo non ſecùs atque corpori, euenire docet: vt enim hoc noſtrum corpus, pertinaciore perturbatione naturæ, ab æquali temperatione deiectum, in varias & aduerſas morborum ægrotationes incidit, & modò caloribus nimijs æſtuat, modò tremulis frigoribus impalleſcit: ita prorſus animus vbi humilitatis & ſpei præſidijs obſepiri deſierit, in ſuas & ipſe labitur ægrotationes, quas inſanitatem aut inſaniam dicere maluerunt, nihilq́; illi animo conſtat, turgeſcit vanitate, ſuperbia inflatur, formidine contrahitur, deſperatione torquetur, neq; iam ſui compos perſeuerat: tumet, inflatur, & momento euaneſcit, bullarum inſtar, quæ inaniter inflatæ ipſa ſui inflatione in auras inaneſcunt, vel etiam ſtupparum inſtar, quæ admoto igne latè collucent & turgeſcunt, at ſuo illo ſplendore aſcititio in pertenues cineris puluiſculos eunt. Hinc eſt inimico noſtro perfamiliare vt varias deſperationis cogitationes immittat, quibus omnem in Deum ſpem excludat, quę (vt idem Sanctus loquitur) tuta eſt anchora, ſubſtantia vitæ noſtræ, manudictio in Deũ, perditarum animarum ſalus: *Spe enim ſaluifacti ſumus*, ait quidam. Hæc eſt enim fida & aurea catena, è ſummis cælis in ima terrarum demiſſa, quam ſi forti manu cõſtanter ſtrinxeris, te huius vitæ fluctibus ereptum, tutiſſimæ cælorũ ſtationi importabit, & ſecurum beatæ perẽnitati conſecrabit: at ſi molliore animo fractus fatiſcis, & ſolutis manibus catenam dimittis; heu! cõtinuò, decidis, præcipitaris, & miſeriarum profundo immergeris: relictoq́ue, tam humilis & manſueti Domini mandato, tyranni, & noſtram ſalutem ſine fœdere impugnantis, atrox imperium ſuſtines; benigno iugo diſſipato, abiectoq́; leni onere, illorum vice, ferreis vinculis collum inſertaſti, lapidem inſuper molarẽ de tua ipſius ceruice dependiſti, in eamq́; te vltrò neceſſitatem induiſti, qua perpetuò te ipſe in deteriora vrgeas. Cui deeſt fiducia, illi & reſipiſcendi & ſalutis ſublata ſpes omnis eſt: ianuam ſibi vitæ obſeruauit, & ad curriculum aditũ præcluſit. Quapropter nihil æquè tentat, nec aliunde victoriã certiùs expectat hoſtis animarũ, quàm ii vmquã noſtris animis hanc diffidentię perſuaſionẽ inſeruerit: vbi enim id cõſecutus fuerit, nihil eſt cur nos oppugnare pergat, ipſi nos oppugnamus, iacemus, ruina noſtra inuoluimur, & miſeros eſſe delectat, adeoq́; à reluctandi conſilio abſumus, vt illis ipſis moleſtis vinculis, volentes, nolentes, grauiùs implicemur.

To. 5. ſer. cont. deſp.

Idẽ Chryſ. paran. 1. ad Theod. lapſ. ep. 5.

Rom. 8.

Ibidē multis interiectis.

At quæ tandem est, inquit idem vir sanctus, desperationis, ferætam immanis, mater & radix? Ignauia, quam etiam eiusdem altricem non immeritò dixeris, quemadmodum & in cadauere vermiculos gignit tabes, genitiúque tabem adaugent. Ignauia desperationem parit, desperatio ignauiam magis auctibus ampliorem facit, iterumque hæc adaucta dum execrabiles augmenti vices desperationi rependit, ac deinceps vna alteri suffragari non desinit, mirum quantum vtræque confirmantur, viresque, non iam humanis viribus, sed præpotenti solo diuino auxilio superabiles acquirunt. *Numquam*, ait D. Chrysost. *qui non torpescit, in desperationem proruet; neque qui alitur spe bona, aut qui expectationem salutis non abdicat, in socordiam delabitur. Par istud pessimum dissipa, & iugum confringe.* Ita ille, cuius è verbis, aduersus ignauiæ vitium pessimum, multa dicendi daretur occasio, nisi & properandum nobis esset, & crederem infanda & detestanda eiusmodi prole agnita, nihil esse, quod aduersus matrem grauius, aut exosius excogitari queat. Addam tamen, ignauiam hanc non qualemcumque, sed eam solam videri, quæ matre superbia, seu sui ipsius fiducia ortum duxit: ficenim vsu venire solet, vt postquam superborum, resistente Deo, consilia malè cesserint, de sua prudentia, quam vsque adeò elusit euentus, meritò diffidant, cumque nusquam aliò quàm ad se ipsos respectent, exanimati iacent, & frustrati conatus dolorem ac ignominiam non ferentes, ignaua consternatione desperant. Et

Isaiæ 30.

hoc ipsum est, quod Isaias Propheta proclamat, *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam & non per spiritum meum:— sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.*

Ierem. 17.

Quod ipsum apertissimè alter; *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi mirica in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.— Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.*

Ecce quàm pugnantia ad vtramque hanc fiduciam sequuntur, & quis non agnoscet iustissimè à Deo destitui, qui Deum destituit prior, seque solo maluit niti. quo quid dementius fingi potest? Sanè D. Hieronymus; *Nihil tam offendit Deum, quàm desperatione meliorum hærere prioribus. Licet & ipsa desperatio, incredulitatis indicium sit. qui enim desperat salutem, non putat futurum esse iudicium: quod, si meueret, vtiq; bonis operibus se iudici præpararet.* Potestne verius aliquid dici? quis iudicem timet reus, & iudicio, vel innocentiæ argumenta non præparat, vel miserationis non extundit affectum? ô magnam desperantis amentiam! Iustum & seuerum reformido, inquis, ideoque despero: sed heus tu, si times, quidni placa-

ep. 46 ad Rusticum.

re

re tentas? desperatio ista tua, placat, an grauiùs iritat? meliorem, an peiorem reddit causam tuam? aliquid noui boni, an potiùs grauissimi mali adiungit? conciliat, an auersiorem efficit iudicem? ô, si dignè misericordiæ ipsius immensitatem perpendisses! audi amicam, & pænè supra fidem clementem reuocantis inuitationem, *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.—polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis:—frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo, saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: numquid irascetis in perpetuum, aut perseuerabis in finem?* Ad quæ verba exclamat D. Hieronymus, *O clementia Dei, ô nostra duritia! dum & post tanta scelera nos prouocat ad salutem; & ne sic quidem volumus ad meliora conuerti!* Vtinam, vel saltem coronam nobis texeremus pœnitentiæ, quam imponeremus capiti, & assumeremus pennas columbæ, & volaremus, & in foraminibus petræ, in vulneribus Domini requiescceremus, & clementissimo reconciliaremur patri! *Ierem. 3.* *eadem epist.*

Quem in sensum excellit profectò Bernardus, & rem totam ita ob oculos ponit, vt eum audire iucundum sit futurum: *Quid Dei ignorantia parturit?* inquit, *quid nisi desperationem? sed quonammodo dicamus: Fortè aliquis reuersus in se, displicens sibi in omnibus malis quæ fecit, cogitansq; resipiscere, & redire ab omni via mala, & carnali conuersatione sua, si ignorat quàm sit bonus Deus, quàm suauis & mitis, & quàm multus ad cognoscendum; nonne sua carnalis cogitatio arguet eum, & dicet, Quid facis? & vitam istam vis perdere & futuram? peccata tua maxima sunt, & nimiùm multa: nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere: complexio tenera est, vita exstitit delicata, consuetudinem difficilè vinces. Pro his & similibus desperatus resilit miser, ignorans quàm facilè Omnipotens, qui neminem vult perire, cuncta ista dissolueret; sequiturq; impœnitentia, quæ est delictum maximum, & blasphemia irremißibilis; ipse verò aut conturbatus nimia tristitia, absorbetur & fertur in profundum, minimè vt iam consolationem recipiat emersurus; sicut scriptum est, Impius cùm venerit in profundum malorum contemnit. aut certè dißimulans, & sibi qualicumque verisimili blandiens ratione, reuocat se irreuocabiliter in seculum, ad perfruendum & deliciandum in omnibus bonis eius quoad licuerit: cùm autem dixerit Pax, & Securitas, tunc repentinus ei superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugiet. Ita ergo & de ignorantia Dei vniuersæ malitiæ consummatio venit, quæ est desperatio.* Apostolus dicit, *quòd ignorantiam Dei quidam habent: Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad Deum: neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur, qui pius est; durum & implacabilem, qui misericors est; ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum, pro eo quod non est ipse. Quid timetis modicæ fidei? vt peccata nolit remittere? sed affixit ea cruci cum suis manibus. quòd teneri, & delicati estis? sed ipse nouit figmentum nostrum. quòd malè assueti, & ligati peccandi consuetudine? sed Dominus soluit compeditos. fortè ne iritatus immanitate & multitudine criminum cunctetur porrigere manum adiutorij? sed vbi abundauit delictum, superabundare & gratia consuetit.* *hom. 38. in Cant.* *Prou. 18.* *1. Thess. 5.* *1. Cor. 15.*

sueuit. an de vestimento soliciti estis, vel cibo, ceteris q̃, corpori vestro necessarijs, & propter ea cunctamini relinquere vestra? sed scit quia his omnibus indigetis. Quid vultis amplius? quid iam impedit à salute? sed hoc est quod dico; Deum ignoratis, sed nec creditis auditui nostro. Vellem vos vel expertis credere, quia nisi crediderit is non intelligetis. Verè ita est, beneque ab his duobus sanctissimis Patribus obseruatum, desperatione fidem elidi; cùm autem salutis & bonorum ac virtutum omnium fundamentum sit fides, hinc apertè consequitur à desperatione, vt boni omnis depopulatrice & vastatrice potentissima, quàm longissimè esse recedendum. *Væ filijs diffidentiæ, qui nati filij ira, ipsi sibi iram in furorem, virgam in baculum, imò in malleum, diabolica obstinatione conuertunt!*

Bern. hom. 69. in Cant.

Sed tristioribus his omissis ad alia iucundiora me confero, si hoc tantùm monuero, vt qui se ad animi deiectionem propensiores sentiunt, cogitationes eas aduocent quæ erigendis, eas auersentur quæ deprimendis animis aptiores videntur. Huiusmodi sunt iudiciorum Dei, humanæque infirmitatis crebrior consideratio, à quibus vtique cauendum, præstatque vt timidiores animæ leniioribus argumentis ad perfectiora se concitent. Grauiterque priores illos reprehendit Gerson, quòd leuia peccata, vel etiam præterita exaggerare, sibi exprobrare, in memoriam reuocare, atque inde pertimescere non desinant, suaque omnia lance iustitiæ potiùs, quàm misericordiæ trutinent, quasi verò suis viribus, suaque iustitia potiùs quàm diuina misericordia salutem sibi spondeant. Et quomodo amator pacis Deus, in eiusmodi irrequieta, nouasque semper fluctuationes amante conscientia sibi locum eliget? Quanto foret illis consultius, vt non suæ iustitiæ, sed Dei misericordiæ fiderent, sic iudicia Dei moderatè spectarent, vt tamen miserationes eius, super omnia opera eius agnoscerent? De postremis verò ita D. Bernardus; *Sunt qui & desperant: hi videlicet qui considerantes imbecillitatem propriam, deficiunt, & obruuntur à pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua, & circa infirmitatem propriam semper intenti, vt omnia quæ patiuntur, cursim enumerare valeant. Vbi enim intenderis ingenium, valet. In adiutorio autem Dei non habitant, neque nouerunt illud, ita quòd nec assurgere valeant vt aliquando cogitent illud.* Ita ille; sed ex his breuiter adscriptis, etiam medela indicatur, quæ tamen è dicendis præsentior fiet.

lib. cont. pusill.

serm. 1. in psal. Qui habit.

CAPVT IX.

Quanta possit esse spes.

AB hoc sacro, quod iam pandimus, spei adyto, profani procul arcentor, omnesque illi, qui cupiditatibus immerguntur, qui peritura prospectant, qui diuitiarum, honorum, amorum suorum spem humi defixerunt, qui necdum diuini

diuini timoris flabris expurgati, peccatis etiam subinde grauioribus implicantur. At vos ego alloquor, cariſſimi fratres, qui humiliter ſuperbo pede, mundi vana calcaſtis, qui totis animis peccati labem exhorreſcitis, ad excelſa & æterna contenditis, animumque vario virtutum decore, ſed in primis humilitatis, obedientię atque caritatis exornatis. Imò verò, ne fortè quiſquam temerè hoc ſe numero eximat, nō vos tantùm, ſed omnes eos alloquor, qui letifera peccandi conſuetudine poſita, ſecretam à contagione vitiorum vitam, ſiue priuatim ſoli ſibi, ſiue cum ceteris in eiuſdem ſanæ voluntatis conſortione traducunt.

His omnibus, nihil addubitans inclamo; Sperate, ſpei veſtræ nec termini, nec limites ponantur; confidite, exultate, gloriamini ſpe filiorum Dei: paratum à ſæculis vobis eſt regnum ſummi Patris, iam ex hoc nunc illud ſpe præcipite, illuc animo tranſcendite; vos Pater dedit Filio, arrham tenetis, ſanguinem eius, quis vos eripiet è manibus fortis huius? ecce etiam in illis deſcriptus, imò vulneribus inſculptus es. Quid ergo de te loquitur? *Numquid*, inquit, *obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Dic ergo illi ſemper, & ex animo ita medullitus ſentias; Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me; regit me, & nihil mihi deerit: ſi conſiſtant aduerſus me caſtra, in eo ſperabo, exurget, & ſicut fumus diſſipabuntur inimici; ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam ipſe mecum eſt, & ſingulariter in ſpe conſtituit me, erit mihi ſemper in Deum protectorem, in vmbraculum ab æſtu, in clypeum à ſagitta, & in domum refugij vt ſaluum me faciat. Liberauit me quoniam ſperaui in eum, & ponet animam meam ad vitam. Suſceptor meus & liberator meus, Deus meus, ſperabo in eum: fortitudo mea, & refugium meum eſt, propter nomen ſuum deducet me, & enutriet me. Educet me de laqueis, & in loco ſpatioſo ſtatuet ſupra petram, & in abſcondito tabernaculi ſui me proteget, donec intrem in ſanctuarium Dei, in locum tabernaculi admirabilis, vbi iam nemo ſit qui exterreat, ſed in multitudine gloriæ Domini malum omne conticeſcat, laus, gloria & exultatio, cum iucunditate frequententur. *Iſaiæ 49.*

Sed quæ, & quanta bona à Domino Deo meo ſperabo? plura ſanè, quàm à matre puſio: nam & melior matre mihi eſt, & meliora ſunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis: & quid abs eo non expectem, qui veſtit lilia & fenum, qui paſcit aues, & prouidet omnibus, neque nos de craſtino vult eſſe ſollicitos? audiam quod conſulit vir ſecundùm cor Dei. *Iactabo ſuper Dominum curam meam, & ipſe me enutriet: & qui implet omne animal benedictione, dabit eſcam in tempore opportuno;* ſcit quæ nobis neceſſaria ſint, & prouidebit, *nec dabit in æternum fluctuationem iuſto:* qui ſperas in Domino fluctuationem omnem timoremque depone; in æternum, fieri non poteſt, vt tibi quidquam deeſſe patiatur. Omninò, quouis in rerum euentu *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum:* morbi premunt, egeſtas vrget, torquet negotium anceps, ten- *Cant. 1.* *Pſal 54.* *Pſa. 144.* *Pſal. 26.*

tator instat, cælestium rerum sensus exaresçit, sibiq; derelicta mens clamat, vim patitur, consolantem se non inuenit; terra ferrea, cælum æneum tuis precibus
Psal. 39. obsurdescit: hîc tamen constans esto, *expectans expectato Dominum*; noli præceps esse, viriliter age, omnium rerum sunt vicissitudines, earumque tempora in sua
2. Mach. 7. sibi potestate, suoque iudicio reseruat, *etsi tibi, propter increpationem & correptionem, Dominus Deus noster modicum* fortassis *iratus est, sed iterum reconciliabitur seruo*
Isaia 54. *suo. Ad punctum, in modico, derelinquit te, & in miserationibus magnis congregabit te. In momento abscondit faciem suam parumper à te, & in misericordia sempiterna miserebitur*
Psal. 39. *tui, & fœdus pacis eius non mouebitur. Intendet tibi, exaudiet preces tuas, & educet te de lacu miseriæ, & de luto fœcis: & immittet in os tuum canticum nouum, carmen Deo nostro. Cantabis dilecto tuo; Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, non respexit in vanitates*
Psal. 45. *& insanias falsas: si turbabitur terra, si etiam transferantur montes in cor maris, si pariter fremebundæ aquæ insonent, propterea non timebo; Dominus enim virtutum nobiscum, à quo trepidabo? susceptor noster Deus Iacob, quis me pauor exterrebit? Beatus homo qui sperat in te Domine Deus omnium*; omnia fecisti, conseruas omnia, & sperantium in te voluntatem perficis.

Quid est autem quod à Deo non veniat, nisi peccatum? neque hoc tamen diuinæ prouidentiæ vim effugit, illi seruiat, ab illa ordinetur necesse est. quid igitur à Deo mihi non promittam? summus est, & infima non aspernatur; immensus, & ad minima se adiungit: ab illo igitur omnia sperabo, impetrabo, suscipiam. Illi vni cor & caro mea, corpus meum, meus animus, mors, vita, tempus, æternitas, præsentia & futura, expectatio & desideratio mea omnis, illi vni bene sperando nitetur. ab illo, quidquid corpori meo in victu, vestitu, valetudine, quiete, fatigatione, commodis aut incommodis acciderit, quidquid auditũ, dictum, exceptum, & in me deriuatum ab alijs fuerit, quidquid mentem meam grauius, leuius, benè, malè, iucundè, asperè, aut quomodocumq; affecerit, actionem etiam & cogitationem meam omnem, & omnia quæ mihi vndecumque obtigerint, certa spe ad meam æternitatis beatitudinem profutura, ideoq; ab illo profecta credam; quin & meos ipsos lapsus, teporem irrepentem, & illabentia peccata, non nisi magno meo bono ab illo permitti, atque ad maiorem profectum meum inflecti videbo. O ingentem diuinæ bonitatis dulcedinem! quàm latè per omnia peruagatur! quàm nullis arctata terminis exundat!

hom. 20. in Cant. *Huic securè me credo*, ait D. Bernardus, *qui saluare me velit, nouerit, possit. Quem quæsiuit, hunc & vocauit per gratiam suam: numquid venientem ejiciet foras? Sed nec vim, nec fraudem profectò metuo vllam, quæ me videlicet de manu eius possit eruere, qui & vincentem omnia vicit mortem, & seductorem vniuersitatis serpentem arte vtique sanctiore delusit, isto prudentior, illa potentior.* Nititur hac amica fiducia Daerianus quando
Docum. 2. præcipit, *Plena fiducia te totum, & omnia tua Deo committe, ita vt eius voluntas, aeter-*
so. 5. Bibl. *naq; dispositio, sit tibi semper pro summo solatio; & siue in tenebris, siue in lumine, siue in tribulatione, siue in prosperitatis successu, siue in cordis angustia, siue in cordis latitudine,*

siue

siue in donis pauperem, siue in ijsdem diuitem esse te voluerit, rectè de eius bonitate sentias: & grauia ac molesta quæque de manu paternæ pietatis atque prouidentiæ illius humiliter, patienter, vel etiam hilariter suscipias: certò credens eum omnia pro tua salute ordinare, vniceq; optans, vt ipsa voluntas eius omni tempore in te perficiatur. Id quamdiu facimus, constant nobis omnia, vt primùm ab eo recedimus retro fluunt omnia, ideoque (quod notauit S. Hieronymus) sapientissimè Salomon, *Deuolue super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ. Tunc enim nostra cogitatio,* addam etiam spes omnis & actio, *confirmatur, quando omne quod agimus, quasi super stabilem & solidissimam petram, Domini adiutorio deuoluimus, eiq; cuncta reputamus.* *lib. 3 cont. Pelag.* *Prou. 16.*

At numquid lego, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum? Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & humiles spiritu saluabit?* quid ergo? iniustus & superbus, sanctorum & humilium me promissis ingerã? non verebor, ne iram magis quàm miserationem prouocem? ô malæ diffidentiæ, argumenta nimiùm subdola! ego verò sperabo in Domino qui eruet ab inferis animam meam, annon & bonis & malis benè facit, quia bonus est? & malos in bonos commutare amat? *propitiabitur iniquitatibus meis, & sanabit omnes infirmitates meas. Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors: non secundùm peccata mea faciet mihi, nec secundùm iniquitates meas retribuet; ab æterno in æternum misericordia eius, & eruet animam meam vt non pereat, & proijciet post tergum suum omnia peccata mea, nec eorum recordabitur in æternum.* Annon gratia, gratia est, vt gratis, vt immerenti obtingat? estne iustus quisquam, quem iustum ipse non fecerit? quem quando iustum fecit, non repererit iniustum? non agnouerit indignum? & iustum effecit, quia misertus est; & dignũ reddidit, quia dignatione prouexit? cõfidat, qui volet, meritis, iamq; sua virtute securus triũpher, mihi verò sperare in Domino, & quidẽ solo Domino bonum est, & bonũ est, vt non alia spei meæ ratio sit, quàm quia bonus, *quia potens est omnia facere, superabundanter quã petimus aut intelligimus, habemusq; fiduciam & accessum in confidentia per fidem Christi Iesu Domini nostri.* Audio illum, & quidem spe surrectis auribus audio dicentem: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operiẽt te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* O quàm ampla promissa! sed qua lege, quibus argumentis ea consequemur? quid mihi desperationis importunus auctor obgannis? cur conditiones à tam beneuolo promissore alienas effingam? audi quid dicat, & obmutesce: *Quia,* inquit, ô rationẽ iucundam, & spei bonæ grauidam! *quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Propter nomen meum longè faciam furorem meum; & laude mea infrenabo te ne intereas. Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer: & gloriam meam alteri non dabo.* Ita fiat, Domine Deus meus, ita fiat, propter te benè nobis facias, tuiq; beneficij, vt tu solus & causa & modus eris, ita in te vnum, tota & mera gloria redũdet, nihil ibi meum, nihil cuiusquam à te alterius reperiatur, quo puriùs tuũ fue-

Psal. 33. *Psal. 102.* *Isaiæ 38.* *Ephes. 3.* *Isaiæ 43.* *Ibid.* *Idem c. 48.*

Psal 68. rit, eo melius & securius fuerit. Audiant humiles, & lætentur & magnificent nomen Domini in laude: qui verò sua virtute confidunt, deleantur de libro viuentiũ, & cum iustis non scribantur. *Expectatio Israël, Domine: omnes qui te derelinquunt*
Ierem. 17. *confundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: diem hominis non desideraui,*
Iob 17. *tu scis. Et vbi est præstolatio mea, & expectatio mea? tu es Domine Deus meus, & praeter te*
Psal. 38. *non est alius.*

Sed quò abijt, inquis, quod paulò antè de peccatis tuis, de iudiciorum Dei timore loquebaris? ô molestum interuentorem! farebor tamen, hîc nescio quid obscuri patior, hebet lingua, nec mentem verbis satis assequor; si me respicio, timeo; si Deum, & timeo, & spero: sed quo magis me despicio, spero magis, ac etiam ad maiorem spem ipse meus timor proficit: Iuuat sperare; exterruerit quan-
Iob 13. tumcumque, confidens instar cuiusdam exclamo, *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo: & ipse erit saluator meus.*

CAPVT X.

Possitne spes maior esse quàm timor.

REcensitum in superioribus est, nec recensitum tantùm, sed etiam dilaudatum Sanctorum monitum; Iustus est Deus, time; sed & bonus idē est, spera: atque hinc dubitantem & hærentem audire mihi videor; An non omnia quæ in Deo sunt, infinita sunt, & non est vlla perfectio maior quàm altera? iustitia igitur bonitati, seueritas clementiæ æquatur: atq; adeò timor erit spei æquãdus, quantum quidem à Deo fuerit; multis verò partibus amplior futurus, vbi nos ipsos (quorum res agitur, & quorum maximè interest) respicere cœperimus. Etenim ingratitudinis, indignitatis, & multiplicis iniquitatis nostræ, si vim quã numerum inire, grauitatem æstimare, vt oportet, voluerimus, æquatis, quod ad Deum attinet, & neutrò propendentibus iustitiæ & clementiæ lancibus, numquid non est necesse, vt tanta ista nouorum in lancem iustitiæ accessione ponderum deprimatur? hæc autem qui accuratè perpenderit, putasne, verius erit, vt vana spe se deludendum lacter, an vt vero timore consternatus expaueſcat?

Speciosè quidē ista, & deijciendis animis, ni diluantur, satis validè intorquentur; sed vt solet esse veritas victrix, ita spero fore vt huius obiectionis protritu, lux clarior, & spes certior affulgeat. Quam vt perspicaciùs videas, mi frater, solerter animaduerte, Quid ex quo fiat? & deprehendes, è rebus veris & certis, inconsequentia, nullóque cum eis nexu cohærentia assumi, indeque longiùs procedendo, errorem & mendacium adstrui.

Verissimum est, plurimarum earũ quæ Deo tribui possunt perfectionum, singulas

gulas immensas esse, cùm id omne, quod naturæ vndequaq; immensæ inest, immensum sit necesse est; quare id quoq; verum, non clementiorē, quàm iustiorem esse Deū, infinita illa clementia & iustitia, quæ naturaliter ipsius est propria. Verùm ex hoc, nihil dū conficitur, quod ad timoris aut spei modum redundet, nisi etiā viderimus quemadmodum vim suam in homines expandant: & an iustitiæ nomine, sola sit seueritas & ad puniendū ardor intelligendus. Hoc autē vbi viderimus, perspicuum fiet, quanto erga res omnes, at maximè homines, potiores misericordiæ, quàm iustitiæ sint partes, & cū sancto rege cantabimus, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius: superexaltat autem misericordia iudicium.* *Psal. 144.* *Iacob. 2.*

CAPVT XI.

Sitne iustitia timoris potiùs quàm spei causa.

PRimùm igitur obserua, tu quicumque iustitiæ nomen in timoris patrociniū assumis, nequaquā iustitiæ diuinæ id munus esse, vt puniendo delectetur, vel pœnarū sumendarum occasionem quærat: id enim durū & immite foret, quodque piæ benè sentientiū aures abhorrent: quin & ipsi homines puniendis aliorū sceleribus præfecti, crudeles & immanes haberentur, si vel quantū possunt punirent, vel ex aliorū supplicijs lætitiam præferrent, vel ad peccandum allicerent, vt vel sic pœnis iustis torquere possent. Imò verò longè est rationi & æquitati consonantius, idq; ab omnibus bonis vsurpari solitum, vt quantum in ipsis est, peccata præuertant, & ne admittantur impediant, ne fortè illis admissis, in flagitiosum sæuire cogantur.

Sed iā prauè admissa multa fateamur: at neq; sic tamē de iustitię laude detrahitur, si vel flagitioso parcatur, vel leniùs, quā erat meritus, puniatur: nec enim vel clementia iniusta est, vel iniquū est parcere, nisi quando ad maiorem iniquitatis cumulū id cederet: at si leniore pœna, vel parcendo, melior euadit qui peccauerat; quis non eiusmodi lenē esse, laudabilius iudicet? & quæso, vbi vnquā in pœnis vel humano, vel diuino iudicio inflictis, iudicē vidimus scrupulosiùs laborātem, vt delicti grauitati supplicij grauitas par foret? Sciunt enim, ad iustitiā quidē pertinere, vt iniusta nemini pœna infligatur; at verò ad illā solam nō pertinere, vt tanta, vel etiā quæpiam vllà reposcatur, sed an sit, & quæ sit exigenda, esse aliunde, tū ex publica, tum ex priuata peccantiū vtilitate, atq; interim ex ipsa iudicantis dignitate pensandum. Etenim quo celsior & amplioris auctoritatis est iudex, eo solet esse decentius, vt se in puniendo clementiæ memorē præbeat: ita vt pœnarum remissio, exactio, varietas, quamquam non sint iniustæ necesse est, quòd tamen intra modum sint, & non pro grauitate delicti, non magnopere

facit ad iustitiam, sed ad sapientiam, prudentiam, clementiam, & id genus virtutes, iusti & æqui moderatrices.

Denique quoties de iustitia illa quam Theologi vindicatiuam vocant, agitur, ne putes ab ea vel homines iustos, vel Deum dici iustum, sed est tantùm imperfectior quædam pars, & quasi effectus alterius iustitiæ, quæ in seruanda æqualitate versatur. Fateor quidem, ita hinc compellari solere iustos, magistratus eos qui sceleratorum quæstionibus præsunt, sed hoc ex occasione muneris accidit, cuius ea censetur pars esse potissima, vt compescendis terrore pœnæ improbis inuigilent: & quoniam cùm id seuerè præstant, fit vt vnicuique securè, quod suum est maneat, rarique sint qui iniuriam cæteris inferant; inde meritò quasi per metonymiam iusti nuncupantur, hoc est, iustitiæ conseruandæ, & iniustitiæ cauendæ auctores. quo eodem sensu iustæ leges dicerentur, quia iustitiam præscribunt, & auctoritate sua sanciunt. Atque hoc etiam significatu, vindicta & punitio peccatorum iusta dicitur, quia per eam in cæteris, qui ab iniustitia deterrentur, iustitia magis efflorescit, & iniustitiæ aditus obstruitur: quod verum esse potest dum tantummodo pœna non sit grauior, quàm delictum exigat, etiamsi vel sit longè mitior quàm esse potuisset, vel ex quocumque alio, quàm iustitiæ affectu iniungatur; vt re ipsa aliunde solet iniungi.

Etenim qui ex iustitia agit, alteri reddit quod ei debet; sin autem nihil debet, aut si reddit quod non debet, nequaquam ex iustitia, sed ex aliquo alio fine agit. Iam verò satis constat, & hoc etiam ipsamet verba sonant, eum qui punit non debitorem, sed exactorem esse, & eum qui punitur, non quidem aliquod ius sibi reposcere, sed potiùs punienti pœnas persoluere: ex quo fit, vt punitio, siue iustitia vindicatiua, cùm non reddat id quod alteri debet, sed exigat quod sibi debetur, & à nocente pœnas sumat, non sit dicenda iustitia, nisi metonymica & impropria; ita tamen vt si ex ratione fiat, ad eam referenda sit virtutem, ex cuius amore vel imperio exoritur. quare qui punit, ad arcenda scelera, ex zelo agit; qui ad eius quem punit correctionem, ex caritate fraterna; qui ad reipublicæ conseruationem, ex pietate, vel iustitia legali: ac ita variè ad varias virtutes punitio iusta referetur.

Ecce, inquis, dum iustam negare voluisti, veritatis tanta fuit vis, vt iustam fateri cogereris. Nequaquam; sed consultò à me prolatum est, vt ne verbi frequentatione fallaris; quippe frequentissimè hoc nomine vtimur, sed significatu amplo, vario, & ad peculiarem iustitiæ virtutem minimè spectante: iustum enim dicimus id quodcumque coæquatur alteri cum quo confertur, etiamsi nihil iuris & debiti intercedat; vnde nihil vetat quin eundem reum, vel iustè puniat, vel ex clementia iustè princeps absoluat. quibus in loquendi generibus, non aliud significat Iustè, quàm non iniustè: sed hoc vbi de pœnis agitur, magis vsurpatur; vix enim aliter iustam pœnam intelligimus, quàm quæ non est iniusta, quæ delicti grauitate maior non est.

Sed

Sed ad iustitiam Dei reuertamur, cuius nomen variè accipitur. Nam interdū ita latè significatus eius extenditur, vt omnem virtutem complectatur, nec sit aliud quàm virtus, seu perfectio, nihil vspiam patiens quod à recta ratione exorbitet. iam verò de hac iustitia non agimus, cùm enim omnes complectatur, tam est clementia, quàm prouidentia, vel alia quæpiam virtus, ideoq; ab ea propriè nulla pœna exoritur. Aliter præterea dicitur iustitia, concentus quidam virtutū aptè inter se consonantium, ita vt nihil in commune desit aut superfit: atq; adeò hæc iustitia est in Deo, illarum virtutum moralium complexio, quæ in diuina voluntate esse intelliguntur, quæ non aliud sunt, quàm diuinæ voluntatis rectitudo & simplicissima bonitas. At neque hæc iustitia, ad nostræ dubitationis elucidationem facit: sed alia quædam est, quam articulatè explicare non est huius loci, describam tamen, & ita comprehendam, vt eam quantum satis fuerit, & per eam id quod agimus assequi quadamtenus possimus.

Est igitur in Deo peculiaris quædam iustitia, qua iustis quasi ex pacto mercedem diurni denarij, hoc est æternæ gloriæ reddit: quare non veretur S. Apostolus dicere non esse iniustum Deum vt obliuiscatur operum bonorum; & ad Timotheum, repositam sibi coronam iustitiæ, quam reddet iustus iudex, qui reddit vnicuique secundùm opera sua. Bonus enim & iustus Dominus, immensorū bonorū largitatem non mera profusione, sed iudicio, iure & merito in hominē deriuare decreuit, eumq; noluit æternæ gloriæ coronam omninò gratis, sed velut virtutis coronam, & quasi iure suo consequi. Vidit enim longè perfectioris ordinis, sapientiæ illustrioris, mirabilioris prouidentiæ, imò verò maioris etiam liberalitatis, atque amoris tenerioris fore, si egeni, & ad tanta bona adspirare indigni homines, ad illa tamen promerenda, se volente, aptarentur, quàm si ex sua solius voluntate, vel in cælestibus procrearentur, vel ad cælestia transferrentur. nec enim quasi saxa & lapides, quæ pro libitu in quauis ædificij parte collocantur, ita homines, ratione & intelligentia præditos, nescientes in cælū rapi conuenit; non etiam actuariorū iumentorum instar adigi & cogi; sed volentes & scientes, ad meliora permoueri: hoc autem meliùs effici non poterat, quàm si & infirmis gratię vires adderentur, vt possent, & cessatoribus præmia promitterētur, vt vellent. Ex hoc verò liberaliter concesso, postquā tamen concessum est, exortū est ius quoddam, quo iustum sit, vt homini iusto reddat Deus illud, quod vt sapiens agonotheta, liberè quidem posuit, at iam posuit præmium, & cuius oppositu, ac promissi auiditate, permoti viri sancti, ardua omnia exhauserunt. Momentaneum ac leue est tribulationis huius, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis, dicit quidam, qui etiam in infirmitatibus, in tribulationibus, in spe filiorum Dei gloriatur; & Moses negauit se nepotem Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, *aspiciebat enim in remunerationem*: nec veretur quidam Sanctorum eloqui, *Redde quod promisisti, quia fecimus quod dixisti*. Est igitur hæc iustitia diuina, non aliud quàm rectissima & constanter perseuerans voluntas,

Heb. 6. 2. Tim. 4. Rom. 2.

Heb. 11. D. August. serm. 16. de verbis Apost.

tas, reddendi hominibus id præmium, quod sanctæ vitæ iure compararunt.

Ne tamen securis contra secantem efferaris; caue putes posse hominem ideo sibi aliquid apud Deum arrogare: nec enim homo debitorem sibi potuit Deum reddere, sed ipse se talẽ promissione fecit Deus. hoc verò cùm à merissima liberalitate profectũ sit, tanto maiorem à nobis summissæ mentis gratitudinem exigit, quo se nobis arctiùs quodammodo deuincire dignatus est. Præterea, vt ipse homo, & hominis omnia, in supremæ potestatis arbitrio semper sunt, ita ius illud hominis, est semper, nec esse aliter potest, quàm semper in potestate Dei, qui si vellet, posset sine cuiusquam iniuria, id omne destruere & tollere, at sui causa, neque vult, neque volet, sed maximè conseruata vult, & volet: dedeceret enim si ab eo quod semel sapienter voluit, aliquando discederet.

Sed hoc omne sapientissima eius prouidentia, & moderatissima gubernatione nititur: cui planè consentaneum, imò potiùs iustũ videtur, vt rebus singulis, iuxta naturã & propensiones inditas, cetera quoq; conueniẽter largiatur Deus, atq; (vt Sapiens dixit) in numero, pondere & mẽsura omnia disponat. Hoc autẽ quomodo fiat quando obseruamus, quædam protinus mentis oculis iustitiæ Dei forma obijcitur, quę sit, suauissima & sapientissima, erga totum vniuersum, & singulas eius partes prouidendi ratio, ex qua deinceps ordinatissimè, donorũ naturæ & gratiæ distributio tota, per quæuis diffusa dimanet. Sed hoc totũ iustitiæ munus, in gubernatione, & eorũ quæ subdita sunt administratione versatur, & bonitate ac sapientia nititur, ita vt hinc exaggerari præmia, pœnas minui pat sit: eamq; meritò Tertullianus tutelam, procurationẽ & plenitudinem bonitatis vocat, ac inter alia sic ait, *Bonitas operata est mundũ, iustitia modulata est.—Iustitia opus est, quòd inter lucẽ & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctẽ, inter cælũ & terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris cœtũ & aridæ molem, inter luminaria maiora & minora, diurna atq; nocturna, inter marẽ & feminam, inter arborẽ agnitionis mortis & vitæ, inter orbem & paradisum, inter aquigena & terrigena animalia. Omnia, vt bonitas concepit, ita iustitia distinxit. Totũ hoc iudicato dispositum & ordinatum est.* Additq; non ideò iudicem, aut iustum dicendum esse Deum, quòd mala puniat, sed potiùs quòd iustè omnia egerit, quòd vnà cum * auctrice omnium bonitate, arbitratrix fuerit operum eius, ingenita & naturalis, ac nequaquam obuentitia Deo iustitia.

Sap. 11.

lib. 2. cont. Marc. c. 11. *&* 12.

* *Auctrice id est procreatrice.*

Huius igitur è præscripto, hominẽ à Deo sic regi oportuit, vt naturã intelligẽtia ac voluntate præditã decebat; quare hinc ortũ habuit, quòd iustas ac obseruatu faciles leges homini tulerit Deus, quòd ad illas obseruandas præsidia addiderit, quòd præmijs inuitarit, pœnis deterruerit. Hęc tota terroris, tota pœnarũ origo; sed à præmijs quã diuersa! Præmiari enim & donare, cũ sint se ipsis aliquid Deo dignum, à Dei vnius misericordia originẽ ducit, tamq; purè ac merè ab eo in hominẽ delabitur, vt eiusce beneficij conferẽdi prima sola causa & suiipsius ratione sit Deus, qui hominẽ, cùm nihil esset, vt esset euocauit, iamq; olim ab æterno,

vt

vt beatus esset destinauit, & quamuis non sic destinarit, quin eiusdem hominis sanctas, quibus id promereretur, actiones intercedere decreuerit, has tamen ipse Deus, earumque occasionem & modum omnem optauit, voluit, destinauit & promouit. At hoc de peccati vindicta sentire, blasphemiæ; eloqui, amentis esset insaniæ; vindictam, quod ad ipsum attinet, auersatur, minis, terroribus, amicis inuitationibus, & quibus non viis? à malo nos amouet, ad bonum & iucundum admouet, nos verò nobis malum, nimiâ contumaciâ, in caput nostrum prouocare non cessamus; pœnamque infligit Deus, non ex aliqua infinita perfectione vindictæ, sed ex bonitate sua & prouidentia, ad quas videtur spectare, vt improborum, neque à peccato recedentium malitia puniatur. Vnde satis intelligitur, pœnam quæ peccati quædam est proles, nec est vmquam à Deo, nisi ab homine peccatum priùs fuerit, non posse propriè in Deum solum referri, vt eius voluntarium & vltroneum auctorem, qui suopte nutu feratur in pœnam, sed tantùm homine suis flagitijs Deum prouocante, sequitur vltrix pœna.

CAPVT XII.

A Dei moderatione in puniendo spes exaggeratur.

REsiste paululum, carissime mi frater, & attentiùs perpende, quanti sit solatij, illi nos Domino seruire, qui toties ad se reuocat peccatores: puniendo non delectatur, non vult mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Si punit, alienum id opus, & à se peregrinum, apud Prophetam dicit: inuitus enim punit, & à puniendo vbi primùm potest recedit. tam enim verè illi dicit Ecclesia, Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserendo manifestas, Deus cui proprium est misereri semper & parcere; quàm falsò & impiè diceretur, planeque Christianæ aures abhorrerent, Deus qui omnipotentiam tuam, puniendo maximè, teque vlciscendo manifestas, Deus cui proprium est torquere semper & indignari. Non sic ille qui dicebat, *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* & apud alium de se ipso quasi queritur, *Indignatio non est mihi, quis dabit me, spinam & veprem in prælio?* quasi humano modo tantam suam lenitudinem conquerens, vt de commeritis hominibus pœnas sumere, vix in animum possit inducere; sin autem grauiùs comminatur, en statim ad se reuocat, finem iræ, meliora omnia pollicetur; quid enim? *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere:* est enim ille potens, ille bonus, qui si mortificat, etiam viuificat; si deducit ad inferos, etiam reducit;

Sup. 1.

Isa. 28.

Isa. 27.

Deut. 32. 1. Reg. 2.

si pauperem facit, etiam ditat; si humiliat, etiam subleuat, etiam suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: atque ita præ omnibus operibus eius, miserationes eius exstant.

Absit igitur vt mihi Deum tormentorum amatorem, & pœnarum architectum effingam. *Vsque ad delictum hominis, Deus à primordio tantùm bonus, exinde iudex & seuerus*, ait Tertullianus, vt doceat non ab eo, sed ab hominibus id profectum: pergitque mox; *Prior bonitas Dei, secundùm naturam, seueritas posterior secundùm causam. Illa ingenita, hæc accidens; illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita. nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam euasisse seueritatem: alteram sibi, alteram rei Deus præstitit.* Lib. 2. cont. Marc. c. 11.

Et post nonnulla: *Atenim vt malum postea erupit, atque inde iam cœpit Dei bonitas cum aduersario agere, aliud quoque negotium eadem illa iustitia Dei nacta est, — —quod omne tutela bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit, vtique bono, non malo proficit. Denique, timor iudicij, ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendare, iam sub aduersario laborans. Nam esti commendabile per semetipsum, non tamen & conseruabile, quia expugnabile iam per aduersarium, nisi vis aliqua præesset timendi, quæ bonum, etiam nolentes, appetere & custodire compelleret.* ac mox, *Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo auellimur? quid si nihil minaretur? Hanc iustitiam malum dices, quæ malo non fauet? Hanc bonum negabis, quæ bono prospicit?* Cap. 13.

Quæ dicit vt probet, ipsas etiam pœnas à Dei bonitate proficisci, nec tam à Deo quàm esse ab hominibus: *Deus autem*, quod pulcrè ait Chrysostomus, *in remittendis debitis maximè ditescit: nam opulentia Dei hominum incolumitas est.* Orat. de parab. debitoris 10. mil. talent. to. 5.

Sed audiendus nobis est super iis quæ paulò superiùs diximus eleganter loquens Saluianus. *Exacerbamus Deum*, inquit, *impuritatibus nostris, & ad nos paniendos trahimus inuitum. Cumq; eius natura sit mens Dei atque maiestas, vt nullaru[m] cundia paßione moueatur, tantatamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo affirmus misericordiæ suæ. Cúmque eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris, scelera quæ admittimus vindicare. Ac sicuti illi solent, qui munitissimas vrbes obsident, aut firmißimas arces vrbium capere & subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant: ita nos, ad expugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus; & iniuriosum nobis Deum existimamus, cùm ipsi iniuriosißimi Deo sumus: Omnis siquidem Christianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria est. — Cùm ea quibus torqueamur admittimus, ipsi tormentorum nostrorum auctores sumus. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? vnusquisque nostrùm ipse se punit. Et ideò illud propheticum ad nos dicitur: Ecce omnes eius ignem accenditis, & vires præbetis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ quam accendistis. Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo Scriptura memorauit. Primùm enim accendit,* Lib. 4. de prouid.

cendit, postea vires ignibus præbet, postremò flammam ingreditur quam paranit. Quando igitur primùm sibi homo æternum accendit ignem? scilicet cùm primùm peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cùm vtiq; peccatis peccata cumularit. Quando verò ignem æternum introibit? quando irremediabilem iam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate compleuerit. Ita Saluianus.

Ex his autem stabilitum maneat; alienam à Deo esse vindictam, ideoque in eam inuitum ferri; propriam verò misericordiam, ipsique ingenitam, & quam exercendo delectetur, ideoque sit semper inexhausta & omnibus ad eam confugientibus exposita; quod sanè D. Basilio, D. Chrysostomo quàm certum fuerit, vna sententia docebit. Ille quidem sciscitans an ob maximam multitudinem peccatorum desperare debeat quisquam, respondet, *Si fieri potest, vt multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ mensurâ vllâ comprehendatur, quæ cum peccatorum magnitudine conferri valeat, adhibeatur sanè, si libet, desperatio. Si autem & magnitudine, & numero definiri peccata possint, misericordia autem Dei, & miserationes, neque magnitudine vlla possunt neque numero definiri; sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum condonatio in sanguine Christi proposita est.* Ad quæ proximè accedens Chrysostomus ait, *Tua malitia mensuram habet, Dei verò pietas & clementia mensuram non habet. Tua malitia, qualiscumque fuerit, humana est, Dei clementia & pietas est incircumscripta: ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? Quantum instar habet scintilla ad mare, tantum ad Dei clementiam pietatemq; malitia hominis, imò verò non tantum; nam & pelagus, tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei verò clementia & pietas mensuram non habet.* O grande peccatoribus, vt ad clementissimum Dominum reuertantur inuitamentum! longè tamen grandius, postreditum ad meliorem mentem, de impetrata condonatione solatium! Tanti beneficij, carissime frater, in dies memoria grata reuiresçat. *Deleui*, inquit Dominus, *vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, ego dilexi te. Memento horum, Iacob & Israël, quoniam seruus meus es tu. Formaui te, seruus meus es tu Israël, ne obliuiscaris mei. Laudate cæli quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus & omne lignum eius.*

Reg. breu. ad interr. 13.

Orat. 3. de pœnit. to. 5.

Isa. 44. & 43.

Omnino, inquis, infinitam Dei misericordiam laudare iustissimum est, sed vnus tamen adhuc eximendus est scrupulus: quidni enim etsi non sua sponte, attamen quando alieno merito punit Deus, dicere possimus eum pœnas atrocissimas pro suæ potestatis & seueritatis infinitate exaggerare? nec dissimulare peccata quin puniat?

Benè est, scrupulum eximemus, & ad certiorem spem proficier. Ac sanè vt postremam partem verbo vno iugulem, annon penitus aduersa loquitur Sapiens quando ipsi Deo dicit, *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata*

Sap. c. 11.

cata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti omnium quæ fecisti, nec enim odiens, aliquid constituisti, aut fecisti. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideoq; eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccãt admones & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine. Quæ & plura verissimè asserit, suntque vsu perpetuo tam contestata, vt non sit qui refragari queat.

Quod ad alteram, de pœnarum atrocitate, partem propositam attinet, fuerat planè id quoque nobis addendum, vt misericordiæ atque bonitatis vis tanto clariùs eluceret. Cùm enim ab ingenita bonitatis atque beneficentiæ perfectione, non tantùm præmiandi, sed etiam puniendi leges manasse dixerimus, inde prouenisse credendum est, vt & pœnæ longè infra scelerum grauitatem, & præmia longè supra operum dignitatem ab optimo Deo statuerentur: quod vno consensu nostri omnes Theologi, Deum citra condignũ punire, supra condignum præmiari asserunt. Ipsi ergo seueritati diuinæ, moderatrix bonitas interuenit, pœnas auertit, retardat, & denique si nihil aliud superest, mitigat; iustitiæ verò præmianti, ipsa se comitem, instigatricem, promotricem adiungit, vt præmia quantum licet augeat, & in maius ampliata efferat. Denique, eousque in homines (vt sic loquar) misericordia efferbuit, vt infinitum quoddam sui testimonium præbuerit, vt iam in illud intuentibus, non sit spei, non fiduciæ nostræ in Deum vllus alius ponendus limes, quàm hic vnus, ne illa in socordiæ vel peccati occasionem abutamur. Est autem infinitum illud misericordiæ documentum, & cuiusmodi nullũ iustitia sibi vendicat, Dominus noster Iesus Christus, summus & æqualis Patri Deo Deus, peccatori homini homo factus, in pretium, in redemtionem, in propitiationem & liberationem datus. Vnde ait Saluianus, *Euidens est, quòd super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio non pepercit. Et quid plus addo? & hoc filio iusto, & hoc filio vnigenito, & hoc filio Dei. Et quid dici amplius potest? & hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc Dei erga nos amorem queat, nisi quòd iustitia Dei tanta est, vt in eum aliquid iniustum cadere non possit? nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniustam rem homo quilibet faceret, si pro pessimis seruis filiũ bonum occideret. Vtique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc mirabilis magis Dei virtus est; quòd ita intelligi ab homine magnitudo iustitiæ suæ non potest, vt quantũ ad imbecillitatem humanam pertinet, pæne iniustitiæ speciem magnitudo iustitiæ habere videatur.*

Lib. 4. de prouid.

Atque hæc Saluianus, quæ de industria retuli, vt videas, tantum istud & pænè solius, vt dixi, misericordiæ donum, iustitiæ tamen ab eo tribui, nempe quia non iniustum, quia ad iniustitiæ tyrannidem euertendam, ad stabiliendum iustitiæ regnum fuit, & iustissimum ac supremum omnium Dominum, id maximè decuit. Caue igitur putes, vbicumq; iustitiæ diuinæ nomen insonuerit, ibi vindictam, ibi pœnas & supplicia intelligi; non ita est. Itaque cùm dicitur, Iustus est Deus, time; bonus est, spera; bonitatis quidem vim totam, & quidẽ sua sponte,

spei

spei procreatricem cogita: non sic tamen iustitiæ vim ad timorem expromi, nam & inuita ac auersans, & moderatrice bonitate, & sui minima parte punit, mauult iniustitiam inserta pœnitudine fugare, suarumque longè potiùs putat esse partium rectè facta dignis præmijs decorare. quod cùm ita sit, quidni magis dicendum erit, Iustus est Deus, spera? & hoc quidem sanctus dixit Apostolus. Omnino, inquis, qui nec sibi cuiusquam mali conscius, & plus omnibus laborauerat, & bonum certamen certauerat. Ita est, spem nostram vita cum virtute acta, non parum affirmat. sed neque id tantùm volo; spero etiam quia iustus est, quia iniustitiam odit, quia expulsam abanimis vult, & eam ab animo expellet meo; spero, quia iustitia eius est misericordiæ plena, & amat facere iustos. Quis enim super niuem dealbare, quis mundum de immundo conceptũ semine facere potest? nónne ille qui solus est? & quomodo nisi per gratiam facit? nisi per iustitiam donat? *Gratia reddit mihi*, ait Bernard. *iustificatum gratis, & sic liberatum à seruitute peccati:* si iustificatum, profectò & iustitiâ Dei donatum, alienis opulentum diuitiis, instructu ornatum, titulis inscriptum. Sed de causis vnde speremus, suus erit dicendi locus. *Hom. 67. in Cant.*

Hoc vnũ addo, vt tantas, quãtas passim seu in diuinæ Scripturæ, seu in sanctorum Patrum libris, iustitiæ Dei laudes reperies, vix vmquã vindictæ causa decãtari credas: solent aliud spectare, nempe iustitiam præmia distribuentem, iustè cuncta moderantem, sapientissimè omnibus prouidentem, malis eripientem, bona largientem, consilia praua subuertentem, viris bonis & sanctis aptè omnia ad maiorem sanctitudinem apparantem. In his & istiusmodi rebus diuina solet iustitia nuncupari, laudari, præ ceteris extolli, complectiturque bonitatis ac misericordiæ argumenta quàm maxima: quo fit vt expediat nos nequaquam expauescere, sed amandæ ac tenero quodam beneuolentiæ affectu prosequendæ diuinæ iustitiæ assuefieri; sic vt ad eius nomen auditum, iucundissima spe subsilire consentiamus, positaque trepidatione seruili, in filiorum probatissimum amorem translati omnia quæ sunt Patris, nihil subuerendo probemus, vnusque & idem benè sperandi sit modus, qui diuinæ misericordiæ & bonitatis est modus, nempe sine modo, sine termino.

CAPVT XIII.

Quomodo sperandum & in secundis & in aduersis.

REs, tempora, variique sunt euentus, quibus vel spei vela contrahi, vel latiùs expandi solent; quæ si singula recensere, eorumque rationes ac probationes intexere voluerimus, vtile quidem, ac forsan haud ingratum fuerit, at prolixi operis, nimiumque diffusi, quod nunc mihi cauendum est; pauca igitur, & ea frequentiora ponam.

Omnium est vicissitudo permagna, mirũ vt non sit si homini tanta rerum fluxione circumdato, idem perpetuus vigor constare non possit, plurimaſque, tum corpore, tum mente, mutationes variè admittat. Quoniam verò ista conditione nati sumus, curandum saltem est, ita firmè nauis nostræ anchora certum littus admordeat, vt ne incerto fluctuantis inconstantiæ salo delata inerret; hoc autem consequimur, si ex Apostoli sancti consilio, *confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam*, quæ si immutabili Deo firmiùs adhæserit, si nullius tentationis perturbationis, alternationis incursu labefactari potuerit, admirabilem quamdam mentis intimæ serenitatem, æquabilem placiditatem, sibique quouis euentu constantem excelsitatem pariet. Quippe quidquid vndique turbetur, ipsi etiam cælestes orbes diffracti delabãtur, impauidus prospectabit ruinas, Deo duce mediis ignibus tutus ibit: necnim surdis auribus audiuit à Domino dictum, *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo; meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.* quod qui fuerat expertus laudans canebat, *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis: Intonuit de cælo Dominus, misit de summo, eripuit me, eduxit in latitudinem, saluum me fecit, quoniam voluit me.* Quis tanto assertore non fidat?

Hebr. 6. Isa. 43. Psal. 45. Psal. 17.

Equidem cùm res pro voto fluunt, tum verò, quæ est nostræ mentis infirmitas, rerum secundiorum spe nimiopere distendimur inflati, nostramque felicitatem, certum fauoris diuini argumentum interpretamur: at vbi se contraxerit, & ab irato numine aduersa manare trepidi crediderimus, tum verò procliue est, vt consternatis pauore, debilitata spes omnis exarescat, alienatisque ab inimico, vt malè credimus, & vlciscente Deo animis, ignauo & non assurgente languore confecti exesique iaceamus; vt enim vegeta spes excitatos, ita desperatio depressos, & nusquam assurgentes, tristitiaque reddit absorptos.

Atqui, si rectiora sequeremur, planè contrà faciendum fuerat, vt secundis timeremus, erigeremur aduersis. quid enim? an non longè fœdissimè plurimi rerum secundarum tumore perierunt, qui ex rerũ aduersarum insurgente pugnantis animis fortiores atque victores euaserant? *Facilius est*, ait Nazianzenus, *sublatam ex oculis felicitatem studio & cura recuperare, quàm præsentẽ conseruare.* Idemque alia oratione pulcherrimè, *Aegra anima Deo propinqua est: ac penuria ipsa efficit, vt ad Deum qui largiendi habet potestatem, nosmetipsos conferamus, qui alioqui fortasse ob effusam liberalitatem contemnitur. Quocirca, fratres, oculos in cælum erectos habeamus, in omni tempore, atque omni rerum euentu bonam spem præferamus, neque vel in prosperitatibus timorem, vel in aduersis spem abijciamus. Memores simus, tum tempestatis in tranquillitate, tum gubernatoris in tempestate: nec in afflictionibus frangamur animo ac debilitemur, atque improbos seruos imitemur, qui confitentur quidem domino cùm benefacit eu,*

Orat. 3. Orat. 17.

verùm eidem corripienti, nequaquã pari ſtudio ac voluntate adiunguntur; cùm tamen interdum accidat, vt dolor ſanitate, & admonitio remiſſione atque indulgentia, & viſitatio neglectu, & caſtigatio veniâ melior ſit & præſtabilior. Atque vt rem in pauca conferam, ſic nos inſtituamus, vt nec propter calamitates concidamus, nec propter ſaturitatem inſolentia efferamur: ſubmittamus nos, tum Deo, tum alij alijs, tum ijs qui imperium in terra gerunt. Italie, cui planiſſimè Magnus Latinorum Gregor. conſentiens; *Iuſti*, inquit, *nec oblata bona hîc pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valdè pertimeſcunt, ſed cùm bonis præſentibus vtuntur, ventura mala metuunt: & cùm de malis præſentibus gemunt, bonorũ ſequentium amore conſolantur: ſicq; temporali refouentur ſubſidio, ſicut viator in ſtabulo vtitur lecto, pauſat, & recedere feſtinat, quieſcit corpore, ſed ad aliud tendit mente. Nonnumquam verò & aduerſa perpeti appetunt, in tranſitorijs proſperari refugiunt, ne delectatione itineris à patria peruentione ſequeſtrentur, ne greſſum cordis in via peregrinationis figant, & quandoq; ad conſpectum cæleſtis pãtriæ ſine remuneratione perueniant.* Quod ipſum longiùs ad ipſa etiam animi ſenſa traducẽs, optimè alio loco docet; *Multos peiùs ſua felicitas ſtrauit, multos diuturna pax inertes reddidit: eoq; illos inopinatus hoſtis grauiùs perculit, quo longo quietis vſu negligentes inuênit. Vnde ſancti viri cùm multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam diſpenſationis ſuperna moderamine, exerceri ſe etiam tentationibus exultant: quia tanto robuſtiùs acceptam virtutum gloriam cuſtodiunt, quanto tentationis impulſu concuſſi infirmitatem ſuam humiliùs cognoſcunt.* Non igitur ſenſu delectationis, ſed æternæ ſalutis momento, ſi res omnes vt oportet æſtimemus, Deum verò ex quouis euentu, & velle, & poſſe nobis bene facere, & rerum omniũ conuerſiones in ſua poteſtate habere crediderimus; eritne vbi ſpes noſtra infracta collabaſcat? nam & ſalſuginoſæ cautes, vbi voluerit, roſcida mella ſudabunt, & derepentè caligo in lucem, procelloſa tempeſtas in ſerenum tranquilliſſimum deſinet. quod voluiſſe videtur Sapiens, quãdo poſtquam monuiſſet, *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatum paupertatis in die diuitiarum*; quaſi rationem reddens addit, *A manè vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Sapientiſſima & benigniſſima eius in homines prouidentia, à fine vſque ad finem attingit fortiter, & diſponit omnia ſuauiter; fortiter, à præclatiſſimo ſibi propoſito fine non excidens; ſuauiter, propter ſummè placidas, ac leniſſima inſinuatione vix obſeruabiles vias, quibus finem aſſequitur. Enimuerò decebat vt moderatrice ſumma Sapientia, ſic aptè copularentur in vnum, bonitas immenſa, & poteſtas infinita, vt cùm hæc quomodocumque poſſet omnia, ea tamen nollet poſſe niſi optimè, niſi conuenientiſſimè, niſi non tantùm ad ſui diuinam gloriam, ſed etiam ad ſuorum Filij ſanguine redemtorum, & ab æterno electorum ſolatium, ſalutem ac beatitatem, huc eos vel cliuo leniore perducens, vel iugi aſperitatem, confirmatione virium, affuſiſque menti lætitiis leniens.*

Lib. 8. Mor. c. 41.

Vide & lib. 16. c. 6. & alibi.

Idem lib. 31. c. 17 ſeu 30.

Eccli. 18.

CA-

CAPVT XIV.

In variis euentibus cuiusmodi spes.

QVid trepidas, ô quicumque tuas vitæ rationes è diuina voluntate componis? quid de eius bonitate, vrgente difficiliore nodo indubitas? non vides quà possit explicari? quid implexis è rebus euenturum sit, coniectura consequi non potes? iam ruere, iam in deterius ferri videtur, iam rebus aduersis imparem te putas, iam nullum effugij, nullum superesse salutis locum? ô homo, quid in te stas? & non stas? omnium adstat arbiter & moderator Deus, huius potestatē nemo superat, sapientiam nemo effugit, bonitatem solus non sentit qui se ei diffidendo subducit. Propior est afflictis Deus, & dignos vindice nodos amat soluere, spem tuam non secundis sed arduis probare rebus decet: decet quā semel cœpisti spem mordicus tenere, ac ex animo clamare, *Etiamsi occiderit me in eo sperabo.* Mala quantacumque desæuiant, tempestatum vndequaque turbines ingruant, iratum videam Deum in meum caput fulmen euibrantem, sperabo tamen, dicam illi, Deus meus es tu, opus manuum tuarum non despicies, iratus misericordiæ recordaberis, & patientia pauperum non peribit in finem. Profectò si sic animo affectus fueris, mirabilem quemdam eorum omnium, quæad te quoquo modo attinent, tuis commodis conspirantem senties ordinem.

Iob 13.

Quem illum, inquies? dicam si potero, vel potiùs (nec enim potero) indicabo; cetera coniicies, & obseruando deprehēdes: exercitatione spei tuæ delectabitur Deus, omniaq; tam in corporis, quàm animi profectum prosperè cedent, at quadam circuitione, vario etiam implexu, modò recedere, modò intricari, in contraria ferri, impugnari, euerti benè statuta videbuntur; non rarò conclamatum putabis, quidquid magno labore, summa industria promoueras, ruet subitò, ac inde ruet vnde firmare sperabas: at si Deo inniteris, senties diuinæ prouidentiæ amicum ludum; & dissimulatum fauorem mira & subita rerum omnium conuersio palàm faciet. Nec verò id in vno, sed in omni genere senties; quædam proferamus, è quibus cetera coniectentur.

Vis homini alicui, vis familiæ pauperi consultum, eorumque inopiam lucrosi cuiusdám muneris obuentionibus leuare? id illis obtinere si non potes, existima melius aliunde prouisurum Deum, illique si prorsus & sincerè id omne commiseris, vel tandem id efficiet, vel aliqua potiore ratione miseriam leuabit!

Est tibi admodum in optatis alicuius morum probitas, hanc omni via cōseruatam & confirmatam cupis; at vides probitatis firmamenta conuelli, licentiæ, luxui, vitæq; perditæ viam pręsterni, ingenuo pudore posito perire frontem, nec putas, exalbescenti in primas improbitatis flāmas ardori obuiàm iri posse; cane tamē animo concidas, suos vnicuiq; rei fines & tempora statuit Deus, remittet ali-

aliquando nimius mali feruor, cupiditatum ſtimulus obtundetur, voluptas faſtidium pariet, ſenſim ad aures, & per aures in animum ſaniora conſilia illabentur, & quanto ſeriùs tanto certiùs & pleniùs admittentur, ipſamq; illam ad meliora tarditatem, partim contentiorem, partim perſeuerantiorẽ virtutis curſum effeciſſe, ideoque quodammodo neceſſariam fuiſſe cognoſces.

Quid? quòd illa ipſa quæ aduerſa fronte pugnare putabamus, Deo dante id quod volumus maximè prouehunt? Vnde alicuius fortunas erigere volebamus, inde in grauiorem iacturam incidens bonis omnibus euertitur. En ex ope noſtra damnum; at id animaduertens alter, miſeretur hominis, & melioribus reſtituit; vel ipſemet eiuſmodi artem parum ſibi conuenientem animaduertens, ad alia ſuæ induſtriæ naturęq; aptiora conuertitur, modicoq; contentus ibi meliùs viuit. ecce quàm ex ope noſtra non damnum, ſed magnum cõpendium fecerit.

Reprehendis errantẽ amicum, is autem, ſecùs quàm oportuit, iraſcitur, mentiſq; peruicacia deteriora ſectatur, ſuſtine ad modicũ tempus & ſpera, tantuſq; illum ſui erroris pudor inuadet, vt illum ſis in poſterum ad omnia flexilem & cereum habiturus, tibique atque Deo, neque hîc tantùm ſed & in aliis plurimis, cum viro ſancto ſit dicturus, *Bonum mihi Domine quia humiliaſti me.*

Inſurgunt aduerſum te ſeu conficte animo inimico calumniæ, ſeu bona fide, malè tamen aſſertæ criminationes graues, & cuiuſmodi plures in ſanctos viros legimus eſſe iactatas; faciamus eſſe atroces, multi dedecoris plenas, tamq; probabiliter prolatas vt prudẽter credi poſſint, & ad Præſidum ac Superiorum aures delatæ apud eos fidem inuenerint; addamus etiam accuſantis aut deferentis gratiam apud omnes & auctoritatẽ exceptione maiorem; denique ipſemet Superior, aut vir adeò præcellens, vt ei non conceſſiſſe ſit temerarium, in eam ſit fraudem inductus, vt te in omnibus velit oppugnatum, àgerendis rebus amotũ, ab ipſa ſi fieri poſſet Religioſa ſocietate deturbatum; alios plurimos, quod conſequens eſt, in eandem ſecum ſententiam abducat, iam à te tui priùs familiares recedant, inutilis, contemtus, deſpectus habearis, nulla in poſterum reſurgendi ſpes eſſe relicta videatur, de tui opinione, honore, exiſtimatione conclamatum ſit. Hîc tu ſi ſtereris interritus, ſi neque vano pauore trepidaris, neque ignauo luctui indulſeris, neque ad defenſionũ artificioſa argumenta confugeris, neq; ad eblandiendos hominũ fauores obnoxium animum demiſeris, Deo verò cauſam tuam totã iudiciumque commiſeris, illi ſortes tuas, vitam, famam, agenda, non agenda tradideris, ſola ipſe & tota tua ſpes ſit; te quidem aliquantulum exerceri & perfici patietur, ac interim intimos animi ſenſus mirifica conſolatione mulcebit, at mox exurget in iudicium, & exoriente Sole iuſtitiæ, fallax mendaciorum caligo difflabitur: *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur,* Iſaiæ 58. *& anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Pro confuſione duplici & rubore, duplicia poſſidebis, lætitia ſempiterna erit tibi. Vocaberis fortis iuſtitiæ, plãtatio* Cap. 61. *Domini ad glorificandum,* cuius folium in æſtu non defluit, neq; radices tempe-

ſtate conuelluntur. Tunc, Deo omnia gubernante, cunctorũ ſubitò mutabuntur voluntates, ad beneuolentiam flectentur, nec de alia re propenſiùs quàm de te ornando cogitabant. Inexpectatam animorum conuerſionem ipſe miraberis, experieris impugnatione præterita tantam amori tui acceſſionem factam, tantum opinioni ac famæ tuæ incrementum additum, numquã vt tibi blandus hominum fauor tantum, quantum patienter moderateq́ue tolerata criminatio conferre potuiſſet: dicesq́ue cum Propheta: *Fortitudinem meam ad te Domine cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es. Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos. Si dicebam, Motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine adiuuabat me. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.*

Pſal. 58.

Pſal. 93.

Tuis igitur conatibus faueant, nõ faueant, adſpirent, obſiſtant homines, tu ſi quid Deo cõſulente aggreſſus es, cõtra ſpem ſpera, ſeriùs, ociùs, qua nõ putas via, quo minimè reris tempore, proceſſura omnia, exitumq́; qua nõ credis habitura confidito; imò verò quo deſperatiora, pluribus aduerſantibus, omnia putantur, tanto magis diuinæ bonitati & ſapientiæ credito incumbere, vt deſiderium atque actionem à ſe inſpiratam ſuo etiam fauore comite ad finem vſque perducat.

CAPVT XV.

In iis in quibus deficimus, quomodo firmanda ſpes.

QVemadmodum hæc ſpei firmioris incitatio tum maximè curanda, cùm eã foris impugnãt maximè: ita quoque diligentiſſimè, & neſcio annon etiam maiore ſolicitudine, idem eſt præſtandum, quoties intus, à nobis ipſis, aliqua debilitandæ ſpei occaſio innaſcitur. Corporis inualetudine grauiore, vel prolixiore, ſtatiſq́ue circuitionibus recurrente, ſi conſiliorum, cœptiq́ue curſus continuatio intercipitur, ſi pietatis, orationis, virtutumq́ue adamata exercitatio infringitur, ſi literaria neceſſariarum ſcientiarum ſtudia interrumpuntur, ſi in perpetuum à præſtantis muneris, puta ſacrificij, functione remoueris, an propterea debilitata ſpes angore mutabitur? abſit: nec enim diuinæ particulam auræ, animũ inquam noſtrum, terrenis vſque adeò hebetari artubus, moliq́ue corporeæ vſquequaq; obnoxium eſſe patiendum eſt: ea quidem quæ niſi miniſterio membrorũ peragi nequeunt, ſunt neceſſariò relinquenda, quoties vires corporis obſequi menti nequeunt; at vegeta ſpes, hæc tibi abundè damna penſabit, ſuas omnium rerum viciſſitudines oſtendet, virum fortem duris exerceri, ſuo tempore reſtituendum robur; ſin minùs, nihil eſſe tanti, vt non illi animus exſtet; ſcientiarum, virtutum, actionum quantumuis ſacrarũ, nullã eſſe eouſque præcellentem, quin eam oporteat iuſtiſſimis atque ſapiẽtiſſimis diuinæ voluntatis decretis, ſubiugari ac eſſe conformẽ. Imò verò cùm nihil ſit quod ſtudio, induſtria, exer-

exercitatione mea, vel aliorum, ab hominibus, aut à rebus vllis creatis, quod ab oratione, pietate, castigatione corporis, ieiunijs, omni Religioso instituto, ipso etiam sanctissimorum Sacramentorum vsu, cùm inquam mihi sit quod quomodocumq; & vndecumque, ad salutem, maiorémque in æternum, & in præsens gloriam mihi conducere possit, quin id longè meliùs mihi Deus ipse, quàm res vlla alia donare, vel etiam præstantiore aliquo dono compẽsare possit, annon planè verissimum est, id potiùs sperare facturum, quando me totum, omni cura depositâ, eius rationibus regendum tradidero? At verò, si pro mea voluntate mihi valetudo, studia, doctores, institutores, exercitatio, & omnis opportunitas adfuerit, nónne potiùs timendum fuerit, ne occultas vires non insinuante Deo, medias inter opes, & virtutum & scientiarum inops perseuerem? heu quàm multis hæc adfuerunt, & ipsi sibi defuerunt, nec ab illa potente Dei gratia de puluere susciti sunt! quàm multi, neque docti, neque sacra celebrantes, neque prolixa meditari assueti, neque peritos ad sanctitatem efformatores nacti, Deum tamen secuti ducem, multáque simplicis mentis sinceritate ornati, illustres in omni vitæ sanctimonia progressus fecere! non quidem quòd illa sint adiumenta contemnenda cùm adsunt, sed quòd neq; in illis rei summa sit reponẽda, & vbi desunt, non anxiè sint requirẽda, sed tota vis mentis in Deum est eõuertenda: ipsius autẽ gratia, ea omnia quibus patienter caremus, abũdè restaurabit. hæc est in sinu nostro recõdita spes, illum qui solus potest omnia, curaturũ vt patientia pauperis non pereat, sed expectatio Dei, supra omnem valetudinem, hominẽ, aut rem aliã nobis fructum afferat plurimum. Hæc est, mi frater, verè certa, verè sancta ratio, nos ipsos in spe semper obfirmandi; hanc si tenes, numquã excides, omniq; casu, constanti semper tenore lętaberis.

Fortassis aliquãdo senties, imò verò omnino senties (sic enim nobiscũ agitur) virtutis, pietatis, caritatis intepescere desideria, retardari progressum, tædium inserpere, cupiditates reluctari, vixque, seneræ mentis imperijs, errantẽ sensum in officio contineri, perijsse consuetam in sanctiorum exercitiorum gustatione delectationem, & inamarescere id omne, quod cælestium atque æternorum suauitate conditur. Id igitur, cùm in te deprehenderis, caue animo concidas, robustior spes assurgat, tibíque sit certum, nequaquam sensu nostros progressus esse metiendos, sed neque de illorum dijudicatione oportere esse solicitos, vigilandum, agendum, instandum pro viribus, & moderato decoro; vbi verò quòd nostrum est præstiterimus, cetera committenda Deo bono, sperandúmque è pumice & saxo præduro manaturos fluuios, in inuio aperiendam viam: deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ ædificabuntur; pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus; pro ære dabit aurum, & pro ferro argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. *Isaiæ 49. Cap. 55. Cap. 60.*

Erit etiã cùm aliquando negligẽtia irrepet humana, cùm pro huius peccatricis vitæ cõditione à culpa non eris immunis, laberis, offendes, in boni Religiosi

officium impinges, meliora spondebis nec præstabis, ad perfectiora conaberis neque pertinges, ipsa te grauiter instans remordebit, & grauiore dolore vret cõscientia, at pondere pressus tuo relabêris, eodemq; hærens luto reptabis, nec assurges, nec ereptandi trames apparebit; ipse te increpabis, & quaquauersum circumspectans effugij locum non videbis, exclamabis, Domine, vim patior, in amaritudine moratur anima mea, quod nolo, hoc ago, quod volo non inuenio bonum; infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? at caue ne sic te lugeas, vt spe meliorum mox secuturorum non erigaris. qui seminibus fouendis hiemem terræ prouidit, quique noctem diei, frigus æstui, amica, sed & vtili alternatione coniunxit, is idem animorum summus excultor Deus, istiusmodi nos infirmitatibus roborat, deiectionibus erigit, mœroribus solatur, dilatat angustiis, periculis sospirat: quãtumuis igitur ipse te oppugnare, tuisq; recursantibus ad vitia propensionibus, in deterius ferri cũcta videantur, tua tamẽ tibi in eũ spes illibata perduret, creditoq; non aliũde pugnas & pericula increscere, quàm vt humiliore & gratiore animo, debellatorẽ & vindicem agnoscas Deũ.

CAPVT XVI.

De timore & spe ad extremum vitæ exitum.

SI diuini terret expectatio iudicij, vitamq; à diuinis haud rarò præceptis exorbitantem recensens, momentũ id expauescis à quo tota pendebit æternitas, si diuinæ sententiæ istud fulmẽ exhorres, quo sæuùm intonante abiudicatus æterno carceri addicêris; etit forsan hic iustus timor, tibiq; cum Sanctorum plurimis cõmunis, at certẽ multa spe condiendus, omninoq; tanta vt præ hac vix aliquid ille posse videatur. Nolim equidẽ cuiusquam aut opinioni aut præceptionibus aduersari, id solũ quod sentio edico; quid est quod admodũ isto temporis articulo, vitæ scena iam peracta, quãdo quod resarciatur, quæ letalis cupiditas resecetur deest, quid est inquã, cur id temporis timorem aduoces? timenda tũc maximè sunt iudicia Dei, cùm de cupiditate reuellenda, de propellendis illecebris, periculo cauendo agitur; nunc autẽ instante morte, ipsoq; iam homine, à præsentiũ sensu, ad mox futura expectatione translato, potestue mentis nostræ, aliò quàm ad spem, quàm ad diuinæ bonitatis certam fiduciã, salutarior esse cõuersio? Velim igitur, vt ad id formidabile tempus, multa spe, iam tãto antè te cõpares. Deum enim tunc maximè propitium clementemq; qui exoptas, annon æquius est, vt ad eius bonitatẽ clementiamq; confugias, qualemq; illum esse credideris, tale etiam illum & meritò reperias? Sed & apud me valet plurimũ, viri permagni B. Diadochi mira & constanter affirmata sententia, Meum in morte, adiutorem esse dæmonum, animasq; retardare: at verò animã illam, quæ morti proxima, caritate in Deum exultat, esse veluti pennatã, & præter omnes dæmonum

Cap. 100.

num acies euolare, eosq; qui sic obierint rapiendos obuiàm Christo in aëra; timidos verò & trepidantes alios, in die iudicij cum reliqua turba iudicandos. Enimuerò magnum est, naturæ, quę dissolutionis est metuens, tantopere esse victorem, vt mori non detrectes, optes etiam: diuinæ bonitati tantum credere, vt ad futura, numquam explorata, quorum nihil hîc est simile, te totum securè & intrepidè tradas; rerum omnium amorem ita posuisse, vt huic toti adspectabili orbi, luci gratissimæ, amicorum societati, ipsi etiam congenito corpori, vltimum vale dicere, non reformides, diuinæque legi vsque adeò te præstes obsequentem, & ad beatam æternitatem sic adspires, vt præillius desiderio, nulla tibi iactura grauis, nullus casus formidandus esse reputetur. Hæc profectò nonnisi à præcellenti virtute, animoque fortissimo, ac omnium despicientissimo, Dei verò amantissimo proficisci possunt.

At verò metu contrahi, multa expauescere, quorumuis est; soletque meticulosior quisque, ad noua & non prætentata trepidare, neque ad hoc vllius virtutis, sed pauoris & naturæ solius incitamento est opus; nónne & idipsum expauerunt Ethnici? & quidam abiturientem alloquebatur animam,

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos!

Spartianus de Adriano Imp refert.

Et verò plurima sunt, quæ trepidationẽ haud mediocriter augeant, at illa fermè ducuntur à nobis, nec ad eã excelsitatẽ euehuntur, ad quam spes & alacritas ea, quę sepositis humanis omnibus argumẽtis, sola diuinæ bonitatis fiducia nititur.

Sed nũquid antè laudati sunt, inquis, viri sancti cõplures, qui non mediocriter in morte timuerũt? equidẽ differi nõ possum, vt neque inficiari potest quisquã, complures quoq; summa mentis, cùm tranquillitate, tum iucunditate, ad mortalis vitæ extrema perductos. ita Martini, Basilij, Ambrosij, Pauli, Antonij, Bernardi, Francisci, Xauerij, Ignatij, aliiq́ue tot & tanti viri, vt siue numero, siue splendore certetur, eorũ qui benè sperantes lætiq; obiuerunt, inferior causa futura non sit. Verè omnino, & ad id quod agimus appositè dixit Bernard. *Vbi intenderis ingeniũ, valet:* viget enim, eamq́ue in partem tota hominis fertur industria, ad quam se contentiùs adplicuerit. sanctorum Eremitarũ non pauci, dura multa & austera meditantes, nõnisi dura & aspera cogitatione versabant; inferorũ tormenta, seueri iudicis tribunal, accusatores vndiq; vrgentes, sententiam absq; prouocatione damnantem, æternos cũ desperatione cruciatus, assiduè in oculis, in ore, in mente gestabant: hinc vbi ad vltimũ vitæ limitem peruenissent, cui suetæ vexationis vis instante articulo acrior vrgebat, & præsentioribus timoris aculeis, testes interni pauoris voces exprimebat. At verò qui spe, qui amore connixi, se diuinæ bonitati contemplandæ, beneficiis Dei magno animi

Serm. 1. in psal. Qui habitat.

sensu perpendendis, clementiæ atque largitati nõ sine interna suauitate persentiscendæ, despiciendis procreatis omnibus, amoriq; ac vnius Dei desiderationi totos penitusq; dediderunt, quibus hæc vita exiliũ est & dolor, menteq; ac purissimis votis in aliã translati sunt, his commemoratio mortis iucunda, ipsaque mors non mors, sed ad vitam à morte, à miseria ad beatitatem iucundus & breuis transitus putatur. Felices animas, meritoque tam beata sorte dignandas!

Vitæ SS. Patr. lib de fornic.

Atenim quæris, Vtrinam horũ præstantiùs egerint? ô homo, quis me Sanctorum posuit arbitrum? vnus est Dei spiritus, at singulis distribuit vt vult. Duos quosdam eodẽ tempore idem peccasse legimus, pariterq; peccati pœnitẽtia ductos, ac vltronea suiipsorum accusatione reos, aliquamdiu separatim clusos, omniumq; aditu atque alloquio prohibitos, graues scelerũ luisse pœnas, pauxilloq; panis & aquæ per dies singulos ex dimenso vitam sustentasse; pariq; in vtriusq; pœna par etiam ad extremum fuit constantia. sed ecce, vbi remissâ pœnâ, laxatus afflictis carcer, & in aliorum consortium admissi sunt, prodiit vnus, luridus facie, exsanguis, tabidus, mortuoq; quàm viuo similior; alter verò iucũdus aspectu, benè habitus, viuidaque & vegeta totius corporis conformatione quasi enitescẽs. Tantam in causa pari, pariq; ratione victûs, imparitatem obstupuêre sancti Patres & coniectura vsi probabili, hanc in re simillima dissimilitudinem, nonnisi à discrepantibus animi cogitatis, manare potuisse crediderunt: cùm igitur super eo interrogassent, ille macie confectus dixit, Pœnas quas flagitiis commeritus eram, & quibus iustè addici possem, cogitationi perpetuò obieci, tantusque me seu horror seu terror occupauit, vt ossa contremiscere, cutiq; adhæsisse viderentur. At alter, Perennes Deo meo, inquit, egi gratias, qui me à spurcissima peccatorum colluuione reuocatum, huic angelicæ vitæ tedonauit, pœnisque liberauit æternis; quapropter, eiusmodi boni Domini memoria, lætus exultabam. Vtrumque & audiuêre, & probauêre patres, at neutrum alteri præferre sunt ausi, gratam Deo vtriusque pœnitentiam asseruisse contenti. Horum nos, carissime frater, modestiam imitari decet: multum est, quid bonum sit ostendisse; bonum bono præferre, cùm diuersa sunt tempora, rationes & personæ, quid nisi contentiosum esset?

Equidem verecundi timoris nonnihil inesse velim, sed ita moderati vt exacuendæ spei inseruiat, hæc autem in omni angustia, & vbicumque arduum aliquid emerserit, tunc vegetior erigatur: dicátque, *Cùm infirmor, tunc potens sum, si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Ac vniuersè quamdiu hominum consilijs, fauore, industria res aguntur, quid nisi ab incertis incerta & fluctuantia expectes? at verò vbi in Deum reuolutus negotiorum cardo, sapientis ac potentis illius manûs imperio voluendus est, quid nisi sapientissimam, certissimam & optimam, ad bonos & optatos fines, conuersionem speres? teque totum illi spe vegetiore committas? Sed satis hæc sint, neque enim modò sunt indaganda prolixiùs.

CAPVT XVII.

Benè sperandi rationes homini suppetere à bonis acceptis.

PLurima sunt quæ nos ad spem vehementer vocant, nonnulla recensebimus. Ac primò, illud est maximè obuium, humanæque familiare naturæ, vt si cuius in nos beneuolentiam, maximis in rebus, perfrequenter & prolixè beneficam, sumus experti, huic profectò insignitè ingrati & iniurioſi simus, si ex mera timidioris animi nostri suspectione, per amico viro diffidimus: annon, vel id vnũ, ingentes animorum alienationes pariet? Finge animo, quamquam in re satis obuia, fictione quid est opus? sed finge tibi amicum, fratrem, patrẽ amantissimum, cuius in multis, & maximè arduis rebus summa cum fide, præstò semper fuerit industria, ille te periculis eripuerit, morbis leuarit, sumtibus iuuerit, honore cumularit; nullo suo cõmodo, tui solius gratia, non rarò, & grauiter, de fortunis, honore, vita periclitatus; hunc suum in te animum annorum longa serie, variáque in diritissimorum casuum acerbitate constantia comprobarit, adeò vt nulla iusta, de eius in te ardentissimo amore, dubitandi causa emergere posse videatur. Iam, si quopiam in congressu, vultu seueriore minùs tibi arrisisse semel visus est, annon summa vecordia dementire dicẽdus es, si hinc iratus & suspicionum plenus te proripis, apud tui similes congerrones vanas de amico querelas deponis, de tuis rebus apud illum taces, alios consulis, tótque annorum tam fida obsequia, vnius vultuosæ congressionis fastidio, obliuione sepulta iacent? Scilicet! amore tui, grauia, dura, laboriosa multa, tum à te, tum ab aliis pertulit, fidémque tot annis probauit suam; tu verò perbreui momento, tenuis auræ leui susurro deiiceris, ad inexploratos amores & infida consilia, malè repudiatis veteribus cõuolas? quid tibi mentis erit, quid frontis, vbi vmquã tuam bonus ille amicus ingratitudinem exprobrare cœperit? si abalienetur, irascatur, indignetur, si te de iniuriæ atrocitate, de fide toties explorata, sed nunc demum absque ratione in suspicionem vocata cõpellet, annon obmutescès, annon pudore suffundêris? Et hæc quidẽ homini; quid ergo si te talẽ præbeas Deo? à quo in nos, homines nihili, quæ non exstant beneficia? quæ non amoris, beneuolẽtiæ, ac plusquam paternæ prouidentiæ argumenta perpetua! quàm splendida, cæloq; terraque donaria! quàm singularia, vel in periculis præsidia, vel in egestate subsidia, vel in infirmitate leuamina, vel in dolore solatia! quàm certæ ad salutem viæ, ad æternitatem præmonstrationes, præmotiones ad gratiam, ad gloriã incitationes? deniq; qui pignus vitæ, æqualem sibi Filium peccatoribus, nec opinantibus, & auersis, prior vltrò obtulit, maiúsne aliquid cõfirmandæ fiduciæ potuit? quàm multas etiã diuinæ erga se beneuolentiæ demonstrationes,

cùm

cùm reliquâ vitâ, tum quotidie sentiunt singuli? & erit qui post tot amoris, prouidentiæ, curæque solicitæ significationes, se totum, suaque omnia, secura spe, certaque fiducia, prouidentissimo, potentissimo, amantissimo Patri Deo non committat? & ad vanas incertasque hominum prouidentias, proh! infelici conuersione confugiat? & quomodo hunc meliùs quàm propheticis vocibus alloquemur? Ini consilium, coge concilium, & consilium dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet; quia non est vobiscum Deus. Stulti facti sunt principes Taneos; sapientes consiliarij Pharaonis dederunt cõsilium insipiens. Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, & errare fecit, sicut erat ebrius & vomens. Et nunc, quid tibi vis in via Ægypti? quid tibi cum via Assyriorum? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te: & scies, & videbis, quàm malum & amarum sit reliquisse te Dominum Deum tuum, Deum aquæ viuæ fontem; scilicet, vt tibi cisternas foderes, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas! Audite quæ Dominus loquitur; iudicium Domini cum populo suo; Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Quid vos, aut patres vestri inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Verè, sanctissime mi Deus, ita est, fallaces & mendaces, & folij instar quod vento rapitur, sunt filij hominum; momento difflabuntur, ipsique, & cogitationes eorum peribunt; Tu autem idem ipse es, & permanes in æternum, solus bonus & misericors, cuius potestas sempiterna, & regnum in generationem & generationem: iuxta voluntatem tuam facis tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ: omnia opera tua, & viæ tuæ iudicia, & gradientes in superbia potes humiliare. *Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in Domino. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

Isa.16. Cap.8. Cap.19. *Ierem.2.* *Mich. 6.* *Ierem.2.* *Dan. 4.* *Psal.39.*

2. Paralip. c.14. & 15.

Ad quas postquam improuidè confugisti, ô ingratissime Iudæorum rex Asa, quàm subitò, à summa felicitate, ad miseriam summam deturbatus es! & verò pro ratione spei tuæ, nónne vtriusque tu ipse tibi fortunæ faber fuisti? Illustre sanè est quod hinc à sacris Literis haurimus exemplum. Insurrexit contra Iudæos, Asa regnante, rex Æthiops, trecentosque falcatos currus, ea tempestate belli robur ingens, decieſque centena militum millia sub signis habebat: ad tantas bellicosi numerosiq; hostis copias expauere Iudæi, sed resumtis fortiter animis, iuit tamen obuiàm Asa, Deoque præsidens orabat; *Adiuua nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habẽtes fiduciã, venimus contra hanc multitudinẽ. Domine, Deus noster tu es, non præualeat contra te homo.* Quid igitur? exterruit Deus Æthiopas, fusi fugatique, & ad internecionem cæsi sunt. Cumq; onustus præda, prælioq; victor, triumphans rediret exercitus, quo cõmendatior auxilij diuini memoria redderetur, occurrit Azarias Propheta, Spirituque Dei intus agitante, clamauit, *Audite me Asa, & omnis Iuda, & Beniamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.*

Et

Et quidem benè hactenùs; fuerátque post opem tam explorato perceptam, maioris in Deum fiduciæ atque gratitudinis incrementa speranda: sed, ô vitream hominum ad diuina suspicienda constantiam! ô nimiam ad humana subsidia respectanda pronitatem! ecce tibi, Israëlis rege, arma aduersus Iudam mouente, ab impijssimo Syriæ rege, Iudæisque infensissimo, emendicat rex Iudæus auxilia, ipsos etiam sancti templi thesauros ad id impetrandum exhaurit. quid igitur? ex illo tempore, regi Asa retro omnia fluere, infortunatè cedere, bella consurgere, donec longa ægritudinis tabe consumtus est. Nec verò, quo fonte tot mala profluxerint, in dubio reliquit Deus; Prophetam enim misit, qui exprobraret, quòd ad Syrum potiùs, quàm ad Deum respexisset; *Nónne Aethiopes & Libyes*, inquiebat, *multò plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia? quos cùm Domino credidisses, tradidit in manus tuas? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem, his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore, aduersum te bella consurgent.* Ita Prophetа. Cuius auctoritate, vt & miserando Asæ regis casu, docemur, quàm nos oporteat, à sancta in Deum fiducia, cuius in nos infinita tenemus argumenta, nusquam vel leuissimè dimoueri.

Ad hoc ipsum nos reuocat Magnus Gregorius quando monet, *Cùm nos desperationis procella conturbat*, verba sunt sancti Doctoris, *concussa mens citiùs in portum spei se collocat, si causas suas cum Domino subtilitor pensat, si bona eius ad memoriam reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit, apud semetipsam callidè non excusat: si perpendit quid ab eo iustè meruit, & quid clementer accepit, si vitam suam viuaciter discutit,—si factam se quæ non erat meminit, si illuminatam se atque subleuatam quæ in tenebris iacebat agnoscit.——speranda fuerant superna adiutoria, etiamsi nulla beneficia præcessissent; spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit.——Quanti est periculi, transacta munera cernere, & futura desperare? quanti est periculi, si in hac procella tribulationum, desperationis naufragio frangimur, qui ad portum spei, velut immensis funibus, præteritis donis ligamur?* Vbi, cetera quidem benè, at illud meo iudicio quàm optimè, quod præsentissimi dicit esse periculi, si spem, quam præterita beneficia confirmant, grauior tentationis procella conuellat; etenim qui liberalitati, semper adhuc in se profusæ diffidit, illa sanè se præbet indignum: atqui Dei à nobis larga bonitate recedente, in quantas redigemur angustias? quot nos vndique mala vallabunt! æternus diriissimis hostibus futuri risus & opprobrium. *lib. 26. Mor c. 16. vel 17.*

CAPVT XVIII.

Sperandum ob Dei bonitatem esse.

SEd & alteram excitandæ spei rationem accipe, nempe bonitatem eius qua & ad benefaciendum promtissimus est, & in se sperari adeò vult, vt nullam rem grauiùs quàm desperationem ferat: quod postremum antè diximus, de priore non meam, sed Sanctorum doctrinam audi breuiter. *Quæ res mihi laboranti, vel subsidio, vel solatio futura est?* inquit Nazianzenus: *ad quem in angustias redactus fugiam? audi quid Dauid respondeat, magnus, inquam, ille medicus, ac malos etiam spiritus per spiritum in ipso habitantem incantans. ad quem confugies, ex me scire cupis, nec per te ipse intelligis? Quis est qui languidas manus roborat, & genua dissoluta confirmat? qui per ignem ducit, & per aquam salutem affert?* Nihil instructa acie opus est, inquit, *non armis, non sagittarijs, non equitibus, non consultoribus, non amicis, non externo subsidio? Auxiliares copias in te ipso habes, quæ & tibi, & mihi, & cuiuis in promtu sunt. Velle tantùm oportet, animiq; impetum afferre. In propinquo est consolatio, in ore tuo, & corde tuo. Memor fui Dei, inquit, & delectatus sum. Quid memoriæ paratius? memor ergo esto tu quoque, & delectaberis. O facilem & parabilem medicinam! ô celerem curandi rationem! ô ingentem beneficij magnitudinem! non modò animi imbecillitatem, mœstitiamq; sedat Dei recordatio, sed & delectationem parit. Vis alia insuper diuinæ erga humanũ genus benevolentiæ testimonia producã? Si, inquit, conuersus ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris. Videtis quemadmodum salus cum gemitu coniuncta sit? Et adhuc te loquente dicet, Ecce adsum: & loquetur animæ tuæ, Salus tua ego sum. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non splendidæ & eximiæ gemmæ, non cetera quibus hominum mentes ad clementiam inflectuntur.* Ad dandum enim, & subleuandum, quàm nos ad petendum, promtior est Deus, ideoq; rogari vult, quia erogandi occasione delectatur. Quis pauperum, spe non prægestiat, si in eum virum incidit, cuius neque liberalitas mendicitate fatigari, neque donando diuitiæ queant exhauriri, eamque iustissimam donandi causam putat, si speratur donaturus? Hac eadem nobiscum conditione agit Deus, ideoq; præter alia plura, quæ apud eundem legere pores, piè & verè loquitur D. Bernardus: *Hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei & æstus, ieiunare bis in sabbatho dicat, postremò non esse sicut ceteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Denique quando, in se speranti, defit illa maiestas, quæ tam studiosè monet in se sperari? Planè non derelinquit sperantes in se. Adiuuabit eos, ait, & eruet à peccatoribus, & saluabit eos. Quare? quibus meritis? audi quod sequitur, Quia speauerunt in eo. Dulcis causa; attamen efficax, attamen irrefragabilis. Ecce numera tribulatio-*

Isai. 17.

Psal. 65.

Exech. 18.

serm. 9. in ps. Qui hab.

Psal. 36.

nes,

nes, secundùm multitudinem earum, consolationes eius lætificabunt animam tuam: dummodo ad alium non conuertaris, dummodo clames ad eum, dummodo speres in eum; nec humile aliquid, vel terrenum, sed Altissimum ponas refugium tuum. Quis speranit in eo, & confusus est? Ita Sanctus: quibus verbis tres, in quos facilè impingimus, notat errores, qui inde contingunt, quòd aliam in Deum sperandi rationem quærimus quàm ipsum Deum, cùm tamen non aliunde sint nobis expectanda bona, quàm quia ipse bonus est. & quia in se sperantes, ideò tantùm quòd in ipsum sperent, bonis cumulat; nec enim potest vlla certior auertendorum malorum, bonorum impetrandorum ratio fingi, quàm quòd diuinam bonitatem dedecet, si in se sperantes vel malis sinat opprimi, vel benè optata non faciat consequi.

CAPVT XIX.

Si vspiam lapsi sumus, non ideo sperandum minùs: cum duobus alijs monitis.

FAllimur si ob aliquos nostros lapsus, vel quia sæpè conati, nihil promouimus, si, inquam, animis fracti, spem etiam elanguescere sinimus, industriam non intendimus, conatum remittimus, pigroque naturæ torpori nos deorsum rapiendos tradimus. Quàm crebrò, quàm facilè in hunc lapidem impingimus? Est quispiam natura sic affectus, vt subitò, minimaque de causa, totus in flammas iratum eat; hanc asperitatem, multa lenitatis ac mansuetudinis exercitatione mitificare conatur; sæpiùs conatus, parum promouet, antiquum obtinet, quinetiam, animaduersione suadente, profusior ad iram videtur; ergo remittit animos, de victoria desperat, remissaque inutilis pugnæ contentione, naturæ impulsu ferri se, non resistentem sinit. Est qui cogitationum, quaquauersus celerrimè auolantium, nimiæ euagationi frenos cupit iniectos, sed rei supra modum volaticæ cohibendæ, postquam satis apta vincula reperire non potest, debilitata spes concidit, alia respicit, in quibus vtiliùs laboraturam putet industriam. At vnde in his & id genus alijs, spes nostra concutitur, nisi quòd ab euentu & non à solo Deo apta pendet? Si enim Deo solo niteremur, certum nobis esset, nec vllo lapsu deterreri, nec certa tempora præfinire; cùm & per lapsus erigere, & occultas in ipsis etiam lapsibus vires instillare, & temporum articulos consilio suo aptos eligere possit; nostrumque sit, quod nostri quidem est muneris præstare, pugnando certandoque perseuerare, omnem autem rerum euentum, sanctissimæ eius voluntati, ac decretis relinquere.

Sed molesta erroris, nostra culpa admissi, nos vrget exprobratio, mordet vellicans conscientia, putamus temerè ad sperandam opem assurgi, qua nos vel præ-

buerimus, vel præbeamus indignos; imò etiam, iustas eaſque perpetuas iras à Deo commeritos probè ſcientes, ab eo nonniſi mala multa nobis imminere auguramur: ſi tentatio irruit, ſi valetudo læditur, ſi rerum aut negotiorum quidpiam malè geritur, conturbati clamamus; *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris? Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccata adoleſcentiæ meæ?* Iob 13. Neque interim obſeruamus, hæc omnia ex eo eſſe, quòd nos ipſos, noſtramque operam aut virtutem, anxiè circumſpectamus; cur enim ob noſtra peccata, noſtram indignitatem, deſperamus, niſi quia ob virtutem noſtram, noſtramque dignitatem ſperandum credimus? atqui omnis erat noſtri cogitatio deponenda, ideoque ſperandum quia bonus, quia liberalis & beneficus eſt Deus; vel ſaltem, ſi ab inſitæ indignitatis recordatione mens nequit auelli, inde nihil ſpei detrahi, adijci potiùs conuenit, quo maior indigentia, eo fuerit opitulantis beneficentia illuſtrior; quo maior indignitas, eo laudabilior miſerentis benignitas: quare cùm bona ſint à Deo ſperanda, quia bonus eſt, quia ſperari à ſe vult, quia ſuæ bonitatis vbique vult argumenta exſtare teſtatiſſima, quidni quo indignior ſum, eo ſperabo magis, quia & tanto indigentior ſum, & miſericordia mihi exhibita, diuinæ largitatis atque clementiæ profuſionem longè munificentiſſimam edocebit?

At ego ipſe, indiſpenſato conatu, ſtudijs, vigilijs, ieiunijs, cilicijs, & id genus corporis afflictationibus nimijs, ita corporis animique vires attriui, vt ad virtutis exercitationes, ſcientiæque; mihi perutilis comparationem, effœtus langueam; quid hîc ſperem, dum perpetuas imprudentiæ pœnas luo, & commilitonum æmulando volatui, vix teſtudineos inferre greſſus valeo? ô ratiocinationes hominum, nimiùm ſemper, ſuis ſenſibus, ſuis viribus adfixas, nec ſatis vnquam, ad capienda diuina purè aſſurgentes! ah quoties, ita loquentes, ignauoque mœrore depreſſos, & audiui, & vidi, nec tamen iacentes erigere potui! Tu enim ſolus es Domine, *qui ſuſcitas à terra inopem, & mœrentes erigis ſoſpitate.* erigis autem, ſi ad ſe non reſpexerint, ſed ad te qui in excelſis habitas, & humilia reſpicis, tota mente ſuſpexerint. Tunc enim eos doces, nec labore, nec conſilio, nec ſcientia, nec induſtria, nec vlla hominum virtute nos perfici, ſed tua vnius gratia, & viuifica vi intus infuſa: quæ quidem ſe conatibus noſtris, cùm voluerit adiungit, at nec illis opus habet, & pleniore ſe alueo infundit, quoties à nobis deſciſcentes, à ſola tua largitate pendemus.

At quoniam conatus quoque noſtros exigit, gnauiſque & induſtrijs, non autem otioſis ac ſtertentibus præmia poſuit Deus, is verò qui ſolertiæ & ingenij vires in partem aliquam confert, ægrè admodum illi ipſi quam ad deſideria cõſequenda contendit, induſtriæ diffidit, (hæc enim eſt quam potiundæ ſpei adminiſtram facit) propterea, propemodum beatos, certè non infeliceſ eos prædico, qui in id imbecillitatis inciderunt, vt, cùm nullos præ infirmitate corporis

ad

ad virtutem comparandam, laboresque tolerandos, impetus afferre possint, suis viribus ac operibus planè despondere, & ad vnam benigni Dei liberalitatem respectare cogantur. Tunc etenim si ardentia desideria non desint, quæ vt non desint, quàm facile est, quando nulla rerum arduitate reprimuntur? si imbecillitatem & patientiam suam, quasi omnium laborum conatuumque vicariam, liberali & clementissimo Deo offerant, id verò perlibenter & benignissimè suscipit, humiliumque & ad se confugientium preces exaudit, animi perfectionem, virtutes plurimas præ celsasque largitur. Ergo quod labori, scientiæ, orationi prolixæ, afflictationi tui corporis, ô quicumque vndecumque debilior euasisti, videtur deesse, id humilitate, patientia, tuæque ad diuinam (vt nunc tecum agitur) voluntatis conformatione compensa, omninoque tibi nihil deesse crede. ô quàm multi ad summum sanctimoniæ culmen ex infirmitate venere, qui valentis corporis acti stimulis, in extremam perniciem præcipites ferebantur! quàm multi, nulla scientiæ claritudine fulgentes, doctissimos tamen viros omni virtutum instructu, &, quod caput est, apud Deum gratia præcelluerunt. Annon legisti, indignantem sibi quendam; *Indocti cælum rapiunt, & nos cum nostris scientijs ecce vbi volutamur!* Et alter, post recitata Sanctuli (id nomen viro erat) literas nescientis mira facta, *Comparemus*, inquit, *si placet, cum hac nostra indocta scientia, illius doctam ignorantiam. Vbi hæc nostra iacet, ibi illius disciplina eminet. Nos, de virtutibus, vacui loquimur, & quasi inter fructifera arbusta positi, odoramur poma, nec manducamus: ille, virtutum fructus carpere nouerat, quamuis hos in verbis odorari nesciebat.* Certè, valeamus, langueamus, docti indoctivé, eloquentes infantesue, rebus gerendis apti simus ineptivé, si Deo fidimus, perficiet quæ benè volueri-mus: nulla igitur nostra imbecillitate frangamur, nullo humanæ lapsionis casu, de concepta spe decidamus.

D. August. in Confess. D. Greg l 3, dial. c 37.

Alter est error, in speciem quidem contrarius, at re vera ex eadem origine prognatus, ideoque breuiùs à nobis perstringendus: cùm scilicet, rerum successu efferimur, iamque credimus pari facilitate quidquid obuium fuerit, esse subruendum. Sanè, *cùm consummauerit homo, tunc incipiet*, cor tuum tui fiducia tumet, tibi præteritarum rerum felicem exitum tribuis; mox tua tibi in faciem exprobrabitur infirmitas, exaduersum fluent omnia, implicabuntur, & ad quem confugias, aut quò te vertas non erit. Annon id Nabuchodonosori contigit, qui sua sibi tribuens, iamque supra hominem se quiddam excelsius putans, infra homines ad belluas amandatus est? Quid Amasias rex Iuda, Idumæorum rege victo superbiens, quàm ignominiosè victus, & captus est, ab eo, quem in sui perniciem importunè suscitarat, Israëlitarum rege? Quod genus hominum aptè quodam loco S. Gregorius, victori comparat, qui auiditate prædæ, incautiùs in seminecem hostem irruens, nudum vulneri latus præbet, furtimque à iacente perfossus, in ipsa victoria vincitur, dumque nimiùm præfidit superasse, superatur: ita prorsus est, qui (vt ex vno cetera discamus) iræ impetum, iam sæpius re-

4. Reg. 14.

petita manſuetudine frænarit, ſi ſe ipſe circumſpicit, ſibi de virtute blanditur, iam ſe aliquem & laude dignum putat, ad hunc laudis fructum, quaſi prædam, præmaturè (nec enim id hac in vita tutum eſt) decerpendum prouolat, interimque vanæ ſuijpſius exiſtimationi, ſuperbiæ, & in Deum ingratitudini, feriendum ſe, ac mox etiam deſpoliandum obijcit.

Tertius eſt error, (tot enim prædixeram cauendos) cùm ad homines, ingenium, conſilia, induſtriam anxiè reſpectamus, totiſque inde pendemus: qui profectò error, eſt perfrequens, licet oretenus, res noſtras & conſilia Deo noſtro commendare ſimulemus. Ita ſumus natura comparati; à nobis ipſis, ab hominibus, & ab humanis ſubſidijs, ac vniuersè abs ijs quæ in ſenſum cadunt, ægrè admodum recedimus; tum verò ægerrimè, cùm ab ijs ad ea relegamur, quæ & à ſenſibus ſunt longiùs remota, nec vlla penitus euidente teſtificatione conſtant. Accedit perpetuus, & à teneris vnguiculis vſurpatus vſus, ceterorum, eorumque laudatiſſimorum exemplum, doctrinæ inſtitutio, ipſa etiam prudentiæ ſolertiæque laus: quæ omnia id vnum ſumma conſenſione docere creduntur, vt à prouidè prudenterque viuere velimus, conſilio, ingenio, induſtria, aduocato etiam hominum fauore, quò volumus tendamus; id demum benè cedere, cui ſecunda hæc omnia adſpirent. Atqui hæc eſt ſumma & præſentiſſima ſpes in Deum pernicies, niſi neceſſaria moderatione vtamur, ita conatus, auxilia, fauorem, induſtriam adhibentes, vt nequaquam ſpem in illis, ſed in Deo tantùm reponamus; quod fiet, ſi iſta quidem, quia ſic decet, quia ſic muneris noſtri ratio exigit, vſurpamus. at perſuaſum omnino nobis eſt, nec eum qui plantat eſſe aliquid, nec eum qui rigat, quamquam & plantandum & rigandum eſt, ſed eum qui ſolus internas & latentes incremento vires præbet Deus; nam & in vanum laboratur, & fruſtra vigilatur, nec tamen propterea à vigilando, nec à laborando ceſſatur, niſi Dominus ædificauerit domum, niſi cuſtodierit ciuitatem. Igitur, quod noſtrum eſt, conferendum eſt; at ſedula obſeruatione cauendum, vt id quod contulimus, nihil nobis fiduciæ, timorem potiùs incutiat, ne ſcilicet plus æquo nobis credentes, vel hominibus, incertiſque conſilijs præfiſi, Deo non adnitente, incaſſum laboremus: at, vbi quod noſtrum eſt præſtiterimus, nos & cõſilia noſtra ſpernamus, non putemus aptius aut ſubtilius quippiam à nobis excogitatum, ſed à nobis ad Deum ita ſincerè transferamur, ac ſi penitùs omnium conſiliorum & auxiliorum eſſemus egentiſſimi. Tua Domine, ſolius prouidentia non exerrat, dixiſti & facta ſunt, nec eſt qui tuæ reſiſtere poſſit voluntati, & per quæcumque volueris, ſtabilies quod decernis: ecce Domine ſi iſta conſilia ſum ſecutus, ſi eiuſmodi auxilia imploraui, abſit à ſeruo tuo Domine, vt tuis conſilijs, tuis auxilijs iſta prærogata velim: imò veriùs, cùm à te omne bonum eſſe ſciam, & bona, illa quoque viderentur, cur non à te quoque id conſilij, id auxilij mihi ſuffici crederem? cur non quaſi tuis & propter te vterer? cur non, ſi illa cõtemniſſem, donorum neglectorum reus eſſe timuiſſem? Tua igitur hæc ſunt conſilia,

filia, tua auxilia, tu illis, Domine, quantum placuerit virium adspira: tuum erit, quidquid inde erit, & quod per illa fiet, te benignè adspirante fiet; sin autem & consilia & auxilia ista, tuæ diuinæ maiestati minùs probantur, Sit nomen tuum benedictum, fiat voluntas tua: consiliorum tuorum est inscrutabilis abyssus, est potestas inexhausta, & aliunde certiùs id statues, aptiùs perficies, neque patieris, vt seruo tuo fiducia tua fuisse vmquam detrimentosa videatur. *Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* Psal. 106.

CAPVT XX.

Spem excitari à diuina prouidentia.

PRimam spei excitandæ rationem, vetera beneficia diximus, alteram item ipsammet Dei bonitatem qua in se sperari vult: addamus & tertiam ab eius in res omnes, potissimè tamen homines, prouidentia ductam. Est autem hæc ratio, ab ipsomet Deo ac Domino nostro Iesu Christo tam dilucidè vehementerque commendata, vt nihil meliùs possimus quàm crebrò attenteque eius verba meditari: suadens enim, vt curis omnibus positis, ad Dei vnius gloriam quærendam, nos totos, vt par est, transferamus, ita suis loquitur; *Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico vobis ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimẽtum? Respicite volatilia cæli, quoniam neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrùm cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua.* Ita Dominus, qui & paulò pòst, *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data, dare filijs vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* & vt noris quæ ista bona, explanauit S. Lucas dicens, *Dabit spiritum bonum petentibus se?* Licet enim in superiore sententia, de rebus ad hanc vitam necessarijs ageret Dominus, omnemque victus & vestitus curam in vnum Deum transferendam doceret: ipsa tamen argumentorum vis, & prouidentiæ ratio longiùs progreditur. Si enim, quia pluris quàm fenum, quàm aues sumus, propterea magis prouidebit Deus; annon etiam, pari ratione dicam, Nónne animus Matth. 6.

plus

plus est quàm corpus, & æterna vita quàm præsens? si ergo vitæ mox interiturę, si corpori mox esca vermium futuro, de rebus, tam necessarijs, quàm opportunis largiter prouidit Deus, & speranti in se, regnumque Dei quærenti, benignè semper prouidet; quantò magis diuinæ prouidentiæ incumbet, vt eorum quæ ad præsens animi subsidium, ad virtutum sanctarum comparationē, ad cauendas dæmonis insidias, æternamq; salutē consequēdam spectant, nihil desit? Certè, si hæc tam multa quæ videmus, tuendo, fouendo, alendo, ornando corpori data sunt, corpus autem ipsum nonnisi vehiculum est animi, & pars hominis longè infima; quis in dubium vocet, an perficiendo, suamque in beatitudinem perducendo animo longè plura atque potiora sufficiet Deus? Hoc agnoscens audebat sancta quædam anima; Dilectus meus mihi, & ego illi: quid ille tibi, quid tu illi? nempe, intendit, vigilat, curat. *O quid audet cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta!* inquit S. Bernard. *Itáne, huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit; & cura sæculorum, ad sola transfertur negotia, imò otia, amoris & desiderij huius? Ita planè. Omnia propter electos. Et cui dubium, quòd gratia & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam non negamus alijs creaturis, curam* animus hominis *vendicat sibi. Numquid de bobus cura est Deo? nec dubium quin idem dicere possimus de equis, de camelis, de elephantis, & de cunctis bestijs terræ: similiter & de piscibus maris, & volatilibus cæli, postremò de omni re quæ est super terram; solis sanè exceptis quibus dicitur: Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quia ipsi est cura de vobis. Et obserua Apostolum Petrum; (eius enim verba sunt.) Non ait, Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, vt sit ipsi cura de vobis; sed, Quia ipsi est cura de vobis: apertè proinde monstrans, quoniam non modò dilecta, sed & quòd priùs dilecta fuerit Ecclesia Sanctorum.* Paucisque interiectis pergit; *Nónne hæc est ouis errans, cuius cura, etiam supernorum curæ gregum, prælata est? Denique illis expositis, pastor descendit ad istam, quæsiuit diligenter, inuentam non reduxit, sed reuexit: noua, cum illa, & de illa, intulit cælis festa gaudiorum, populis angelorum inuitatis ad solennitatem. Quid ergo? proprijs humeris dignatus est eam reportare, & curam illius non habebit? Ideò non confunditur dicere, Dominus solicitus est mei. Quid ista non audeat, apud tam ambitiosum amatorem? quid non ab illo speret, qui se quæsiuit è cælo, vocauit à finibus terræ? nec modò quæsiuit, sed acquisiuit: adde & de modo acquisitionis, in sanguine acquisitoris.*

Cant. 2. hom. 68. in Cant.

2. Tim. 2.

1. Cor. 9.

1. Pet. 5.

Certè si in eo commendatur Dei caritas, quia prior dilexit nos, quia pro peccatoribus, perduellibus, ingratis, æqualem sibi Filium morti crucis tradidit, eritne vnde suspicemur, aliquid bonorum, quæ in eius potestate sunt, esse nobis denegandum? eritne vnde paternam & benignissimam eius prouidentiam, nobis iam filij sui sanguine redemtis & adoptatis defuturam putemus? Audiamus quid Sapiens moneat: *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideo non protegentur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus?*

Eccli 2.

Dominus? Respicite, filij, nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum?

CAPVT XXI.

Quàm certa sit Religioso viro spes.

SEd accipe postremum eumque copiosissimum spei in æternum profuturæ fontem, nempe à sæculi tumultibus ad Religiosæ vitæ quietem euocatum esse; *Nec enim fecit taliter Dominus omni nationi, nec iudicia sua manifestauit eis.* Scimus autem verè dictum, *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Dona quippe Dei *sine pœnitentia sunt*, & ad perfectiora, constantia, & æterna perducunt: ideoque vbi vocationem, ac maximè insigniorem vocationem vides, argumentum vides saluare volentis Dei. Et quoniam eleganter atque diffusè, qui omnium manibus teritur Hieronymus Platus id persecutus est, non agam pluribus, in memoriam reuocabo Domini nostri Iesu Christi, nulla vmquam delendam obliuione sententiam; *Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Potuerunt ne, vel affirmatiùs, vel copiosiùs, animi & corporis bona promitti? talique promissione, in publicas tabulas, Spiritu sancto contestante descriptâ, quid iam dubitationis possit emergere? in quascumque redigaris angustias, quidquid è præterita, quidquid è præsenti vita molestiæ ingeratur, vadem habes Christum Iesum; adito, conqueritor, En Domine, centuplum in hac vita promisisti, & vitam deinceps æternam; vbi centuplum in his angustijs? vbi in hac morte vita? Veritatem verborum tuorum demonstra mihi Domine, & misericordiam tuam ne deneges mihi. Profectò, si ita fidenter accedis, numquam sine leuamento recedes. Experieris, ne dubita; tantumimodo, obsecro te frater, verbis inquam Apostoli, *Obsecro, vt dignè ambules vocatione qua vocatus es, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportando inuicem in caritate, solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Hîciuxta propheticum promissum, lactaberis à Domino, & vinitores qui te excolant sortieris, & erit tibi vallis Achor ad aperiendam spem, & sponsaberis Deo in sempiternum, sponsaberis in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus.

Rom 8.

Luc. 18.

Ephes. 4.

Ose. 2.

S. Bernardus epistola centesima septima, vult vnumquemque qui se à peccatorum cupiditatumque improbo dominatu ereptum videt, certam hinc spem salutis haurire, sibique etiam cetera præstò futura spondere: quod ipsum quoniam de vocatione Religiosa, Religiosoque homini longè veriùs dici po-

test, adscribam eius verba, & quia plena pietatis, & quia certum perseuerantiæ pignus pollicentur. *Cùm peccator, Sole illucescente iustitiæ, abiectis operibus tenebrarum, induitur arma lucis: & is quem prior vita ac propria conscientia, tamquam re vera filium gehennæ deputauerat ardoribus sempiternis, ad tantam visitantis se Orientis ex alto dignationem respirans, gloriari etiam incipit præter spem in spe gloriæ filiorum Dei, exultans nouo in lumine speculatur, & dicit; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. O Domine, quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Iam se, ô bone Pater, vermis vilissimus, & odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari: quoniam se sentit amari, imò quia se amari præsentit, non redamare confunditur. Iam apparet in lumine tuo, ô inaccessibilis lux, quid boni penes te, etiam cùm malus esset, miserum maneret homunculum. Amat proinde non immeritò, quia amatus est sine merito. Amat sine fine, quia sine principio se cognoscit amatum. Agnosce, ô homo, consilium Dei in iustificatione tua. Præsens namque iustificatio, est quædam ad futuram gloriam præparatio. Aut certè prædestinatio, ipsa potiùs præparatio est: iustificatio autem, magis iam appropinquatio.* & mox; *Nemo se amari diffidat, qui iam amat. Habes dilectionis pignus, Spiritum, habes & testem fidelem Iesum, & hunc crucifixum. O geminum ipsúmque firmissimum, Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari, &c. Quanta confusio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem? Quod quidem facilè contingit si desit Spiritus. Nunc autem quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, amati amamus; amantes, amplius meremur amari. Si enim cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Quid enim? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non etiam omnia cum illo donauit nobis? Quàm miserandi, qui ad tam iucundum salutis indicium, nullum adhuc tenent suæ vocationis testimonium! Domine quis credidit auditui nostro? O vtinam saperent & intelligerent! verùm nisi crediderint non intelligent. O infelices, seculi male securi amatores! vestrum seorsum à iustis consilium.* Ita Bernardus paucis intermedijs omissis.

Rom. 5.

Verùm ne longior euadam, hîc finio breuissima in Deum sperandi capita ex D. Anselmo referens. His enim verbis conuerso ad Deum sermone loquitur; *Sunt causæ septem, quæ cogunt nos tuæ confidere bonitati. Prima, quia iustum istud desiderium tu das. Et ad quid dares, nisi etiam velles exaudire? Secunda, quia non ad nostram vtilitatem, sed ad tuam gloriam volumus exaudiri. Tertia, quia maiora quæ pro nobis fecisti, animant nos vt etiam de minoribus confidamus. Omnia enim quæ petere possumus, longè minora sunt, quàm quòd dignanter pro nobis es incarnatus & passus. Quarta, quia tam facile est, apud te, in maximis, quàm in minimis exaudire. Quinta, quia nos ad hoc prouocat tuæ consideratio bonitatis. Sexta, quia intercessorem te Iesu Christe, habemus, & omnes Sanctos. Septima, quia infinitam ad nos habes bonitatem. Si enim modica dilectio, quam ad te habemus, ad hoc nos cogit, vt in omnibus tuæ voluntati libenter*

lib. de Mens. crucis, in latitud.

benter parere velimus, cur idem de inæstimabili dilectione tua non præsumeremus? alioqui fideliores vellemus apparere quàm tu, si tales nos tibi exhiberemus, qualem te nobis, è conuerso, non crederemus. Hæc D. Anselmus.

Obseruandum autem hîc est, nobis quidem esse prouidendum, vt benè sperandi rationes omnes & causas mente complectamur, memoriæque quàm creberrimè occursare curemus: Si tamen quæpiam est, qua minùs permouemur, quámve minùs capimus, aut in qua nonnihil est quod nos deficit, non est cur idcirco fatigemur, vegetusque spei vigor elanguescat; satis est vt à ceteris roboretur, vel etiam ab vnica benè fidendi causa. Veluti, si (quod ad secundam à D. Anselmo positam causam spectat) minùs comperio desideria mea in Dei laudem ferri, vereorque ne mei ipsius amore ducar: erit quidem, vnde me ipse reprehendere, & in posterum ad perfectiora stimulare debeam; at interim, cur non sperabo in Domino, & quas à me non habeo, ab eius bonitate, prouidentia, beneficentia, sperandi rationes petam? Omninò id longè satius; exile est enim, facileque conuellitur, quidquid fallente hominum arte consurgit; at firmum est & perennat, quod sui ortus & auctus fundamenta, ab vno posita Deo, in eundem, eiusdem ope sustollit.

LIBER SEXTVS,

De Orationis præsidio.

SPem eam de qua proximè dictum est, vel sequitur, vel vehementer confirmat oratio: adeoque hæc sunt connexa, vt neque ad orationem sine spe, quisquam possit accedere, neque iusta bonorum impetrandorum spes esse possit sine oratione, cùm oratio posita sit à Deo, omnium, atque adeò perseuerantiæ obtinendæ via. *Petite*, inquit Dominus, *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Omnia quæcumque orantes petitis credite quia accipietis, & euenient vobis.* Itaque Timor, Spes, Oratio firmissima sunt ad perseuerandum præsidia. dictum de prioribus, de posteriore dicendum. *Matth. 7.* *Marc. 11.*

CAPVT I.

Quid hoc libro tractetur.

EA est nostri sæculi ingeniorum fecunditas & ad pietatem vbertas, vt propè innumeri sint, qui vel scriptis libris, vel prolixioribus in rem suam quasi introductionibus, Orationis præcepta fusè dilucideque descripserint. Vitare tamen non possum, quin eadem de re breuiter hîc dicam, ne tam necessario præsidio perseueraturum destituisse videar.

Attamen non id spectо vt latè hac de re disseram, sed breuiùs de necessarijs instruam, & ea sola persequar quæ B.P.N. Ignatius aureo suo Exercitiorum libello præcepta tradidit. Hanc sequar methodum, vt humani ingenij captum respectans, è facillimis, nobisque notissimis, huius exercitationis diducendæ, ac latiùs explicandæ viam præeam.

Quapropter nihil hîc de Oratione quæ voce, sed de sola illa quæ cogitatione perficitur, quòd tota in cogitatione perduret, non sic tamen quin si quando in impræmeditatam vocem eruperit, non ex tantillo mentis esse desinat.

Varius tamen & multiplex est orandi mente modus: licet enim nihil sit quod non cogitando euoluere, & mente possimus agitare, non est tamen quidquis cuiuis orationis generi æquè aptum, nec etiam quiuis hominum ad idem orandi genus aut à natura, aut à gratia ducitur. Quare vt planè nihil sit quod auidam progressionis in virtutibus mentem effugiat, sed planè vndecumque perfectionis quidpiam comparet: quatuor hîc describo exercendæ mentis genera, quæ in orationem desinant, vel sint oratio perfectissima, varieque, vt patebit, permisceri, & vtiliter exerceri queant.

Sunt autem quatuor hæc genera, Consideratio, Meditatio, Applicatio sensuum, & Contemplatio, quæ vel seorsim singula, vel vt plurimùm mixtim vsurpanda sunt.

CAPVT II.

Quid sint Consideratio, Meditatio, Applicatio sensuum, & Contemplatio.

COgitatio est mentis quædam agitatio, seu actus quidam quo humanus animus reuoluit aliquid quod ipsi venit obuiàm. Est autem hæc duplex, nempe sacra, vel profana. Sacra cogitatio, profanam quippe reijcimus, ea est quæ sanctum aliquē affectum, vel intellectum inuoluit: vnde fit vt de re non sancta, possit

possit esse sancta cogitatio, vt quando peccati grauitatem, vel vt eam cognoscas, vel vt illud detesteris, expendis; similiter & rem sanctam, vt Deum, vel vt eum cognoscas, vel vt etiam ames, cogitare potes. atque hinc duplex sacræ cogitationis genus exoritur, Vnum quod ita exercetur, vt ad intellectum solum tunc referatur, & scrutantis modo fit; etiamsi sit id exortum ex recto fine amandi Deum, eiq; obsequendi, & hoc scientiarum est: Alterum quod etiam ad effectum spectat. Præterea horum vtrumque vel est quasi præteruolans, vt quamplurima quæ de subitò in animum incidunt, & protinus etiam desinunt, vt illæ quoque quas eiaculatorias vocamus orationes: vel diutiùs cum animaduersione insistitur, vt in longo vel Theologiæ studio, vel orandi conatu.

Iam verò ad rem nostram solæ illæ cogitationes faciunt quæ sunt ad affectum aliquem pium, & quibus inhæretur. Sed hæ ipsæ rursus duobus modis contingunt: namque aut cogitatio in pium aliquem affectum vel desiderium simpliciter & purè fertur, aut quasi coram Deo versatur, siue vt sit desiderij cõpos, siue vt alicui bono piè acquiescat. Si simpliciter in illud bonum fertur quod non est Deus, est pia & sancta cogitatio, non autem oratio: erit verò oratio, si quasi coram Deo id ipsum cogitet, vt in omni oratione sit necessariò pius quidam mentis coram Deo versantis affectus; non quidem perpetuus, qui continuari semper debeat, sed quòd saltem quæcumque in oratione cogitantur, è pio quodam affectu exoriri debeant, in eumque desinere conueniat. quod si breuissimè fiat, existit ea quam adspirationem, vel eiaculatoriam orationem diximus: at si producatur, tum ea est qua de agimus oratio: quæ cùm in cogitatione & à cogitatione fiat, hinc docemur non esse nobis in vanos cogitatus liberè & effusè soluendum animum, & ad orationem fore perutile si consuescamus intentiùs paulatim diutiusque mentis aciem in vno aliquo occupare: sic enim sensim assuefaciemus nos ipsos, vt in vnius sacræ rei tractatione diutiùs perseuerare sine labore possimus.

Sed ex ijs quæ dicta sunt, iam constat quid sit ea quam hîc volumus oratio, nempe cogitatio sacra prolixior & contẽtior, qua ex pio aliquo affectu in quem tunc incumbit, mens nostra quasi sub oculis Dei sanctè occupatur. Atqui hoc ipsum duobus modis accidit: aut enim ratiocinando, aut intuendo in id fertur quod propositum est. Hæc autem singula cùm bifariam distinguantur, quatuor illa sunt quæ posuimus orationis genera. Etenim vel ita ratiocinamur, vt in boni & agendi inquisitione plurimùm versemur, & est quam Considerationem appello: vel non adeò res agendas rimamur, sed affectui concitando plura damus, & hæc est Meditatio, quæ à Consideratione non admodum distat. Denique noster animus in res intuendas fertur, vel sic vt eas corporatorum sensuum ratione & modo simili reuoluat, tumque Applicationem sensuum esse dicimus; vel omni sensuum proportione ac similitudine remota puro quodam quasi contuitu id spectat quod sibi obiecit,

& hanc appellare solemus Contemplationem. Sed nunc singulas explicatum eamus.

CAPVT III.

De Consideratione.

l. 2. de Consid. c. 2. *Consideratio*, inquit S. Bernard. *est intensa ad inuestigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum.* Quæ definitio vera fuerit, nostræque considerationi conueniens, si modò intelligas, orationis esse quoddam genus, qua vestigetur, quid verè bonum aut malum, fugiendum aut sequendum: his enim fermè terminis consideratio continetur: & licet considerare possim, quibus potissimè vel vijs vel exercitationibus amare Deum possim, non est hoc à dictis diuersum, sed est eò fine constituto considerare quæ potior via mihi sit eligenda. Vide considerationis est proprium, vt solertiùs & pensiculatiùs expendat, quæ vnicuique rei possint subesse rationes, commoda, incommoda, consilia, euentus, causæ, circumstantiæ, offensiones, gratulationes, facilitas, difficultas, pericula, laus, vituperium, imbecillitas, firmitudo, duratio, persona, locus, tempus, occasio, & denique id quodcumque æstimatione prudenti ad iudicium ferendum conferre, & ad alia istiusmodi discernenda traduci potest.

Hinc aptissima considerationi sunt, præcepta, literæ & epistolæ, sententiæ quarum in verbis pondus inest, consilia & deliberationes, leges seu regulæ, facta quædam obscuri & ancipitis exitus, dubitationes quoque quæ vel verè fuerint, vel fingantur, quæstiones etiam quibus in facta inquiratur, vt rectiùs ne tum temporis, & quibus rationibus niteretur B. Patris Ignatij consilium, de non ingredienda vetere, sed noua excitanda Religione. Denique sic expendenda sunt malorum remedia, & cum alijs comparanda, præsentiora nec ne sint ceteris, & vnde id fiat? Præcepta, leges, regulæ, diuinæ & humanæ, perpendendæ attentiùs: in sua facta, cogitata, dicta, omissa inquirendum, nihilque sui non discussum præterire conuenit. His rebus frequenter & solerter exercita mens, mirum quantum prudentiæ, discretionis, veræque spiritualis cognitionis acquiret: & in se id consequetur, quod ab illa fieri his verbis docet S. Bernardus. *Primùm quidem ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum*

l. 1. de Consid. c. 7.

prudentia est. Addit deinceps, hanc etiam esse, quod profectò ad virtutem est maximum, quæ complexum docet concentumque virtutum, quæue ex qua altera pendeat, quæ item voluptates inter & necessitates quasi arbitra sedet, his quod satis est præbens, illis quod nimis est adimens. Quæ laudes quamuis omnino permagnæ sint, sunt tamen intra veri modum, dicique adeò potest, nullum in quoquam hominum tantum vmquam fuisse verè solideque bonum, & ad virtutem attinens, quod non à consideratione prognatum, aut certè si diuinitus infusum fuerit, ab eadem excultum, & plurimum sit exornatum.

Cùm autem in omni consideratione, id sit primum & potissimum, vt res quæ in disceptationem venit probè cognoscatur, eiusq; partes omnes benè sint perspectæ: nec enim fieri potest, vt de re incognita certum & indubium iudicium ritè feratur; cuicumque rectè & probè considerationem volenti auspicari, necesse est vt sedulus incumbat non tantùm in totius rei, sed etiam in singularum partium cognitionem: quare obseruet accuratè quæ dicemus vbi agetur de memoria, & intellectu.

CAPVT IV.

De Meditatione: quid sit, & quæ eius materia.

MEditationis nomen, non infrequenter tam amplo significatu vsurpatur, vt idem sit quod seria aliqua, sæpiusque repetita cogitatio, estque ex vsu Latino, vt meditari carmen, orationem, insidias dicatur aliquis: vnde nihil mirum est si, cùm ad precationem significandam traducitur, nonnumquam etiam sic vsurpetur, vt omnia ea orandi precandique genera complectatur quæ mẽte constant & sola mẽte peraguntur: & nonnũquam occasione data sic loquor, cùm sit ea dicẽdi formula interdum accommodatior, facileq; ex adiunctis intelligatur.

Cùm autem in isto vocis intellectu, Meditatio cogitationem significet contentiorem, ac fermè sollicitam aliquò pertingendi, inde fit, vt quoties de oratione mentis pressiùs agitur, eiusq; variæ partes distinguũtur, meditationis nomen à contemplatione, & ceteris accommodissimè seiungatur, eamq; significet orationem quę differendo, & intellectus ratiocinationibus vtendo, commouendis & inflammãdis pijs affectibus incumbit. Itaq; meditatione, boni primùm malique, vtilis & damnosi natura clarescit, tum deinde rationũ stimulis acriùs instigata voluntas, ad exhorrescenda & præcauenda mala, bona verò consequenda prorsus inardescit, & vt ei desiderata obtingant, nihil intentatum omittit.

Materia verò meditationi subiecta, esse potest id omne, vnde sensus aliquis pietatis, peccati odium, virtutis amor, Dei caritas, perfectionis desiderium incitatur.

Cùm

Cùm autem plurimùm ad omnem perfectionem inuitamenti sit ab exemplis Sanctorum, non parùm probauerim si eorum vitam, & res gestas meditandas quispiam sibi sumserit. Nouum id nonnemini videbitur, quare vt explanetur, exempla subinde apponam, inde sumta, ne in illis quæ de Christo Domino & B. Virgine passim extant & tritissima sunt, semper hæreamus, tum saltem quando hominum magis propria sunt.

Video quid hîc obijciet nonnemo: Orationem illam quæ sola mente & cogitatione perficitur, rerum diuinarum contemplatione ac pertractatione efflorere, quapropter hominis vitam, & res gestas, meditationis & orationis materiam minus aptè censeri, & ad summum intra vtilis historiæ limitem coërcendam, aut ad morum præcepta relegandam. sed longè aliter se res habet: non solùm enim historiæ moribus instruendis oportunæ sunt; sed orationi etiam & meditationi quàm maximè congruunt. & id quod pro certo sumebatur, mentis orationẽ rerum diuinarum cogitatione constare, si de ijs solis intelligitur, omnino falsum est & improbabile: id certè verum est, non esse verè & propriè mẽtis orationẽ eam, quæ nec in rebus diuinis versatur, nec ad diuina consurgit, nec quasi in oculis Dei peragitur, nec ad Deum proposito fine contendit: posse tamen orationẽ esse, si modò horum aliquo decoretur, quantumuis rẽ vilissimam nostræ cogitationi obiecerimus. At neque illico seriam omnem de re aliqua cogitationem, orationem esse dicendum est: sed quando sit dignoscemus è dicendis.

Ac primùm omnium animaduertendum est, orationis nomine in alio significatu nos vti, quàm vel prisci illi Latini, qui sermonem aut breuiorem aut prolixiorem intelligi volebant, vel etiam B. Thomas cum Theologis, qui orationem eam solam esse volunt, in qua petatur aliquid. at verò qui spirituales, vt vocant, libros, Christianæque perfectionis mores docent, latiùs cum D. Damasceno, & Theologorum non paucis orationem id omne vocant, quod sit mentis in Deum ascensio, siue decentium ab eodem Deo petitio: fuitque is verbi intellectus eis necessarius, vt ne deesset nomen vnum, cuius ambitu omnis ea varietas, qua mentem in Deum conferimus, comprehendi posset. quamuis enim precum nomine vti potuissent, ipsum tamen precari magis petitionem sonat: at oratio, qua nihil rationi vicinius, ad mentem translata, omnẽ eius actum, & ad Deum motum, siue sola mẽte, seu etiam voce comite peragatur, percommodè significare potest. quare contemplationes illas, quæ nullo cuiusquam rei petendæ desiderio in solis diuinis perfectionibus amandis & intuendis conquiescunt, & alias eiusmodi, orationis nomine complectimur: & hanc nostram spiritualem artẽ sanctitantium, is esse sensus solet. Hæc igitur oratio quæ se intra mentis arcana foras non prodiens continet, est sacra quædam nostræ mentis ad pios affectus cõcitandos occupatio, in rebus ijs quę vel Deum spectãt, vel in Deum referuntur, vel ad nostram vel proximorum nostrorum perfectionem, seu morum informationem, tamquam Dei ope & præsenti auxilio obtinendam faciunt. Ex quo intel-

2.2.q.82. a.1. l.3. de fide c.24.

intelligas quæ de rebus creatis & viliſſimis aut etiam peſſimis cogitationes, oratio dici poſſint, & oratio præſtantiſſima: quando ſcilicet ex ijs noſter animus, ad res diuinas, aut ſaltem ad ſuam ipſius expurgationem, aut perfectionem, propter Deum & cum Deo excitatur.

Atque vt huius rei exemplum proferamus, vnicum, ex quo ad aliorum intelligentiam pertendamus: quid poteſt vel peccato fœdius effingi, vel quod ſit à ſumma & omnis mali experte Dei bonitate alienius! ſi tamen animum tuum quaſi præſentem Deo ſtatueris, omnemque illam quæ in peccato ineſt deformitatem, diligenter intuendam, ſubtiliterque ſcrutandam ſumpſeris, vt cogitationis oculo in maieſtatem offenſi numinis frequenter retorto, quàm acerrimè peccatum omne deteſteris, vt eius conſtantiſſimè vitandi certa deſtinatione firmeris, vt omnes voluptatis illecebras & acutiùs peruideas, & declines cautiùs, vt diuinæ bonitatis, quæ ex tanta te pernicie liberare, quàm digna pœna mulctare maluit, inexhauſtam miſericordiam amare, & laudibus efferre poſſis, vt denique plurimorum aliorum in Deum ex odio peccati & virtutis amore tendentium affectuum variam ſiluam excites; verò nemo eſt, qui è re fœdiſſima pulcherrimæ orationis formam deſumptam negare poſſit. quamquam ſi leuiter hoc totum immutes, tibique omnem illam peccati naturam, ſolius cognitionis cauſa perſcrutãdam ſpeculandamque ſumas, neque vltrà ad Dei opem, bonitatem, aut eiuſmodi diuinum aliquid progrediaris, iſtam tuam cogitationem non orationis, ſed non inutilis cogitationis & philoſophicæ quaſi perſcrutationis nomine dignabimur: id enim pro certo ponimus, orationem eſſe non poſſe, vbi nulla in Deum fuerit noſtræ mentis aſcenſio.

Iam verò cùm ex ipſo peccato, quo nihil eſt aduerſius Deo, orationem conflari poſſe dixerim, ſuperuacaneum meritò videri poſſit, ſi nihil in vniuerſa rerum machina eſſe ex quo oratio fieri non poſſit, demonſtrare coner. ſi enim id vnum quod à Deo non eſt, ſummeque repugnat Deo, ita variè & multiformiter verſare poſſumus, vt perfecta orationis forma ſubornetur, quanto magis ex alijs rebus omnibus quæ à Deo ſunt, & natura ſua bonæ ſunt, & aptè conuenienterque procreatæ, poterit ſibi orationis materiam mens noſtra ſeligere?

Eſt autem eiuſce rei hæc cauſa, quòd ſummus & optimus Deus, non tantùm rerum omnium proſeminator eſt & auctor, conſeruator, moderator & gubernator, ſed finis etiam vltimus, ſummum bonum, in quem omnia, ex quo omnia, per quem ſunt omnia: vnde efficitur vt planè nihil ſit, ex cuius vel procreatione, vel conſeruatione, vel vſu, vel gubernatione, non poſſimus ad vnius Dei iſta perficientis continentiſque amorem, admirationem, cognitionem atque cultum variè ferri; quin etiam inueſtigare num ex eo quod noſtræ menti obijcitur, viam aliquam reperire poſſimus, qua vel clariùs nobis Deus illuceſcat, vel obtineatur certiùs, vel deperdi minùs poſſit, vel id omne longiùs euitari quod abs

vltimo nos & optimo fine abalienaret. quæ & longè plura contemplatus quidam exclamabat, *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Cumque vndique à Deo perpetua quadam lucis, aëris, rerum iucundarum & necessariarum affluentia, quasi amicis boni parentis muneribus, se videt vbique circumdatum, admiratur vir sanctus, & cum eodem exclamat, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear: producit fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum: educit panem de terra, & vino lætificat cor hominis.* quid eo benignius cogitari potest? id quoque prouidet vt imbribus *saturentur ligna campi & cedri Libani quas plantauit: omnia denique ab illo expectant vt det illis escam in tempore: sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis: propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. cantabo Domino in vita mea, iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* His pascuntur cogitationibus viri sancti, his affectibus animum ab infimis ad suprema conuertunt.

Psal. 91. Psal 103. Psal. 102. Psal. 15. Psal. 102. Psal. 15. Psal. 103.

Neque verò nunc id ago, vt præclarissimæ vtilissimæque huius exercitationis partes exequar, sed vt ex his apertum & in confesso relinquam, à Sanctorum gestis materiam orationis peti posse. addam etiam debere: si enim & ingratus & excors ille fuerit, qui vel nolit, vel non possit, ex his procreatis, & infimis bonis quæ sunt in commune omnibus exposita, vnum summum bonorum omnium procreatorem largitoremque Deum honore & amore prosequi: nonne eum, si quis tamen eiusmodi reperiri poterit, summam humanæ naturæ dignationem inuidisse dicemus, qui è Sanctorum dictis atque gestis virtutis perfectiùs consequendæ, diuiniique numinis sanctiùs colendi desideria non sentiat? cùm etenim è creaturarum reliquis, ad Deum non sit ascensio, nisi eatenus, qua perfectionum diuinarum, vt sapientiæ, bonitatis, ordinis, delectabilitatis, pulcritudinis, efficientiæ, varietatis, vnitatis, aliarumque plurimarum aliquam, aliquâ saltem, participant: nihilque sit præclarius in reliquis, quod non homini concessum reperiatur, cùm in se habeat quidquid in animantibus, quidquid in ceteris rebus est optimum; profectò ex homine ad Deum, longè aptiùs quàm ex vlla alia nostris oculis subiecta natura transmittemus. Id verò in ijs maximè qui suos animos omni virtutum genere ornarunt. Hi sunt felices illæ animæ, terrissima diuinitatis specula, quibus clarissimè irradians Deus tantorum exemplorum fulgore se prodit, & ad interminam lucem, lucis minoris æmulatione nos inuitat. hi sunt qui quanto celsiori loco spes omnes suas collocatas habent, tantò ceteros omnes, Duces, Principes, Imperatores, qui curuas in terram animas gerunt, post se longo interuallo relinquunt. hi denique quorum (vt dicit

dicit quidam) cùm sit conuersatio in cælis, ijs dignus non est mundus, qui iam in similitudinem & in sortem filiorum Dei, vel certa spe vel amica S. Spiritus inhabitatione transiuerunt.

Quare cùm rerum earum, quas intuitu cernimus, nulla sit homine perfectior, adeóque nulla sit ex qua aptiùs in Deum transcendatur, cùm in ipso homine nihil sit ratione & intelligentia præstantius, ipsæque meliùs perfici non valeant, quàm sanctitate, donisque diuinis; restat vt fateamur nullam expressiorem Dei imaginem nobis expositam esse posse, quàm ea sit, quæ tota diuinæ sanctitatis quasi communione adornata, se suprà res infimas erigit, Deique similior existit: huiusmodi autem est viri sancti animus, cuius cum omnia desideria, conatus & actus non solùm vnum Deum spirent, sed à Deo etiam inspirentur, gubernentur, & quodammodo informentur: non est vbi euidentiùs Dei sapientiam, consilia, bonitatem, accessus & recessus, iudicia & misericordiam, & alia plurima arcana diuina contemplari possimus: mentis quoque ad superna conscendentis profectus & defectus, mutationes & alternationes, totamque planè viam quam ad perfecta contendens terere debet, tum demum ad liquidum agnoscimus cùm in decursu vitæ sanctæ ea omnia nobis delineata, continuaque rerum serie quasi digito commonstrata cernimus, & orationi ac meditationi copiosam segetem suggerunt.

Neque verò ab his rationibus admodum discrepat ea quam sequimur in vita Christi Domini rebusque ab eo gestis meditãdis methodus, nisi quòd tum persona qua de agitur Deus ipse est: propiùs accedunt qui beatissimæ matris & virginis vitam & gloriam, meditatione reuoluendam descripserunt. Sed hæc dicta sufficiant, non solùm vt Sanctorum gesta & vitam, orationi materiam suppeditare posse demonstremus, sed etiam vt ineundæ orationi & ijs quæ dicenda supersunt viam aperiamus.

CAPVT V.

Quibus præceptionibus meditatio dirigi possit?

QVando ad æternam gloriam tantum habet momenti, & res est adeò sacra, meditatio, nemini dubium esse potest, quin ad eius perfectionem consequendam, non artẽ, vel præceptis, vel ingenij industria, sed diuinæ gratiæ auxilio sit & liberalitate nitendum. Et verò cùm hæc oratio ingressus & accessus proximos ad Deum præbeat, ipse verò à superbis longiùs abscedat, cũ simplicibus autẽ sermocinatio eius, non rarò euenire cernimus, vt in meditãdi peritia, doctioribus rudiores nõ mediocriter antecellant. nempè abscondit à sapiẽtibus & prudẽtibus, quod paruulis, & sola diuina ope fretis reuelat Deus. Itaq; hoc primum, *Prou. 3.*

hoc potissimum,& ante omnia persuasissimum sit,à Dei gratia expectanda omnia, vanumque nobis fore, & in irritum casurum, si ante lucem eius surgentes nos ad opus accinxerimus ; at verò si in animos nostros vel tenuis radius diuinæ benignitate diluxerit, tum demum si nos illi magno conatu adiunxerimus, ad sancta, æterna, diuina, magna facilitate rapiemur. Vt autem liberalissimus est Deus, vltroque non vocatus adest, ac oblatis gratijs allicit & inuitat : profectò nobis deesse non poterit, si quod nostrum est, humiliter diligenterque præstiterimus. Cùm verò ad opellam nostram,suam benignus gratiam adiunxerit, leniterque adspirans, nos longiùs prouexerit: intentissima circumspectione vitandum,ne ob laborem nostrum, aut aliam quamuis diligentiam, vllam in nos laudis partem deriuare, vel in re benè transacta quidquam nobis arrogare animus:est enim hic superbiæ cogitatus,hæc suijpsius adulatio vanissima,est inquit veræ virtuti præsens venenum,& diuinis donis obex impenetrabilis. Ijs autem si opulentari cupis,quidquid demum tibi datum fuerit,gratis, & nullo tuo merito tibi datum autuma; dum adest datum,gratias ex animo age, benè vtere,neque perpetuum putes; si adimitur, iudicijs Dei acquiesce, moderatè contende vt recuperes,memor tamē à dextris & à sinistris,per bonam famam & infamiam, in esurie & in abundantia, in secundis & aduersis, tibi semper esse Dei causa ad perfectionis celsiora tendendum.

Quæ cùm ita sint,cauendum tamen, ne, dum animum in hoc intendimus vt Deo totus fidat, & sibi penitus diffidat, in ignauiam socordiamque soluamur, & à Dei præscriptis aberremus. nec enim sic nostra est despicienda opera, vt etiam non adhibenda sit : sed sic demissè obedienterque labor noster Deo exhibendus est, vt agnoscamus quàm in labore nostro nihil momenti positum est, illudque ipsum videns Deus,nostri miseratione tangatur,& ad ea nos prouehat, ad quæ nullus noster quantuscumque,& quantumcumque diuturnus labor adspirare posset. Dum tamen ita laboramus, & nihil verè dignum tanta mercede peragimus,est labor ille, si in vera demissione perstamus , nostræ imbecillitatis & indigentiæ,agnitio simul & professio,cum ardentissima diuinæ opis imploratione coniuncta : quæ profectò à diuina bonitate numquam repulsam feret. Quid enim? si amantissimum filium ad rerum præclarissimarum consecutionē, magna animi alacritate, conatu permagno adspirare videat parens, sudores tamen eius omnes incassum fundi , imò verò timendum ne debilitatum intercipiens hostis interimat: quis dubitet quin honestissimus filij labor,optimæ indolis,paterna quasi suo iure subsidia exoret ? non secùs si nos videat summus parens Deus nitentes, molientes,anhelantes, vt meditandi orandique fastigia teneamus,pusionum labores non ridebit,interuenier, vimque suam nostræ debilitati,lucem tenebris,sapientiam ignorantiæ leniter insinuans, longè, quàm sperabamus,plura & maiora donabit.

Prætereà is est diuinæ prouidentiæ ordo sapientissimus atque iustissimus, vt qui

qui in minimo infidelis est, ei maxima non credantur, hoc est, qui in eo quod suū est & à se requiritur, manum operi non admouet, huic velut otioso & vecordi, maiora gratiæ dona non addantur, & cui aliqua gratiæ dona sunt data, is eis adlaborare ad conseruationem debeat & augmentum, multumque omnino diligentia, multum conatus, naturæ obseruatio, ordo, methodus, & accuratio præceptionum facit: quippe quæ casu, temerè, neglectè, vel quasi fortuitò fiūt, procul dubio ni accedat aliud, longè minùs perfecta, minusque Deo grata sunt, quàm quę ratione, prudenter, diligenter, destinatoque fiunt. quapropter vt gratiora & perfectiora sunt hæc, ita vel impetrandę, vel conseruandæ, atque augendæ diuinæ liberalitati sunt longè aptiora.

Hoc est ergo in meditatione spectandum, vt, quoniam mentis operationem esse diximus, mente & ratione dirigatur. Nihil autem rationi conuenientius est, quàm vt in agendo caueatur temeritas, præsentia animi seruetur, fine certo sibi præfixo, quem ita in omnibus diligenter quæras, vt inuentum stabilias, nec tibi sinas eripi: quapropter si hæc tria de meditatione dixero, nempe quomodo ad eam accedatur, ad finem dirigatur, & in eo confirmetur, satisfeciſſe me argumento isti credam.

CAPVT VI.

De temeritate in meditationis accessu cauenda.

TRitissimum illud & per omnium ora volitans, sed perneceſſarium est sancti Spiritus monitum: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Enimuero nonne regiæ maiestatis parcus æstimator & irā mereri putabitur, egenus, sordidulus & rusticus, qui de rebus maximis & intricatissimis apud regē acturus, planè impræmeditatus veniet? tum verò si post pauca & balbutientia verba obmutescat, quis non illum à conspectu regis indignatione iustissima repellendum iudicet? tu verò carni & sanguini immersam geres mentē, qui æterna & ab omni materiæ contagione semota, coniectando & suspicando vix attingis, cuius indignissimæ vilitati vt in conspectum tātæ maiestatis veniat, nullus vmquā satis esse possit apparatus, tu mihi ex abrupto, extēporaneus, ad Deum audacter irrumpas? cuius id oris, cuius frōtis fuerit? Certè D. Bernard. hanc ariditatis & hebetudinis mētis causam reddit, quòd minore reuerentia & sollicitudine ad orationem accedamus; eiq; morbo his verbis medicinam facit; *Quid aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quàm propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei? Omninò siquidē oportet nos orationis tempore curiam intrare cælestem, illam vtique curiā, in qua rex regū stellato sedet solio, circumdāte innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Vnde & ipse qui videbat*

Eccl. 18.

Serm. 26. de diuersis.

Psal. 41.

Dan. 7. *rat, quia maior eũ numerum non inuenit, Millia, ait, millium ministrabãt ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta humilitate accedere debet, à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremebunda, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio iustorum & congregatione, assistere poterit miser homuncio!* Et mox paucis interiectis ita concludit: *Sic igitur oret qui orat, tamquam assumtus, & præsentatus ei qui sedet super excelsum thronum in Angelis qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos suscitauit de puluere inopes, & erexit de stercore pauperes: sic inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tamquam præsentatum Domino*

Gen. 18. *maiestatis, vt dicat cum Abraham, Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Et quia tuo præcepto commonitus, tua institutione formatus, id præsumo, Domine, fons pietatis.* Benè sanè Bernarde, qui sanctæ tuæ deuotionis liquorem & ex illo fonte pietatis hauris, haustumque propinas: bibamus vtinam, atque intimas animi nostri venas & sensa, demissus ille diuini numinis cultus & reuerentia insideat.

Et verò in illis quæ de Sanctorum gestis instituuntur meditationibus & orationibus, non est vel tantillum à doctrina Sancti recedendum: suo enim loco docebimus, quomodo semper in eis coram Deo sit adstandum; id autem videtur addẽdum, vt præter maiestatis diuinæ præsentiam, illi adiungamus eum de quo agitur Sanctum, inferiore aliquo, sed tamẽ fulgentissimo throno coruscantem, gloria & multiplici honore circumdatum: non secùs atque interdum hac in vita, si rege aliquo magnificè considente, vnus aliquis è principum primoribus, in inferiore quidem subsellio, sed tamen à ceteris segregato & honoratiore resideret, per hunc autem ad regem pateret accessus.

Ad hæc quotiescumq; res eas aggredimur, vnde fortunas, honorem, salutem nostram, aut nostrorum & reipublicæ pẽdere existimamus, nec labori parcimus nec vigilijs, anxias de illarum tractatione & exitu curas gerimus, omnes animi & industriæ neruos intendimus, si qua tandem feliciùs & certiùs pro voto possint cedere. Videlicet rei grauitas, & inuoluta euoluendi cupiditas eò nos trahit. Si igitur hac eadem animi persuasione, ad orationem semper accesserimus, per facilè temeritatem omnem præcipitationemq; fugiemus: esse autem ad humanos omnes casus maximi momenti orationem, nemo diffitetur, prolixumq; foret si ad eius necessitatem, vtilitatem, dignitatem explanandam accederem. Vno id verbo satis sit, orationem, eam esse quæ à nobis mala omnia possit auertere, bona verò impetrare, exornare, augere, atque in æternum vsque conseruare, facereque, vt in terris vitam viuamus angelicam. quare cùm de oratione fundenda cogitamus, credamus nos rem eam aggredi, qua maior nulla est, aut ad salutem nostram propiùs attinens, nobisque diem illum, fortassis extremum, horamque felicem diluxisse, qua nobis liceat in summi, oprimi atque amantissimi creatoris & redemptoris nostri amplexus ruere, osculis perfrui, auditu delectari, sapientiæ fulgoribus illustrari: quod sanè si, vt est, ita seriò ipsi nobis obiecerimus, mira

quæ-

quædam in nostris animis, & cum solicitudine curaque coniuncta innascetur ad orationem alacritas.

His etiam consentaneum est, vt quando tanta vis, tanta dignitas est orationis, ac per eam diuinæ maiestatis throno sistimur, animum nostrum ante orationem omni vitio, omnique cupiditatis affectu expurgemus, omnem etiam perturbationem componamus; nec enim eiusmodi vlla fuligine afflatos, ad candorem lucis æternæ decet accedere: ponendæ etiam sunt rerum aliarum omnium, licet bonarum & ex officio agendarum, curæ omnes, & quidquid est anxium. nec enim vel in spiritu, vel in commotione, vel in igne, sed in spiritu tenuis aurę Dominus, eique acceptissimum est, si cùm ad eum accedimus, accedamus mêre penitus omni desiderio exuta, totamque se in eius arbitrium transfundente, eum solum ambiente & præter eum omnia despectante: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam,* dicebatis cuius fortitudo, auxilium, & spes tota, solus erat Deus. Certè si toti & perfectè ab illo solo penderemus, si nusquam aliò respectaremus improuidi, optimeque de ipsius liberalitate sentientes, nos vt lutum figulo, sic ipsi fingendos, refingendos, vtcumque libêret, non subtimidè, neque fictè, sed fidenter & sincerè traderemus, ô quã mirabiles diuinæ ipsius largitatis experiremur effectus! nunc autem dum reculis nostris nimiùm tangimur, nimiùm anginur, dum timidæ & incertæ nostræ prouidentiæ fidimus, dum cupiditate variorum ambitiosa, plura quàm imbecilla mens ferat amplectimur; hæremus in extremis, & minutula nescio quæ consectantes, orationis, qua nihil diuinius est, præstantiam degustare non possumus. 3 Reg. 19. Psal. 72.

Quin etiam præter ea quæ dicta sunt, ad temeritatem vitandam facit, si eam meditationi nostræ materiam seligimus, eumque nobis limitem ponimus, qui virium nostrarum modulum non excedat: quare ingenij sui modum, vitæq; rationes nosse quisque debet, itemque quo maximè orationis genere vtiliter occupari possit, nec facilè, nisi paulatim, & ex consilio, maioriq; progressus causa, longiùs audeat progredi. Sin autem libris opus est, eis vtatur, qui maximè ad naturam accommodatè, ordinatè dilucideque præcipiunt: quòd si ampullatos, grandia sonantes, & abs vsu peruulgato recedentes elegerit, experietur parum ex illis demeti, incertos fluctuare, in speciem blandientes non ita multum in recessu continere, & quamuis non vsquequaque reijciendos, magno tamen esse iudicio reuoluendos, & non à quouis. Certè diuina multa abundè supperunt, & tota B. Patris nostri vita satis edocet, quàm fuerit humilium, communium & minimè dubiorum amator, eorum verò quæ his, vel sunt, vel videntur esse contraria, contemtor & auersator. Verùm id sit obiter dictum ne quis altum sapiat, & supra captum ausit. Quæ verò in singulis præstanda sint, dicam sub finem prolegomenωn.

CAPVT

CAPVT VII.

De animi præsentia & fine præfigendo.

PRæsentiam animi illa quam dixi sollicitudo, & adstantis Dei reuerentia proculdubio parient: præter eas tamẽ, vis etiam moderata erit animo adhibẽdi, vt vigil perstet, & ijs quæ agit intẽdat, neque volatica instabilitate, huc illuc per diuersa, cogitatione rapiatur. Quam in rem id vnum (plura enim huic loco minùs conuenirent) dixisse sufficiat, Si cupiditatibus & desiderijs nostris modum fecerimus, si amore nimio rebus agendis non adhæserimus, si ad rerum euentus anxiè non respectauerimus, conscientiaque & Deo solo teste contenti, quidquid in terris est despexerimus, amoremque totum à fugitiuis ad æterna, à creatis ad increata transtulerimus, penitusque sola & inexplebili perfectionis auiditate succendimur, non facilè fuerit vt eiusmodi noster animus abs incepta oratione dilabatur: necenim potest fieri vt quisquam repudiatis ijs quibus plurimùm delectatur, vtilia quæ sunt, & in primis honesta, ea amplectatur quæ exhorret, damnosa, iniucunda, suntque cum adamata virtutis honestate pugnantia. Imò verò is animus qui sic totus fuerit desiderio, & cælestium expectatione suspensus, ab oratione ad alias res factitandas non sine gemitu recedet, pretiosissimi temporis partem plurimam, in rebus vilissimis malè perditam suspirabit, nec operam suam aliò quàm ex obedientiæ vel caritatis præscripto nauandam collocari sinet; vbi autem vel paululum respirare licuerit, tum verò in orationis adamatæ sinum refugiet, ibique quasi ex graui iactatione placidissimè conquiescet, diuinæ se contemplationi immergens.

Præsentis etiam animi est, numquam sic abripi affectu, quin præeuntis rationis ductum sequatur, itaque non tantùm ad aliena non diffluit, sed in proprijs etiam cauet ne quid nimis, nouitque è varijs id seligere, quod est optimum, respuere quod blandum at parum vtile, amplecti quod securum & perfectum, obseruare quod accommodatius est & efficacius. Est quoque id summæ rationis vt omninò diuino ductui obsequatur, eumque non violentum, abruptum, indecorum, sed lenem, consideratum, placidum, decorum, dilucidum, pacatum, & per omnia rationi rectæ perfectionique consentientem credat, de quo alio loco plura disserui: huic autem in oratione maximè intentos esse nos oportet, tunc enim potissimè, voluntatis suæ sensum, hominibus immittere solet Deus: imò verò totam ipsam orationem, aliud nihil esse expediret, quàm diuinarum ad nos allocutionum perpetuam quamdam, & cum humilitate attentam auscultationem, vt cogitationes, inductiones, argumenta, affectus, desideria quæ ora-

orationis tempore accidunt, non vt sponte quæsita, vel industriè inuenta, sed habeantur vt à Deo profecta, & quasi quidam lucis radij, in cor nostrum, à diuinæ sapientiæ inexhausta claritate demissi.

Hos vt certiùs excipere, diutissimè conseruare possimus, certus quidam meditationi nostræ finis est destinandus, in quem omnia, ex quo iudicentur omnia: nam quæ vno fine non coërcentur, latiùs in incertum vagari solent, ideoque nec memoria, nec animaduersione facilè comprehenduntur & conseruantur.

Meditationi autem, vel vnus, vel multiplex, potest præscribi scopus, pro varietate suscepti argumenti. Multiplex est, quando duo vel tria (vix enim primaria plura admiserim) diuersa spectat, vt si primum membrum humilitati, alterum castitati, tertium paupertati incitandæ inseruiat. Fit quoque vt alia quadam ratione, licet vnus dicatur, sit tamen multiplex, quando scilicet rem aliquam pluribus & varijs partibus constantem, ita meditationi tuæ proponis, vt quidquid in ea cogitandum occurrerit, obseruare velis, indeque prout res tulerit pietatis aliquid vtilitatisve decerpere: vt quando de Annunciatione, vel Natiuitate Domini meditareris. Huc etiam spectat sententiæ alicuius, præcepti, epistolæ, consilij ad imitandum suscepta meditatio: quales etiam vtraque libri parte reperies non paucas.

Vbi autem id genus orationis exercetur, id meditatione pura fieri minimè existimem, sed esse vel contemplatione, vel alijs etiam orandi modis mistum: quod equidem commodissimè fit.

Tum verò etiam animaduertendum est, vtrùm fines illi singulares, & multiplices vno certo aliquo genere continentur, v.g. timoris, amoris, fiduciæ, prudentiæ, obedientiæ, & in hoc vnum partes omnes referri velimus, etiamsi hæ singulæ peculiarem aliquam & spectandam rationem habeant. An autem nihil aliud sit nobis propositum, quàm vt in eo sacro, quod tractandum suscepimus, argumento, piè sancteque versemur: etenim hoc postremo modo, ijs quos nobis proposuerimus meditandi articulis, tamdiu pijs affectibus & cogitatibus adhærere possumus, quamdiu vel noui sensus affluunt, vel ijdem gratè iucundeque perseuerant. At si varietas illa singulorum ad vnum genus tendit, videndum ne exspatietur extra, sed intra fines positos cohibeatur, timorique seruiens, ne vel amorem, vel alia quæuis inexploratò occurrentia consequatur.

Iam verò vt sit finis vnicus, duobus modis accidit: primò sic vt tota meditatio in rem vnam propendeat, nec tamen in meditationis membris vnum ab alio pendeat: veluti si de humilitate meditaris, primò Christi, secundò Sanctorum, tertioque rationes adamandæ humilitatis expendis. In his verò nihil vetat quin singulis membris quamdiu visum fuerit mens immoretur, ac etiam, si fors tulerit, in vno solo, sine transcursu perseueret.

Aliter accidit vt vnus finis præfigatur, ad quem sensim ita per singulos quasi gradus accedatur, vt nonnisi singula decurrendo possit in extremo attingi, illaque quæ præponuntur, nihil aliud quàm instar viæ habeant: quales omnino perpaucæ reperiuntur, ideoque forsan minùs hoc obseruatum est. Vno tamen verbo, eam explico: eiusmodi est meditatio à B. Patre scripta, quam fundamentum vocat: cuius finis est, animi ad res quasuis creatas, non præceptas, aut veritas, & quosuis euentus indifferentia: ad hanc excitandam primò adhibet finis ad quem creatus est homo considerationem, deinde cur homini creaturæ datæ sint, nempe ad eius bonum, & in eundem finem, ad quem ipsimen per se neque conferre neque obesse possunt: vnde consequens omnino est vt planè nec oderimus, nec amauerimus eas, ni quid aliud interuenerit, quod est indifferentem esse, paratumque rationi iubenti obsequi vbi repudiandas, vbi persequendas eas docuerit. Eiusdem modi sunt, quas contemplationem de rege terreno, de vexillis, de tribus classibus inscripsit: assimilisque est quæ de peccatis propriis, & (si in meditationum numerum referendi sunt) de gradibus tribus humilitatis.

In his verò cauendum (quamdiu quidem eandem obseruamus methodum) ne deartuetur argumentum, & parti vni vel separatim vel etiam diuturniùs adhæresca tur, vt si quis aut de creatione hominis, aut de præstantia finis ad quem creatus est, multa contemplari in primo ingressu voluerit: sed constanter seruandum est, vt cùm istud tantummodo sit instar propositionis in syllogismo, probè quidem intelligatur, at non tantum temporis vel conatus adhibeatur, vt vel hora labente, vel fatigatione animi succedente, lentiùs aut etiam omnino ad assumtionem, ad conclusionem non accedatur: & hæc tamen erat potissima pars, in hac erat sita victoria, ad hanc quodcumque non pertingebat iaculum, irritum cadebat. Diligenter igitur & prudenter hîc obseruandum, vt sin aliquo intermedio gratior affectus occurrerit, ne nimis blandiatur, nosq; suauitate sui allectos tenaciùs illiget; ergo leniter inde deflectendum est, & ad finem propositum pergendum, ne in eorum imprudentem errorem impingamus, qui delectatione viæ capti, loci ad quem tendunt sensim obliuiscuntur, subsistunt, hærent, vixque post longiores moras ad se redeuntes, quò vel quà pergendum sit ignorant: sic profectò, permolestis anfractibus circumerrant, vixque hilum omni in re, omnique in arte promouent, qui nullo sibi certo fine præstituto, propemodum vagantur in incertum.

CA-

CAPVT VIII.

Quomodo ad finem obtinendum memoria sit vtendum.

MEmoriæ nomine hîc intelligo animi vim illam qua sibi res tamquam præsentes effingit, effictas intuetur; estque menti quod oculus corpori, verùm tanto præstantiore vi prædita, quo nõ præsentia tantùm, sed & præterita, imò verò futura, atque etiam quæcumque fictè vel probabiliter euenire possent subiicit contuenda. sic enim Turcicam seruitutem, lapsum in peccata, æternam damnationẽ in me irruisse, impatibilesque cruciatus quasi præsentissimos, quodammodo possum persentiscere: vnde quanta sit eius, ad reliquos mentis actus, vis & efficacia, ex oculorum ad animum permouendum potentia non obscurè potest coniici: etenim quæ fideliter subiiciuntur oculis, non aliunde animum potentissimè incendunt, quàm quòd aptissimè & rerũ naturis cõuenientissimè cogitationem subintrant; omninoq; tantundẽ permouerent, si semoto externo sensu æquè ad viuum effingerentur interiùs. cuius rei verissimæ, certã ex hominibus illis coniecturam ducimus, qui Panicis terroribus, vel fanaticis visis abducti, immanè quantum audent, & ea furentes perficiunt quorum ad cogitationẽ sani perhorrescerent, nec tamẽ eos aliquid agit aliud, quàm terrifica quædam species vehementer impressa menti: quare si viuas, si efficaces, si præsentaneas animo nostro imagines honesti immiserimus, valebunt illæ ad virtutem honestatemque quamplurimum. est igitur nobis magna omnino memoriæ, vt primi, maximéque ad cetera valentis fundamenti, ratio habenda.

Duo verò cùm sint rerum meditandarum genera, vnum historicum quod rerum gestarum, & gerendarum varietatem complectitur, alterum non historicum, vt præceptorum, peccatorum, virtutum, perfectionis humanæ vel diuinæ: in horum vtroque memoria suo munere fungitur.

Et quidem cùm aliquid non historicum, v. g. crucem compendiosissimam esse ad perfectionem viam, meditatione tractandum suscipimus; memoriæ est, illud ipsum animo ritè obiicere. quod præstatur optimè, cùm singulas partes probè dilucideque conspicimus, crucem, perfectionem, viam, tum earum connexionem quàm sit apta, & denique ex illis omnibus vnum aliquod est conflandum, quod mente spectetur.

Hoc verò vt optimè fiat curandũ est vt potiùs rebus intuendis, quàm percurrẽdis nominibus assuescamus: cumq; id permagni referat, dilucidiùs dicendũ, & quod perfamiliare est, loquentiũ exemplũ adhibendum: horum enim nonnulli sunt qui dum latinè loqui se putant, verbaq; Latina proferunt, vulgatæ popularisq; suæ linguæ dictiones sibi obiiciunt, easq; de verbo propè ad verbũ transferũt, laboriosa sanè parumq; vtili assuetudine dicẽdi; nonnulli verò, infantiã eam

prætergressi, sola sibi sui animi sensa obijciunt, & ad eorum explicationē commodam, sermonis Latini varietatem flectunt, elucerq; in his longè alia, & quæ natiua sit venustas. In eundem fermè modum videas aliquos, & nescio annon longè plurimos, qui seu loquendo seu cogitando, percurrendis & quasi strictim obiterque recensendis nominibus insuescunt, non sic quidem quin eorum significatus intelligant, at in extimis, & quasi superficie soni hærentes, ad res ipsas intimiùs non penetrant: tria, quatuor, & plura spectatorum millia conclamant, qui fortasse numquam quoties vno in millenario vnitas contineatur, expressim singulatimque cogitarunt. similitudinem habet hæc locutio cum ea celeri incitataque lectione, qua percurruntur velocissimo oculorum coniectu, ea quæ descripta, & sæpiùs sunt legendo repetita, in quibus ex consuetudine facilitas, è facilitate neglectus attentionis exoritur, nisi defectus hic sedula & peruigili cura corrigatur, quod in Officij diuini, & sacrosanctæ Missæ lectione faciendum est. At verò longè aliter afficit ille sermo qui sensatus est, quando scilicet simul, quidam quasi radius mentis, in rem significatam immittitur, verbisque non adhærens, in notiones ipsas penitiùs introspicit: quod ipsum tanto perfectiùs fit, quo augustiorem, & latiùs in varia sibi quasi coràm expansa diffundere se valentem, & plura simul amplectentem mentis intuitum nacti fuerimus. quod vt possimus, plurimùm quidem à Deo & natura, sed non parum pendet ab industria.

Vis ergo nobis inferenda, & intro euocata mente in res ipsas eundum est, imandumq; quæ vis, quæ varietas, quæ partes nomini alicui subsint. ita quando dicimus, B. Virginem è Nazaret in Betleem iuisse, non est, vt vno verbo, sic vno cogitatu, tota illa via transuolanda, sed vt paulatim percursa est, ita sensim animo lustrandæ sunt partes singulæ, qui montes, valles, riui, lutosæ & serenæ viæ, pluuium & sudum cælum, viatores benigni aut asperi, hospitiorum incómodi, cogitationes animo obuersantes, aduentus, & in ignota vrbe percursatio; aliaque perplura. Sic in exemplo posito cùm dicimus crucem compendiosissimam ad perfectionem viam; illo in crucis nomine, subijciendum est oculis mentis omne id genus afflictationis quod ad crucem spectat, lateque contuendæ contumeliæ, asperitates, diri cruciatus, morbi, ignominiæ, mors acerba, & quidquid plurimùm perhorrescimus: nomine verò perfectionis, excitabimur ad contemplandam mirabilem absolutissimæ honestatis amabilitatem, alicuius animo insidentem, quæ sui pulcritudine ad se amandam etiam summæ maiestatis Deum allicit; maximè verò sit in omnium remotione vitiorum, maximarumque aggregatione virtutum, quibus fit vt vir perfectus, omni cupiditate liber, maxima tranquillitate perfruatur, sensibus corporis imperitet, nihil in actionē, nihil in cogitationem admittat nisi cum summa ratione consentiens, eiusque placidissimam mentem insidente Spiritu sancto, ex ipso oculorum coniectu, oris & vultus habitu, sermone omni & motu, sanctum quiddam & venerabile

rabile erumpat. Cùm autem tantum id sit bonum, vt nihil ei æquari debeat, nihil quo comparari possit negligi, profectò viam eam qua compendiosissimè acquiratur, in primis eligendam diligendamque concludam. at verò quid fuerit esse compendiosam? hîc longas, arduas, diuersissimas Sanctorum plurimorum vias obijcere cogitatui possum: crucem verò (quod erit ab intellectu & iudicio depromtum) ideo breuiorem quòd efficacius cupiditatum fibras recidat, copiosiorem gratiam à Deo impetret, &c. Sic igitur primò pensiculatiùs hærendum ad singula, subijciendaque mentis oculis tota quàm latè patet singulorum verborum notio, vt crux, perfectio, via, compendiosam esse; tum deinde ex his vna est complexio, non tam verborum quàm rerum, animo contuenda. Idem in ceteris omnibus obseruatum, & frequentatum longè aliter afficiet, estque ad id enitendum. itaque quoties vel voce orationem fundimus, vel eas quæ dicuntur eiaculatoriæ vsurpamus, huic nos modo conformare esset perutile. v.g. si quando dixero, *Deus meus, amor meus! tibi me totum consecro, paupertatem, castitatem, obedientiam voueo*; non sunt ista percurrenda, sed cùm dico, *Deus*, animo meo infinitæ perfectionis naturam immensam complector; *meus*, verò, illam ipsam mihi benè velle & inesse, & finem esse obijcit; dum dico *me totum*, reijcio quidquid in me vel minimum ei aduersaretur, facultates animi, sensus, & mea singula percurro & *consecro*, quasi sacratum, nec ampliùs meum & profanum putando; similiter *paupertatem*, exspoliationem omnium cum penuria coniunctam, *castitatem*, voluptatum omnium excidionem, sensuumque refrænationem perfectam, *obedientiam* denique contemplabor vt demissionis submissionisque professionem, voluntatis & iudicij abdicationem, quam ita subiuerim vt abs illa in posterum resilire sit nefas. En, quantum istud est, quando sic cogitas! quid enim aliud est quàm omnia penitus redhibere Deo quæ tibi extra se dedit? dedit mundum, eum totum paupertate reddis; dedit corpus, & illud ipsum castitate illi dedicas; dedit animum, & ecce voluntatem ac iudicium, eius obedientiæ subiugas.

Hoc autem ex B. Patris est doctrina depromtum, qui in eam videtur nos voluisse consuetudinem ducere, dum docuit, eum esse nonnumquam orationis modum exercendum, vt ad singulas significantes dictiones *meditationis figamus pedem, quamdiu circa eas variæ nobis significationes, similitudines, spirituales gustus & aliæ commotiones deuotæ incident.* Ita quidem primùm præcipit, estque ad comparandam variarum in animo imaginum copiam necessarium fundamentum: inde verò, id ipsum quod dicimus, expressiùs tradens, commendat vt ad singulas anhelitus reciprocationes, *singula Dominicæ alteriusue orationis verba transmittamus, expensa interim vel significatione prolatæ vocis, vel personæ (ad quam oratio spectat) dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel vtriusque postremò differentia.* Quibus verbis plura quidem complectitur, propriè tamen quod hîc dicimus tradit, dum præcipit expendendam, vel significationem prolatæ vocis, vel eius

4. hebd. in 2. modo orandi.

Ibid. in 3. orandi modo.

quæ aditur personæ dignitatem. Sed hæc ipsa B. Patris verba tam significantia, eam profectò sibi merentur pensitationem, quam adhiberi ceteris consulunt.

Et primò quidem dum ait per singula respirandi interualla singulas cum significationis pensatione voces transmittendas; cogitationis occupationem, conatumque penetrandi monstrat: paulatim enim & quasi cunctanter, moras trahendo, vni voculæ adhærescitur, imò non voci, sed significato, quod in animum transmittitur, expenditur, interimque in eo contemplando spatium, quod respirationi daretur, euoluitur: atque ita à vocibus ad res ipsas, à lingua vel auditu, ad mentis aspectum fit transitus, qui tamen non volatica celeritate, sed perspicaci solertis mentis contentione definitur: atque vt plurimum singulas respirationes, singularum vocum consideratione, occupari expedit. At hîc negotiosissimus quisque reclamabit, parum id rebus agendis expeditum, multas paucis in psalmis horas elapsuras, quid reliqui fiet ceteris? Verùm non is est vel B. Patris, vel noster sensus, vt in omni oratione sic hæreatur: sed vt subinde captatis temporibus, sic nostra mens assuefiat à vocibus in res quasi emigrare; quod si frequenter præstiterit, potissimeque iis in verbis & orationibus quæ quotidie recursant, expeditiorem vsum sibi comparabit, longéque clariore lumine cuncta contuebitur. Adhæc iis in precibus quæ paulò longiores, vt in recitatione diuini Officij, nihil vetat vni alicui significantiori dictioni diutiùs immorari, dum porrò pergis. Fateor equidem hanc adhæsionem, & in res ipsas quasi penetrationem, moræ aliquid allaturam, at illam vtilitate & iucunditate tanta condier, vt amabilissima sit futura. Experire, & senties, ac vel vna hac sola re, te à vulgo secernes, mentem aliam, sensus alios sortieris. Plura in commendationem non addo, si experieris, senties; experiri si pigebit, nec illa quæ maxima dicere possem credes.

Quod autem in vocibus significatiuis obseruandum diximus, id ipsum si in personarum nominibus factitatum fuerit, reuerentiam maximè, & iucunditatis cum alacritate sensum pariet. Est autem eo faciliùs, quòd illustriores esse solent, & ad imaginem sui in animo exciendam, acriori vi præditæ personæ, quàm res aliæ: sin autem id quoque accesserit, vt mortalitatem exutæ, Deo ipsi conuiuere credantur, ea profectò persuasio mirè animum excitet, mulcet necesse est, reputantem audiri se, se videri abs illo ipso quem cogitat, eumque qui imploratur, implorantis causa variè moueri. quod cùm in alijs orationibus, tum in iis quas Litanias dicimus, accommodum inprimis ac propè necessarium est fieri, vbi quando, vel audis, vel pronuncias, S. Maria, S. Petre, S. Agnes, tum statim aut mente cælos penetres, aut menti cælos inferas, eamque Sanctorum maiestatem, claritudinem, gloriam, beatitatem quasi hîc circumfluunt, hîc te videre putes, tantosque illos in æternitate diuini regni

prin-

principes, ad vnum tuæ precationis verbulum, comissima facilitate permotos, summo Deo, infinita maiestate, innumeris Angelis & Sanctis circumdato, pro te vilissimo accidere supplices. quæ cogitatio vbi semel imis animæ medullis infixa hæserit, mirum si non pergrata lætitiæ exuberantia orantis animum perfundat. Sic planè ad amussim Bernardus: *Cum nomino Iesum*, inquit, *hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Iesus.* Non potuerat disertiùs sanctus Pater idem nobiscum asserere. Ad quem modum peruelim vt Sanctos contueri assuescas quoties de ijs aut meditaris aut cogitas.

Quamquam neque prætereundum est, non solùm augustiore illa & supra humanam forma qua nunc splendent, spectandos esse Sanctos, sed etiam illa ipsa in speciem viliore, qua olim degentes in terris pretiosum animi thesaurum lacerna corporis occultabant; quod tum maximè faciendum, cùm in memoriam redimus eorum quæ ab illis olim gesta sunt: vt quando, si non D. N. Iesu Christi, & B. Mariæ, at S. Francisci, S. Dominici, B. Ignatij vel cuiuspiam Sanctorum modestiam æmulari contendo, video illum toto oris & corporis habitu compositissimum, contuitum oculorum, vocis sonum, gestum & motum omnem summa ratione moderantem, quomodocumque res cecidissent interritum, Deoque vni perpetim inhærentem. Hunc ipsum intuebor aliquando inconcussa tranquillitate animi, seueritatem in voce, in obiurgatione, in correctione, sumere, ponere, vbi, quando, quousque voluerit: Intuebor laborantem, quiescentem, despectum, honoratum, dubitantem, præsidentem, afflictum, erectum à Deo, vel ab hominibus, vt se dabat tempus & occasio, interimque illi animæ leniter insidentem & præsidentem Deum, totque varijs perieli-tationibus, perennem æterni securitatem apparantem.

Hinc autem patet, esse nobis aptè ad id quod tum agitur effingendos, placatos, iratos, auersantes, miserantes, aut aliter: cùm enim res id postulat, non est id putandum indecorum, quando se quoque quasi talem, in sacris Literis nobis exhibet Deus; dum tamen nulla eos perturbatione commoueri, sed summa sinceriſſimæ rationis tranquillitate, omnia illa constantissimè agere sciamus, ad quæ nos, vel ira solet, vel istiusmodi impetus admouere.

Huic verò Sanctorum venerabundo aspectui non parum gratiæ accedit, si id quoque iunxerimus, quod B. Pater ibidem memorat, vilitatem scilicet nostram; quod etiam S. Bernardus attigerat, nos quasi ranas è cœnosa palude nostra repentes, ingratoque sono coaxantes, informes, despicatissimos habendos esse: hoc si ex animo præstatur, & ipsum per se nos placidissimè detinebit, & aliorum plurimorum affectuum fons erit & origo:

in

in primis tamen, & despectionis nostri, & venerationis in Sanctos & Deum. Sic autem distinctionem adhibet B. Pater, vt apertè commonstret posse orantem, vel significationi vocum expendendæ immorari, vel eâ leuius decursâ, aciem mentis in personæ, ad quam aditur dignitate, vel adeuntis vilitate, detinere defixam: & quoniam in longiore, atque ex præscripto persoluenda oratione, singulatum vocum pondus excutere, longioris foret temporis, & attentionis operosioris quàm vt commodè fieri posset; præter id, quod antè diximus, compendium, vt vocem vnam aliquam reuoluendam in ceterarum transcursu asserues, hinc etiam illud habes, vt saltem sic animo dejectus, tibique ipsi aspernatus, & Sanctorum, & Dei tui, qua fas est, & potes, immensam maiestatem animo complectaris, eique tremens & pauefactus adsistas. quod præstando, vtilissimum attentionis genus exercebis: quod quidem si solum fuerit, nequaquam malè tecum agetur: attamen incomitatum non abibit, sed confertim, quauis occasione data varios pietatis sensus vndecumque excitabit.

Diximus adhuc de non historicis meditationi & orationi subiectis: restat vt ad historica transeamus: quo tamen nomine res omnes eas comprehensas volo tam quæ gestæ sunt, quàm quæ verisimiliter gerendæ, & eo modo referuntur, ac si gerantur. Historicum est Iesu Christi Domini nostri natiuitas, passio, resurrectio: quasi historicum, iudicium singulorum, & vniuersorum; parabolæ non paucæ; animæ meæ, si damnata fuerit, desperatio; si beata, exultatio & gaudia.

In ijs quæ historica sunt, ampliſsima memoriæ nostræ, & copiosissima imaginum seges est subiecta: nam & illæ de quibus modò multa diximus res ac personæ illis insunt, & circumstantiæ, actiones euentusque miscentur: quæ sibi simul composita immistaque infinitam propemodum rebus repræsentandis copiam suggerunt.

Obseruandum autem nobis est, vt eas ad finem nobis propositum quàm maximè accommodatè effingamus: etenim vt idem corpus luminosum si variè versatur, variè radios euibrat, ita fermè quoduis paulò illustrius exemplum, non vna virtute collucet, & leui considerationis flexu modò in vnam, modò in aliam directius ferri potest: eritque hæc præceptio seruanda tum maximè, cùm historiæ adhærescimus, & vel in applicatione sensuum, vel in contemplando versamur. ad hæc enim duo precationum genera plurimùm valent ea omnia quæ hîc docemus.

Vt autem quàm aptissimè res gestas effingamus, non parum conferet, si vel pictoris, vel Poëtæ personam subiuerimus. Pictoris quidem est ad viuum exprimere, & gratiam operi multipliciter inspergere, colorum venustas adesse debet, sunt recessus, sunt exstantia, sunt adumbrata, sunt luminosa quædam, sunt quæ dissimulantur honestiùs, est quædam in singulis proportio, est dispo-

sitio

sitio conueniens, gestus, habitus, & denique suus est aduentitiis ornamentis decor. quæ singula ad id quod agimus transferri non ægrè possunt: nec enim hæc similitudo memoriæ, aliud est quàm pictura mentis, siue idea mente expicta, cuius effictio longè facilior imperitioribus fiet, si quando expressam exsculpтámve ab artifice quopiam viderint. Sed planè aptiùs existimo, si quidam quasi Poëticus genius induatur, ac si rem illam probabili quadam verisimilium adiunctione exornandam, ac in scenam producendam sumsissemus, non quidem eorum veterum Tragicorum more, qui toti in permouendis vi orationis & argumentorum animis versantur, sed illorum potiùs qui probabilia plurima rerum personarumque, aptè decoreque permiscent: cuius rei delineationem quamdam vbi de mysterio incarnationis agit, præformauit B. Ignatius, consilia diuinarum personarum, mundi varietatem, angeli, & B. Virginis ac ceteras circumstantias verisimiles exequens.

Et sanè, quando spectaculum facti sumus Deo, angelis, & hominibus, ita habere debemus, versari nos quasi in amphitheatro quódam, oculis eorum expositos, totamque quodammodo huius mundi machinam in vnum hominem depræliantem, contentiùs intueri. Sic decertarunt, qui hactenus certauere Sancti, iisdem sub oculis prostrati victique iacuere, qui cupiditate superati, in peccatum aliquando lapsi sunt. Quid igitur ad naturam accommodatius fieri potest, quàm vt subinde ad spectatores nostros, modò vniuersos, modò aliquos, mentis intuitum conuertamus? quæ sint illorum animationes, exprobrationes, acclamationes, iudicia, gratulationes, commiserationes videamus, audiamus? non tantùm, sed illi quoque ipsis rebus interueniant, & quod suarum partium est agant; fictæ denique personæ adiungantur & animentur. itaque non tantùm Deus, angelus, dæmon, Sanctus aliquis aut plures, homines ipsi seu viui seu demortui, sed ipsæ quoque virtutes, iustitia, pax, mansuetudo, sapientia, fortitudo, peccata quoque varia, caro, mundus, honoris cupiditas; res etiam aliæ, vt diuitiæ, paupertas, morbus, sanitas, mors, vita, libertas, seruitus, aliaque complura voce, gestu, forma, velut animata spectabuntur. sed & quidquid est creaturarum in orbe, in eandem etiam conformationem accommodare possumus: sic ventos & mare nautis, solem & lunam & lapides Iudæis crudelitatem & impietatem exprobrantes audias. estque huius rei obseruatio perpetui vsus, & ad varios affectus animi peropportuna.

Neque verò has (si nuncupare hoc nomine liceat) personarum effictiones, & assimulatos earum habitus & gestus, veritati officere putandum est. Non est enim meditatio, narratio quædam, scrupulosè & quasi oblata iurisiurandi religione, rebus transactis adhærescens, sed pietati inflammandæ ex varia subiectæ materiæ tractatione deseruiens: nec adhibentur illa eo modo vt sic asserantur extitisse, sed ita vt quiuis intelligens ad hoc ista proferri videat, vt in rem ipsam perfectiùs venire, eiusque vim omnem penitus exploratam

habere possit. Quamquam quis ea verè contigisse neget, quæ prudenter in spectatoribus existere putantur? nec enim, aut Deum, aut angelos, aut dæmonas, aut Sanctos, otiosos adspectare credendum est: coronis allicit summus Deus, & gratia roborat: adsunt angeli & Sancti, prece, ope, opera præstò sunt, auertunt mala multa, bona plura procurant, fermeque his administris vitam nostram gubernat Deus; è diuerso quis dubitat implacabili in nos odio ardentem dæmonem, multa moliri, machinari quidquis, vt nos æterna salute & beatitudine euertat? Hinc igitur, vtrosque quasi consiliantes, & quod ipsis consentaneum est persequentes, quando cogitamus, nusquam à rerum veritate aberrare, sed insita & actionibus ipsis innata dilucidiùs euoluere putandi sumus. Est autem hoc ipsum in plurimis frequentatu facile, ac in primis fructuosum.

Et ista quidem, aut his similia vel re ipsa accidisse, vel similem quampiam vim, quod perinde videtur, esse insitam credendum est: etenim non magni refert, fueritne Augustino trepidanti, virgunculam timorem exprobrantium, vera effigies verè præsentium obiecta, an animo efficta tantùm: itaque de his nulla dubitatio supereſt. Quædam autem sunt, quæ nullo modo necessario, vel etiam probabiliore cogitantur, attamen adhibentur piè, & accommodatissima sunt ad finem positum, cuiusmodi est quando meditationi de natiuitate Christi adiungis beatissimæ Virgini ancillulam: cùm enim nihil indecori habeat, mirum tamen quantam hæc vna copiam præbeat affectibus. In S. Vincentio, S. Bonauentura de vita Iesu Christi Domini nostri id genus multa reperies; parcè & cum delectu vtendum nisi communi vsu recepta sint, cuiusmodi sunt quæ paulò antè dixi.

Denique in illis quæ spectare nos credimus, sunt etiam subiiciendi, quantum fas est, oculis affectus eorum qui spectantur, v.g. modestia, leuitas, mansuetudo, ira, lenitas, crudelitas, amabilitas, feritas, & quæcumque ad speciem externam referri possunt: valebunt enim ista plurimùm, tum ad primos affectus commouendos, tum verò ad coniecturam de animi conditione capiendam.

Cetcrùm cùm eadem facultate non sint homines præditi, nonnullique reperiantur quibus imaginandi vis quidquis promtissimè potest exsculpere, & vt præsens referre; aliis verò contumacior, & flecti durior sit: omnino necessarium est, vt à nimia violentia sibi inferenda hi postremi caueant, ratiocinatione magis & voluntate vtantur: vis enim quæ phantasiæ infertur, periculosa admodum esse solet, & exhaurit vires cerebri. est autem planè à ratione alienum, si tantum laboras in iis quæ ad finem solummodo conducunt, vt postea viribus exhaustis consequendo fini conatum nullum admouere possis.

Vt ergo in hanc frustrationem non incidas, animaduerte posse nobis res obiici vel specie ipsa, vel persuasione: Specie ipsa, cùm imagines ad viuum

viuum expressas ob oculos mentis gerimus, & quodammodo videre nobis videmur; quod in iis quæ nota sunt, quæ vehementer afficiunt, & probabiliter mox ventura credimus, solere esse vnicuique facile: vnde nemo capitis damnatus, in horrore mortis repræsentando laborare solet: quod profectò argumento mihi est, persuasione & probabilitate vim imaginariam plurimùm adiuuari. At verò persuasione, seu inductione animi, res nobis obiicimus, non vno modo; vel enim in eas directò & vt certò præsentes ferimur, nulla tamen earum expressa imagine, vt Deum nobis præsentem credimus, eodemque propè modo alium credere possemus; quod vbi certum est, non exiguam vim habet: vel quasi quadam conditione posita, paulatim in res ipsas subingredimur; fitque maximè, tempora vel loca reuocando, aut alterius qui tunc interfuerit personam sustinendo, v.g. O si in Bethleemitico specu tum fuissem! passimque cogitare potes & optare, O si hæc patrantem Dominum Iesum vidissem, quibus ea oculis, quo animo excepissem, quàm alacriter adlaborassem! Est autem hic postremus modus longè facillimus, frequentandus, & qui magna suauitate in penitissimas verissimasq; rerum figuras ducat. Hoc autem ex eo fit, quòd non potest noster animus vlla re permoueri nisi ea vel esse vel quodammodo esse cogitetur. Itaque si aliquid esse, verè & sine conditione assueratur, estque magni momenti, motus potest ciere vehementes, vt si asseritur: Ecce ad cædem quæreris. At si id asseritur cuius nec-dum vlla animo nostro probabilitas inhæsit, aut quod scimus falsum (vt si mihi dicitur, Tu es rex) id me non mouet, quia animus non id cogitat vt existens, aut quasi existens, quod tamen omnis, cuiuscumque efficaciæ, primum est fundamentum. At si occurrit, Quid faceres si rex esses? tum res, quæ cum conditione adiecta cogitatur vt si esset, permouet, & variè excitat. Idemque in rebus non bonis animaduertis: si enim animo obiicitur quando nemo adest, Hîc est vxor, hîc inimicus, nullus motus excitatur; at si obiicitur, quid si vxor, si inimicus adsit, tum libido, & vltionis excitatur motus.

Sed his de rerum efformatione dictis ad ratiocinationem transeamus.

CAPVT IX.

Quomodo intellectu seu ratiocinio ritè dirigatur meditatio.

QVemadmodum in oculis corporis imagines quædam residentcorum quæ videntur, illæq; ad sensum quem philosophi communem vocant intro deferuntur; non secùs memoria, siue vis ea quæ similitudines rerum effingit, eas ipsas intellectui seu iudicio censendas offert. Est autem munus intellectus, vt diiudicet, scrutetur, intelligat, de conuenientia, deque discrepantia rerum sententiam ferat, certoque sibi fine proposito, quæ ad illum faciant prudenter seligat: quippe ratiocinationis omnis id maximè proprium est, vt dissipata multa simul vinciat, & è perspicuis obscura vestigans veritatis lucem breui diiudicioque complexu quasi vno radio comprehensam, spectandam animo obiiciat: quod si perfectè fecerit, vel eam diffiteri non possumus si contemplationi sit res subiecta, vel non possumus quin aut fugiendam aut expetendam iudicemus, si de respuendo, vel eligendo instituta ratiocinatio fuerit.

Præterea cùm in toto homine vna dominetur voluntas: voluntati verò is sit limes positus, nihil vt velle possit, nisi quod sibi bonum existimet: hæc autem existimatio & diiudicatio, propria sit intellectus; patet profectò quantum in ipsam voluntatem, adeoque totum hominem iuris habeat ista intelligendi diiudicandique vis: eoque sit excolenda magis, quòd voluntas quidem à sensu, affectu, imaginatione in transuersum abduci potest, at intelligentia veritatem clarè oblatam refutare & auersari non potest: & licet corruptæ voluntatis aut affectionis impetu nonnumquam indistorta & praua rapiatur, tamen consideratione repetita, veritatis semel cognitæ caueatur obliuio, inuita sequitur, restitat, obmurmurat, nec à conuiciando, vellicando, diuinitudicij terrore intentando desistit, donec tandem persuasam voluntatem ad rectiorem viam flexerit.

Et hæ quidem excolendi intellectus rationes sunt cum ceteris communes ad meditationem autem propriæ sunt, tum quòd meditatio in ratiocinatione versatur maximè: tum quòd maximè huic sanctæ & vtilissimæ exercitationi, vel naturæ deprauatio, vel infestissimi dæmonis insidiæ obicem ponunt: nullum verò à nobis efficacius auxilium parti vlli quàm intelligentiæ adhiberi potest: est enim illa rectior, certior, incorruptior, cumque fuerit incitatior, ceteras excitat, excitatis verò, imò necdum excitatis, & vt excitentur perficiunturque, adest Deus. Habet etiam hanc vtramque vim exercitatio intelligendi, quòd & ipsa per se iucunda est, ac nos delectat si quando super vno argumento variis excogitandis sufficimus; & præterea varios potest affectus com-

commouere, qui vbi semel excitati fuerint, tum verò nullo labore in eadem re meditanda perseueratur. Aliàs cæcus esset sine ratione excurrens affectus, & rerum vel argumentorum inopia laborans meditatio, tædij pariter deiectionisq; plenissima. Breuibus ergo facillimisq; præceptionibus intelligentiã instruamus.

Duo sunt intelligentis animi officia quæ non incommodè, intellectus & iudicij nominibus notari designarique possunt: primum, quodque est omnium quæ intelligenter atque ex ratione fiunt fundamentum, est cognitio & intellectus rei qua de agitur, qui est quasi simplicissimus quidam intuitus, quo veritatem & naturam contemplando spectamus: quare in hoc sunt numero collocãdæ omnes illæ contemplationes, quæ sola admiratione, personæque vel rei inspectione cõstant. Alterum est vt de re quæ intelligitur & videtur, iudicetur. est autem hoc iudicium duplex: primum de re ipsa in se & ad suum finem spectata, vt Iesu Christi Domini nostri labores, vita & mors quantis obsepta difficultatibus, virtutibus instructa, quàm ad propagandam Dei gloriam, salutem hominum reparandam necessaria: alterum est iudicium, de re ad imitationem traducta, seu traducenda, vt quando caritatis, patientiæ, humilitatis tãtum decorem spectaui, ad me conuertor, & quantopere illarum sim indigus lugeo, quæroque qua tandem via in rem meam præclara ista possint exempla deriuari. quod postremum quia ad actionem & praxim refertur, iudicium practicum vocari solet, cuius vis maximè elucet in voluntatis, totiusque hominis aggressionibus rectè sapienterque dirigendis: ex quo vno cùm omnis humana perfectio pendeat, nitendum nobis est vt quàm rectissimum sit hoc iudicium, si enim deprauatum fuerit, quomodo non secum cetera distorquebit? recto verò auctoritatẽ in cetera, seuerumque tribuamus imperium. Rectum autem nulla certiore ratione potest reddi, quàm si frequenti meditatione, æterna, sancta, diuina doceatur, iisque omne iudicium suum assimilandum esse perspiciat. At verò recto aggeratur auctoritas, si constanter & fortiter illi subiugentur, & parere condocefiant reliquæ omnes & corporis & animi facultates, seuereque obseruetur vt nemini sit impunè si eius imperium aliquando detrectarit, sed grauiore atque molestiore inflicta pœna alacritas in parendo sanciatur.

Primum itaque est vt intelligamus, tum verò vt iudicemus: quod vtrumque, vt de memoria dictum est, vel in historicis vel in non historicis exercetur: curandumque diligenter vt in eis quæ intellectui offeruntur, magna veritatis ratio habeatur, quippe ex falsis nonnisi falsa, & à vero colliget aberrantia. Quodcumque verò seu intelligendo, seu ratiocinando compererit, diligentissimè intendat vt ex eo aliquod ad perfectionem incremẽtum capiat, indeq; mentem in Deum seuocet: adeò vt in tria omnino incumbat, rerum nempe quæ propositæ sunt intelligentiam, vtilem sui doctrinam, Deique cultum & amorem excitandum, qui sit nonnumquam cum imploratione coniunctus. hæc autem quomodo perfici possint, paulatim sensimque dicemus.

Et quidem in historiæ meditatione non potest non abundare copia intellectui exercendo, si paulo diligentiùs animum aduerterimus ad eam quæ in illa inest varietatem: primò enim & maximè occurrunt personæ, in quibus ea sunt perpendenda quæ ad illas attinent, ætas, dignitas, forma, sexus, robur, firmitas, educatio, nobilitas, oris vultusque conformatio, & alia eiusmodi in hominibus: nã in dæmonibus, in Sanctis, Angelis & Deo opt. max. sunt alia quæ deceant. Meditari si voles mendicantẽ Ignatium, in eo non procaces mendiculorũ vultus, sed ex modesta humilitate erumpentem dignitatem oris intuebor, hominem in ambitione militari educatum, tumentes generis nobilitate spiritus comprimentem, quàm diuerso nunc ambitionis genere laborantem! quippe non aulæ regiæ vanus assectator, titulis incubans insenescit, sed æterno Regi placere soli expetens, contemtissima & pauperrima vita, omnium esse postremissimus appetit, vt Iesu Christo amantissimo Domino suo similior euadat. ô quantum mutatus ab eo qui Pampelonam ferociens ingressus fuerat! Nec dissimiliter vel S. Franciscum, vel ipsum etiam eorum Dominum, dum in terris degeret, viuentem videas.

Secundò, in historia intercedunt verba, & quidam rebus ac personis sermo conueniens. Ita, vt idem exemplum sequar, mendicantem B. Patrem verba sua modesto, moderateque graui sono, ad humilitatem conformasse reputandum est: audiendi procaciores nonnulli, qui velut laboris fugitantem, & ignauum sannis prosequuntur; at nihil regerit, contemtione sui gauder: alij multa rogant de patria, genere, familia, sed ad hæc conticescit: quidam intro domum euocant, adit humiliter, verba de Deo miscet, flammas caritatis de cælestibus loquens euibrat. Est enim sua silentij taciturnitatisque ratio habenda, & vbi id opportunè ceciderit, sermoni & locutioni comparanda.

Tertiò, insunt actiones & opera, quorum natura, modus, tempus, circumstantiæ sunt expendendæ, vt mendicationem rem esse natura sua vilem, cùm sit beatius dare quàm accipere, molestam, irrisionibus & despicatui obnoxiam, eo grauiorem quo diuturniorem, & in plures annos, voluntatiéque susceptam; homini occupato, longum iter agenti; ac per vias militibus infestas, rapinis & excursionibus exhaustas, peregrini idiomatis, inueterato (quale Hispanos inter & Gallos vigere solet) odio laborantes, propè sit intolerabilis oportet. Quot hinc, delicatiùs enutrito corpori humicubationes, inanissima ieiunia, asperitates in victu, graueisque tota in vita molestiæ? At verò si exerceatur in patria, fortius hoc ipsum est, blandientem, præsentem, affatimque suppetentem commodorum, deliciarum, honorum copiam aspernari, demiratores vulgi susurros floccipendere, amicorum & cognationis posticas derisiones, ac nonnumquam indignationes, immota serenaque mente superare, multisque delinitum illecebris numquam ab incepti cursus contentione desistere. Sed mirè hæc singula in Christi Domini paupertate sese efferunt.

Quæ-

Quartò est etiam vnicuique rei suus præcipuus finis in quem tendit, cuius causa existit: est etiam singularum partium, quidam peculiaris & ad præcipuum communemque illum aptus & accommodatus. Habet autem finis consideratio vim permaximam in iis quæ spectant ad mores; cùm omne iudicium decori honestique contineatur hoc vno, an ad honestum finem aptè decenterque dirigatur: & verò vt sunt connexæ coniugatæque virtutes, & sæpè fit vt actionum sanctarum non vna sit honestas, inde inuestigare conuenit annon ob varios, in vnamque Dei gloriam coëuntes fines sit aliquid susceptum? Quippe mendicato victum quærere potuit B. Pater, ex auiditate semetipsum contemnendi, potuit id velle vt humilitatem exerceret, vt duriore vita molliorem sæculi expiaret, vt experimento disceret non in incerto diuitiarum, sed in prouidentissimo parente Deo sperare, vt quæcumque vel fastus vel commodorum humanorum sunt, à se longissimè remoueret, vt ad dura pro Christi nomine perferenda, derisúsque & contumelias magna animi æquitate tolerandas assuefieret, vt peccatricis animæ egestatem indigentia corporis perfectiùs agnosceret, vt Sanctorum, vt denique Christi Domini nostri, pauperrimam olim in terris vitam degentis, aliqua saltem parte similior euaderet. potuit igitur ob hos & ob alios fines plurimos, mendicationem sanctus Pater elegisse, quorum nonnulli interdum quibusdam ex actionibus magis emicant: inquiri, spectari, deque illis ratiocinatio institui ab intellectu semper potest. In singulis Christi Domini actionibus, quidpiam hîc inest inexhaustum: nam singulas & caritate, & humilitate, & omnigenis virtutibus ornabat, & in immensos diuinæ gloriæ, humanæque reparationis ac sanctitatis fines dirigebat.

Quintò, quis effectus, quæ sit vtilitas, damnúmve secutum videndum est. Est autem vtilitas & damnum duplex: vna illiusmet quirem eiusmodi peragit: altera ceterorum. dum enim Dei filius est pauperrimus; damnantur humana iudicia diuitias paupertati præferentia; dum etiam vir nobilis, animique excelsissimi ad mendicationem se abiicit, profectò suiipsius victor existit, & quidquid turgidiorum in se spirituũ supererat vel opprimit, vel exstinguit: ceteros hominum, qui eiuscemodi vltroneæ demissionis, non maligni spectatores vel auditores fuerint, ad eiusdem virtutis imitationem sollicitat, facitque vt fateri cogantur, re vera nihil in humanis magnum nisi animum, qui ea quæ videntur magna, despectat.

Sextò, eorum qui res eas agunt cogitatus, affectus, varijque sensus animi ad rei gestæ cognitionem plurimum conferunt: vnde hîc adhibenda est ea, quam, vbi de memoria dictum est, commendauimus, inuentio decora personarum, quæ recta diiudicatione persuasibiliter disponatur. Nec verò copia deerit si etiam Sanctos iisdem quibus nos & tentationibus & affectionibus expositos fuisse crediderimus, eorumque personam tantisper induentes, ten-

tentationes, fluctuationes, animationem, gaudia victorum nõ quasi alieno, sed quasi sensu nostro proprio expresserimus. Veluti, nec enim semel assumtum exemplum depono, tu ad alia, & alios plurimos traduc longiùs, si mendicantis Ignatij personam sustinentes, nos quasi audire, internóque sensu percipere putemus, quomodo insidiosus dæmon humilitati eius inuidẽs, argumentis in speciem quàm maximè verisimilibus, à mendicitate eum sit reuocare conatus, studiorum retardationem, iacturam temporis, orationis & sanctiorum operum exercitationem, multorum offensionem obiiciens, tædium importãs, languore corporis exterrẽs: hîc tibi hærebit aliquãdo dubius, acrior vrgebit hostis, & paululùm cedente Ignatio, iam spe victoriam deuorabit; at verò vel meliora suadẽte angelo, vel diuinæ gratiæ munere redintegratis vegetioribus animis, in seipsum durior exardescet, totoque animi sui sensu, & longissimè à se dæmonem repellet, & mendicationem amicissimè complectetur, seque pauperi Deo pauperrimum & abiectissimum, lætus & libẽs offeret. Hæc autem sic in aliena persona suscipiendo, & in se exprimendo, sunt permiræ cuiusdam efficacitatis, vt nos eadem sentire propemodum cogant: placet enim decertantem intueri, placet audire quibus vincat argumentis, placet victoris gratulari coronis, dumque neque talem virum aliter potuisse, neque debuisse iudicamus, quid prochiuius est quàm in eius trãsformari similitudinem, cuius induimus personã, & placuit? quid conuenientius, quàm eius imitari in certando perseuerandoque constantiam, cuius pugnam, victoriam coronamque miramur? Habent hæc etiam suum in Christi Domini actionibus locum, quantũ attinet ad humanæ, quam assumsit, infirmitatis sensum, quo pauere, tædere, mœstus esse, & contristari voluit, & angelicam Deus-homo cohortationem non est dedignatus.

Ex iis autem quæ dicta sunt patet, quàm facile sit ex rebus ita copiosè digneque intelligentiâ perpensis ad iudicium practicum deuenire, quod omnino, & propè semper faciendum nobis est. Facimus autem quando è singulis quæ notauerimus, fructum aliquem decerpimus, imitationis, amoris, doctrinæ, aut rei cuiuscumque melioris, id conando vt nihil nobis infructuosum elabatur. Quæuis autem obseruatio persuasibilior redditur iisdem insistendo vestigiis, si personam personæ, verba, opera, finẽ, effectus, animi sensus, sensibus, effectis, fini, operibus, verbis opponimus, eademque & maiora potiùs à nobis exigi commememus. exempli gratia, ille Deus summus, ille vir militaris & nobilis mendicam & me, Christum profitentem, humiliore fatu ortum, quàm auidè idem deceret expetere? Ferocientis spiritus homo, & acriter bilioſus, ita sannas aure surdabibit, & velut mutus nihil contrà hiscit: ego verò nihil vincã animum? semper ad retaliandum paratus, semper habebo quod reponam? Ignatius communem vitam necdum in Religiosa familia viuens, fraternis ædibus despretis, communẽ pauperũ, in oculis patriæ totius affectat: méne vt Religiosum deceat, opulentiorum commodiores domos exambire? cognatorũ, amicorum, & affinium, in

patriam

patriam si quando venero, vel conuiuia frequentare, vel munusculis auidum inhiare? Ecce in regione extera, in multos annos, quàm se totum diuinæ prouidentiæ relinquit, ego ad breue aliquod iter, anxius viaticum exigam copiosum? nusquam, nisi verbis, Christum pauperem pauper sequar? Quis dubitet, ex eo factum deinceps fuisse, vt diuina gratia seruo suo quem tam seriò ad sui contemtum niti videbat, tantam humilitatem, tantam humanarum rerum despectionem sit elargita? me nihil eiusmodi conantem, quid mirum est in postremis hærere, inanissimo tumori mentis obnoxium? Tu verò sancte Pater si quando repulsam in mẽdicando passus eras, lætabaris, exultabas, efferebaris gaudio, & vel mente, vel etiam, si locus ferret, prouolutus in genua, Deum immitibus istis placabas, exorabas; tum verò tui memor, O Domine Iesu Christe (inquiebas) pro me olim pauperrime, hanc meam tibi paupertatem libens, volens consecro, ô si à te admitti mereretur! mea Domine, digna sunt scelera, vt ab omnibus repellar; repellar mi Iesu, in hac vita, & ab hominibus repellar, dum à te non repellar, sed recipiar in æterna tua tabernacula! Hæc & his similia ardenti corde promebas; pati, iucundum erat; contemni, glorioſum. Deus bone! quàm diuersa in me omnia comperio! quàm alios regnare video sensus! petita impetrare contendo, indignor recusanti, contemtionibus exterreor: num quamne ergo ipse me vincam, serpam semper, neque me ex impotẽti vanitatis dominatu in libertatem Sanctorum asseram? His & id genus alijs instigandus animus, & ad ea, quæ mox sequentur, atque ad voluntatis incitationem molliorem sibi transitum parabit.

Poterant ampliſſimè, longeque fusiùs dici singula, verùm id satis est ad præformandum exemplum, cuius gratia in vnico quod primùm occurrit mendicationis argumento hæsi. idem in quauis cuiusuis historiæ parte præstari potest: vtileq; fuerit ad facilitatem comparandam, si, cùm in aliquo meditationis membro inopia ratiocinandi laboraueris, hæc in manus sumas, adhibitoque calamo, studiosè ad imitandum coneris, & quouis idiomate experiaris, quantum ad hæc possis accedere; idque si aliquoties præstiteris, exuberantiorem te proculdubio reddes.

Cetertùm potest hæc sui cum alio comparatio, omniumque in se ipsum deriuatio fieri, vel in singulis, vbi primùm singula voluuntur, vel postquam singula considerauerimus, quando scilicet eo modo, cuius dedimus exemplum, quadam vel recapitulatione, vel iterata, sed breuiore tractatione resumuntur. Sunt verò quæ hoc capite diximus, transsumta omnia ex B. Patre de Domini nostri Iesu Christi incarnatione & natiuitate tractante.

CAPVT X.

Quomodo in virtutibus expendendis intellectu & ratiocinio sit vtendum.

EArum quæ de præclarè factis, & rebus historicis instituuntur meditationum, is esse solet scopus & finis, vt ex eis, rectè viuendi exempla & argumenta sumamus, quare omnis ea tam multiplex, quam recensuimus, consideratio eò vergit, vt virtuti capessendæ planior via sternatur, leniterque & sensim ab admiratione virtutis alienæ ad suam ipsius incitandam firmior gradus fiat: cùm autem historica meditantes huc delapsi erimus, (vt in exemplo descripto, cùm ad paupertatis & mendicitatis desiderium iritandum deuenerimus) tum verò ea quoque nobis adhibenda erunt quæ hoc capite recensebuntur.

Primò ac præreliquis virtutis propositæ vis, natura, proprietates & partes probè sunt cognoscendæ, estque nobis ipsa spectabili decore ac splendore fingenda. Se ergo oculis animi obijciet paupertas, tenui, sed honesto habitu Heroine, fortunæ bona omnia despectans, cælestia iam propè contrectans, humilitate & patientia comitibus gaudens, tranquillitate magna perfruens, prouidentissimæ, quæ illi assideat, Dei curæ & benignitati confidēs, ac futuri secura. Aderit sedulus illi cultor Ignatius, eiusque inopia diues, multa, magna, ampla, & toto orbe diffusa, diuina ope fretus audebit. Poterit & adspectari paupertatis vnicè dilectus alumnus Franciscus, vt eius lacte copioso & semente non in annos recondita, sed in dies incredibiliter pullulante, innumeros alit filios, vt paupertatis complexu, vt eius penuria delectatur! Et horum sacer ille affectus, quo nisi Bethlemitico infantis Dei, & Virginis Matris fonte profluxit? hæc est paupertatis regia, hoc ad omnem memoriam admirabile cælestis Reginæ palatium.

Iam verò quauis in virtute sunt nobis excogitanda varia, quæ solent ex natura ipsius emanare, quorum primum videtur ipsa esse honestas, quæ licet vix aliud sit quàm ipsamet virtus, splendorem tamen quemdam & decorem maiestatis cum amabilitate coniunctum, quandamque, quæ non oculis corporis, sed mentis cernatur, pulcritudinem animi sonat. sic autem intelligetur, vt quemadmodum pulcritudo est apta quædam coloris, lineamentorum membrorumq; proportio: ita animæ, sine qua nequaquam pulcrum esse posset corpus, sua non deest pulcritudo, quæ profectò alia esse non potest, quàm si eius pars omnis adeò rectæ rationi conformetur, vt illustre nescio quid, & ad omnem, vbi rectiùs iudicatum fuerit, partem habile & expeditum eluceat. quo sanè pacto videas prudentiam discretionemque, depulsa ex animo rerum expetendarum fugiendarumque ignorantia quasi tenebris, lucem quamdam & rectæ dijudicationis splen-

splendorem, velut venustissimum illi colorem inferre: virtutes verò reliquæ, cùm vitiorum debilitationem, stuporem, distortamque prauitatem sanant, cùm dissonantia omni sublata, summam conuenientiam, & ad meliora concordiam, quasi lineamenta restituunt, cùm ipsas vires, & in id quod ex ratione est pronitatem & impetum quasi robusta quædam membra superaddunt, annon quidquid pulcritudinis perfectioni addi potuit, abundè videntur adiecisse? annon in eiusmodi animo eximiam quamdam cum dignitate formositatem contemplamur? Sistamus ergo cogitationem, & quemadmodum corporum quæ placet pulcritudinem, sæpiùs oculis cernimus, & cernendo delectamur: ita hanc speciem, hocillustre formæ decus quacumque in virtute & ex virtute impressum expressumque, læti, & diutiùs, animo adspectemus, sitque hæc prima nobis sancti amoris illecebra. Sic possumus diuitias abdicantis animum intueri, caducarum rerum & mortalium contemtione celsiùs eleuatum, dissipatis auaritiæ retinaculis ad quæuis expeditum, cupiditatibus resectis tranquillitatis nitore fulgentem, translatoque ad cælestia amore purissimis diuinæ caritatis radijs illustrem: quæ omnia cùm supremæ rectissimæque rationi maximè consentanea sint, honestatis decorem & pulcritudinem ex anima illa erumpentem testantur. Eam ipsam nobis etiam expetendam, in nos omni conatu aduocandam agnoscere debemus: indeque ad vitij fœditatem execrandam excitari: est autem illa fœditas è rationibus planè oppositis cognoscenda, quòd naturæ, quòd ordini, quòd rationi, quòd Deo repugnet, & sit odiosa. plura non addo, ne à proposito longiùs digrediar.

Alterum quod vehementer allicit est vtilitas, quæ ipsa perse, vel potiùs hominum auiditate nimia, tantæ solet esse pellaciæ, vt vbi spes eius affulserit, non paucos hominum, honestate contemta, ad suum quæstum transuersos agat. Hîc ergo sit nobis quàm certissimum, vtile nihil homini esse posse quod sit abs honestate disiunctum: quippe cum honestate & ratione differat homo à belluis, potéstne id esse illi vtile quod ferinum & belluinum eum fecerit? vt omittam quàm soleat prauorum consiliorum, & iniustorum emolumentorum euersor esse Deus, quàm innumera animo nostro importet damna peccatum, ad quod expugnandum cùm nemini desint argumenta, ommino est falsæ adumbratæque vtilitatis existimatio ab opinione nostra euellenda. At cuiusuis virtutis certa est, & non mediocris vtilitas: est enim quædam, qua nihil desiderabilius, animæ sanitas, opposita mala depellens, & habiliorem ad id quod rectius est reddens; tranquillissima quadam pace totum hominem perfundit, perturbationes molestas sedat, à Deo, angelis & hominibus laudatur, gratiam & amicitiam diuinam conseruat ac auget, immensam denique & æternam beatitatis cælestis coronam iustis meritis comparat. Quæ profectò qui seriò cogitarit, clarè ille perspiciet, hanc vel vtilitatem esse solam, vel certè tantam, vt præ illa emolumentum aliud nullum sit vtilitatis nomine dignandum. Iam verò his perspectis, ad

quamcumque virtutem acceſſeris, illicò promtum fuerit eius fructus enatrare. Virtutum autem atque rectè factorum, eædem ſunt vtilitates & commoda. Quare in mendicatione deſcripta, Deique nomine ſuſcepta videre poſſum id egregiè præſtari: morboſæ enim animi cupiditates habendi perſanantur, delicatus corporis victus & habitus duratur, ſuperbiæ ferocia contunditur, ſuijpſius demittendi aſſuetudo generatur, delectionis tantæ propter Deum ſuauiſſima recordatio eſt, cælicolis omnibus perplacet, non exiguis gratiam diuinam auctibus exaggerat, cæleſteſque in æternam beatitudinem, & non vulgares coronas apparat. Atqui ſi hæc ipſa propiùs ad nos admouerimus, deque imitando eiuſmodi opere cogitauerimus, eadem quoque commoda in nos deriuanda reperiemus: eſtque hoc ordine, pariqué methodo progrediendum in cæteris.

At quoniam interim accidit, nec eſt profectò rariſſimum, vt nos honeſtas vtilitaſque alliciant, ab aggrediendo tamen deterreamur, vel arduitate rei, vel laboris timore dejecti: eſt nobis hic ignauiæ torpor excutiendus, plurimamq; virtuti facilitatem ineſſe, non tam, vt credamus quàm vt, ſi fieri poteſt, perſentiſcamus laborandum eſt. Hoc autem vt in animum inducamus, propriè & maximè valent exempla Sanctorum: dum enim eidem cui nos infirmitati carnis obnoxios, grauioribus tentationibus appetitos, præ nobis longè duriora paſſos eſſe, & quàm maximè auſtera rigidiſſimè pertuliſſe diſpicimus, iſtudque omne ſumma alacritate peregiſſe; profectò nihil reſtat, quàm vt fateri cogamur, poſſe illa eadem, aut ſi non eadem, minora certè & faciliora, magna mentis alacritate, magnaque facilitate ab homine ſuſcipi, cumque ſuſceperit perfici. accedit etiam quòd fermè à rebus magnis & nouis inchoandis, quidam horridus pauor ſoleat auocare, quem nulla res æquè depellit, atque dux fortis, qui aſpera omnia præeundo complanaſſe videatur. Multa præterea magnaque virtuti auxilia præbent, multa quæ illam nobis perfacilem eſſe doceant. Auxiliator enim adeſt Deus, qui, vt multi Sanctorum volunt, pia noſtra deſideria in tantum exaudiet, quantum nos ab eo exaudiendos eſſe credemus; iam ſi eius infinita eſt poteſtas, eius viribus decertanti victoria eſt in facili, quomodo non erit facillima virtus, ad quam, auxiliarem ab eo gratiam, quantam voluerimus, tantam impetrabimus? Quis ſperauit in eo, & confuſus eſt? numquid non & Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis? tene tot fortiſſimorum Dei militum circumuallatum præſidijs, infirmum imbecillumque reputabis? Sed & tibi tanto auidiùs præſtò adſunt innumerabiles Sancti, quòd tuam olim debilitatem experti miſeriæ hominum didicere ſuccurrere. O quoties ſuſtinuere titubantem, lapſantem erexere, dejectum confirmauere, excitauere languentem! quoties truculentiſſimorum hoſtium impetus repreſſerunt, retexerunt inſidias, conatus eluſerunt! & his angelicis, hiſce ſanctis copijs cinctus, nonne quaſuis hoſtiles acies imperterritus irrumpes? Ecce enim eò quoque naturæ propenſio inuitat,

inuitat: nihil quippe tam hominis est proprium, quàm ratio, quàm mens, mentemque perficiens virtus; nihil ab eo magis alienum quàm vitium, quod est quidam animi morbus, ægrotatio, distortio, prauitas & deformitas: nec verò si longiore malum iam inueterauit consuetudine, si honesti ignoratione laudatur, si delectationis appetitione diligitur, minùs idcirco vel naturæ nocet, vel ab ea depelli debet; imò verò tanto magis, quo est nocentius quando tantum pollet, haud secùs atque inualetudo corporis tanto est curanda diligentiùs, quanto penitiùs illi inhæsit. Quid? quòd mali peccatique peruersitas, & quouis odio digna pernicies, stimulos acriores subdendo, ipsi etiam virtutis facilitati suffragari videtur? quod ipsum vehementiùs facit, necessitatis in qua sumus positi, perpessus probeque perspectus articulus: etenim si vstiones, si amarissimæ medicinæ, grauitate periculoque morbi vrgente, quadam quasi dulcitudine, abs vitæ conseruandæ desiderio, condiuntur; si ipsa sæpenumerò è periculis euadendi desperatio, faciliores & insperatas effugio vias aperit, quantos & quàm insuperabili robore animos à nobis induipar foret, qui certò scimus in eam nos redactos esse necessitatem, vt vel voluptati seruientibus æterna sit morte moriendum, vel virtuti deditis optatissima sint reposita immortalitatis præmia fruenda? Sic ergo amabiliter & desideratè nobis est virtus intuenda, vt quæ nobis bonorum omnium origo, & malorum sit expultrix: eius verò amorem & appetentiam maximam cùm excitauerimus, non facilè ad vllos vitiorum insultus, vel formidatos terrores, pauidi contrahemus animos. Sed non possum facere quin istud iterum commendem, facilitatem virtutis clarissimè patere è Sanctis: cùm enim non alterius conditionis, non diuersæ naturæ fuerit in illis, si prauo semoto affectu, si animi imbecillitate superata, ritè quod verum & æquum est ratiocinemur, quid est cur eis perfaciles, cur alacriter virtutis partes omnes obitæ fuerint, & derepentè eædem illæ nobis omninò arduæ inaccessæque videantur? sanè non id virtus efficit, quæ ipsa sibi semper similis est, allicitque ad se potiùs quàm repellit, sed facit hoc imbellis animi nostri mollitudo, quam vtinam superemus aliquando, & protinùs prona erunt omnia, & sensuum nostrorum tot præsidijs deuicta contumacia flectetur. Neque verò hîc necesse est, vt horum argumentorum vim quæ abundè satis elucet, in eadem mendicandi voluntate persequar: si enim virum tibi effinxeris cui sordeat tellus, cælum sit in amoribus, crux in delicijs, commoda sint exosa, cui copiosissima adspiret diuina gratia, cui Deus, Angeli, Sancti sunt in oculis, cui edomuisse carnem, sensus frænasse, æternitati seminasse sit in optatis; si tibi inquam talem effinxeris, numquidnon viro eiusmodi mendicitatem & paupertatem facilem iucundamque censebis? non ei incredibilem animo pacem tranquillitatemque peperisse? non ingentia, quòd inanes diuitias pauperi pede premeret, gaudia cumulasse? quid verò? si honores, si diuitiæ, si cilli nolenti & inuito obtrusæ essent, vix

vt refutare potuisset, bone Deus! quantus illum animi angor oppressisset, quid non esset molitus, vt illas à se quasi pestes præsentissimas longissimè amoueret! has igitur exhorrescebat plurimùm, in paupertate verò & mendicitate vt plurimum dilectis suauissimè conquiescebat.

At verò incommoda se multa sensibus obijciunt: refutanda, comprimenda, grauioribusque quæ in contrario sunt incommodis, omnis eorum est asperitas lenienda: quid enim? si durum hîc fuerit, annon durius in æternum? si pauper fueris voluntarius, an nescit, annon prouidebit Deus quibus opus habeas? si sensus non edomueris, quàm erit eorum intolerabilis impotensque dominatus? at si sic feceris, en tibi quot commoda? hîc auxilio erit vtilitas, vnam enim rem alterius ope sustentare decet.

Et quidem quæ diximus cuiuis sunt virtuti communia, propria tamen singularum est & peculiaris quædam honestas, vtilitas, facilitas; interdumque honestas, facilitate, interdum vtilitas, interdum & facilitas præ ceteris eminet: honestas, in magnanimitate; vtilitas, in deuotione; facilitas, in modestia elucet: vt plurimum tamen dubium est quid potissimè splendeat, vt in obedientia, castitate, paupertate, humilitate, honestasne an vtilitas est potior? at verò cùm id animaduertimus, ijs maximè inhærere debemus quæ magis exstant, & eorum amore ad totam ipsam virtutem amplectendam animum inducere.

Est etiam suijpsius ratio habenda, vt se quisque dispiciat, noritque qua melius illecebra capi possit, quæ apud illum argumenta plus valeant: sunt enim qui cuiuspiam re vera leuioris rationis obiectu perculsi, facili momento se in ea impelli consilia sinunt, ad quæ antea numquam vllius potuerant persuasione adduci: tantum scilicet, in rationum cum natura conuenientia, momenti inest. hanc autem, seu casu, seu animaduersione, si quando deprehenderimus, est ea plurimùm vtendum; in eamque soleter deuergendum est partem, non quæ ratione sui optima & perfectissima, sed quæ ad nos in meliora promouendos, est futura quàm aptissima.

Huc etiam spectat, estque id munus intellectus, vt virtutis præstantia cognita vias & exercitationes vestiget, quibus eam comparare, conseruare, augere constanter possit. Prouidere quoque & cogitatione præoccupare oportet, quid cõtrà sit insurrecturum, vbi pugna sit magis anceps, quî poterit tutiùs decertari, & certiùs victoria reportari? Inquirẽdum numquid non meliore, constantiore, perfectiore aliqua via virtutem tenere, exercere possemus? estne aliquid quod superadiectum vellet Deus? Cùm autem vel viam & methodum acquirendæ, vel modum exercendæ virtutis inuenerimus, tum verò eadem ratiocinatione animi vtendum est: quæ videlicet in illis honestas, vtilitas, facilitas reperiatur: quot illis neglectis incommoda, damna doloresque consequentur.

Patet igitur quanta se intellectui nostro ad ratiocinandum copia, quàm latus & immensus campus aperiat, vbi primùm virtutis alicuius stadium fuerit ingressus:

fus: ecce enim statim in eius natura, honestate, vtilitate, facilitate occupatur. Inde quærit qua via, quibus artibus ad eam debeat tendere. quod cùm repererit, tum huius ipsius naturam, honestatem, vtilitatem, facilitatem, cum virtute conuenientiam, & frequentationis mensuram definit. Adhæc de exercitatione sibi præscribenda possunt eædem ratiocinationes instituí. Item quæri numquid melius appareat, deque hoc ipso eadem scrutari. Hinc autem si in contrarium deflexeris, & in id quæ contraria sunt, nempe fœditatem, damna, cruciatus, peruersitatemque naturæ, & conscientiæ angores coaceruaris. Si hæc vel plura vel aliqua exemplo Sanctorum, Beatissimæ Virginis, vel Domini nostri Iesu Christi confirmaueris, atque ex his interdum saltuatim ad eorumdum Sanctorum, diuinamque opem implorandam eruperis, equidem vides quàm facile sit in vnaquaque re quàm diutissimè animum pascere. Verùm de imploratione non loquor modò: quamuis enim ad intellectum eatenus attineat, qua sensa mentis exponit; melius tamen hîc à nobis voluntati adiungitur, quòd in ea plurimùm dominetur affectus, nec benè atque vtiliter nisi voluntate concitatiore fiat. Nec verò nostrum est, quod semel monuisse sufficiat, quid ad quam animæ facultatem spectet, curiosiùs & subtiliùs vel indagare vel obseruare, sed solùm ad meditationes bene vtiliterque peragendas, quemuis, etiam subtilitatum earum ignarum, erudire; eoque ordine singula componere, qui lectoris vtilitati potiùs, quàm naturæ vel scholarum indagini seruiat.

Iam verò quòd à me de peccato tam obiter actum est vt magis tacitum quàm de eo dictum esse videatur, is minimè mirabitur, qui meminerit Religiosis viris hæc scribi, quibus non peccata sed virtutes æmulandæ occurrunt.

Verbo tamen perstringamus, vt si quando luce virtutis excitati peccati venialis (nam de mortifero nullus hîc mihi sermo) tenebras in nobis inserpere videmus, tum verò ad eius depulsionem nos acriter incitemus: etenim peccata ipsa per se fœda, Deoque inimica sunt, mentem perturbant, rationi rectæ repugnant, eiusq; dominatum quantum in se est & euertunt & peruertunt, merita minuunt, progressum in virtute impediunt, nitorem caritatis infuscant, animum debiliorem reddunt, paulatimque vires exedendo, viam peccato mortifero mox intrò irrupturo aperiunt. Habent præterea singula suam quamdam propriam fœditatem, & sua incommoda, ob quæ vitari maximè debeant. Sunt etiam in homine incompositi & perturbatiores quidam affectus, quas imperfectiones passim nuncupamus, in quibus & exaggerandis & detestandis, eædem sunt argumentorum machinæ admouendæ, nominatimque in eis expendendum, quàm personam nostram dedeceant, quàm cum susceptæ vitæ rationibus pugnent, à perfectione abducant, in peccata præcipitent, quàm sit quæ de illis reportaretur victoria gloriosa, fructuosa, heroica, Deo denique placens. Ad extremum tandē, quo potissimùm pacto, meliùs, tutiùs, euelli vitia, resecari prauæ affectiones valeant, inquirendum est; & decernendum, prudenterque statuendum, quomodo,

do, quæ rectè iudicata fuerint, constanter exequemur. Quibus cùm exempla Sanctorum, eamque de qua dicemus multiplicem variorum affectuum commigationem addiderimus, en tibi quàm exundans piæ occupationis copia diffundetur: ecce enim, si quod rectè factum meditando expendis, primò ea omnia sponte occurrunt quæ de historicis diximus; deinceps verò vbi virtutem notaueris, aderunt quæ de virtute, vnde postremò ad hæc ipsa, quæ de vitijs prolata sunt, cogitatione delabêris: iterumque ex his ad priora contentiùs reuertêris.

Atque hæc sunt potissima intellectus & iudicij officia, cùm de virtute meditanda agitur: nec enim, quod superiore capite fecimus, hîc intellectum à iudicio secernimus; quippe cùm virtutis natura sit in actione posita, omnisque quæ de ea habetur intellectio, ad agendum exercendumque referatur, superuacua foret, parumque ad vsum accommoda, si quæ distinctio hîc à nobis poneretur. Quis enim non videt eum qui virtutem aliquam honestate amabilem, vtilitate desiderabilem, facilitate comparabilem intelligat, eundem etiam, quod iudicij practici est, eandem expetendam iudicare? Hæc igitur hoc de capite dicta sufficiant.

CAPVT XI.

De permouenda voluntate.

EQuidem quæ hactenus dicta sunt eò referuntur omnia, vt voluntatem efficaciùs mouere possimus: hanc enim ad meliora traducere, victoriæ est; non traduxisse, est in ceteris operam lusisse: quid enim profuerit, vel memoriæ felicitas, vel scientia intellectui, si voluntati desit bonitas, à qua sola boni, per quam solam beati esse possumus? Quamquam si quæ præcepimus obseruentur, & sæpè ac sæpiùs voluntati obiecta fuerint, fieri nō potest, quin à quauis durissima pertinacia recedens, paulatim emolliatur.

Est autem duplex voluntatis permotio; vna quæ sensu fit, altera quæ iudicio atque ratione. Sensu vel quasi sensu solo fieri credenda est ea omnis motio, qua voluntas aut appetit, aut auersatur aliquid, sola alicuius rei intellectui incognitæ & iniudicatæ appetentia, ex impetu & subitariè exorta: & quamuis donec boni & mali nulla ratio apparet, non sit eiusmodi motio annumeranda peccatis, in deterius tamen vergit, eoque ipso vitiosa est, & homine nondum digna, quo ratione & intellectu nondum est prædita; qui cùm accesserit, tum verè & perfectè humana fuerit, sed vel bona vel mala pro rei natura.

Hinc tamen clarè patet quanti facienda, quamque acriter compescenda sit, cuius vel sunt motus tam celeres, vel tam potentes, vt solo cuiusuis rei obiectu rapi

rapi possit, secumque cetera rapere: id enim cæco & improuiso impetu cùm fiat, non potest non maximis expositum esse periculis ? Eundum igitur obuiàm, quod fiet si numquam inexploratò ferri quopiam sinatur, si sanctis multis desiderijs tantoperè quasi oppleatur, vt ceteris non sit locus, si denique rationis frænis obedire longa consuetudine doceatur. Hos ergo impulsus cæcos omittamus.

Alia & nostro instituto apta permotio voluntatis est, quæ cum iudicio & ratione fit, videt, & quid velit intelligit. Est verò hæc ipsa vel praua, vel recta; praua quidem si aut prauo iudicio rationique peruersæ consentiat, aut cupiditate abducatur, vt à recto iudicio & ratione dissentiat. Quod malum vtrumque perfectissimè caueimus, quando rectam eam facimus: rectam autem ita demum faciemus, si nobis probè sit voluntatis natura perspecta, & ea sedulò admouerimus omnia quæ in id quod rectum est ducant, amoueamus omnia quæ in prauũ forsan flecterent, vel à recto abducerent. Quod vt præstemus, id ratum & fixum esse debet, voluntatem ita natura sua moueri ad appetendum bonum, seu verè bonum, seu quod bonum puter, vt neque possit quidquam appetere nisi in eo boni & optabilis aliquam speciem videre se putet, neque possit non id auersari quod cùm inspexerit nullam in eo nisi mali, incommodi atque fugiendi speciem videt, neque tandem possit humanitùs eius rei refutare amorem, quam sibi vt bonam, vt rectam, vt amabilem, & omni ex parte experendam offerri videt.

Et quidem certa sunt hæc, eoque notanda diligentiùs quòd ex ijs, id quod mox dicturi sumus arcessetur: nec sanè difficile fuerit voluntatem ad eius rei permouere vel odium vel amorem, cuius vel mala vel bona sunt in confesso: itaque eorum, qui suspensos æternitatis expectatione non gerunt animos, nemo vmquam laborauit, vt vel sibi mortem formidandam, vel vitam persuaderet appetendam. At quoniam frequentissimè dubitatio non exigua exoritur, Sit nécne commodum, & quamuis commodum, an tamen tanti sit vt eius causa vel voluptates relinqui, vel subiti labores debeant, atque hinc graues, rationem inter & sensum, exoriuntur pugnæ, varioque & alternanti motu, volens nolens, à se ipsa discrepat voluntas: quando id genus dubitationis inciderit, tum certè ratiocinationis est & intellectus suis egregiè defungi partibus, totasque quantas habet vires exerere. Etenim lux ipse est animi, solus quid verè bonum, verè malum sit agnoscit, eiusque proprium munus est, vt falsitatem detectam & depulsam luce veritatis reuincat, reiectoque, quo se fictum bonum obtegit, delectationis blando inuoluero, veram sinceramque bonitatem omni conatu prosequendam offerat. Vbi ergo de cuiuspiam rei bonitate agitur, hîc mihi protinus intellectus & iudicium, seueri insurgant, sensum & delectationem ne in eorum limites inuolet, imperiosissimè refrænent, & si quo casu irruperit, seuerè indicta pœna coërceant, protinusque quàm longissimè ablegent.

Quod si egregiè constanterque perfecerint, tum verò prona sunt cetera: at

hoc opus, hic labor est, quippe sensus blanduli, illexque delectatio, furtim nonnumquam voluntati inserpit, nonnumquam quasi manu facta violentè subitoque irrumpit, vnde cùm arctissima corpori cum animo coniunctio, affectuumq; communicatio intercedat, corpori autem id plurimum arrideat, protinus etiam voluntas ingeti se delectationis quasi pondere ad eadē propè rapi sentit. Dumq; sensui, vel illecta, vel præoccupata fauet, inuitaque abs illo auellitur, sit pugna magis anceps, & rationis contra sensum dubia victoria.

Cùm igitur voluntas, quidam sit quasi communis appetitus, qui animo & corpori benè vult, quiq; totius hominis, partiumq; singularum bono expetendo, malo depellēdo præest: sensim & leniter, dilucidè tamen & quàm fieri possit efficacissimè curandum est, vt id quod videtur bonū, nec est, omni specie boni euacuatur, tantoq; minùs bonum, imò maius malum esse illi persuadeatur, quo emēdita boni similitudine ludificare mentem, in extremamq; perniciem præcipitare conatur. Quod quaratione præstare possimus, si interroges, non est huius loci id exequi latiùs, paucis tamen nonnihil indicabo.

Est primò omnium voluntati certissimè persuadendum, claréq; demonstrandum, frequenter in hominibus accidisse, vt subitò oblata, subitoq; acceptata voluptas, graues illis, diuturnosq; & ineluctabiles dolores importarit: tum verò seram fore pœnitentiam cùm depelli non poterunt, si fortè per hanc quę nunc nobis blanditur delectationem, in damna eadē incidamus. Certè nequaquam esse committēdum, vt partis vnius, breuis aliqua, & impetu rapta delectatio, importabiles & sibi ipsi, & toti reliquo corpori cruciatus inferat. quid, quæso, id foret aliud quàm insaniissima furore insania? atqui sic insanire voluntatem, quæ illicita delectatione perfunditur, non erit demonstratu difficile si certam peccati fœditatem, inexhaustam pœnam, irreparabile & inæstimabile damnum, serio cogitatu repræsentes. An verò ex ea, quæ nunc offertur, delectatione, ista consequantur, certum est, neque debere, neque posse sensum esse iudicem, sed ad intellectus, rationisque rectæ tribunal hanc esse controuersiam auocandam.

Hæc est prima, & quo lenior, eo ad victoriam potentior recti iudicij machina, per quam in dubium reuocatur ea voluptas, quam veluti minimè dubiam sensus offerebat, atque ita, periculosus ille voluntatis impetus, blandè sistitur, non illi, quod velle gestiebat, denegando, sed vt de rei conditione dubiter, vt optationem expendat suam, vt ne se ipsa imprudens perdat, admonendo: cui æquissimæ monitioni cùm, nisi perditissima sit, non possit non assentiri, tum deincepsabs ista delectatione, est persona, quam assumserat, aliena remouēda, vera & propria reddenda, itaq; non bona, quod se mentiebatur, sed pessima depingenda, dolosa, fraudulenta, insidiosa, periculosa, malorum in hac vita plurimorum, & post hanc vitam æternorū euocatrix, virtutis & honestatis expultrix, summi denique optimique Dei, bonorum omnium fontis, inimica capitalis.

Atq; hoc est alterum: quo non tantùm voluptatē amare dedocetur, sed etiā, si sedulè

sedulè id fiat, mox ab illicita cupiditate nō recedet solùm, verùm etiā execrabitur acerrimè, neq; tunc laborabit intellectus, vt volūtati probet ne quidē nomine bonitatis aut commodi voluptatē esse dignandā. Quis enim sanæ mētis mille talentorum iacturam dixerit vtilē, si quando per eam semiobolus acquiratur? quis illud esse bonū & vtile, quod fugacissimæ delectationis arrisu, nos omnibus diuinæ gratiæ bonis euertit, & in malorū omnium inexpiabilem voraginē letali peccato detrudit? Hoc aurē vt in confessum veniat, si obtinere potuerit, penitus fuerint omnia peccata debellata, sensibusq; sub iugū missis, rectę rationi obedientissimè cūcta subdētur. Quod cùm tanti sit momēti, repeto, & verbo vno memoriæ cōmendo, tria hęc vt obserues: Primò, quidquid sensui obijcitur in dubiū reuoces; Secūdò, si malū esse iudicas, specié boni remoue, mali appinge; Tertiò, nequaquā optabile, sed fugiendum & detestandum, dilucidissimè commonstra.

Iam verò vt ad virtutem, ad rectè factorum imitationem, ad perfectionē voluntas excitetur, opposita via procedēdum, suntq; ea singula sic nobis effingenda, vt ab eis prouidè remoueatur quidquid auersationē, horrorem, timorem, odium, contractionem animi, aut similē vllam gignit affectionem, contraria verò omnia & quę excitatiores reddunt animos, quæq; virtutis ardore succēdunt, aduocemus: quam in rem faciunt ea omnia quæ de honestate, vtilitate, facilitate virtutis dicta sunt. nec est quod plura superaddam.

Sunt autem, vt ad illas deniq; propiùs accedamus, plurimæ numero, & variæ voluntatis motiones, quas affectum dicimus, quæ natura sua impetu ferūtur, & ad id quod gratum aptumq; obijcitur, suopte nutu sese applicant & adiungunt: quo fit vt si prudente iudicio, aptè & ad aliquē affectum conuenienter, aliquid voluntati offeras, omneq; id quod horroriē aut auersationem pareret, dissimules, obtegas, amabilitate induas, protinus is, ad quē appositè accommodata res est, affectus, in eam vi sua & propensione naturæ deferatur. Itaq; vide quæ sit, quam appetant, singulorum affectuum esca, hacillos delinito, hanc appone, & sponte ad quæuis optima sequentur. Contrà verò si aduersandum, si fugiendum aliquid docere velis, ostēde in eo non reperiri quod eos delecter, reperiri quod sit molestum, & exterreat, protinusq; illi, quos auersantes vel deterrentes nuncupare possumus, affectus excitabuntur, timor, odium, detestatio, & similes.

Primus, & ceterorum omniū excitator, ac propè moderator, est amor, qui est affectus quidam quo nobis bonum placet; itaq; & excitatur à bonitate cognita, & bonitati cognitæ negari vix potest, (etenim ea loquimur quæ vt plurimùm solent fieri) nisi alicunde ei mali aliquid affingatur. Hinc virtutem alterius, extra æmulationem positi, amare facillimum est, cùm eius à nobis pulcritudo sine labore videatur: vnde consequens est, vt in Sanctis, ijsq; potissimè quos diligimus, eius amore facilè ducamur; inde verò dum quadam istius alienæ virtutis amabili cogitatione delinimur, procliue admodum est, omninoq; curādum, vt ad nos deflectamus, eandemq; nobis virtutem exoptemus. Et quanto dignioré,

ac præilla, cetera expreſſerimus viliora, tanto magis amorem in eam inflammabimus. Tum verò, quia id proprium amoris eſt, vt ne ſit otioſus, eum incitabimus ad id quod amat totis viribus perſequendum, audendum fortiter, idque omne propellendum quod ſpem conſequendi retardat.

Vt autem amori diutiùs & ſuauiùs inſiſtamus, iuuat meminiſſe quæ ſit amoris magis celebrata diſtinctio; nempe concupiſcentiæ vnum, beneuolentiæ alterum, apta & ſignificante appellatione. Concupiſcentiæ verò eſt, quando vel propter meum, vel propter alterius commodum aliquid amo, vnde non tam illa res amatur, quàm concupiſcitur, & quodammodo alterius cauſa amatur: ſic cibus ob vitæ meæ conſeruationem, pecuniæ ob vſum, medicina ob ſanitatem amatur, ſic ieiunia, ſic vitæ aſperitas & duritas, corporis edomandi, & perfectionis acquirendæ cauſa diligitur: ſic etiam amantur ea quæ amicis benè faciunt, quæ ad illorum curam, honorem, amorem, commodum aliquid conferunt, quo ſanè pacto in Sanctorum geſtis caſibuſque relegendis, amorem quendam & pia vota in benefactores eorum, patriam, domicilium, ſponte ſua exoriri ſentimus. In perſecutores autem & aduerſarios, contraria omnia conferuntur.

Alius eſt amor beneuolentiæ, qui in eo ſiſtit vt velit bonum, & in eo conquieſcat, aut etiam illud optet ſibi vel alteri: ſed hunc ipſum bifariam diſpertior, numque approbationis amorem, ſeu amorem approbantem & acquieſcentem appello, quando ſcilicet ita contemplor bonum, virtutem, actionem, perfectionem aliquam rei vel perſonæ cuiuſpiam, vt ei acquieſcam, eam approbem, laudem, admirer, extollam, & in vno tantæ pulcritudinis obtutu defixus oblecter: eſtque hic amoris ſenſus ad contemplationem maximè opportunus, & ex eo deinde facilè gignitur alter beneuolentiæ amor, qui dici meritò poteſt amicitia & caritas, cùm videlicet ita virtutes & perfectiones, vel Sancti, vel Dei Domini noſtri conſidero, vt illas ipſis & gratuler, & optem, & adeſſe gaudeam, omne bonum illis velim, meæque voluntatis conſenſionem illis adiungam. Amicitiam verò à caritate non diſtinguo, quia de Sanctis, & Deo, & oratione agens, vera eos caritate diligi, nec res alias quàm cæleſtes & diuinas exoptari volo.

Eſt verò in hac naturæ noſtræ corruptela, obſeruandus hic amoris ordo, vt quoniam in ea quæ commoda & vtilia ſunt plus æquo propendemus, & vbique amore noſtri nimio adacti alicunde emolumenta mendicamus: itemque quoniam honeſtum ipſum à ſenſibus, vulgarique captu ſemotum eſt, propterea fermè ſit neceſſe vt qui virtutis viam init, ab amore concupiſcentiæ initium ducat, quod profectò quàm ſit procliue, apertè docui cùm de ipſius vtilitate diſſerui. Quam ipſam in Deum, B. Virginem, & Sanctos transferre tanto faciliùs quisque poterit, quo ſunt illorum in nos beneficia notiora: fierique hoc illuſtrius, ſi in ipſum quoque corpus, & vitam animumque quotidiana & ſenſu conteſtata largitas expendatur. Eiuſmodi eſt, etiam in eos qui Religioſas familias excitarunt.

Reli-

Religiosi enim Patrum suorum sudores bibunt, labores metunt, paupertate ditantur, nuditate vestiuntur, præceptis imbuuntur, disciplina excoluntur, perficiuntur exẽplis, auxilio & meritis confirmantur, patrocinio securi degunt. vllúsne vmquam parens exstitit qui tanta filio commodaret? Sed hinc ecce quàm patulus ad amorem approbationis datur transitus: quod enim tantopere nobis commodum, sæpeque necessarium videmus, annon continuò vt bonum approbare, extollere, mirari, consentaneum est? Exinde tandem, si is qui hoc bono præditus est, ratione & intelligentia polleat, quid restat, quàm vt sancta eum amicitia, & inuiolata caritate prosequaris? Certè in D. Bernardo reperies caritatem fraternam ab insita hominii in seipsum naturali quadam dulcedine vim sumere, indeque humorem illum terrenum, vi & quasi anima gratiæ ita vegetari, vt quasi in gemmas, ita in fructum pietatis erumpat. Idemque sanctus Doctor tum epist. 11. tum lib. de diligendo Deo, docet necesse esse, vt, quia carne constamus, carne ducimur, nascimur; amor etiam noster à carne initium sumat, Itaque id primum solere esse asserit, vt homo se diligat propter se; inde verò, quia se sine Deo esse non posse, Deumque sibi ad omnia necessarium videt, Deum amat propter se: sic autem occasione propriæ necessitatis atque vtilitatis Deum frequentando & gustando, paulatim iam eum propter ipsum diligit, tanta ipsius bonitate permotus: hinc autem ad quartum illum amoris gradum tenditur, in quo Deus ita diligitur, vt nihil nisi propter illum diligatur, ad eum omnia nostra referantur, nec iam se homo nisi propter Deum diligat. Quẽ gradum ita miratur Sanctus idem, vt exclamet, *Asserant hoc, si qui experti sunt, mihi, fateor, in hac vita impossibile videtur, perfectè illum gradum apprehendere.* *hom. 44. in Cant.*

Verùm hæc eò dicta sunt vt gradatim ad perfectiora conscendamus, debetque omnis noster amor, seu rerum, seu virtutum, seu Sanctorum, nos ad amorem Dei Domini nostri ducere, eiusque gratia vigere. Obseruandum verò nobis est, solere quibus causis enascuntur, ijsdem quoque conseruari & augeri affectus, nec vnquam eousque perfectionis hac in vita nos proueni, quin imperfecti aliquid in nobis lateat; quare licet amorem illum imperfectiorem, qui suæ vtilitati seruiat, prætergressi fuerimus, vtile tamen & consultius fuerit, subinde ad eam, quam ex re amata percipimus, vtilitatem spectandam redire, & conceptas amoris flammas redintegrare: at in meliorem & perfectiorem quendam modum sic est ista cogitatio flectenda, vt dum beneficentiam vtilitatémue considerас, non iam propter vtilitatem ames, sed ex ea ratiocineris fieri non posse, quin res vel persona sic benefica, sic vtilis, miram quandam in se ipsa bonitatis & amabilitatis copiam recondat. Debet igitur vtraque vtriusque ope res sustentari, vtilitate bonitas, bonitate vtilitas.

Sed quoniam toties boni malique fit mentio, & in eis affectuum cardo vertitur, prætermittere non possum quin bonum, varium esse & multiplex admoneam, malumque totidem oppositis modis accipi posse. Bonum ergo primò

dicitur id omne quod suæ naturæ perfectionem est consecutum; sic Deus natura sua optimus maximus dicitur, ita post illum proximi, sed longo & infinito proximi interuallo, sunt angeli, inde homines, non tamen ex æquo perfecti omnes, & exinde deinceps cetera. Secundò, bonum dicitur id quod sua cum altero conuenientia illi prodest & est accommodum, vt sunt ea quæcumque quæ alteri conducunt, & cum eo concordant. quod sanè latissimè patet. Tertiò, bonus dicitur qui benignus, beneficus & liberalis est, qui ad aliorum commoda procuranda, & sua cum ceteris bona communicanda propẽdet: qua bonitate in infinitum splendet Deus, cuius benignissima prouidentia stant, perseuerant, decurrunt sæcula, & quidquid vspiam boni est vel esse potest; elucet eiusdem imago bonitatis & in angelis & in Sanctis, perpetuaque eorum in nos beneficentia tanta est, quantam nunc nostræ huius vitæ cæcitas satis perspicuò intueri non potest. Quartò deniq; bonus dicitur qui iustitiæ, prudentiæ, clemẽtiæ, castitatis, aliarumq; virtutum ornamentis ditatur, quantoq; plures ac illustriores fuerint, tanto melior & est & dicitur. Sunt autem hæc per se satis perspicua, & quæ multam excitando amori segetem & materiam præbeant.

Debentque istæ boni rationes ita tibi in promptu & quasi semper præstò adesse, vt confestim per eas percurrendo, ad multiplicem te bonitatis cognitionem & amorem excitare valeas, nec personis tantùm, sed & virtutibus atque actionibus eas adaptare noris: spectari quippe potest virtus Primò, vt sua in natura, suoque genere perfecta. Secundò, vt animæ nostræ maximè conducès. Tertiò, vt bona multa importans. Quartum illi minùs conuenit, nisi si aliarum quoque virtutum inductione atque comitatu (quod non rarò fit) illustretur. In actione verò ex virtute facta, vt in mendicatione B. Patris Ignatij, perpẽdere possumus eadem, nempe Primò, quàm bona sit natura sua, id est quàm perfecta mẽdicatio, idque quia maximè voluntaria, planeque sponte suscepta, quia summo Dei amore, summaque rerum omnium despicientia, in tantam venerat egestatem, vt victus, vt vestitus, vt domicilium, aliena esset liberalitate sperandum. Secundò, quàm accommoda & vtilis animæ eius, vitæque propõsito, & corpori ipsi fuerit: sic enim in magnam mundi totius contemtionem deuenit, ferociores spiritus, & carnis appetitus compressit, ingẽtes æternarum diuitiarum thesauros in cælis sibi seposuit. Tertiò, quàm benefica & liberalis, ac diues ista paupertas exstiterit; nam & multa pauperibus ceteris emendicauit, nec ipsi vnquam larga Dei manus angustior fuit, ac deinceps quasi feneratis Deo rebus, incredibiles quaquauersum auctus propagauit, diffusa, toto que orbe roborata Societate. Quartò denique, quàm fuit varijs virtutibus instructa ista mendicatio? pœnitentia, humilitas, caritas, patientia, perseuerantia, magnanimitas, deuotio, aliæ plurimæ certatim elucent. Viden' hoc amoris aurum, quàm diuite boni fodina, tibi possis effodere? At ecce, vt copiæ tuæ sit modus immodicus, tantaque inter opes inops esse non possis: ab hac actionis bonitate, ad agentis bonitatem con-

tem-

templandam transuola: est enim hoc quàm maximè vicinum; reperiesque plurimum quod ames, quod suspicias in illo: & quamquam ijs quæ iam antè cogitasti similia sint, erunt tamen hoc loco tanto gratiora, quo personæ solent amabiliùs menti obuersari. Quòd si hinc denique ad Deum ipsum contemplatione sustollaris, tum verò extremam dignamque orationi tuę coronidem imposueris: id tamen quomodo fieri possit, separatim, & loco conuenientiore dicetur.

Adhæc satis fuerit, vno verbo breuitatis causa monuisse, fore frequenter opportunum deflectere in oppositа vitia, & perpendere quantum illis mali insit, totque modis malum, quot bonum dici: est enim Primò, naturæ quædam euersio; Secundò, dissonantia & inimicitia quædã eius cui inest; Tertiò, malignitas quædam & inuidentia, quæ bonum arcet, varia mala importat; Quartò, vitia plurima, fœda, probrosa proseminat. Atque hinc erga id quod peruersum est excitatur odium, eo modo, ordine, & ita multiplex vt amorem dixi erga virtutem.

Ceterùm id quoque ad extremum tenere debemus, parili ad permouendam voluntatem vipollere bonum & malum, siue verè fuerit eiusmodi, siue tantùm eiusmodi esse credatur: at verò cùm neque rationi sit consentaneum, vt veris æquentur falsa, planeque præsentissimi sit periculi, & propè certi exitij duce falsitate abduci, hîc nobis, quod initio monuimus, iudicium & ratio solerti oculo vigilent, vt simulata à sinceris, à veris ficta secernant, idque semper pro certo habeant, bonum esse non posse quod non fuerit honestati virtutique coniunctum; quod verò à virtute, à ratione, à Deo seiunctum fuerit, nonnisi malum esse posse.

CAPVT XII.

Aliæ in voluntate motiones recensentur.

EX ea quæ intercedit arctissima corpori cum anima coniunctione, cùm experiamur nihil deferri ad sensus, quin protinus in ipsam animam, vel repercussum, vel expressum penetret, ipsaque suo corpori tota sit sentiendi ratio; videri nouum non debet, si earum perturbationum quæ in appetitu sentiente insunt nomina, ad appetitum intelligentem, seu voluntatem transfero: ipsa enim est quæ amare, odisse; desiderare, fugere; gaudere, tristari; sperare, desperare; timere, audere, irasci perfectiùs dicitur. De his igitur pauca, tum de alijs affectibus qui sunt mistiores.

Cùm ergo desiderium sit motus in bonum absens, & concupitum; est virtutũ, & rerum sanctarum desiderium inflammandum, partim exaggeratione honesti, & vtilis atque commodi quod illis inest, vt antè dictum est, partim sedula eius quæ in animum nostrum ex illis redundat pacis & perfectionis recogitatione. Verùm nihil ita stimulandis desiderijs est efficax vt amor, quare cuius amore vehe-

vehemẽtiùs instigabimur, proculdubio desiderio langueſcemus, huc ergo referamus quæ de amore dicta ſunt. Viſne deſiderio imitandæ Ieſu Chriſti paupertatis flagrare? illam æſtima, illam ama, expẽde, reuolue, ad eum vel ſimilem modum quem habes vbi de intellectu virtutibuſque tractauimus. Hoc autem ſemper adiungendum, (ac non in hoc ſolo, ſed & in ceteris quoque ſingulis) vt contrarijs & obicibus remouendis diligẽter inuigiles; vnde quæ deſiderio officiunt, amoliẽda, refutanda, reuellenda ſunt: cuiuſmodi eſſe poſſet honoris vani amor, deliciæ, mollitudo, ignauia, væcordia, & plura id genus.

Gaudium verò ſeu lætitia cùm ſit quædam ſeu delectatio, ſeu quies ex bono, vel in bono præſente quo fruitur; poteſt quidem non rarò excitari, in eam animaduerſionem ſe conferendo, quòd plurima eaq; omni gaudio digniſſima bona nobis adſint, vt quòd Dei nobis fauor & gratia præſtò ſit, quòd angeli, quòd Sancti, quòd re ipſa infinitus bonorum omnium inexhauſtuſque theſaurus, ſummè amabilis, ſummè deſiderabilis Chriſtus Ieſus in SS. Euchariſtia ſe nobis in amoris arrham præbet. Sed & poteſt aliorum quaſi gaudium ſentiri, quod ſit cùm eorum perſonam induens, eundem amorem, idem paupertatis deſiderium in te ipſo conaris exprimere, indeque pertentas quanto gaudio, quanta ſui animi ſuauitate virtutis actiones obirent. Denique noſtri ipſorum gaudium, & in rebus bonis & ſanctis lætitiam, non excitamus, at conſeruamus, eique quantum dabitur inhærere debemus, quoties diuinæ bonitati placuerit virtutis, perfectionis, rerum æternarum vel diuinarum nobis cogitationem edulcare.

De triſtitia, non eſt quòd multa dicam, quandoquidem hîc meliora ſectamur: eſt tamen ſuus illi locus, tum quia meritò & plurimùm dolendum nobis eſt, tam eſſe à Sanctorum perfectione ſemotis, tum quia neſcio quo pacto alicuius doloris interpunctu lætior exiſtit ipſius lætitiæ ſenſus. Habet enim hoc dolor ſanctus, qui vel de peccatis, vel de imperfectionibus, vel de beatitudinis dilatione dolet, habet inquam (quod non alius dolor) vt ipſo ſuo illo dolore, ſuauitatem cuiuſdam quaſi delicij inſinuet. Sed & valet plurimùm, vt humilitatis & gratitudinis quaſi ſalſamentis adhibitis, aſſeruari incorrupta lætitia valeat, at, quod in condimentis aſſolet, cauendum ne acrior, ne quàm par ſit acerbior, néue diuturnior vſurpetur.

Spei verò longè maior eſt nobis habenda ratio, & ad illam confirmandam omnes adhibẽdæ ſunt machinæ, cùm ea ſit ad præclaram omnem aggreſſionem neceſſaria: faciunt verò ad eam excitandam omnia, quæ de virtutis facilitate dicta ſunt, & de diuina bonitate, promiſſiſque adiumentis cogitari poſſunt; excitatam verò inflammant quæcumque amorem & deſiderium incendunt. A deſperatione verò & à nequiſſima omnis boni peremtrice, peccati & malorum omnium potenti euocatrice, præ ceteris eſt cauendum. Magnis animis eſt opus, qui nihil opitulante Deo aggredi formident, nihil non conſequi ſe poſſe credant.

Timore

Timore verò, cùm ex mali formidati & exosi horrore nascatur, sapienter vtẽdum est, valetque non parum, siue ad peccata vitanda, siue ad simulandam virtutem, si prudenter adhibetur: si enim peccatum, quantumuis leue, alteri leuiori quidem, sed aliquo tamen additamento grauiori, & hoc ipsum iterum alteri, atque hoc tertium alij, ac ita deinceps sic cohæret, aut, si non cohæret, certè aliud quasi catenata serie sic allicit, vt ex vno in aliud tam sit pronus lapsus, vt ipse tua vi à præcipiti in ima casu cohibere te non valeas; quis non ad minima perhorrescat, ne per illa in grauissima pertrahatur? Adhæc cùm tot sint quibus obstringimur gratitudinis nomina, tanta sit nostra socordia, tanta pronitas in peccatum, tam perfecta Sanctorum exempla, iudicia Dei Domini nostri tam seuera, possumúne non acriùs ad illa trepidare? vnquamne in animum inducemus nostrum, vel laborasse nos satis, vel satis in virtute progressos? Timor ergo non sit ignauus ad cessandum, non ad contrahendos animos vilis, non ad retundendam cognitionis aciem perturbatus, non ad obtegendam veritatis lucem tenebrosus, sed qui Sanctorum exemplis, Dei iudicijs in mediũ prolatis diligentiam iritet, animos excitet, ad sui disquisitionem sedulam impellat, nostrique, se blandè decipientis amoris, insidiosas fallacias salutariter detegat.

Atque hinc opportunè animus incitatur ad audendum, vt enim in rebus aliis, vbi effugij nullus supereſt locus, & instat quod abominaris malum; id vnum restat, vt audacter & animosè illud à tuis ceruicibus propulses; ita cùm diuinorũ & seuerissimorum iudiciorum ineluctabilis necessitas incumbat, quid aliud quàm fortiter audendum, animusque omni ope & opera ad illa comparandus? restitasse, timuisse, pigritatum esse, quid, nisi ad maiorem pœnam, iuuabit? At verò in rebus illis magnis ausum fuisse, conatum esse, tentasse, pro magno habetur: & (quod non parum animos auget) insinuat se conatibus nostris bonus Deus, ipseque per imbecillas & imbelles vires nostras, præclaras de potentissimis nostris hostibus triumphos agere, victorias reportare amat. quare si nobis persuasum fuerit, copiosa & inexpugnabilia nobis volentibus à Deo esse parata auxilia, adeò vt pugnare voluisse, sit expugnasse, sit vicisse; quis quæso hominum eò vsque ignauus erit, vt firmissimis præsidijs, certaque, & in sola voluntate posita victoria, pugnare velle detrectet? idque tum maximè cùm detrectãti certissimus & exitialis est paratus interitus; non detrectantem, summa & votis omnibus optabilis, est exceptura felicitas. Certè, quæ diuina bonitas est, ea conditione nascimur, ea viuimus: nihil nobis est vel angustum, vel exile, vel breue cogitandum: ad diuina facti sumus, ab illis nostro vitio si excidimus, in miseriarum omnium miserrimum barathrum detrudemur. Aude ergo, ô homo, aude; audentem iuuabit Deus; qui te antequam esses respexit, ille postquam es, & Iesu Christi pretioso sanguine redemtus es, numquam te despiciet, nisi te prior ipse despexeris.

Audaciæ verò quasi flabrum est ira, quam & fortitudinis cotem dixere nonnulli: est enim excandescentia quædam efferuescentis animi contra id quod molestum est, & de quo vel vindictam sumere vult vel exigere pœnam: itaque ad indignationem animus incitatur rei indignitate cõsiderata, indeque de malitia, vel iniuria sibi vel alteri illata pœnas iustas reposcit, quantoque vel grauius malum inflictum fuit, vel iustiores pœnæ possunt intentari, tanto potest acriùs & sanctiùs ira concitari. Vt quid enim plurimis, fœdissimis, grauissimis peccatis non commouebor? non mihi irascar? non diuinas iniurias pœnis voluntarijs vlciscar, expiabo, diuinumque mihi numen propitiare conabor? Vt quid non irascar in illos, qui vel Sanctos olim persecuti sunt, vel etiamnum minoris faciunt? Vt quid non eorum exemplo exardescam in id omne, quod diuinæ gloriæ promouendæ, quod exercendæ virtuti, quod perfectioni acquirendæ repugnat?

Sic ergo ira, sic affectus ceteri excitantur. Ad Sanctorum verò gesta propiùs accedendo, trifariam nobis illos inferere possumus. Primò, Sanctorum affectus quasi intuendo quales in illis exstiterint, vt quo amore, quo desiderio huius illiúsue virtutis flagrarent, quantis animis obnitentia omnia perfringerent. Secundò, personam eorum affectusque subeundo, ita vt non iam intueri, sed id ipsum in nobis experiri ac sentire videamur, ipsíque nos in alienam transmutati personã paupertatis & virtutis ipsorum in nobis quasi in ipsis documenta capiamus: hîc enim nos exuimus, induimus alium, neque iam nostris sed alienis motibus & affectibus regimur. Tertiò denique ad nos ipsos apertè palamq; deuoluimur, vt ex aliorum comparatione & norma quæ debeat nostrorum morum & affectuum conformatio esse iudicemus; hîc valet ratiocinatio, hîc iudicium quo censemus ex aliorum exemplis quantum possit in nos redundare, quantum deriuare valeamus, quid illorum imitatione amare, quid odisse, quid persequi, quid fugere, quid sperare, quid timere, vnde lætari vel gaudere, quid audere, quid à nobis amoliri conueniat.

CAPVT XIII.

De aliis piis affectibus qui passim afferuntur.

HI quidem, quos diximus, affectus videtur, ij esse omnes qui in volũtate esse possunt, & ex eorũ intellecta natura atq; cõditione, fiet vt illorũ excitatio, eõseruatio, moderatio, refrænatio sit magis in promtu. Alij qui passim proferũtur affectus nõnisi vel virtutũ actus, vel affectuũ modi, vel mixti sunt è pluribus.

Ita admiratio, vt ab illa inchoemus, quamquã nullum ordinẽ certum præfigo; est, inquã, admiratio, iuxta D. Thom. diuũque Damascenum, *timoris quædam species consequens apprehensionẽ alicuius rei, excedentis nostram facultatem.* ita ille. Quod vt paulò fusiùs, & ad vsum nostrum magis accommodatè dicamus, ab intel-

2.1.q.180. a.3.

lectu

lectu oritur, & variè afficit voluntatem, vtrimque seu in bonis, seu in malis valens plurimùm, & diutissimè detinens: eius enim proprium est, vt attonitum & defixum in vnius rei intuitu animum teneat, quia contemplatur aliquid quod communem modum excedit, & cuius causas, rationes, & modum non satis capiens, penitiùs intuetur, dumque intuendo deprehendit nihil de mirabilitate decedere, seque nondum rei magnitudinem capere, iterum intueri, iterum ignorationem suam depellere aggreditur; sed neque sic intuendo satiatur, & numquam videndo expletur, quia sibi numquam satisfacit, cùm nequaquam eius quam pertractat rei magnitudinem ad plenum & perspicuè euoluit, sibique etiamnum scrutanda plura superesse videt. Itaque mouetur admiratio ex animaduersa cuiuscumque rei immodica quadam exsuperantia, quæ præter opinionem & supra quàm intelligimus cogitationis nostræ vim percellit, eamque vario affectu complet; possumusque non solùm ea mirari quæ ad nos pertinent, & in nos redundãt, (de quibus maximè loquitur D. Thomas) quæque timorem vel reuerentiam pariunt: sed & alia multa & variè miramur, facta scilicet, vel facienda, rationem, modum, personam, pulcritudinẽ, fœditatem, bonitatem, malitiam, tarditatem, obstinationem, quoduis vitium, virtutem quamuis, omneque id quod à vulgari mediocritate discedit: imò verò paruitatem ipsam, paupertatem, penuriam mirari possum, quòd nimium quantum parua sit atque indiga. Habet autem id fermè adiunctum; vt agnoscamus, id quod miramur maius esse, quàm pro nostrarum virium modulo, ita vt vel vix illud intelligere possimus, vel à nobis eiusmodi aliquid fieri non posse credamus, vel ab altero fieri potuisse vix putemus: sunt enim quæ non rei ipsius, sed adiuncti, vt fortè celeritatis causa miramur.

Ceterùm cùm vbique pro re nata, admirationem concitare consultum sit, quædam tamẽ huic maximè sunt apta: Primò quidem infinitæ Dei summi, semperq; quantumcumque intellexeris inexhaustæ perfectiones, bonitas, sapiẽtia, iustitia, prouidentia, potentia, & reliquæ. Secundò, Dei Domini ac Redemtoris nostri Iesu Christi bonitas, amor, maiestas, incarnationis, natiuitatis, vitæ, & actionum omnium, passionis, resurrectionis, gloriæ, omniumq; quæ ad ipsum spectant contemplatio. Tertiò, beatissimæ Matris & amabilissimæ Virginis Mariæ priuilegia, perfectio & gloria. Quartò, sanctorum Angelorum fida custodia, & in homines multiplex cura, naturæque perfectio. Quintò, Sanctorum nobilissima, in carne fragili, de truculentissimo hoste trophæa reportata. Sextò, totius huius mundi, rerumque inter se apta connexio, ordinata conuersio, perpetuaque serie continuata conseruatio. Hinc etiam in rebus singulis in suos fines omnia conuenientissimè digesta mirêris, aër vt spiretur, aqua vt fluat, lapides vt subsidant, asinus vt oneribus, bos vt laboribus, equus vt cursui inseruiat. Sed & pulcritudo rerum è conuenientia plurium, & actionum decorum, ex harmoniæ miro quodam modo prouenit: itaque

& conuenientiam rerum & decorum miramur obseruatum. Septimò, in rebus ijs quæ ab hominibus fiunt, consilia, solertia, rationes cur hoc potiùs quàm illud adhibitum sit, quàm inexpectatò, quàm directò, vel etiam ex obliquo ad finem aptatum sit. Octauò, virtutum, vitiorum, ceterarumque vel habilitatum, vel debilitatum, profectuum defectuumque modum, copiam, facilitatem, variasque circumstantias miramur. Sunt denique, quos non mediocriter miramur, inopinati rerum exitus, & inter sese pugnantium, in vnum denique consonans conspiransque concordia, vt quòd humilitas gloriam, tristitia lætitiam, prolapsio deiectioque constantiam, honorem infamia, mors ipsa vitam parit.

Iam verò quoties se alijs affectibus iungit admiratio, eos non paruis incrementis auget, vehementerque confirmat, vt amorem, desiderium, odium, detestationem: cùm autem ijs in rebus versatur quæ à nobis possunt effici, si non languemus animo, ardentiùs inflammamur, & ad imitanda quæ stupemus incendimur.

Solet autem exclamationem sibi comitem adiungere, quæ non est nisi quidã sensum suum sibi obijciendi modus, ad maiorem excitationem cõparatus, cuiusmodi est & interrogatio. Has autem frequenter vsurpare, maximeq; in initijs, & nondum feruore concepto expedit, vt sic detenta & excitata mens, non tantopere alienis cogitationibus incurserur: etenim in eiusdem rei cogitatione, nõ æquè tamẽ afficior, si menti obijcio, Magnus est & bonus Deus: atq; si hoc modo, O quàm magnus, quàm bonus est Deus! vel, Nónne bonus, nónne magnus est Deus? Nec verò in solis verbis, sed in eo quod per verba sentitur, est ea ista varietas. Verùm non est hoc tantummodo quando miramur, sed in omni quæ obuersetur cogitatione seruandum; eam enim vel planè, negando, aut affirmando; vel figuratè, exclamando vel interrogando efformare possum.

Actio gratiarum ad gratitudinem spectat, agnoscitque quanta, quàm multa, quàm præclara, in nos, & vilissimos, & immeritos, imò mala multa meritos, diuina sint beneficia. Hinc autem in diuinas laudes, tum nobis ipsis erumpendum est, tum alij quoque, imò & quidquid vspiam rerum est, excitandi ad eius laudationem sunt, inde verò nos & nostra omnia in ipsius honorem offerimus: ex quo frequenter oritur vt in resignationem prolabamur.

Resignatio, vt vocãt, seu quasi traditio, & sui suarumq; rerum omnium in voluntatem diuinam cessio, affectus est & voluntas sæpè frequentanda, homine dignissima Deoq; gratissima; per hãc enim, omnem nostri à nobis curam abiicimus, Deique Domini nostri prouidentiæ acquiescentes, & bonitate confisi, nec optamus prospera, nec aduersa formidamus, vitæ & mortis, temporis, æternitatisque securi, id in votis habemus vnũ, vt sancta eius voluntas, & sancta decreta fiant. Quare in hac vna voluntate, multarum pariter virtutum vim conglobari necesse est; quippe hîc videas omnino obnoxiè summitti animos, & obedientissimè ad quæcumque maxima, durissima, diuturnissima, sine detrectatione, nullaque

que obmurmuratione esse promtissimos, sui ipsius & rerū quantumuis dilectarum amorem ablegari, Deum vnum præcipua & singulari caritate eousq; diligi, vt præ illius vna volūtate, quidquid ceterorū est floccipendas, ideoque tantum etiā de ipsius diuina bonitate speres, certus vt sis nihil tibi abs eo euenturum vnquam, quod nō sit in maius tuum bonū commodumq; cessurum, si modò (quod & vis & optas) ipsius te voluntati sanctissimæ humillimè subiugare pergis.

Formido tamē diuinorum iudiciorum sæpè vtiliter menti nostræ adhibetur exterrēdæ, vt se ipsa accuratiùs excutiat, & intra humilitatis modum contineat, propter seueritatem iudicij in quo latebit nihil, nihil etiam minutissimum multum abibit, in quo de omissis quoque ratio exigetur, & ab illo exigetur cuius maiestas ferri vix poterit, potestati verò num quā in æternum subducere te poteris. Sed & alio intellectu dicuntur pauenda diuina iudicia, hoc est consilia, & casuum plurimorum, maximeq; gratiarum, ac internarum motionum dispēsatio, cuius maxima cùm sit varietas, & occultissima ratio, hæremus, admiramur, ac subinde horrore vehementi concutimur, vt in sanctissimo viro Bernardo hom. 23. in Cant. legere est. Itaque ex D. Gregorij consilio & verbis, *superna consilia de aliorum vocatione, aliorū verò repulsione temerè discutere nō præsumamus, iniustum esse non posse scientes, quod placuit iusto. Consilium*, quod ait D. August. *Deo tribuimus, nobis obedientiam tenemus.* Est autē in his multæ mirationis, cum spe & timore occasio, præclarissimæ & nobilissimæ resignationi, & humanorum iudiciorum refutationi cōiuncta, dum iuxta Saluianum contemplamur, *nequaquam iniustum posse dici, in quo diuinum esse iudiciū non possumus denegare, quia summa iustitia est voluntas Dei: neque ideo iniustum est quod diuinitas agit, quia capere vim diuinæ iustitiæ homo non valet. Sicut enim plus est Deus quàm omnis humana ratio, sic plus videri nobis debet quàm ratio, quòd à Deo cuncta agi cognoscimus.* Mentisque nostræ aciem in eo sancti Apostoli figimus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Ceterùm hæc omnia timoris, & variè mixta esse satis clarum est.

23. Moral. c. 13. vel 18. Ep. 49. q. 2. Lib. 1. de prouid. & l. 3. Rom. 11.

Detestatio peccati nominatim quoque ac frequentiùs adhibenda est, & ex illa nostri quoque, & concupiscentiæ nostræ odium deriuandum, indeque pœnitentiæ amor, & suscipiendarum corporis afflictationum desiderium incitandum. Sed hæc vel odij, vel amoris, vel iræ sunt.

Commiseratio, quam significantiùs nostri compassionem vocant, non aliud est quàm doloris sensus ex alieno malo quasi si noster esset, perceptus: tantoque laudabilior est, quanto iustiore ratione suscipitur. quod qua ratione fiat, docent quicumque de Iesu Christi Domini nostri passione meditanda scribunt: possuntque nullo negotio ad Sanctorum labores expendendos traduci: perpendendo, quis ille qui tot aduersis exercetur? tot dura perpetitur? Et, quæ illa, quantaque sunt? A quibus illa? à Deo amicissimo, à se, ab aliis, &c. Cur, quo fructu, quomodo? Quæ semel animaduersa facilè

lè obseruantur, & ad nostros vsus, nostri per singula comparatione deducuntur.

Abnegatio propriæ voluntatis, est resignationis modus quidam, adiuncto quodam quasi odio, eius in voluntate nostra proprietatis, quæ illam à Deo separat & abducit: vnde fit vt à nobis ipsis quodãmodo alieni esse cupiamus, Deoque, summo Domino nostro nos totos mancipio dare: itaque propensionibus desiderijsque nostris obsistimus, neque maiorum tantùm, sed & æqualium, & minorum desideria nostris præferre gaudemus: sed & vbicumque possumus, cupiditates quas nõ explere sine peccato licet, sedulò vigilanterq; comprimimus.

Desiderio mortificationis permouemur Primò ad abneganda, & à nobis remouenda quæ sensui grata sunt, etiamsi sint licita, vt in cantu, sermone, aspectu, somno, cibo, potu. Secundò, ad ea exercenda, vel vsurpanda quæ ad sensum molesta sunt, vt ieiunia, disciplinæ, cilicia, humicubationes, & eiusmodi. Tertiò, ad ea exoptanda, alacriterque subeunda quæ honoris cupiditati repugnant, vel animi quietem interturbant, vt tentationes, res aduersæ, iniuriæ, contumeliæ, infamia, calumnia. Oritur autem mortificationis desiderium ab exemplo Sanctorum, ex amore virtutis, desiderióque subijciendi omnia rationi, cui cum repugnent sensus, & nimia honoris appetentia, hinc odium in hos, & conatus eos mortificandi, hoc est impetum eorum sic infringendi, vt ne rebellare rationi valeant.

Contemtus rerum omnium huius vitæ, à temporarijs & perituris ad æterna, in cælum, in Deum vniuersum amorem transfert, cum quodam infimorũ odio.

Imitatio sanè non est nisi exprimendarum in seipso virtutum, quas in alio animaduertimus, desiderium. De qua latiùs libro sequenti.

Desiderium perfectionis non est in sola virtute quouis modo comparanda, sed etiam quod in quauis virtute celsissimum est ambit.

Non est etiam nisi certæ rei desideratio, quæ cælestium rerum desiderium, & gloriæ cælestis passim commendatur.

Zelus verò siue animarum, siue honoris diuini, incitat ad multa, ad árdua, illorum causa subeunda, indignationem in ea quæ officiunt commouet, industriam suam omnem, ipsamque adeò vitam in tam frúctuosa procuratione optat ponere. Vnde videas non esse nisi quemdam Dei & propter Deum animarum amorem delicatum, qui nihil quàm minimùm aduersans ferat, seque & sua omnia eiusmodi dilectioni posthabeat.

Hæc fermè sunt quæ nobis expeditiùs, & propè semper præstò esse debent, vt quotis ad meditandum obiecto argumento, in eam affectuum seu motionum varietatem voluntatem nostram flectere ac versare valeamus; quam in rem non inutilem, Deo dante, synopsin extremo huic tractatui subiungam.

CA-

CAPVT XIV.

De conseruando, & in oratione augendo affectu.

HVius ipsius rei magister nullus melior quàm affectus: vbi enim concitatior eruperit, tum sibi ad cetera viam faciet, quamdamq; quasi facũdiam animo inseret, & in omnẽ se formam vertet. Quod vt verum est quando dominatur, & radices egit, aut naturæ obsecũdat, ita vbi infirmior, nutãtior, aut naturæ aduersus est, confirmatione indiget, nec tantùm nihil celeriùs arescit lacryma, sed & nihil citiùs euanescit affectu, quem vt subitanea cogitatio exprimit, ita quæuis ad alia conuersio extinguit. Est igitur & conseruandus, & in ipsa meditatione (de quo solo tempore agimus) etiam augendus ac firmandus.

Quod vt fiat, est quam diximus affectuũ natura & origo cognoscenda, vt cõuenienter eos quasi nutricari possis, & cùm in meditando aliquẽ extuderis, caue ne præteruoles, at subsiste, inhære, & in eo diutiùs perseuera, vt mox dico, si priùs præmonuero, duo quædã esse affectuum genera, primum lene, & non altiùs penetrans ad vitia expugnãda, vel virtutes inserendas, at solùm benè ad pietatem afficiens, & quadam suauitate demulcens, ita vt iucũdum sit huiusmodi mysterium pium cogitatione versare. Alterum est acutum, efficax, vrgens, quod acriori impulsu ad Sanctorum, vel Christi Domini, vel perfectionis ardorem, aut vitiorum vanitatisque contemtum impellit. Illis igitur, vt se occasio dederit, vtendum, fruendum; at his incitandis gnauiter est & operosiùs adlaborandum, & hoc si commodè præstetur, non exiguam meditanti iucunditatem parit.

Incitantur ergo affectus, tum iisdem quibus excitantur causis, iterum accuratiùs & clariùs expensis, tum verò tarditatis cunctationisque depulsione, atque admotione desiderij. Tarditas verò exoritur, vel ex laborum aut periculorum formidine; vel ex eo quòd bonum parum amandũ, malum parùm putatur extimescendum; vel ex cõsuetudine pigritiæ, vel ex naturæ tarditate, vel defectu virium, quæ creduntur impares affectui. Quare his morbis medicina facienda, admouendo contraria: laborũ & periculorum formido depellenda est, grauiorum laborum, certissimorumque & æternorũ periculorũ formidine veriùs & certiùs intentata: indeq; ad spem gratiæ omnia faciliora facientis, ad benè agentis animi iucundissimã lætitiam, ad Sanctorum exempla, æternam gloriam, Christi Domini Deiq; nostri imitationem & amorem adeò mens erigenda, vt iam & suauis euadat tot præsidijs, præmijs, illecebris, amore, conditus labor, & pericula, quorum non potest nisi beatus esse exitus, expetantur, non secùs ac probandæ, Deoque ostentandæ virtutis occasio. Boni verò & mali momentum vt perfectiùs efficaciusque cognoscamus, faciunt ea quæ de virtute & peccato diximus. Consuetudo autem pigritandi, & naturæ tar-

tarditas, diuinæ seueritatis terrore exstimulandæ sunt, & meliore violentaque consuetudine euincendæ, nec à sui continua incitatione cessandum. Iam verò defectus virium, vel earum esse creditur, quæ ad rem efficiendam sunt corpori necessariæ, quæ vbi deesse noscuntur, imprudentis sit id velle; vel earũ quę forti voluntati adesse debent, vt perseueret, & referat, tum de se ipsa, tum de vaferrimo hoste dæmone victoriam. sed de his nulla debet admitti hæsitatio: quis sperauit in Deo & confusus est? spera, & fortitudinem mutabis. hîc omnia quæ spem fouẽt, sunt ad nostros vsus aduocanda, in primis oratio, imploratio, preces ardentissimæ, his enim humilitati adiunctis Dei fauor impetratur. Quamquam, hoc præsidio & iis quæ mox adiungo vehementer firmatur, & ad omnia quæ diximus excitatur humana mens.

Quippe quod passim in rebus omnibus accidere videmus, vt eadẽ omnino res in sensum illatæ, variè admodũ moueant, si variè inferuntur; idem homo ad alacritatem expictus, alacres facit, qui tristitiam cieret, si ad luctum componeretur; lentos facit quod lentè incidit, quod excitatè excitatos: idem quoque animi nostri cogitatis, & inter meditãdum euenit, vnum idemque argumentum animo nostro propositum, si viuidè, si excitatè, copiosè, & ad motum tracterur aptè, leniter & gratè mentem diu detinet, quod ipsum si lentiùs remissiusq; reuoluatur, tædium & nauseam primo appulsu pariet. Est igitur obseruandum, & animosiùs cõstanterque prestandum, vt à primo meditationis ingressu, quodam concitatiore modo in rem ipsam alacriùs eamus: conducent frequentatæ apostrophæ, exclamationes, interrogationes, obiurgationes, reprehensiones, epanorthóses seu correctiones, sui cum alijs comparationes, sui pertentationes, colloquia cum Deo, Sanctis, Angelis, aut etiam secum, aut cum alijs personis, cũ ipsis quoque creaturis, perturbationibus, virtutibus, vitijs, cælo, terra, locis, domo, temporibus, spectatoribus, euentis & adiunctis: possuntq; hæc ad res singulas, ad omnẽ ratiocinationem, omnẽ affectum variè permisceri, ad quod si animum aduerterimus, mira copia, & magna meditando iucunditas patebit. Sed huius nostri præcepti proferamus exemplum quod semel assumtum est.

Possum menti meæ meditaturus obijcere, Mendicat Ignatius: at lentũ & obtusum hoc est, itaq; copiosiùs & acriùs, meos mihi cogitatus, in eã, quã sequentia verba exprimũt, formã effingam, Itáne verò, túne, Ignati, tu Pater amantissime, tu vir nobilissime, (sed hîc recurrendum ad ea quæ de memoria diximus) tu cui omnia ad honores, ad cõmoda suppetũt abundè, tu vir excelsissimi animi, ad magna nate, tu ad mendiculorũ turpiculam, abiectam, probrosam, boni & honesti indigam te vitã deijcias? Vos ego Loioleæ familiæ proceres & summates euoco, volq; maximè qui hunc nobis genuistis parentes, videte, spectate, quò vestra vobis familia reciderit, en ille in quẽ inclinata recumbebat, mendicabulum factus est. Scilicet, ò Ignati, hoc educationi, hoc expectationi parentũ refers? & hoc in eorum oculis, in excelsorum ingeniorum altrice audes Hispania? & ista audes

audes tempore quo minimè debuisti? longo rerũ successu ferociens, & succenturiato sibi hæretico audacior Turca ceruicibus imminet, assurgenti Hispaniæ insidiantur Reges æmuli, bella instant, hæresis grassatur, Ecclesia proscinditur, milite est opus, & generoso, & Catholico, & plurimo, ac maximè Hispano, qui tot periculis fortiter obuius eat, qui bacchantem coërceat errorem: an te inuasit ignauia, vel delusit error, abiectis vt armis, matris Ecclesiæ gemitus non audias, otiosus mendicos inter delitescens? ad arma, bone miles, ad arma, & milita militiam gloriosam.

Hîc verò quasi responsum expectans, hærebo paulisper, eum q; amicè grauiterq; respondentem audiam: Ita verò existimas, ô fili: qui de terra est, terrena loquitur; qui de cælo, cælestia; qui in carne seminat, de carne & metet corruptionẽ; qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. non sic nos, vt tu loqueris, diuina in schola eruditi sumus; arma nostra spiritualia sunt, & si quẽ aliquando secundùm carnem nouimus, at iam non nouimus: non mihi familiarũ decora, non gloriosa stemmata, non ambitiosos titulos instaurandos, docuit exemplo suo meus Iesus. potuisset ille, & suo proprio iure potuisset, Dauidicæ stirpi diadema regium asserere, Iudaici populi contra iniustos oppressores libertatem vendicare, legiones angelorũ innumeras sub vexillis habere, totoque mundo triũphato, se deniq; splendore & gloria coruscantem attonitis mortalibus adorandum præbere: sed eos humanæ gloriolæ & ambitionis tumores, æterna Dei Sapientia improbauit; dura, vilia, cõtemta, probrosa, hãc ipsam quam imperitè insectaris paupertatẽ & mendicitatem elegit: orbemq; non ferro, sed ligno domuit. Imperatoribus & regibus bellorũ cura cõmissa est, nec Ecclesiæ Deus deerit, si filijs eius probitas morũ non desit. Nos verò quod perfectum est sequamur, imitatores Christi simus, qui propter nos egenus & infirmus factus est, qui ad tollẽdum onus suum quia leue est, adsubeundũ iugum quoniã suaue est, nos inuitat, nec est eo dignus qui non tollit crucem suam, & sequitur illum; qui non renunciat omnibus quæ possidet, qui cognationi non valedixit, qui adhuc gloriã quæ ab hominibus est quærit, non potest eius esse discipulus. Has ego voces eius aure sitiente bibi, has auidè excepi, & ecce pereuntiũ rerũ amorem omnem de corde meo, opitulante Iesu, penitus exterli, iamque totus meus amor, meũ desideriũ, gloria mea, ambitio mea, mea solicitudo est Iesus, Iesus solus, in quo solo sunt omnia; & mihi sunt illius omnia, si, quæ in solis meis nominibus sunt, illi relinquo omnia. ô paupertatẽ meã, eius diuitijs diuitem! ô angustias, eius consolatione laxatas! ô contemtum, eius imitatione, omni regum existimationi præferendum! Veritatem & suauitatem horum, ô fili, si caperes, quàm alia loquereris? animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus.

Hîc ego verecundus & ad palinodiam ex animo comparatus respondebo, Verè, S. Pater, non satis percipio quæ sunt spiritus, sed peto facias vt percipiam: insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederẽt; idcirco ipse me repre-

hendo: tua quinetiam sequi vestigia exopto: contemtus, pauper, rerũ omnium indigus, exemplo tuo, Dei mei amore perpetuò degam. Cognationis, consanguinitatis, patriæ, eorum omnium quæ carnem, quæ mundum olent, æterna me capiet obliuio. Quidni sequar, quò Deus vocat? quò S. Pater præit? quò, ad æterna natos, æterna nos incitant? ergo quod inspirasti bone Iesu foue desiderium, pauperem pauper sequor, cruces, ignominias, asperrima omnia Dei mei causa subire amabo, id mihi erit gratius quod in speciem durius, id optabilius quod acerbius, id gloriosius quod ignominiosius videbitur.

Esset, in eiusdem quasi præsentis personæ dialogismo, facile perseuerare, quasi audiendo, eundem iterum Patrem loquentem, Fortia sanè loqueris, &c. Sed ad maiorẽ varietatis demonstrationem, eodẽ argumento seruato, mutare licet formam, vt homo seipsum animúmue suum alloquatur, ipseque suis desiderijs fabra subijciat. Etenim non prophetarum tantùm sed & piè meditantis est, varia complecti tempora, præterita recensere, ac mox ad præsentia, mox ad futura se vertere, varias personas induere, dumque aliquam induit, vel subitò ponere, vel aliqua loqui mixta, partim suæ, partim alienæ personæ conuenientia. Itaque hic ita ipse sibi loqui potest:

Fortia sanè loqueris, anime mi, & quæ naturã originemq; tuam cælo ductam deceant: à Deo, ad Deum factus, Deum quæris, & cùm semper sis victurus, mox peritura cõtemnis, & sanè sapis: sed quamdiu, sed quàm fortiter, & quò vsque in hac tua tibi similis voluntate perstabis? multiformes vertumnos tuos expertus sæpè, quid sperabo? tussicula molestior incurrat, ad blandiora respectabis: paululũ si esurieris, vertigine cerebrum laborare credes, maiora impediri bona, orationem, & id quidquid mente perficitur hærere clamabis, ergo non ad cibum tantùm, sed ad delicatiorem quoque confugies. Te duriùs qui tibi præst alloquatur, quid dico duriùs alloquatur, tãtummodo non alloquatur, negotijs honoratioribus nõ implicet, delitescere inglorium & ignotum sinat, quid hîc facies? quam animo amaritiem recondes? id nempe vel inuidia, vel auersione mẽtis, vel sinistra de te præcepta opinione fieri, non autem tua vilitate dignum esse, tute tibi persuadebis. Quid enim opus est grauiora proferre? túne vt quasi re malè gesta, officio aliquo abire iubearis, & æquo feras animo? vt cuius muneris curã geris, & dum curam geris, inspector & censor, iunior, & imperitior sit alius, istudq; æquo feras animo? æquo etiam feras animo, vt innoxio & immeréti tibi, quasi communis perturbatori pacis, quasi grauium peccatorũ reo, graues, diuturnæ, sæpè repetitæ pœnæ iniungantur? cumq; & iiunctæ, & patienter toleratæ fuerint, vt mordaciter & crebrò tibi regeratur quasi reus verè & semper habearis? tu, id feras? quî credam? nónne nuper eodem quoque æstu rapiebaris, & ecce meministin'? quàm ad minimũ cuiusdam verbulũ, quo tua de te tentari videbatur opiniuncula, quàm protinus in flammas totus abijsti? totus in iras exarsisti? pari nempe facilitate concidunt, quæ properata celeritate gignuntur.

Et

Et quanto tibi meliùs foret si vulgari mediocritatis limite te cõërcens; pauca bona velles & faceres, quàm ista magna & multa volens, inanibus te, & propè solis votis pasceres?

Certè (respondet animus) dum tu meã mihi mollitiem exprobras, & quam nimis in me regnare suspiro, inconstantiam obiectas, non inuitus audio, primũque hãc patientiæ desideratæ gradum facio: at verò, vt me à sanctioribus & perfectioribus, quasi virium modũ excedentibus deterritum & abstractum, ad vulgaria & imperfectiora traducas, hoc nõ feram. Illectricis & fraudulentæ decepticis, carnis agnosco decipulam. Itáne verò? sæpè inconstans, impatiens, ambitiosus, cõmodorum amans exstiti: ergo semper idem existam? imò propterea nõ existam: imbecilles fuere conatus? maioribus incũbam: si cecidero, acrior insurgam; si loco cessero, animosior inuadam, perstabo, vrgebo, beatumq; me credã, si ad præclara nitentem extrema dies deprehendet. Itáne Beate & dulcissime Pater, carnem meam audiam & sequar? te non audiam, te non sequar? durè, contemtè, neglectè viuas: ego delicatè, gloriosè, curiosè viuam? ô Iesu sancte, tot tuis, tot huius sancti tui militis exemplis si non emollior, si tot alia à te incitamenta & allectamenta in irritum abire sino, quid me fiet? quæ tua iudicia, quæ in æternum probra, quas expectare par est ignominias? Sed humilitatem, & repulsas non feram: imò feram, & libens feram, ne à cælesti aliquando gloria repellar. Non perseuerabo, fatiscam, retro cedam: non cedam, non fatiscam, sed contrà audentior ibo. At quomodo, quibusque præsidijs? subitóne ex imbelli bellicosus, audax è timido, è fugaci inuictus euadam? quis id credat? credam tamen, & in Domino non in me virtutem faciam. Dominus est virtutum, virtutes amplificat, vitia expugnat, pauperum est defensor, infirmorum propugnator; si mecum fuerit, in eo vincam, cadent à latere meo mille, & decem millia à dextris meis. Ergo ex hoc nunc ite, procul ite mea commoda, deliciæ omnes, diuitiæ, honores, voluptates & blanditiæ: vobis res vestras habetote, extremũ vobis remitto nuncium. Veni mendicitas, veni paupertas, veni contemtus, quidquid asperum, durum, probrosum est venito: vos mihi pro delicijs, pro diuitijs in posterum eritis. Scio tamen, à consuetis recedere arduum est; quodq; à teneris longa dies insculpsit, non facilè obliteratur: certè hîc teneor, hîc me nodus malè angit. Sed quid extimesco? adiutorium meum in nomine Domini, laqueus disrumpetur, & liberabitur anima mea. sed quis disrumpet? quis consuetudinis obicem, quasi grandem lapidem, à virtutis ostio, vt ingressus pateat, reuoluet? quis meliùs, quàm amabilissimus & iucundissimæ recordationis Angelus bonus? certè non est qui in me plus potestatis exerceat: te ergo supplex inuoco sancte Angele, custos fidissime, tibi me committo: in me depraua corrige; inueterata mala euelle; debilitata bona confirma; superbiæ, tumoris, commodorum appetentiam comprime; illaqueatrices vel carnis vel dæmonis insidias longiùs amolire; quæ paupertatis amorẽ retardarent, exterrerẽt, extingue-

rent, procul amoueto; quæcumq; verò illum incitabunt, animabunt, inflammabunt, hæc penitiùs & persuasibiliùs admoueto. ô vos angeli, quàm sæpè nos mortales admiramini talibus quisquilijs detineri, & præ caducis ad cælestia non satis aspirare! ecce me videtis luctantem & eluctantem vt mendicitatem sequar, & subsannatis, & exprobratis: Tu non audes, quod & ausus est & perfecit Ignatius! tibiq; blandiendo cogitas, An tantus ego sum, tantum quantum ille vt audeam? sed si tantus non es, cur non ergo minor es, cur non pauperior es, cur non contemtior? certè ita congruit. At, inquis, multum se ipse superauit, in me ipsum tanta non possum. Videlicet, neque tanta exigo, inquit Angelus, cùm enim non tantos, quantos ille, geras animos, tuos tantùm est necesse superare. sed vt ad hoc non veniam, tibi, tibi inquam, quidni indat animos sic visus Ignatius? nec virtutem quæ tum inerat, sed vnde inerat, cogita: altiùs repete, & pares estis: annon è nihilo eductus, è peccato originis mundatus, ad sanctiora è vanitate traductus est? annon primordia, non à virtute, sed ab infirmitate cœpere? quis verò cœpisse, quis processisse dedit, nisi Deus? Deus, qui bonus est in omnes, cui si cor non occluseris, diffundet in illud dona sua, per sanctum suum Spiritum: tunc autem miraberis, & lætaberis, viamq; perfectionis transuolabis potiùs quàm percurres. Profectò, respondet animus, dum ita blanditer loqueris, alacritate subsilio, fiducia erigor; sed audi quæso, mi bone Angele, nónne audio Beato nostro Patri id priuilegij à sanctissima Dei matre obtigisse, vt profanas & impuras omnes sæculi imagines ex eius mente in perpetuum semel absterserit? eadem sperare qui nec possum, nec debeo, eadem audere quomodo prudenter potero? Sed contrà Angelus: Benè se res habet; omnino, huc te deductum volebam: ad tribunal misericordiæ si venitur, impetrata sunt omnia: eandem impetrabis gratiam, præsidium idem, quod etsi non æquè sentietur, non minùs tamen ad extremum vsque valiturum est. Sed

Nimis in longum ibit scriptio, si porrò pergo, itaque indicabo quid addi possit, nempe cùm huc ventum fuerit, tum Angelo comite adiri potest Reginæ cælorum thronus, illiq; magna veneratione adstari, cum pudore, verecundia, excusatione, potest audiri Angelus illam pro me interpellans, tamquàm leniter ad me cõuersa animos faciat, quid postulem exponi iubeat: tum verò amorem paupertatis ab ea petam, nõ esse cur neget, cùm paupertate nil sit opus in cælis, &c. esse quæ me deterrent, quæ postquam narrauero, auxilium, consilium, vires petam super his: eamq; tum per eius, tum per filij cùm in terris degerent, paupertatem obtestabor, vt eam mihi gratiam donet. Benignè respondebit, commendabit mihi paupertatem, ea me fore ipsi gratissimum, sed à filio id impetrandum. Instabo, vrgebo, posse illam, nihil ei negari à filio, ac denique ipsa suam promittet operam, ducet ad filium

Gratias agã, matre duce & angelo comite medius, ac paululũ subsequens adibo,

bo, eius me patrocinio protegã, audiam pro me deprecãtem, eiq́ue benignè loquentẽ Filiũ: quem interim cõtemplabor, eius amore inflammabor, miraborq́; tantam maiestatẽ tam aliquando pauperẽ exstitisse, hinc prorumpam in laudem paupertatis quam olim subiuit, ac exinde in mei accusationem, deprecationem, postulationem veniæ & gratiæ: terrebit mea indignitas, peccata reclamabunt, at summa clementissimi Domini bonitas auxilio erit, confugiam ad eius merita, ad vulnera, inde quidquid mihi desit supplebo, ibi totus habitabo: hîc verarum, sancteq́ue optabilium diuitiarum mihi effodiam thesaurum.

Quo ditatus, & animam nouo ornatu instructus, non verebor vel sancti Spiritus ditiora dona, hoc tãto pretio emenda postulare: vel summũ Patrem, vel SS. Trinitatem pro eiusdem gratiæ impetratione humiliter interpellare. Erunt autem magna humilitate adeundi, nec nisi præeunte semper & adstante matre optima Maria, securitatem quoque per merita sua præstante Domino nostro Iesu Christo. Apud illos verò adstet animus omnem planè creaturam exutus, omni imperfecto affectui renuncians, & quocumque diuinæ maiestati placuerit ad omnia paratus; hoc semper adesse debet, tum verò copiosa, amica, reuerente mentis contentione pergendum, insistendum, consilium, auxilium petendum, vt in Soliloquijs & Meditationibus D. Augustini, & nonnullis S. Bonauenturæ, maximè in Stimulo diuini amoris, videre est.

Sed animaduertendum hac ratione vtendo, illustrari, & plurimùm excitari nostrum in meditatione animum his colloquiis, id est dum cogitationes nostras sic efformamus, ac si personam, vel ad instar personæ rem aliquam alloqueremur. Quod vt distinctiùs obseruemus, animaduertenda quam nobis aliquando Nouitijs R. P. Ioannes Bargius tradidit, doctrina: duo nempe colloquiorum esse genera. Primum est eorũ in quibus variè exercetur intellectus per ratiocinationẽ, quæ tamen, vt iam antè notauimus, non plana sit & æquabilis; veluti si sibi ipsa dicat, Humilis esse debes cùm Deus & Sancti sint humiles: sed quę in apostrophas & allocutiones varias assurgat, iis ipsis vtendo argumentis, exclamationibus, obiurgationibus, comminationibus, promissis, vt, Annon te humilem esse decet, cùm Sanctos, cùm Deum videas humilem? ô cælum, ô terra, vidistis & obstupuistis Deum humilem, & peccatorem superbum feretis? quid me misero fiet, si à superbia non recessero? ad te, Beate Pater, humillimum parentem, superbus filius, quî confugiam? ô angeli, nobilissimi sed & humillimi spiritus, hoc cadauer superbia turgens, quàm execramini? Sic ad res plurimas vt se dederit occasio, nos conuertere sæpenumerò possumus. Estq́ue hoc colloquiorum genere, tota meditatio inspergenda, curandumq́ue, si fieri potest, vt sic continua decurrat, quemadmodum paulò antè de mendicante Ignatio descriptum est.

Alterum verò genus, quod ad præcipuarũ partiũ, vel totius tãtùm meditationis finẽ claudendum adhiberi debet, est in quo iam inflammata voluntas quasi

igneſcit, in Deum fertur, geſtitque & ardet ſanctè concupita explere, & ad hoc gratiam à Deo ſuo poſtulat, varieque illi adſtat vt ſerua, vt amica, vt rea, vt ſponſa, vt timens, vt ſperans, vt audens, apud Dominum, amicum, iudicē, ſponſum, terrentem, allicientem, roborantem, multiſque modis alijs quibus aptè cogitationis verba affectuſque conformat, ſe acculat, deprecatur, obteſtatur, erubeſcit, implorat, promittit, poſtulat, ſpondet, id agit denique quod magiſtra docet pietas. Tria tamen ſunt potiſſima quæ ſemper poſtulat, lumen, vt ſe ſuumque imperfectum, ſed & quid ſit perfectum cognoſcat; conſilium, vt qua viâ deprehendi & euitari malum, tum bonum acquiri debeat intelligat; auxilium, vt nullis illecta blanditiis, fortiter quod agnouit malum fugiat, bonum verò ſequatur. Vbi verò non de rebus agēdis, ſed agitur de perfectione contemplandâ, tum fermè horum colloquiorum vis omnis in admirationē, vel obſtupeſcentis amoris intuitum deſinit. Huius autē poſtremi colloquiorum generis exēplum proximè habes in eis quæ ad B. Virginem, Deumq; poſitæ ſunt cōuerſionibus.

Et hæc quidem nobis copia exoritur de nobis tantùm cogitantibus: at ſanè altera propè tanta profluet, ſi eadem aliorum cauſa præſtare, Sanctos ipſos & Deum illis conciliare nitamur. De quo plura non addam quàm vt referam quæ benè hac de re quadam in epiſtola P. Petrus Faber, *De ijs quæ ad proximum ſpectant*, inquit, *non minùs multa poſſent dici, in quibus Dominus Deus modos mihi & viam dedit, veritates oſtendit & vitas, vt illum cognoſcam, illi de bonis congaudeam, de malis compatiar in Chriſto, illū amem, illum feram, illū patiar, & illi compatiar, pro illo gratias & agam & petam, & veniam ac remiſſionem quæram, & excuſationes inueniam, & cum Deo ac Sanctis eius bona de illo, ac pro illo loquar.* Scilicet vt amicus pro amico, vt pro filio cariſſimo parens apud ſeuerum iudicem omnia pertentaret, ſic ſi pro ceteris apud Deum intercedamus, num quam deeſſe poterit quod proferamus.

Ribad. l. 3. vitæ B. P. c. 11.

Sed ad hæc omnia mirè valet ſimplex quidam animi candor, in rem quaſi nunc præſentem & agendam attendentis, ideoque multa familiariter & amicè interrogantis, curioſè ſciſcitantis, obiectantis, reſponſa audientis, gratulantis, & id omne agentis quod eiuſmodi euentis interuenire potuiſſet. Veluti ſi me fingam videre Ignatium mendicantem, eumque non agnitus agnoſcam, intrò vocem, quis, cuias, quàm benè illi ſit, quàm multa patiatur, vnde in tantam egeſtatem venerit? tum verò varia illi conſilia obijciam, vt aliò ſe transferat, aliud vitæ inſtitutum teneat: cumque in ſingulis attendero quid reſpondeat, tum verò apertè prodam noſſe me quis & qualis ſit, & aliorſum interrogationes conuertam, quid iuuet ita eſſe incognitum, cur ſe tegat, cur non exemplo ceterorum conſulit; tum verò proprijs argumentis oppugnabo, &c.

Sic poſſum effingere ac ſi B. Virgini mox ingreſſæ ſtabulum interuenirem: rogarem vnde veniret, reſponderet, E Nazareth: tū pergerem, ſciſcitando an inde lubens aduenisſet, an non vicini lamentaſſent, cur veniſſet, lutoſáne an commoda via, multóne ſuo labore, quibus colloquijs, quibus ſanctis cogitationibus?

bus? an vno die iter peregisset, vbi pernoctaret? ô felix hospitiolum! cùm in Bethleem venit, qua lætitia, quanto apparatu à tribulibus suis excepta esset? quis animi sensus Iosepho, quis ipsi fuisset? & eiusmodi plura, quæ si decorè, si amplè fiant, leniter & perdiu animum mulcent.

Sunt autem hæc omnia quæ de intellectu voluntateque diximus, ita obseruanda, vt sibi admisceantur, & ex vna consideratione in aliam facilè transeatur, nullo anxiè ordine certo præfixo, sed prout occasio & affectus tulerit, cuius vt multa copia abundet, & non inuita, imò non vocata occurrat vltrò, curandum est, vt eorum quæ diximus, breuis & facilis quædam comprehensio animo imbibatur. Hoc verò assequemur partim frequentata illorum lectione, partim subinde extra meditandi tempora, nobis argumenta varia proponẽdo & laborioſè quærendo, quàm latè, quàm amplè, quibus rationibus, circumstantijs, affectibus, alloquiis tractari posset. In ipsa enim meditatione non est humanæ artifidendum, sed diuina gratia nitendum est, quæ tamen quia nostros conatus exigit, & in mente capaciore splendet latiùs, ideò in hanc tantam tamque vtilem exercitationem, omnis nostra diligentia magno animo conferenda est.

CAPVT XV.

Quomodo ex iis quæ ad Sanctos attinent, in Deum transeatur.

QVia non verè dici potest oratio, nisi in Deum mens nostra sustollatur, & cõsuluimus tamen de Sanctorum gestis & virtutibus esse meditandũ, indicemus paucis quibus maximè modis inde in Deum euolare possimus.

Et quidem ex his ad Iesum Christum Redemtorem nostrum cõuertere mentis oculos possumus, eum spectando. Primò, vt fontem gratiarũ & bonorum omnium, de cuius plenitudine hæc ipsa, qua de agitur, gratia & virtus est hausta. Secundò, vt Doctorem, animam intus docentẽ, sapientiæ suæ radiis illustrãtem, vel vt in Euangelica aliqua sententia id monentem. Tertiò, vt virtutis omnis ac perfectionis omnis, atque adeò huius quæ præmanibus est, exemplar absolutissimum. Quartò, vt defensorem contra insidias carnis, mũdi, dæmonis, cuius nisi malignam vim retunderet, non posset bonum vllum perpetrare, & tentamentis eius homo vllus obsistere. Quintò, vt eum qui suis meritis est Sancto promeritus, vt nunc id bonum vellet, & posset. Sextò, vt eum qui promouet & incitat ad id quod melius & sanctius est. Septimò, vt spectatorem, agonothetam, & mercedem sanctorum operum aliquando futurum, & nunc nostris bonis gaudentem, victoriis gratulantem.

Ita igitur Dominum Deum nostrum Iesum Christum opportunè adire poterimus: si verò non peculiariter eius personã Deum & hominẽ, sed creatorem summum & optimum Deum nostrũ velimus inspectare, siue in hac vnius magni Dei cogitatione hæsuri, siue ad aliquam SS. Trinitatis personam simus adituri, mentem

rem in eum transferre possumus: Primò, iisdem oculis & animis verba, vel gesta Sanctorum spectando, quibus peragebantur: quare cùm à Sancta mente in cælum sublata, & ardore diuinæ caritatis incensa proficiscerentur, in eiusmodi affectum mens cogitantis efformari debet, & sic æstimanda sunt vt quæ in conspectu Dei creatoris ab eum aspicientibus exerceantur. Secundò, eiusmodi bonam actionem, vel virtutis perfectionem in creatura animaduertens, agnoscam nihil esse perfecti nisi à Deo, in quo etiam illud ipsum longè perfectiùs reperire licet: atque hoc pacto singula bona pensanda, vel vt à Deo procedunt, vel vt in eo reperiuntur, vel vt aliquam quæ illi insit perfectionem indicant. Tertiò, iucundum est considerare quanta bonitate, benignitate, prouidentia, & electione mirabili, Sancto eiusmodi adsit Deus, mentem eius insideat, moueat, quaquauersum gubernet, infimamque & indignam creaturã, donis diuinis, & sua adoptione exornet, vt filio suo coheredem, & diuinitatis in æternum participem faciat. Quartò, atque hinc mirabile istud efficitur, vt etiam operi illi mercedem se faciat Deus, & propterea sic spectari debeat. Quintò, non solùm ad ea opera à Deo permotos fuisse Sanctos, sed etiam dum eos permoueret, nostram quoque, quæ hodie secutura tanto pòst erat, excitationem spectauit, & voluit bonus Dominus; cui de tam antiquo amore & beneficio nobis tunc antequam essemus præstito in Sanctis, summas debemus gratias: nũc autem iterum duplicatas, quando re ipsa eorum exemplo nos allicit, eorum facta nostræ menti obiicit, ac denique sua quoque sancta inspiratione nos eauersus impellit. ita vt triplex hîc sit ad eum adspectus, nempe vt de nobis, tum etiam cùm Sanctos ad meliora promoueret, quodammodo sollicitum & prouidentem; vt nunc curantem, vt eis mens nostra tangatur; vt demum suos etiam gratiæ stimulos pro sua bonitate subdentem. Sextò, hinc verò non consentaneum tantùm, sed ipsa necessitate cogente non aliud possumus, quàm vt ad meliora incitati, nostræque inconstantiæ atque imbecillitatis conscij, ad eum supplices accidamus, opem, gratiam, consilium, auxilium postulando, vt eam quam nobis inseruit, de Sanctis imitandis, de nostra perfectione, deadamando & consequendo Deo ardentem voluntatem, rebus æquare, eiusque in nos beneficentiæ non ingratos nos præbere valeamus. Sed hoc eo fit colloquiorum genere de quo priùs.

Ceterùm quæ hoc capite diximus, quo breuiora, eò sensu pleniora sunt, ideoque relegenda sæpiùs, & memoriæ fideliter tradenda, in ipsa verò meditatione frequentiùs vsurpanda sunt, & comperies ex his ipsis iucunditatem copiamque permanare permagnam: in quouis enim præclarè & ex virtute facto, tot modis ad Christum Dominum, totidem, quot diximus, ad Deum transferre mentem potes; idque vel meditatione ratiocinando, vel, quod perfectius & suauius est, contemplatione animi Deum suum leniter intuendo.

CA-

CAPVT XVI.

De materia meditationi præparanaa.

TRaditis vtcumque meditandi potioribus præceptis, pauca dè materiæ præparatione dicamus, ex qua vna meditationis fructus potissimè pendet; minutiora cetera,& passim nota relinquamus.

Id igitur Primò præstandum est, vt pridie vesperi matutinæ meditationis materiam de scripto legas: ita vt probè teneas quid generatim illa complectatur, veluti si meditationis de natiuitate Domini historiam relegam.

Secundò, singula seorsim puncta seu membra legenda sunt, & ad singula subsistendum, & paucis repræsentanda sunt nobis: v.g. leges primum membrum,tum eo lecto, à te ipso scisciteberis,quid hîc?nempe Beatissimæ Virginis à Nazareth & cognatione discedentis lætitia. Inde secundum pariter leges, & colliges in summam, Aduentum in Betleem,& repulsam quam passi sunt. & ita deinceps.

Tertiò denique singula breuiter sibi collecta proponat, hoc modo, meditandum Primò, erit qua lætitia spretis omnibus Deum vtero gestiens in Betleem ad puerperium iuerit Maria;Secundò, mirantibus Angelis, ancilla indignante,Iosepho patiente,Maria læta repulsam à Betleemitis sit passa; Tertiò, quanto gaudio & paupertatis amore speluncam sit ingressa, quanta ibi & quàm admirabilia mysteria sint peracta.

Atque hoc est primum præparantis munus,quo efficitur vt materia parata sit ad nutum, seque promtè offerat. Quo peracto, restat vt sedulò prospicias, quomodo & quantum spiritualis lucri, ex hac tibi proposita auri vena cupias effossum.

Primùm ergo ad singula meditationis membra redeundum,pauloque attentiùs mente considerandum, quid rerum istic agatur, qua res istæ connexione, quo decursu,& circumstantiarum complexu fiant,iuxta id quod in cap. de memoria dictum est. Inde inquirendum est quid iudicij ea de re ferri possit, an fuerit proba, honesta, facilis, vtilis, mirabilis, naturæ virtutiue consentiens, quomodo,quo consilio,quibus animis, quo euentu Sanctis Deóque spectantibus peracta? ceteraq; quæ de intellectu docuimus. Tertiò,in rem nostram quomodo id omne traducēdum sit,obseruare oportet; vt videlicet per ista vel cognitioni sanctæ lumen augeatur, vel pio affectui, diuinoque in animum influxui vis maior addatur:quam in rem notari expediet vbi amor,vbi spes,vbi ceteri affectus opportuniùs excitandi videantur, quando & quomodo vehementiùs roborandi,vbi apostrophis,vbi colloquijs vtendum erit.Suntque hæc sum-

matim,& quasi in capita,quodam mentis intuitu prouidenda, atque vt proximo manè exerceantur & differenda & digerenda.

Matutino verò tempore, numquam omninò in meditationem repentè irrumpas, sed antequam in eam ingrediaris, iterùm in memoriam reuoca eam breuem,quæ dicta est,partium singularum summam, & modi eius notationem, quem in singulis obseruare debes,vt fructum commodè capias. Et quamuis vel tardiùs quàm debueras ad meditandum accedis, vel vrget negotiorum moles, quæ tempus recidit, ne tamen hanc præmeditationem omitte, potiusque tantillum id spatij de meditatione detrahe,aut quasi meditationi datum compura. At verò in ipso meditationis vel exordio,vel præludio pensiculatiùs hærendum, menteque in vnum Deum translata, omnis ea veneratio intendenda, adpectanda diligentia,& adhibenda est cautio de qua cap.6.& 7. dictum est: exinde verò plenis velis,memoria,intellectu,voluntate,in meditationis altum,afflante spiritu ferri oportet.

Sunt autem tum in præparatione,tum in ipso meditationis cursu, distinguendi affectus quidam leniores, qui rebus quodammodo insunt, & quadam quasi suauitate mulcent,ab ijs qui grauiores,expressiores, laboriosiusque sunt quæsiti: leniores & leuiores sunt, qui in rerum probabili decursu existunt, & fermè circumstantijs adhærent,vt tempus,modus,modestia,mansuetudo, amabilitas, quæ singula meditantium animos bene afficiunt, suntque instar colorum, vel ornamentorum,vel emblematum, quibus res tota gratè conuestiatur: quare magni faciendum est,in his bene esse exercitatum: sed in horum tamen singulis non est diuturnior mora texenda, vel laboriosior opera collocanda. At verò in grauiores illos affectus, qui ad solidas virtutes, ad perfectionem, & ad Deum sanctiùs ducunt,totis viribus est incumbendum,atque ad eos, cetera quæ sunt, destinanda sunt omnia: sine transcurrendi sollicitudine,inhærendum, insistendum, idem iteratò & sæpiùs commendandum, & penitus animo insculpendum varijs,vt diximus,apostrophis,obiurgationibus, adhortationibus, imprecationibus,admirationibus,antithesibus, colloquijs; quæ omnia inflammatum bene orandi desiderium excitabit; volentique, gratiam copiosam non denegabit bonus & liberalis Deus.

Cauendum tamen,ne præparatione ita diligenter peracta, videantur animo nostro quasi compedes injici,vt nec celeriùs,nec vltrà,audeat progredi, instarque eorum qui ad dicendum certa sibi argumenta præfixerunt,sic in meditatione anxius,ad præcogitata respectet,tam præuertendi aliqua,quàm omittendi timidus:at,magna cum libertate animi,Deo soli fidendo, est meditatio peragenda, idque spectandum atque perpendendum accuratiùs in quod propensiorem animi sensum ferri sentiemus: fietque non rarò vt quod minùs præuisum fuerat id præ ceteris arrideat magis.

Quamuis autem vel meditandi vsu, vel solita illicò affluere motione, experiamur

riamur sæpiùs, perfacile nobis esse affectu, & vix vlla ratiocinatione sanctis cogitationibus occupari: ita vt pio motu protinùs correptis, vix vlla abundantiore materia sit opus; consultius tamen est, Beati Ludouici Gonzagæ exemplo, sedulò se præparare: sic enim exercetur pietas, humilitas non sibi sed Deo fidens conseruatur, & ad orationem cum ea, quæ Deo debita est, reuerentia acceditur. Astus est, fraudulenterque decipientis dæmonis calliditas, qua nos ab hac præparatione auertit, persuadens, frustra id tempus teri, cùm vna res obiecta sufficiat in totum meditationis tempus, aut cùm sæpè id meditati simus, & materiam de memoria teneamus: meliùs fore si aliud aliquid egerimus: sic facilè cedimus, & malè cedunt omnia: vixq; aliam crebriorem, & ad plures pertinentem causam reperies cur elanguida, otiosa, infructuosa reddatur oratio, quàm quòd ea, quæ deberet, præparatio non adhibetur. Indeque forsan non malè idem docemur, quòd non casu, sed omnia ordinantis Dei consilio factum est, vt linguâ sacrâ, ieiuna quidem illa, & in eloquendo sterili, at fecunda sensibus, eadem dictio קדש quæ sanctificari & sanctum esse significat, eadem quoque significet destinare, segregare, consecrare, ab vsu profano semouere, ad Dei cultum aut vsum seponere, accommodare, certoque ritu præparare: quasi si sanctitatis & præparationis rationes tam insolubili nexu iunctæ cohæreant, vt neutra possit ab altera seiungi, profanusque sit futurus qui animum ad profana profuderit, sanctus verò qui ad sancta sollicitè se comparauit, imò & sanctitatis modum, pro apparatus modo sit consecuturus. quippe nobis cum tam copioso & liberali largitore res est, vt quàm ad accipiendum parati, tam sit ad effundenda maiora dona propensus. Probare possem, sed quid opus est: te ego, quisquis hæc lecturus es, per tuam salutem, per Christi viscera compello, proba tu ipse, periculum fac, te ipsum vince, vim torpori infer, diligenter & constanter ad orationem te compara, & nisi hæc vera compereris, tum verò plani & impostoris mihi crimen impinge.

CAPVT XVII.

De applicatione sensuum.

EX ijs quæ de meditatione dicta sunt, iam nobis expeditius fuerit, ea quæ restant perstringere: isti enim prorsus innituntur, & per illam, ad reliqua summa omnia, facilis patet aditus.

Et quidem applicationem sensuũ nuncupauit B. P. Ignatius, pium quendam modum historica Christi Domini, atq; adeò Sanctorum gesta, mente reuoluendi, inquirendo id quodcumque sensibus excitandis esset aptum, &, vt loquitur, *quinque imaginarios sensus circa ea exercendo*. Ineſt enim phantasiæ, & animo nostro

vis quædam, qua sensuum motiones omnes, & delectationes aut auersiones, ipsa sibi possit effingere, illisque haud multò secùs, quàm præsentibus rangi ac permoueri: quam vim ad hoc orandi genus quando conferimus, quærimus imaginariè videre quidquid de re illa sancta, quam nobis quasi præsentem fingimus, videri potest; audire, quod audiri; olfacere, gustare, quod olfieri & gustari; tangere denique quidquid tangi potest, vt vestimenta, loca, & quidquid decorè effingitur. In quam rem ea sunt apta omnia quæ propriè sensus feriunt, vt lumen & color oculos; soni & voces, aures; odores, odoratum; sapores, gustum; tactum verò feriunt calor, frigus, siccitas, humor, graue, leue. Sensuum quoque sunt figura, magnitudo, motus, quies: distantia, vicinitas, situs, continuum, interruptū, asperum, læue, molle, durum, transparēs, opacum, liquidum, solidum, pulcrum, turpe, simile, dissimile: de quibus vide nostrum Riccium p. 2. tract. 7.

Interdum, sed rariùs, quinque sensuum singulorum exercendorum materiam aptam reperies, vt in meditationibus quæ de incarnatione, natiuitate, nauigationibus, peregrinationibus, & passione Domini sunt: interdum cuidā, vt olfactui, & gustui, sua deerit aptior materia; tum autem & erit in ceteris diutiùs inhærendum, & ratiocinando ad quandam odoris & gustus similitudinem mēs nostra traducēda, *interiore*, quæ B. Patris verba sunt, *gustu & olfactu sentiendo, quanta sit suauitas & dulcedo, diuinitatis, animæ, eiusq; virtutum, ac ceterorum omnium, iuxta rationem personæ quam consideramus.*

In harum autem incorporalium rerum gustu & olfactu, cùm sit perdifficile odorem à sapore secernere, ne in his parum vtiliter distinguendis multum laboretur, B. Pater simul vtrumque coniunxit: atque isto modo passim & vulgò, plures vti conuenit. Nil tamen impedit, quin ex varia horum sensuum functione, distinctam quandam vim delectabilem in rebus eiusmodi discriminare possimus: nam si rectè philosophabimur, odor nobis lene quoddam delectamentum afflat, quod nos nulla naturæ necessitate detinet, nulla grauiore vtilitate afficit, at allicit, at blāditur, & leniſſimè demulcet; gustatus verò, vitæ nostræ, valetudini, & reficiendis viribus est magis necessarius, & quæ per illum percipiuntur, longè acriùs vel obsunt vel prosunt. Iam ergo in diuinitate, in anima sancta, in virtutibus, in persona Iesu Christi Domini nostri, Beatæ Mariæ, & Sanctorum, quædam elucent quæ splendore, amabilitate, modestia, decoro suo, non aliud quàm leniter nos alliciunt, suauique oblectatione perfundunt; hæc ego odoratui comparauero, putemque odorari virtutem, non aliud esse, quàm placida quadam quiete persentiscere, quàm suauis & accepta sit. At verò gustatio virtutis est, cùm in ea fortiores quædam deliciæ sentiuntur, quibus ita mens quodammodo ebriatur, vel virtutis ac sanctitatis contuitu absorbetur, vt suæ infirmitatis oblita nouas vires induere, meliora multa persequi sit parata. hoc profectò sanctè gustare, hoc est, istiusmodi virtute exemploque fulciri, hoc denique nutricatione laudatissima mentem suam æternæ vitæ consecrare. Itaque quod vali-

validius,quod robustius,quod magis vitale est,quod neruos vel virtuti addit, vel vitio incidit, hoc ego ad gustatum cibatúmue referre maluerim: quod verò leniùs,blandiùs,delectabiliùs arridet,atque ad se molliter inuitat, id verò ad odoratum & olfactum propiùs attinere putem. Quæ animaduersio id etiam obiter docet, vt in rebus & tactis cum sanctitate coniunctis, horum vtrumque quæramus, nempe vt ex eis lenis quidam & iucundus personarum aut rerum sanctarum sensus excitetur: atque inde cooriamur vegetiores, perceptæque atque imo animæ nostræ sinu, quasi ventriculo, digestæ, & quodammodo incoctæ sanctitatis succo nos reficiamus, vires instauremus & augeamus, animique vitam beatæ immortalitati nutriamus. Verumtamen si cui, & si quando minùs erit promtum, hoc vtrumque distingui, nihil admodum vrgeo; potest eodem numero id omne censere, satis id fuerit, si se vtiliter exercuerit.

Non est autem huic orandi generi certus aliquis finis,ad aliquam virtutem, piúmue affectum propositus,sed per totam rem aliquam gestam, quasi per amplum quendam & amœnum, varieque consitum hortum vagatur, & sensus animi oblectat, veluti si in horto illo modò fructus rosasque manu carperet, modò naribus admoueret, gustaret poma, gratos lenè fluentium riuulorum susurros audiret, vermiculatos plurimorum florum colores miraretur: eodem nonnumquam momento temporis multigenam varijs sensibus delectationem hauriret, abrumperet nonnumquam, abruptamque reuocaret, reuocatam paulò pòst alijs commutaret, & sic multipliciter alternando grata vicissitudine sensus illuderet. Ita planè nobis hîc agendum est, sit nobis instar areolæ, instar horti & viridarij, sancta ea quam spectamus historia, sit personarum, sit virtutum,rerum,euentuum varia & implexa quædam series, sua non desint diuerbia,motus,expectationes inopinæ & anxiæ:tum verò si probissimè rei gestæ ordinem ac partes omnes tenemus, in eam ingrediamur, serioque vt si sub oculos nostros id perageretur,partes omnes, partiumque singularum circumstantias, tam quæ fuêre, quàm quæ probabili coniectura esse potuere, perscrutemur, curioseque & cupidè singuli sensus quid suum sit à singulis hauriant, tumque re ipsa sentiemus quàm iucundum sit hoc exercitium,& ad maiora nos præparet.

Vult autem Beatus Pater vtilla iucunditas vtilitate condiatur, neque tantopere delectemur alienis,vt nostri memores non simus: itaque præcipit è singulis *vtilitatem nostram elici,omnia in vsum nostrum attrahi, adaptari nobis quæ fructum aliquem afferre possint,vt fiat nobis deuotionis,vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio.* ita ille.

Cetera quæ hac de re desiderari possent petantur è cap. de Memoria, videaturque vt summa & accurata veritatis, probabilitatis & decori ratio habeatur. In ipso verò vsu,variè sensus misceri possunt,vt interdum ab eis quę sunt

visus, interdum ab eis quæ sunt auditus, vel aliorum inchoetur, tum deinceps vno in alium sit frequens transsultus, non alia quàm rerum ita postulantium lege seruata.

CAPVT XVIII.

De contemplatione.

QVid sit contemplatio, & quomodo à meditatione distinguatur, videtur vel solo nomine præferri: quippe contemplari, est attentiùs contueri, & contemplatio quidam est contentior intuitus, qui (quantum ad rem nostram facit) in res diuinas, aut sacras, quasi in conspectu diuinæ maiestatis, ex aliquo sacro fine perdurat, fermeque admiratione atque amore continetur. Ergo contemplantis animus, quasi obtutu in vno defixus hæret, eiusdemque perfectionis ac pulcritudinis ardenti amore absorptus, ab ea non recedit, videt, nec videndo satiatur, & quo penitiùs videt, eo magis ad videndum inardescit! Cùm tamen meditatio ratiocinatione ex vno in aliud feratur, & rebus aut affectibus varijs inquirendis, cum labore inuigilet.

Est autem duplex contemplatio, perfectior vna, altera imperfectior: imperfectior est, quæ mysterium aliquod, vel virtutem, aut personam paulatim partiteq; contemplatur, modò hanc, modò illam partem amore dignam contemplando vel admirando. Quod contemplationis genus, ad applicationem sensuum proximè accedit; quippe velut illa, paulatim ex vno translit in aliud; ab ea verò recedit, quòd applicatio sensuum ea omnia & sola vestiget, quæ sensibus mouendis apta sunt, contemplatio verò his omissis alia præstantiora sectatur, in personas, in res, in honesti, decori, perfecti, rari, admirabilis, occulti, iusti, æterni, & eiusmodi formas intuendas abripitur.

Perfectior verò contemplatio vel tantam varietatem non amplectitur, vel eam totam vno quasi lucis radio collectam comprehensamque speculatur: hoc autem facit, dilatione quadam liberrimè circumquaque diffusæ mentis, multa simul eodem contuitu complectentis. Quod profectò donum Dei singulare est, cor dilatantis, sapientiam donantis, intellectum scripturarum & mysteriorum infundentis; ad quod tamen meditatio frequens & sedula multum conducit, tum vt id prece multa impetrare, mentisque puritate possit capere, tum etiam vt ipsa frequentatione ad Deum accedendi illustratior euadat: etenim non malè moniti sumus, Accedite ad eum, & illuminamini. Ac quemadmodum si quis tabulam multa rerum varietate depictam sæpiùs intuetur, si perampli alicuius ædificij partes omnes colluſtrat curiosiùs & frequentiùs; is facili negotio totius illius picturæ, totius item ædificij vnam sibi ideam animo repræsentet:

ita

ita sanè qui frequenter, qui magno sensu aliquam vel Sancti alicuius perfectionem, vel vitæ Christi Domini nostri partem meditatus excusserit, is paulatim Deo dante id totum vno mentis intuitu comprehendet, & lenissimè in eius contemplatione acquiescet.

Sed quo latiùs diffusa, quo penitiùs penetrans, quo celsiùs ad sublimiora erecta erit contemplatio, eo mirabiliores pariet effectus, animumque à carnis & pereuntium rerum omnium contagione secernet. Hæc enim est, per quam, vbi perfecta fuerit, humana mens in veram spiritus libertatem asseritur; per quam in hac vita corporis, Angelorum vita viuitur: imò verò iuxta Apostolum non iam ipsi viuimus, sed viuit in nobis Christus, in quo sumus, viuimus & spiramus, de tenebris in admirabile eius lumen translati. Hinc perfecta rerum omnium harumce, & hominum despicientia, hinc luxuriæ & cupiditatum omnium triumphatarum plena subiugatio, hinc summa sensuum, motuum, cogitationumque tranquillatio, ad æterna suspensio, & inabrupta cum summa Dei maiestate coniunctio.

Quæ tot & tanta bona, partim & potissimè, munifica optimi Domini Deique nostri liberalitate donantur, partim etiam præstantioris contemplationis dignitati sunt admodum consentanea: quippe sic contemplans anima, suorum sensuum, quin & interdum imaginariæ facultatis angustias egreditur, nobilissimis & spiritui conuenientissimis delectationibus pascitur: quid ergo mirum, si suis & sanctis, & veris, & proprijs oblectationibus delinita, incipiat carnis obliuisci; quæ toties, heu! prauis, falsis, alienis voluptatibus inescata, se ipsam & nesciuit & perdidit?

Iam verò caput 26. ex quacumque re quæ Sanctis contigerit, contemplationi materiam suggeret. Formam verò partim ea quæ in cap. de Memoria, & hîc dicta sunt, partim cetera quæ in caput vigesimum consultò distulimus.

CAPVT XIX.

Quàm expediat orationis varia genera intermiscere.

QVod in vsu medicinæ cernimus obseruari, singularum herbarum medicamentorumque cognitionem, quanto fieri potest accuratiorem, plurimùm conducere vt tanto aptiùs perfectiusque permisceri deinceps possint: idem in his orandi generibus est præstandum, & quo meliùs singula pernoscentur, eo expeditiùs & conuenientiùs inter se miscebuntur: nec est infructuosum, quid ad quod orandi genus referatur, probè nosse; ita enim quid in eo genere facilius, quid ad illud conducat obseruabis. quod nisi feceris, perpetuò laboribis in orbem, dum nulla notatione, in incertum delatus & fluctuans, id arripies, id

secta-

sectaberis vnum quod magis aut priùs arriserit, aut occurret. Est igitur inuigilandum vt agnoscas, quid ad quod orandi genus attineat.

Etenim quemadmodũ volũtas, intellectus, memoria, vnius animæ individuæ sunt facultates vna in radice coniunctæ, vel, quod nonnullis placet, vna volens, intelligens, memorans anima; ita omnino consequens est, vt quæ ab illis existunt operationes, admodum sint assimiles & connexæ, quæque licet ratione distingui, rarissimè tamen tempore seiungi possint, vniusque motus ceteras pariter & simul impellat. Itaque cùm aliquid memoramur, experimur quàm confestim intellectus pro rei conditione aut probet, aut improbet, simulque voluntas aut amet, aut oderit. Atque ex hac tanta connexione aliud oritur, nempe, vt vix vnquam videre liceat, vbi animum aduertente homine vnica & sola harum facultatum agat; vbi memoretur, nihil volens, nihil intelligens; vbi velit, nec memorans, nec intelligens; vbi intelligat, nec memorans, nec volens. Quare quòd antè separatim de singulis egerim, doctrinæ causa factum est, & vt intelligeretur quid cuiusque proprium, vnde facilior & rectior vsus existeret. Ac præterea nec imperitè, nec absonè dicitur aliqua oratio, vel orationis pars, memoria, voluntate, vel intellectu fieri, in qua vel repræsentandi, vel appetendi, vel intelligendi non singulares, sed potiores sunt partes: sic in applicatione sensuum memoria, in consideratione intellectus, in meditatione primò intellectus, deinde idem pariter cum voluntate dominatur. At in contemplatione vt plurimùm voluntas, quamuis in nonnullis mysteriorum reconditiorum contemplationibus, quæ animum maiore complent lumine, dubitari non immeritò possit, annon ibi maximè vigeat intellectus, non quidem ratiocinando, sed videndo & intuendo absorptus: quamuis enim voluntas ingenti amore recalescat, lumen tamen & cognitionis elargitæ claritas, non tantùm eius est causa, sed etiam est id summum & præcipuum, quod in eiusmodi dono agnoscitur.

Aliud quoque ex hoc ipso harum facultatum confinio, naturalique coniugatione exoritur, nempe vt vna per alteram validiùs confirmetur, nec facile vni fuerit duabus alijs obsistere: quare cùm prauitatem vnius voles corrigere, suppetias ab alijs duabus implora, & si constanter perrexeris euinces. atque hoc vnum si subtiliter, si opportunè obseruas, non exiguum, ad vitam omnem è virtute traducendam, commodum reportabis. Quod vt exemplo videas, faciamus tibi alicuius non satis probæ rei memoriam infestam esse; vt hanc euellas, vtitor iudicio atque voluntate; illo, vt auersandam iudicet; hac, vt reipsa auersetur, & ad alia se conuertat: cui si etiam accesserit, vt prudenter iudicio vtaris, ad meliora memoriæ imprimenda; certè opitulante Deo, memoriam prauam obliterabis. At, si voluntas affectu rapitur ad amorem improbum; memoriam & intellectum illi oppone; illam quidem vt lentè, vt remissè in rem illam feratur, quin (si fieri potest) vt eam quasi odio & auersione dignã repræsentet, aut etiam nullo modo in eam feratur, aliò distrahatur, mira quædam & horrenda sibi ob-

ijciat,

ijciat, quibus pauefacta aliorsum conuertatur: intellectus verò perpetuò & vehementer, peccati & diuinæ offensæ grauitatem, damnaque secutura obiecter, recti & æqui amorem inflammet, mirumque fuerit ni sensim voluntas corrigatur: sin denique peruersum distortumque quiddam in intellectu deprehenditur, veriores priorescque imagines memoria efformet, voluntasque illum ad reiectiora conuertat, & non ægrè dirigetur. Sunt verò hæc ipsa in meditationis vsum deducenda, vt in ea quoties alicuius facultatis animæ pronitatem oppugnare volumus, id perficiamus per alias, quæ in idem vitium non eodem impetu feruntur.

Iam verò orationis varia genera frequenter admodum permiscentur, idque ex dicta facultatum animæ cognatione originem ducit. Miscentur autem ea parte facillimè, qua sibi similiores sunt: quare cùm consideratio dirigatur ad affectum, sed maximè tamen in intellectu versetur, nec affectum inflammet, sed quid facto sit opus iudicet: meditatio verò, ratiocinetur quidem, sed permiscendo affectus, eosq; inflammando ardentiùs; facillimè vna transit in aliam: consideratio in meditationem, cùm inardescit in rei consideratæ amorem & auxilium, consilium super ea poscit à Deo: meditatio verò in considerationem, cùm lentato affectu, exquisitiùs rimatur vias & rationes opportuniores aliquò pertingendi; quod sæpè non minorem ipsa meditatione vtilitatem affert. Consultum autem est iterum ad meditandum se erigere, & concitandis affectibus intendere, omnemque considerationem aliqua saltem breui meditatiuncula, vel meditationis imitatione concludere. Meditatio verò ad contemplationem assurgit, quando affectu constantius & acriùs incitato, ratiocinari desinit, amãdoque & admirando, atque sanctioribus acquiescendo lætatur: indeque ad meditandum redit, si quando vnius rei intuitu lassata mentis acies, cupit longioris moræ fastidia ratiocinationis varietate condire. Id autem vel potest contemplantis imperfectione contingere, vel ex ipsius aliquando sterilitate materiæ.

Applicatio sensuum & meditationi & contemplationi facilè inseruit: nam & ad ratiocinandum permouemur à sensibus; & ex eorum perfunctione, ad insensibiles notiones manuducitur ac proritatur intellectus. Hæc autem adeò sunt facilia, vt exemplis id probare superuacaneum sit, iamque est nobis portus respectandus.

Quasdam autem comperies meditationes, argumenti quasi ingenio tam versatiles, vt in id vnum genus aptas diceres in quod eas contuleris, cùm ad quoduis promptissimè referri possint: vt sunt de incarnatione, natiuitate, vita & passione Domini nostri Ie'u Christi, quas siue ad considerationem, siue applicationem sensuũ, siue meditationem, siue imperfectiorem (quam diximus) contemplationem totas conferre volueris, perinde facilè possis. nec inutile fuerit seu exercitationis maioris, seu cognitionis perfectioris causa, variè per omnia generaillas versare.

Denique nonnullas quoque fortè iudicabis, non tam meditationis, quàm dissertationis alicuius & probationis vim sortiri; qualis illa quæ de sermone in Monte. Sed re vera, ex illis nullo negotio considerationis eximia quædam eruitur fœcunditas: ac præterea multa potest meditans, virtutum & rerum benè agendarum præcepta, ac proposita diligentiùs persequi. Sed longè fuerit præstantius, si quis præclara mentis firmitate ac celsitate subnixus, in Deum ex illis extollatur, consilia, prouidentiam eius contempletur, eas homini rationes quomodo aperiat, & in hac rerum atque argumentorum creata veritate, æternam & ingenitam Dei summi veritatem amet & admiretur. Quòd si cuius ingenium nihil horum satis capiat, non grandis est iactura; bonum factum, per me licet, vt dissertationem legat, & sibi ad meditandum, quod aliud magis arriserit eligat: quid enim disceptato opus est? annon suum cuique palatum: & cuidam, tres ipsi conuiuæ dissentiebant? & verò quis adeò insaniuit vmquam, vt alterum ad alterius gustationem adigere sit conatus? Vtere ergo, fruere, vt licet, vt liber, faxisque vt propitio bono Deo, benè iubeat.

CAPVT XX.

Vbinam antè dicta orandi genera docuerit B. Ignatius.

CVm ad totam vitam Asceticam & ad Religionis dignitatem formamque conseruandam, plurimum sit in oratione momenti, eaque vna vel maximè Religiosus decor contineatur & enitescat, æquissimum est vt quo fonte ista in nos deriuetur ostendam, suamque secundùm Deum gloriam vni B. Ignatio referam. Dicam quod res est, sæpè non mediocriter displicuit, mutuantes ab ipso videre, & tam dissimulantes, nec auctori laudem debitam reddentes.

Nobilissimum, quod ad orationem attinet, Ignatiani spiritus monumentum libellum Exercitiorum habemus: quo in vno continetur quidquid de oratione mentis certa præceptione comprehendi potest. Ergo docebimus quàm ex illo ducantur omnia quæ de perfectissima atque suprema oratione dicuntur. Quod vt ordinatiùs fiat, Primum sit:

Art. 1. *Quo scribendi genere liber Exercitiorum comprehendatur.*

Ex hoc quæsito docebimur, quid sit cur nonnulli minus ei libro tribuant quàm par est, & quàm ceteri agnoscunt. Itemque cur res maximè arcanas docens, & clarissimè demonstrans, vix eas attingere videtur. Quare quod ad rem nostram facit,

Duo sunt scribendi genera. Vnum est quod Acroamaticum dixerunt, aliud quod

quod Exegeticum dicere possumus; hoc passim vsurpatur, istud rarius. Exegeticum est, quod disserendo, exponendo, narrando, suumque, quodcumque fuerit, argumentum elucidando, ita progreditur, vt lector attentus, nec illiteratus omnino, scriptionis istius, vel omnia, vel saltem potissima sensa percipiat. Acroamaticum verò est, quod sit eiusmodi, vt in penetralia scriptionis istius arcana, vix tanto ingenio reperiatur quisquam, vt possit sine doctore sola lectione perduci.

At hoc ipsum duobus modis contingit. Primò & sæpiùs, affectatione scriptoris, verba sectantis obscuriora, noua, alieno sensu, obsoleta, grandia, magnumque & mirum quid sonantia, cum hyperbolis, multisque metaphoris implexis, adeò vt omnia tenebricosa quadam caligine inuoluantur, non secùs quã Ægyptios hieroglyphicis, mythologos fictis fabulis, mysteria sua quondam texisse accepimus. Et quidem verborum inuolucris varijs, sua tegentium, exempla passim in Alchymistis decantantur: videas & in arte Lullianaistud grande sophos. Nec sibi ab hoc tumore cauere potuit contemplatio, quin tot eam ampullatorum verborum anfractuosis ambagibus, contortisque & imaginosis traductionibus inumbrarent nonnulli, vt in meras tenebras res illa migrasse, & errorum mater esse videatur, quæ quàm dilucidissimam animo nostro lucem peperisse, certissimamque ad Deum viam commonstrasse debuerat. Potest etiam imperitia scriptoris id accidere, quando videlicet scientiæ reconditioris viro, sensuum animi distinctè dilucideque explanandorum gratia deesset: quod nunc missum facimus, totumque hoc genus librorum, nisi grauissima & iustissima causa excuset, aut improbandum aut parum admodum probandum putamus.

At sunt Acroamatici alij, quorum dignitas & veneratio longè maxima, & fuit semper, & perseuerare debet, qui res & verba continent, quorum sensus ille qui est obuius, dilucidus est & planus, lectorique perutilis, verba, totusque contexxtus humilis, & lene fluens: at quod permirum est, eo ingenio, eo spiritu sunt conscripti, vt quo plura in eis intellexeris, eo plura intelligenda superesse deprehendas, animumque tuum ad quandam sensim attolli excelsitatem, quam antè ne suspicando quidem cogitabas. Eiusmodi omnino est sacra Scriptura, quæ tota (si linguarum idiotismos, & ætatum temporumque quibus est conscripta, vsum & occasionem callueris) planissimo est dicendi genere contexta: at neque proprio cuiusque sensu explicandam constat; obscurosque sensus abditiores esse, & doctore, sanctorumque Patrum interpretatione, vel singulari (quod perrarò creditur) sancti Spiritus illustratione esse opus. Ad hoc genus, licet inferiore longè modo, sed ad hoc tamen genus libellum Exercitiorum referendum puto: qui vbique dicendi genere simpliciissimo nitescit, verbis & scribendi charactere patet, at verò tota ipsa decursio, argumenti apta connexio, lenissima atque efficacissima ab imis ad summa progressio, plurimorumque in eo latentium

D Aug. l. 1. & 2 de doctr. Christ. Item ep. 3. & l. 1 de mor. Eccl. c. 1.

tium mysteriorum dignitas est tanta, vt necdum eã enarrare posse fatear, quam nondum satis capere me potuisse profiteor. ea est vel eius libri dignitas, vel ingenij mei tarditas, cui iam ab ipso Societatis aditæ initio persuasum semper fuit, plus in hoc Exercitiorum libro solo, ad perfectam orationem esse præsidij, quàm in omnibus ex illo tempore quomodocumque editis : neque dum sanè video cur ab ista iudicatione discedam. non est quòd indignetur quisquam ; huic si multa tribuo, quod ipsorum est, ceteris haud demo: sed quod asserto, id certa demonstratione firmabo. Hinc videant qui libellum istum hodie passim etiam vernacula lingua vulgatum legunt, nec magni faciunt, id eò fieri quòd sine doctore, & experimento conueniente non satis queat intelligi.

Quòd autem minus illi tribuant nonnulli, quid mirum? cùm partim hominum, specie & orationis pompa ducantur, quam aliquando in sacris ipsis Literis non comperiens Augustinus, fastidiuit. partim verò magistris vsi, qui aliud aliquid saperent, ipsi quoque vel aliò auertantur, vel nihil nisi quod primò occurrit, latere credant? Sed antequàm ad id probandum accedo, dicendum est mihi Quando, & Quomodo sit liber ille conscriptus.

Art. 2. *Quando liber Exercitiorum à B. Patre sit scriptus, quidne in eo spectarit.*

Fuisse Manresæ in primis conuersionis initijs libellum Exercitiorum conscriptum, scriptorum, & rerum gestarum testimonijs constat, omniumque ordinatissimè descripsit P. Petrus Ribad. l. 1. Vitæ B. Ignatij c. 5. ad 9. eius insistam vestigijs, vt certiùs quò intendo pertingam.

Primo igitur, & incredibili quodam feruore in dies inardescebat Ignatius ignotus, & mendicos inter, in xenodochio solum sui contemtum amans, nudis pedibus, nudo capite, humi cubans, ter quotidie acerrimè se diuerberans, septenas, præter Missæ & Vesperarum tempus, horas quotidie in oratione ponens perseuerabat: quibus efficiebatur, vt abstersa omni vetere rerum huius sæculi amore, in alium planè virum abiret, cuius non iam in terris, sed videretur conuersatio tota esse in cælis, iam non regibus, sed soli regum Regi Deo militabat: vt ergo de bono fidoque milite, in fortem peritumque ducem euaderet, eum tentamentis varijs & scrupulis mirè exercitum habuit Deus. Cumque diuina misericordia, fuerit semper Ignatius omnium suorum animæ motuum, omnium propensionum, instinctuum, omniumque quæ in mente transigerentur obseruator, explorator & discriminator acerrimus, cùm etiam animum gereret quàm maximè ab omni quarumcumque rerum cupiditate secretum, totoque nisu ad perfectionis celsiora tendentem; hinc factum, vt ad obseruationem sollicitam accedente purissimo animi oculo, breuissimo tempore longè plura, & perfectiùs, experimento sui viderit, quàm nos longis annis tardi segnesque videamus.

Verè

Verè ad doctrinam spiritus callendam, non est spatium temporis definitum & præscriptum, sed adspirante diuina gratia, celerrimè percipitur, si modò neque diligentia, neque desit animi puritas.

Sic probato, sic discretionis dono exornato Ignatio, cùm haud quiuis, sed percelebris militiæ dux pararetur, grandiore eum luce illustrandum esse, diuinæ sapientiæ visum est: quapropter mentem eius in admirabilem quandam rerum diuinarum contemplandarum excelsitatem euexit: Sanctissimæ Trinitatis mysterium, qua mortali fas est, clariùs demonstrauit: fidei dogmata ita firmè menti infixit, vt de illis dubitare non posset: aliquando apud fluuium tanto eius mentem lumine compleuit, vt sola in ea illustratione plus notitiæ sibi accessisse sit professus, quàm vllo vmquam vel studio, vel reuelatione: octiduum ipsum abalienatus est à sensibus, cælestibus interim diuinisque delicijs pastus: denique hîc perspicuas de Societate excitanda notiones animo impressas fuisse, confessus est aliquando Ignatius.

Dux ergo noster iam satis instructus est, vt quò, & qua sibi tendendum sit videat: sed quia soli in militia esse non licet; oportet de conuocandis, & aptè ad militiam exercendis esse sollicitum. At quibus inuitamentis, qua vlla poterit illecebra quisquam, à blandientibus mundi castris, ad asperam & præduram, eamque nouam Dei militiam, transferri? profectò solius hoc est Dei: at, quod est Dei quomodo cognoscent, quomodo, vt sequantur, permouebuntur homines? ergo etiam ad hoc ipsum, & primò & potissimè, ducendum docendumque vidit, reque ipsa & duxit & docuit B. Ignatium eadem sapientia bonitasque diuina. At quomodo?

Non secundùm carnem militamus, inquit Apostolus: *nam arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. 10. Sic planè B. Ignatij arma, sic eius classicum delectum conuocans, sic illecebra & præmij sperandi ostentatio *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*: *vt* vocatio sociorum militum *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei* esset. Vtque à Spiritu sancto id esse certum foret, eo tempore ab homine illiterato, nullaque cuiusquam hominis industria eruderato, breuissimè & certissimè id omne digestum, scriptoque libro comprehensum est, quod ad diuinæ vocationis vocem audiendam sequendamque solet esse necessarium.

Quod vnum quantum sit, & quàm egregiè ab Ignatio præstitum, qui intellexerit, & ritè perpenderit, sanè mirandi finem non faciet. Diceremque nisi in libro quem de hoc argumento edidi, fusiùs id probassem: quare non repeto. Nec tamen id prætermittendum, quòd in eam diem nemo vnus, id genus argumenti ordine & certa via tractasset. Est etiam hoc arduum, vt qui nondum de spirituali vita quidquam degustarunt, de subtilissimis spiritus inspirationibus iudicare

doceantur, eaque via doceantur, quæ vix dicendo exponi, sed fermè tantùm commonstrando, & quasi manu ducendo designari possit, tum quòd eius excellsitatem verba nostra haud satis assequantur, tum quòd eius efficacia, & ad finem optatum certa deductio, non abs vnius alicuius præceptiũculæ obseruatione, sed à prudenti omnium quæ ab initio decurruntur, apteque inter se deuinciuntur, ab ipsius quoque cuius res agitur, aliorumque multorum æstimatione ac dijudicatione pendet. Vnde & hæc cognitio, si vlla alia, verè acroamatica est, quamque scriptis explicare nescio an possis: cumque non pauca de alijs eligendi modis in nostra illa scriptione dixerimus, ad hunc tamen qui certissimus est & nobilissimus, voluntatisque impulsibus, ac super his iudicatione intellectus perficitur, vbi ventum est, licet non pauca cap. 23. & 35. dixerim, id tamen, nisi ad praxim & viuæ vocis doctorem accesseris, nequaquam satis esse sum professus. Cumque omnino perpauci sint, qui in rebus ceteris agendis, & reliqua varietate vitæ, istam B. Patris nostri doctrinam familiariter adhibeant, hinc fit, vt rarissimi sint, qui eam probè intelligant: ignorantiam in ceteris fortè tolerandam, at certè non in filijs, quibus hanc patrimonij nobilissimi hereditatem, tradidit excolendam: at væ illis qui boni Patris neglecta vinea, alienigenarum horrida dumeta excolent, & femineas, si Deo placet, nobis mirabilitates obtrudent, velataque reuelationes ad impulsus Dei cognoscendos adhibebunt.

Non sic profectò Ignatius, sed docente & dictante spiritu, certissimo fundamento posito, ad summa omnia firmissimè gradum facit: finem ponit ob oculos; purgat mentem; purgatam illustrat; illustratam excitat & firmat; firmatam Spiritu sancto animat, roborat, perficit. Sed distinctiùs id exponamus.

Primum & Ignatianorum operum longè maximum, illudque cuius gratia Ignatium, collocandum inter Dei principes, de militari puluere susceitarat diuinæ prouidentiæ bonitas: primum inquam & maximum Ignatij opus fuit, Religiosi huius Ordinis, qui Societas Iesu dicitur, excitatio, & apta descriptio: huc ergo vt ad finem propositum, cetera referri, ipseque Ignatius aptari atq; instrui debuit. Cumque & socios conuocare foret arduum, & ad Religiosam vitam in eo penè sint omnia, vt aptè & ex Dei spiritu vocentur: qui nihil minus quàm de Societate cogitanti, imò nec ad eam cogitationem habili Ignatio, notitiam eam immiserat spiritus, is idem protinus eius menti libellum hunc inscripsit, quem continuò manus B. Patris describeret, eoque tam ipse, quàm ceteri docerentur, quomodo vitæ suæ rationes, è diuini Spiritus inspiratione certa, inire possint. Hic ergo primus, & maximè necessarius libelli finis, vt sit vocationum quasi lapis Lydius, reijciens à Societate non vocatos, vocatos admouens.

At semper is fuit Ignatius, qui non quomodocumque, sed absolutè, sed perfectè, à se suscepta compleri vellet, cumq; Religiosam familiam, cùm socios adlegendos cogitaret, & eam & eos pro fine sibi proposito quàm perfectissimos esse cuperet, sciretque ad perfectionem, vi & energia primæ vocationis ita nos

duci,

duci, vt soleant in prima vocatione, virtutum & perfectionis, quæ deinceps latiùs efflorescit, occulta semina latere: sitque prima vitæ secuturæ quasi radix & origo, quæ nisi vitalis fuerit, vnde quæso cæteris accedet vita? Consentaneum fuit, vt tale vocationi excitandæ instrumentum adhiberet, quod inuoluta perfectissimæ actionis contemplationisque semina ita contineret, vt tota deinde quàm longa, quàm perfecta futura esset, vita ista mortali, haberent socij, quod inde euoluerent, nec magis eis opus foret agendi, meditandi, contemplandique præcepta aliunde mutuari, quàm vocationis inexcogitatam quandam nouamque formam fingere.

Duplex igitur, & vterque planè eximius, libello Exercitiorum finis est propositus. Vnus vt quemuis possit de vocatione sua docere, sed eos maximè & dilucidissimè, qui ad Societatem verè à Deo vocantur: & simul vtrosque excitare, vt pro dignitate suæ vocationis viuant. Alter finis est, vt eius præceptionibus instructus quisque, possit sua in vocatione (sed in Societate maximè cui mirè conuenit) perfectissima cuncta sectari. Quod vtrumque à se spectari, disertis verbis asserit B. Pater, in extremo præludij circa considerationem statuum.

Hinc autem id primùm agnoscimus, cur, cùm singula omnia sint verbis dilucidissimis conscripta, vnusque sit eorum sensus, liber ille in tam diuersa ducat? nempe id ipsum quod sacris Literis accidit, in quibus obseruare est varium illum finem: arguit Isaias Iudæos, in mores prauos inuehitur, de Cyro, & liberatione Ierusalem vaticinatur; is primus sensus. at simul de futuris prophetat, mysteria multa prædicit; hic alter sensus: dumque duo hi sensus conferuntur, multiplices nonnumquam, verique omnes emergunt. Idem planè in hoc Ignatij libello: qua ducit ad eligendum, sensus habet suos; & suos, qua eadem parte perficiendum docet. Hoc autem vtrumque tam aptè, vna eademque opera peragere, supra hominem est. Accedit etiam, quòd humillimus, & ex Deo totus aptus Ignatius, penitus in animum induxerat, nihil humana calliditate vel persuasione fieri, quod remoto Deo ad æternitatem esset vtile; Dei esse permouere animos, nostrum id solum, si fortè permoueri à Deo vellent, inducere. Quare nihil adhibuit, quo in partem alteram cuiusquam mentem, in deligendo vitæ genere, flecteret: sed latè patentibus, & ad plurima flecti aptis vsus est axiomatibus, quo faciliùs posset quiuis varia naturæ incitamenta, varios sancti Spiritus instinctus persequi. Id ipsum in instituto vitæ perfectè decurrendo perutile; nam neque omnium ad res easdem, ijdem debent esse impetus, neque melior aut certior Spiritu sancto dux vllus optari potest ab eis, qui *discretionis regulas* à B. Patre traditas, oratione adiuncta obseruant, & Confessariorum consilijs audientes sunt.

Aliud quoque è duplici illo fine cognoscimus, cur scilicet, cùm (vt demonstrabimus) summum orationis & contemplationis apicem complectatur; non tamen perpetuo & inabrupto ordine ad eum contendat, eoque se contendere dissi-

dissimulet? fuit enim id primò ponendum, & probè stabiliendum, quod primò & maximè necessarium erat: & quo vno rectè constituto ac peracto, facilis ad excelsiora omnia pateret ingressus: Atqui illud vnum est vocatio, & vocatio sic cognita, vt ex eius cognitione dilucidè instillata, nullæ possint in reliquo vitæ cursu tenebræ offundi: imò verò ex ijs quæ tum docemur, si quid certè videmus, eam lucem videmus, quæ ipsas quoque, quas perfectioni clarissimæ nonnulli offundunt, tenebras discutiat. Præterea cùm nequaquam sit omnium ad quæuis contendere, verissimeque dixerit S. Gregor. *Sæpè qui contemplari Deum quietè poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpè qui occupati, bene humanis vsibus vtuntur, gladio suæ quietis exstincti sunt*; sapientissimè factum est, vt, quoniam in suorum omnium, sed & aliorum plurimorum manus, venturus erat is liber, nec tamen expediret minùs idoneos, ad eius perfectissima conari, ita scriberetur, vt in aperto nihil reconditius ostentaret, neque quisquam ad audendum supra vires inuitaretur, sed sua sorte contentus viueret qui minùs valet, se quidquid in eo est assecutum putans: qui verò ad maiora & digniora vocaretur, non ægrè id peruidere posset, agnosceretque numquam se tam longè progressum, quin ex hoc etiam num libello, quò posset progredi longiùs haberet.

lib. 6. Mor. c. 26.

Art. 3. *Quas, vt vocant, vitæ spiritualis vias in Exercitiorum libro sit complexus Ignatius.*

Aptè omnino atque conuenientissimè docuere perfectionis magistri, tres ad perfectionem decurrentibus vias esse obseruandas, quas purgatiuam, illuminatiuam, vnitiuam nuncupauerunt, de quibus breuiter & dilucidè S. Bonauentura. *Purgatiua*, inquit, *consistit in expulsione peccati: illuminatiua in imitatione Christi: vnitiua in susceptione Spiritus sancti*, qui amor est, & mentem insidendo, vnum cum Deo spiritum facit: *& quælibet via habet gradus suos, quibus ascenditur ab imo vsque ad summum*. ita ille.

p. 3 incend.

Iam verò cùm in his humanæ perfectionis summa constet, qui eas perfectè fuerit complexus, is de absolutissima perfectione nihil omisisse censendus est. Est autem earum singulas aptissimè complexus Ignatius, & suas seu inductiones, seu præceptiones ita temperauit, vt (quod eorum quæ à Deo sunt solet esse proprium) propè nulla verbis indicatione facta, vsu, ordine, rebus vias eas singulas accommodissimè & securissimè percurrere doceret. Omnino nihil est quod in eis desideremus, dum eas ad vsum & praxim, quam volebat, quam spectabat, reuocare conemur. Verè magnorum fluminum magni fontes. ô quantus in ipsis suis initijs Ignatius! nónne vt gigas cœpit currere viam suam, qui tot, tamque longas vias primo impetu est emensus? qui priùs propè celsissimarum rerum doctor claruit, quàm tirocinium ponere sit aggressus? sed id quomodo obtineat dicamus.

Vt

Vt igitur animum purget, ea adhibet, quæ non solùm grauiore omni crimine, sed etiam minùs rectis affectibus eum purgent, quod profectò ad alteram viam non leuiter præparat. Id autem vt assequatur, meditationes & considerationes adhibet ad hoc aptas, prætereaque examen suijpsius triplex. Primum, quod ad confessionem generalem faciat: Secundum, quod ad quotidianos lapsus & actus dijudicandos: Tertium, quod ad vnius cuiuspiam, in quod simus proniores, vitij exstirpationem dirigatur; nec æquè possit ad virtutis consecutionem deinceps flecti, quod alterius viæ fuerit. Ita sunt Beati Patris præcepta ex eius animo æstimanda: vt enim in rebus quas ageret, non ad id solum quod manibus & oculis versabat, sed longiùs multò, ad perfectionis varia se cogitata, quasi protendebat, nec tamen agebat secùs, quàm si ea sola spectaret, quæ præ manibus erant; ita in præceptis ea sola expressim dicebat, quæ in rem præsentem facerent, non sic tamen quin inuestiganti, & prudenter æstimanti, multam daret occasionem, vt ad perfectius aliquid traducerentur. & hoc ipsum à sancto Spiritu esse, docet ille qui idem in sacra Scriptura seruatur modus.

Eodem item tempore, primis quæ ad meditandum faciant, præceptis instruit: quendam etiam in Dei & Ecclesiæ præcepta, in peccata capitalia, in facultates animæ, sensusque corporis, orandi modum docet, in quo certat cum facilitate vtilitas: ac dum in illo non sola vitia, sed virtutes quoque considerari vult, non potuit aptiùs & leniùs ad ea quæ perfectiora sint progredi, nisi si potiùs (quod consultissimum est) amaram illam expiandi viam, suauitate virtutis condire voluerit, vt huius allectamento, ad expellenda peccata incumberetur fortiùs, & ad secuturam illuminationis viam adspiraretur ardentiùs.

Denique cùm id eorum sit proprium, quos sceleris, peruersèque actorum benè pœnitet, vt transactorum malorum à seipsis pœnas repetant; non rarò verò vel blandiores, vel acriores ipsi sibi sint quàm oporteret: quæ sit moderatio adhibenda docet. Docet etiam quæ solcant in ipsis initijs tentationes exoriri, quomodo in illis qui facilè, & in illis qui nequaquam peccare solent, dignoscendæ sint, quomodo in eis se gerere, quomodo cõtra Satanam pugnare cõueniat. Quæ sanè omnia, si insimul congesta cõtemplamur; tanta in breuitate, tam copiosè, primos illos vitæ melioris ingressus, roborari potuisse mirabimur.

Ita igitur purgatiuæ numeros omnes expleuit. at illuminatiuam sic instruxit, vt qui B. Patris mentem in ea fuerit assecutus, cetera prona omnia sit habiturus. Cumque illius formam & exemplar vitam Iesu Christi Domini nostri fuisse fateantur omnes, eam totam subtiliter sanè & aptissimè, trifariam distinxit. Primamque eam esse voluit, quæ id vitæ genus quod in mandatorum Dei obseruatione consistit, quodammodo complecteretur, qui primus & communis vitæ status appellatur, & cuius exemplum præbuisse visus est Dominus, dum parentibus fuit subditus. Est autem altera pars, quæ ad

Euangelicam consiliorum perfectionem assurgit, cuius exemplum cœpit Dominus nobis delineare, quando inscijs parentibus in templo remansit, cùm relicta matre ad Iordanem baptizandus iuit.

Atque hinc vides cur ad sanctorum librorum exemplum, spiritum potiùs quàm historiæ tempora sequatur: quamque in eo libello nihil frustra ponatur. Cùm etenim de vita Domini (quæ posterior fuit) ab anno 12. ad trigesimum, meditationem priùs instituit quàm de Ascensu in templum qui prior fuit, id omnino effecit habita finis sibi propositi ratione, vt scilicet toto illo vitæ communis genere ob oculos posito, ad aliud perfectius genus intuendum accederemus, opportuneque Domini *vitam contemplantes* (quæ sunt eius verba) *vestigaremus, & efflagitaremus proprium vitæ genus, in quo maiestati suæ nos seruire malit.*

Hanc autem secundam Euangelicæ vitæ partem, ea primò complecti voluit, quæ maximè ad actionem spectant, quæque quomodo sit vita nostra conformanda præscribunt. Præterea verò, quam tertiam hebdomadem dixit, & ad celsiorem illuminatiuæ gradum pertinet, ea est quam tertiam partem dico, quæ scilicet ad patienda & subeunda pro Christi nomine plurima mentem armat. Sic igitur in illuminatiua docet B. Pater perfectionem in vita communi, itemque in Euangelica tam agendo, quàm patiendo pro Dei & Domini nostri gloria.

In eundem finem, verbis breuissimas, sed sensu amplissimas leges & *regulas* varias tradidit, ad consensum cum Ecclesia retinendum, ad non iudicandum temerè, ad eleëmosynas ritè dandas, vitandos scrupulos, victum temperandum. Modos etiam adinuenit orandi voce & cogitatione permixtos, in quibus longè plus in recessu latet, quàm extima fronte promittant.

Iam autem cùm ne quidem in sermone, ex vna re in aliam nonnisi iudicio & ratione ferretur Ignatius, cumque nihil quod maioris momenti esset, sine certa voluntatis diuinæ indicatione susciperet, sapientissimè censuit, non esse à vita communi ad Euangelicam absque matura deliberatione transcurrendum: eius verò consultationis, quæ & obscurissima est, & ad salutis æternitatisque rationem præ ceteris vna valet plurimùm, & in qua de diuina potissimùm vocatione ambigitur, nec debere, nec posse credidit alium quàm Spiritum sanctum arbitrum adhiberi. Sed *ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei.* ita quidem ille, qui de se dicere audebat: *Nos autem sensum Christi habemus.* O virum vel hoc vno prædicandum! Sed vbinam eiusmodi reperiemus, vbi qui subtilissimas, & quamplurimis dæmonum insidijs impetitas vocationes, quænam à Deo sint, quando, & quomodo impertiantur, dijudicare clarè poterit? Potuisti, Sancte Pater, potuisti, nec potuisti tantùm, sed ea quoque dijudicandi præcepta modosque tradidisti, vtibi quodammodo *aperiantur oculi cæcorum: sit ibi semita & via; & via sancta vocanda sit, non transit per eam pollutus.* quippe priùs sunt expianda peccata, *& hæc est nobis dire-*

Rom. 11.

1. Cor. 2.

cta via; ita vt stulti non errent per eam! ita enim certa est, vt nemo eam sequens in errorem ducatur.

Certè quæ hîc scripsit B. Pater, tanta sunt breuitate & perspicuitate sermonis, tam ordinata rerum serie, tamque multimoda profunditate sensuum, vt sine peculiari Spiritus sancti ductu, ab homine conscribi minimè potuerint. Ea non prosequor explicando, summatim tantùm quàm sublimè euolet indicabo. Ecce enim statim in perfectionis concupitæ scopum intendit, & in illa sua de electione doctrina duo quædam spectanda, & ex illa referenda docet, nempe generis vitæ quod nobis conuenientius sit, cognitionem atque electionem. quod vtrumque vnum est; hîc enim non in ipsa cognitione sistitur, sed ad electionem cognitio refertur.

Alter ex eadem doctrina reportandus fructus est, iuxta id quod sectamur vitæ institutum exquisita perfectio. Ideóque monet, *discemus etiam exinde, qua sit nobis opus dispositione, vt perfecti in eo euadamus statu, quemcumque bonitas diuina eligendum nobis suggesserit.*

Vnde agnoscas errorem eorum, qui nihil amplius in eis vestigant, quàm quod ad electionem faciat: & verè constat, à maioribus nostris, ijsque qui etiamnum in viuis degunt, eam eligendi formam, ad alia multa adhiberi solitam, & ex cæterum maximarum controuersias definitas, dubitationes certo fine conclusas, deque diuina voluntate indubiè & verè esse iudicatum: atqui in diuinæ voluntatis cognitione, & cum ea consensione, perfectionem omnem esse positam, quis non fatetur? Id igitur sit certum, quod quemadmodum decet & opus est, è vocationis gratia, ea proficisci, quæ ex eius præscripto deinceps præstanda sunt; ita ex eo qui ad vocationes & inspirationes, seu Dei alloquia dignoscenda, excipienda, complectenda modo præscribitur, necessarium est, vt animo nostro tenerrimus quidam diuinæ vocis auditus indatur, quem si excoluerimus, excipiendæ diuinitus omni disciplinæ habilem reddemus.

Et quoniam excelsum admodum id est, leniore cluuo ad summa perducit; nam & à primis initijs eò referuntur omnia; vt deposito vel onere peccatorum, vel affectionum velo, leuior ad ascendendum, expeditior ad perueniendum euadat: vbi verò ventum est propiùs, tum potentiores & illustriores adhibet machinas, quantislibet tenebris clarandis efficaces, hinc vexilla ducum, classes hominum, gradus humilium, & alia eius generis admouet, quibus mens hominis omnem cuiuscumque creatæ rei colorem, odorem, affectum inquam, & cogitationem exuta, tabulæ rasæ instar habeat, speculiúe mundissimi, & amore Dei nitentis, in quod quiuis diuinæ sapientiæ voluntatem suam indicantis, delatus radius, cùm fulgoris, tum caloris (vtroque enim pollere solet) sibi inditi splendore & sensu se dilucidè prodit.

Persequi singula non est meum, hoc solum addamus, quod ad dicenda nequit omitti: Duo sunt modi quibus possint diuinæ voluntatis arcana

cognoſci. Vnus qui intellectu, alius qui voluntate perficiatur, iſte lumine rationis, hic incitatione voluntatis continetur : non ſic tamen quin intelligens velit, & volens intelligat, ſed ſic vt in vno longè magis intellectionis, in altero voluntatis impulſio dominetur. Ad hæc id exigit S. Pater, vt quando ex voluntatis incitatione eligitur, ſolus eam Deus, nulla prorſus in adminiſtram creatura adhibita, impellat. At verò cum ratiocinando eligitur, etſi à Deo lumen flagitari velit, nequaquam tamen omne creaturarum ſubſidium refutat, quin potiùs optat vires totas ingenij in deprehendenda veritate contendi, multaque de commodis & incommodis eorum qui controuertuntur ſtatuum, ratiocinando extendi.

Et hinc patet quàm certa, quàm ſublimia ſequatur: quippe iſte voluntatis impellendæ modus is eſt, quo excelſior & mirabilior nullus eſſe poteſt: in hoc enim ita voluntas vult, vt volens velit, Deoq; non cogente, ſed ſuauiſſimè & fortiſſimè agente ſic impellatur, vt non aliud quàm velle denique poſſit, & nihilominus qua inductione, ratione vel ſpe id velit neſciat, neſciat quid boni, quid commodi in re illa deſiderata lateat, id ſciat, id ſentiat vnum, eo ſe diuinitus agi, neque ſibi bonum eſſe contra ſpiritus diuini ſtimulum calcitrare.

Solet autem (vt experientia, ipſeque B. Pater ſatis docet) vbi primùm diuino inſtinctui ſuum voluntas conſenſum penitus & ardenter adiecerit, ſolet inquam protinus ſancta quædam animi tranquillitas, pax, & in Deum fiducia efflorere, continuóque ipſi intellectui lux ingens, & noua concupiti ſtatus cognitio accedere: videaſque non rarò eiuſmodi homines, qui priùs ab aliquo, ad quem vocabantur ſtatum abhorrebant, deq; eo male ſentiebant & loquebantur, ſubitò immutatos, & amare, & prædicare, & de eo detrahentibus ora occludere. Atque hinc quod dicebamus liquidò conſtat, nempe voluntate hominum voluntati diuinæ tam aptè conformata, ad omnem diuinam illuſtrationem animos noſtros habiles reddi: ſed hæc in ſequentem articulum differamus.

Conſtat igitur ſecundam illuminationis viam quàm latè omni hominum generi, quàm perfectè ſingulis expoſuerit, aptéque totam Chriſti Domini noſtri vitã, docente ſolo Spiritu ſancto Beatus deſcripſerit Ignatius. Vnde conſequens eſt, vt, quando via tertia, quam vnitiuam vocant, ex alijs duabus exoritur, & propemodum ex illis ſponte ſua enaſcitur, perfectè quoque à Beatiſſimo viro enucleatéque tradatur.

Hîc igitur illum videas, quæcumque ſunt lætitiæ, conſolationis, pacis, gaudij, ſpei, amoris cupidè luſtrantem, pérque ea omnia quæ ab ipſa Ieſu Chriſti Domini noſtri reſurrectione, ad aſcenſionem vſque acciderunt peruagantem: indéque in ipſam quoque diuinitatem ſublime ferri, vnoque (ſed ad quod cetera propemodum omnia referri poſſint) exemplo docere, qua ratione oculos in Deum tollere, eum ſemper præſentem habere, in rebus omnibus ſed maximè in nobis ipſis contemplari, ac perfectiſſimè amare poſſimus. Et ne fortè noſtris in

cogi-

cogitationibus & contemplationibus euaneſcamus, præſcripſit tribus lineolis modum eum, quo caueamus ne in varia, inutilia, curioſa, affectata, ſpeculandi æſtu, & auida cupiditate rapiamur: vult enim vt ne verbis, multoque minùs ſubtilitate cogitandi, amorem noſtrum definiamus, ſed ſciamus, idem velle, idem nolle, omnia in commune bona habere, nihil ſuum ſibi reſeruare, ſed omnia amico tradere, in eóque magis quàm in ſe ipſo viuere; eius agi ſenſibus, commodis & incommodis angi, eam demum eſſe perfectam amicitiam, eam vnitiuæ vitæ certam ſolidamque perfectionem; hinc noſtri in Deum, diuini in nos amoris æſtimationem petendam. His poſitis quanta nobis diuinus amor contulerit, perpendenda docet, vt exinde nos totos in eum transferre doceamur. Inde addit quomodo vnicuique rei ſuam det naturam & conſeruet, ipſeque homo ſit quodammodo Dei templum. Quomodo in omnibus hominis cauſa operari & quaſi laborare videatur Deus: quàm varia ex infinito boni theſauro in eum vndique effundat: quibus efficitur, vt in omni omnino re, variè & facillimè Deum contemplari poſſit, qui id ſemel ſanctè imbiberit: imò verò neceſſe eſt, vt ſe toto relicto & penitus abnegato, Deo ſuo ſe immergat, & in eo ſolo ſe totum & omnia meliùs & feliciùs reperiat.

Art. 4. *In iis quæ de motibus animæ tradidit, quanta ſuſtollendo ſpiritui præſidia lateant.*

Scripſit B. Pater quaſdam *ad diſcernendos animi motus regulas, vt boni ſolùm admittantur & pellantur mali*: his enim eas verbis inſcribit, exiſtimóque eiuſmodi inſcriptionem abs minimè ambitioſo & iactabundo profectam promiſſore, ſe ipſa ſatis indicare quantum in regularum iſtarum receſſu lateat. Cùm enim homo vel tantopere alienæ opis indigus degat, vel vſque adeò maleficentiæ dæmonum, beneficentiæ Angelorum & Dei ſit expoſitus, vix vt ad vitium vel virtutem progrediatur longiùs, quin id alieno ſpiritus alterutrius contingat impulſu: profectò qui ſic illum inſtruxerit, vt malos omnes qui in animum inciderint motus pellere, bonos verò norit admittere, nónne ad perfectionem omnem eum bellè informaſſe credendus eſt? Accedit, quòd cùm ad perfectiora tendentibus, gratia ſit & Dei liberalitate, multa nobis vbilibet inſpirante nitendum: formidoloſius verò nihil ſit quàm inſidiantis, & in Angelum lucis transfigurantis ſe Satanæ dolis in fraudem induci, nihil vel ad cauendum inſidias opportunius, vel ad ſecurè audienda Dei ſummi alloquia optabilius, commendari ſcriptis potuit. Sed ſit licet hæc vtilitas tanta, non eſt ſola tamen, eſt communis, eſt quæ in omnes paſſim vulgetur, aliam rariorem, & quam peruideant ſoli ad maiora ſelecti veſtigemus.

Verùm nequaquam ſolas illas regulas, aut lectitare aut reſpectare debemus,

nec fuit B. Patris mens ea, vt tota illarum vis seorsim expenderetur: at voluit eas meditationibus adiungi, ita tamen vt neque certo loco, neque semper: sed tum solùm, cùm repertus is fuerit, qui subtilioris istius doctrinæ fuerit capax: quippe *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus*, neque omnium vel ingenij acies, vel vitæ ratio, illi suscipiendæ est opportuna. Et vt ad regularum istarũ vsum assurgatur, assequendus est is finis, quem connexio, totaque meditationum & præceptionum quæ ad vsque illuminatiuæ viæ dimidiam partem traduntur, dispositio atque complexio, in eius qui se exercet, animo postulat. Vt autem sit perfectus vsus, oportet etiam in tota vnitiua non mediocriter progressum esse.

Primò quidem & præ ceteris, omnino necessaria est expurgatio grauiorum cuiuscumque peccati, tum etiam vehementioris cuiusuis perturbationis, vel adentioris in quamcumque rem creatam affectionis, ad se animum pertrahentis: quippe si quid horum menti insidet, necdum est captandæ diuini susurri aura, necdum viuificæ sancti Spiritus suadelæ auris admouenda: caligo priùs detergenda, quàm vt lucis repercussæ radius enitescat, nec vocis tenuissimæ sibilus, affectionum clamore perstrepente, valet exaudiri.

His autem obstaculis è medio sublatis, est etiam apparatu sanctiore nostra hic palæstrita instruendus: omnem prorsus rerum omnium, imò & sui ipsius amorem exuat oportet, & quo spoliatior omnibus fuerit creaturis, tanto erit excipiendo Creatori paratior: sic autem amorem ponat, vt horrorem ne assimat; quiduis ponere, sumere, negligere, subire & pati promptus, ad spiritus diuini nutum, quem vnum viuendi, agendi, volendi, nolendi sibi normam facit. Atque hinc Deo suo se totum suaque committit, certus, fore vt corpori & animæ, in minimis, & in maximis, in omne tempus & in æternum fida cura prospiciat. Iam, sic omnia despectantem, sic nihil ambientem, & Dei fiducia securum animum, placidissima quædam tranquillitas mulcet, qua fiat vt in summa æquati animi malacia & læuore, nullus menti quantumcumque leuis motus inspirari possit, quin protinus obseruetur: si potissimùm (quam perpetuam vult esse B. Pater) sollicita in seipsum animaduersio, & vigil cura viguerit.

Expurgata igitur mentis acie, & ad quamdam sensus teneritudinem perducta, sanctisque desideriis ad Deum prouecta, si diligenter suos motus obseruarit, & ex præscripto regularum B. Patris eas diiudicarit, sensim se homo exuet Deum induet, & vnus cum eo spiritus fiet. Sed curandum est; vt optimè regularum illarum sensum calleat, easque purgatissimo animi oculo, maximè quidem ad orationem, sed etiam ad reliquum omne tempus, desiderium, negotium, consilium, placidissimè adhibere norit.

Etsi enim hanc diuinæ voluntatis perquisitionem, eo tempore exercendam commendauit B. Ignatius, quo seuocatis ab omni consortio, communique conuictu, curis, audiendo soli Deo vacatur: nequaquam tamen rem vtilissimã istius nego-

negotiosi otij angustijs definiuit. Quin potiùs cùm nihil vmquam nisi consulto Deo certisque diuinæ voluntatis indicijs aggrederetur, in iudicijs autem capiendis hanc semper sequeretur methodum; suo sanxit exemplo, eam quoque ab omnibus perfectionis candidatis, familiariter ad omnia adhiberi oportere. Nec sanè videtur difficile, vt homo Deo præsidens, prauum omnem affectum exutus, in vnius Domini & creatoris sui gloriam incumbens, acutùm in sui animi motus cernens, nullo cuiusquam perturbationis agitatus impulsu, breui tempore quo se ad orationem confert, & veræ sapientiæ fontem Deum consulit, clarè de eius voluntate doceatur: cuius rei non pauca, & illustria in Beati huius viri gestis documenta comperies.

Ex eo tamen quod hominià reliquis curis auocato hanc exercitationem præscribit, duo quædam vtilissima docemur. Primum, quòd, vt bene quodam loco Gerson, non potest ab homine negotiis multis implicato, contemplationis gratia acquiri, potest tamen in quibusuis occupationibus, ab eo qui acquisitam possideat exerceri: ita etiam tener ille diuinarum motionum sensus, certusque iudicatus, non acquiritur nisi ab eo, qui se abs omni cura, consuetoque hominum conuictu segreget, magistroque vtatur eo qui sic paulatim mentem eius perpoliat, & ad sensum Spiritus ducat. Quò cùm aliquando, non inani scientiæ ostentatione, sed vera experientiæ gustatione peruenerit, tum verò non illo tantùm, sed toto reliquo tempore, inde poterit vitæ suæ rationes omnes actionesque componere. Sic tamen vt (quod secundò docemur) norit id à se non aliter præstari posse, quàm si mediis in negotiis mentis otio, & magna quiete perfruatur, si à turbis curarum instar Moysis, ad tabernaculi silentia reuertatur, si cum Domino Deo suo, eadem tranquillitate, fiducia, caritatisque puritate perseueret. Quam in rem, intimis mentis oculis, Deum vbique præsentem contemplari iuuat, sepositisque ex interuallo, & quoties licebit, curis, ad orandi solitia redire, præque ceteris vt præsentissimum huius diuinæ præsensionis venenum cauere, cuiusuis negotij, euentus, personæ, affectum & cogitationes anxias. Quòd si *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*, picataque sunt & hamata hominum negotia omnia, affectus verò nostri improuidi, & adhærere procliues; quis est bone Deus, qui cordis hanc munditiem, qua tua sensa videantur, se in agendo seruaturum speret? certè nisi auxilio tuo, speret nemo: tuo tamen qui potens es, qui bonus es, quis non speret? tumque certò speret, cùm ad agendum vocas, cùm iussu Superiorum vrges? Si enim & vocas & iubes, quis te tuæ vocationi, tuæ iussioni defuturum credat?

Sed quid pluribus opus est? vno verbo quod sentio dicam. *Hanc viam qui tenuerit, qui sibi familiarem fecerit, is ad hoc peruenit vt verè dicat, Viuo ego, non iam ego; viuit verò in me Deus*: quò pertigisse, imò vel adspirasse, annon supra hominem est? atqui magis in illo homine Deum, quàm ipsummet hominem viuere quis dubitet, quando motum omnem, omne desiderium, amorem, spem, conatum, com-

commodi & incommodi sensum omnem, sibi mortuus exuit, at solo diuino spiritu, quasi anima altera succedente, mouetur, desiderat, amat, sperat, conatur, sentit, appetit, vitæque, quæ diuinitus ducatur, illustria præbet argumenta.

Ecce enim iam sic progredior longiùs, vt certissimè credam, ex ea in rebus maioribus cum Deo consultandi, eiusque voluntatem sentiendi facilitate, eò denique deueniri, vt in minimis quibusque sentiatur, vt in negotij & otij, in cibi & potus, in sermonis & silentij, in ambulationis & quietis tempore, modo, & susceptione; adeò vt iam vix aliquid sponte sua peragat, sentiatque sibi animum prout ad Dei gloriam expedierit, in alterutram partem modò patescere, modò occludi. Nec verò vt in hanc deueniatur admirabilitatem, alio secundùm Deum opus est subsidio, quàm eis quæ à B. Patre de diuinis motibus traditæ sunt præceptionibus, ita vt dixi vsurpatis, fiduciaque, puritate, præsentia, & tranquillitate animi, quasi semper coram Dei sui facie diligentissimè conseruatis.

Ita est quasi quidam aut propheticus, aut plenus Deo spiritus, quo certæ humano animo induntur præmonstrationes & præsensiones futurorum, quæ ad vitam nostram, & actiones ex virtute, Deique voluntate componendas excitent. Sunt autem vel obscuriores vel expressiores, ita iustis rationibus dispensante Deo, aut etiam pro excipientis minore vel maiore perfectione, aut pro conditione ipsius rei de qua agitur. Sed siue expressiùs, siue obscuriùs fiat, duobus modis præmouetur voluntas, vno cùm alicunde oblata illi boni specie ad volendum allicitur, altero cùm nulla prorsus occasione vel ratione ex vlla parte oblata, Deo ipso (quæ eius bonitas est) eam subeunte impellitur. Et quidem quoties priore modo (qui & ipse perfrequens est) voluntas mouetur, fieri potest vt à Deo creaturis administris vrente excitetur; minùs tamen certum est, cùm accidere quoque possit, vt spiritus malus, iisdem ad nos in fraudem inducendos, creaturis vtatur; timendumque nobis ipsis, ne quà illius creaturæ amorem obliquemus. At quando solo Deo mouemur, id certum, id verè securum est.

Solent autem, quæ status electiones voluntatis permotione peraguntur, hoc postremo modo perfici, tum maximè cùm perfectiora & à sensu carnis aliena ambiuntur: nec enim eligendorum statuum forma vlla speciesue spectabilis, hominum animis obuersari solet, quæ illectos ad sui amorem pertrahat: sed ad B. Patris præscripta se componentium animi, toti sunt ex æternitate suspensi, erasaque omni rerum caducarum imagine, depurati diuina prospectant, & à summo imperatore, diuinæ voluntatis indicium, quasi tesseram militarem, qua in legionem cohortemque certam describantur, expectant.

At inquis, si nulla forma, nulla specie voluntas mouetur, sed solo Deo, quid fuerat tot obseruationibus opus? Nempe vt sic moueri possit, ipse est aptan-

dus

dus homo, ac præterea cùm soleant animorum motus esse celerrimi, frequenter fit vt permota diuinitus voluntate, alij seu repugnantes, seu consentientes motus, illico tanta velocitate comitentur, vix vt primum à reliquis seiungere, & quid à Deo solo sit, certo possis interuallo, abs eis, quæ ab illo solo non sunt, secernere. Cumq; is semper Ignatij genius fuerit, vt intuta non amaret, & in rebus tantis nulla nimia cautio possit adhiberi, eas voluit admoueri regulas, quibus propiùs applicatis, motionū voluntatis vel prauitas, vel rectitudo constaret. Illi verò qui vsu rerum spiritualium exercitatiores habēt sensus animi, interno quodam vel sapore, vel auditionis modo, illapsum motumue loquentis creatoris, à creaturæ appulsu & voce distinguūt. Hi sunt *spirituales illi homines, qui*, vt dicemus, *iudicant omnia, ipsi autem* (quis enim eorum arcana pertentet?) *à nemine iudicantur.*

Sed à voluntate ad intellectum transeamus, cuius ex iisdem B. Patris vestigiis, triplicem illustrationem animaduertamus.

Prima est naturalis, cùm ratiocinando, suasque vires exercendo quid bonum vel malum, verum falsumue sit inquirit, inuenit, iudicat: quam in rem non pauca c. 9. & sequentibus diximus. Est autem longè maior & certior, quoties, vt sæpè fit, occultas ratiocinationi nostræ vires, vel per Angelos, vel per se, Deus & Dominus noster subministrare dignatur: quam in liberalitatem tum precibus, tum præparatione cordis est inuitandus. Et hunc cognitionis modum apertè in tertio eligendi tempore descriptum habes.

Altera illustratio est, quando, nulla forma, nulla specie, vel in sensus, vel in animum illabente, sublimior quędam & spiritualis lux intellectui illucet, occlusa aperit, ignota docet, aut etiam veritatē ipsam quasi aspectandam & palpandam præbet, atque adeò confirmat, vt eam vix credat à quoquam in dubium posse reuocari. Hunc illustrationis modum, partim ex voluntatis per solum Deum motione coniectandum B. Ignatius reliquit, partim etiam expressit, lumina, tenebrasq; consolationum & desolationum recensens. Quis autē iure miretur, non posse satis verbis exprimi, quod mēti sine vlla corporatarum rerum similitudine imprimitur? exempla tamen allata id satis docent, estque aliquid simile in naturali primorum, vt vocant, principiorum cognitione: cùm enim eandem de eodem affirmationem & negationem non esse veram, non esse faciendum alteri quod nolis tibi, menti nostræ obiicitur, non res, non forma aliqua vel species, sed sola obiicitur veritas, & ita se habere vt dicitur, certò assentimur: ex eoque conficimus intellectum & mentem nostram habere instar luminis alicuius, quo possit ipsissimas rerum veritates nullo forinsecus adminiculante contueri: ad ea verò quæ sint excelsiora & diuiniora, immisso cælitus lumine, nimium quantum expandi atque sustolli. Neque verò casu à me additum est expandi, quippe hoc ipso Dei dono fieri credo, vt dilatato quasi sinu mentis, viri sancti simul plurimarum & diuersissimarum rerum curis facerent satis, & summa tamen, ac si placidissimo abundarent otio, animi quiete fruerentur,

deuotioniſque ſuauitate lactarentur. Quod cum ita ſit, Deoque prompta & facile ſit, videamus qui nos obedientiæ addiximus, & quietis tranquillitate delectamur, ne Præpoſitis ad negotioſa vocantibus, ægrè & reſtitando obſequamur: bonus eſt qui vocat, ſi vocat Dominus, poteſtque in inuio viam, in tempeſtate ponere tranquillitatem.

Tertia illuſtrandæ mentis ratio eſt, cũ intus aliqua ſpecies, forma, vel ſimilitudo imprimitur, qua in rei latentis cognitionẽ vel ſaltem perfectiori quodam modo & nobiliori deuenitur: ſolet autẽ è priore modo deriuari, ſiue quòd naturaliter ſuæ ſibi cognitionis ſimilitudinem quamdam ingenium hominis efformet, ſiue quòd ſancti Angeli eam animis imprimant, quod fauore diuino poſſunt, etiamſi non præceſſerit illa quam ſine ſpecie, & à Deo ſolo diximus illuſtratio: ſed ſiue comitetur illa, ſiue abſit, eadem tamen eſt, & ex iiſdem intelligitur. Præclarè omnino S. Bernard. *Cùm diuinius aliquid raptim, & velati in velocitate coruſci luminis interluxerit menti, continuò, ſiue ad temperamentum nimiæ ſplendoris, ſiue ad doctrinæ vſum (neſcio vnde) adſunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines, infuſis diuinitus ſenſibus accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus purißimus ille ac ſplendidißimus veritatis radius, & ipſi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Exiſtimo tamen ipſas formari in nobis ſanctorum ſuggeſtionibus Angelorum, ſicut è contrario contrarias & malas ingeri immiſſiones per angelos malos non dubium eſt.* Ita ille.

Homil. 41. in Cant.

Ex quibus datur intelligi, hunc modum illudenti dæmoni eſſe obnoxium, in eiſque periculoſiorem qui magis imaginoſi ſunt, vt fermè, minùs iudicioſi, & feminæ. Hinc Sancti omnes vno ore docent reuelationes non eſſe quærendas, ac ne vix quidem admittendas, laudanturque iure meritiſſimo illi, quorum vnus dæmoni, Angeli forma ſe adſpectabilem offerenti, occluſis oculis, Non ad me, inquit, ſed ad alium ſanctiorem aliquem miſſus es; Alter verò pari animo auerſans, Non in hac, inquit, vita, ſed in altera tantùm, Angelos videre deſidero. Verùm quia nec poſſunt, nec debent omnes improbari, probandi Spiritus an ex Deo ſint. Quare B. Pater, ſuos quidem ad ſolidas virtutes, ardentemque deuotionem incitatos voluit, at ſimul eos aduerſus illudentis dæmonis fraudes armari præcepit. *Docentur*, inquit, *quomodo ab illuſionibus dæmonis in ſuis ſpiritualibus exercitationibus cauean-*

Conſt. p. 3. c. 1. n. 10.

quorum verborum germanum ſenſum eſſe credo, vt maximè velit à ſuis omnibus, eas de ſpiritibus diſcernendis regulas, familiares & ad vſum expeditas haberi. Inde quippe id ſequetur, vt & illuſiones cauere poſſint, & ad veras, ſi quæ fortè à ſanctis Angelis contingerent, conſolationes ac illuſtrationes admittendas, non ſint improuidi.

Hæc igitur & plura quàm capere me poſſe profiteor, ex hac Beati Patris doctrina ad nos ipſos regendos redundant, & ad ſumma perducunt. At quoniam non ſibi ſoli, ſed accedentibus atque vicinis lux lucet, & om-

nia

nia quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur lumen est, Ephes. 5. hæc vtilitas longè latiùs ampliusque diffunditur.

Primò enim qui sic ad alloquia diuina intentam gerere mentem didicerit, is etiam subtiliorem illam, & excelsiora spirantem, & acutiore visu penitiùs in abdita penetrantem sortietur, adeò vt iam solem, cælum, terras, hominem, idque omne quod hac vniuersi mole continetur, non iisdem quibus ceteri oculis videre videatur; aliud est aliquid quàm color, quàm lux, quàm species externa, quæ per oculos mentem ferit, loquuntur illi omnia, docent illum omnia, illum omnia amore creatoris incendunt, & quando in omnibus perpetuò reperit Deum, imò verò omnia illi Deum ingerunt, præclaram illam possidet caritatem quam nemo à Deo separet.

Dein verò quod ad conuictum ceterorum attinet, vetiùs, certiùs, subtiliùs aliorum cogitationes & actiones iudicat, non quidem suspicaci, vitiosa, temeraria vlla iudicandi temeritate illectus, sed intimo quodam perspicacissimi spiritus gustu & sensu, suum sentiens spiritum occulta quadam ratione tangi, leniterque & placidè ijs affici, quæ à bono spiritu procedunt; contrà verò ab iis quæ à maligno spiritu admixtum quid habent, perturbari, & molliorem deuotionis succum repentè exsugi. Hinc fit vt in scrupulis dignoscendis, tranquillanda conscientia, deliberationibus finiendis, omnique consultatione valeat plurimum. Hic est cui meritò animam tuam credas, *qui tibi sit ille consiliarius vnus de mille,* quem consulit Sapiens, qui loquatur tamquam potestatem habens, tamquam Dei verba depromens. Hic est cuius vt spiritum Dei possidentis *viuus est sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Certè enim ad hunc quoque apicem euectos esse nonnullos, ipsumque B. Patrem Ignatium legimus. Eccli. 6.

Tertiò duo quædam B. Patris monita, regendis hominum animis peropportuna, per hanc diuinarum illustrationum familiaritatem, perfectiùs obseruantur: vnum eorum est, ne eadem plurimis & diuersis præscribantur, putemusque quod nobis vtile, idem futurum omnibus. qui error vt in medicis corporum, ita & animorum frequens deprehenditur, ferméque ex inscientia, & inopi imperitia oritur, vt cùm paucà quædam & fermè transumta remedia, aut de scripto aliunde mendicata corraserint, vim verò & rationem illorum minùs perspectam habuerint, iisdem eadem illa morbis adhibeant, siue ex frigore, siue ex æstu, ex abundantia vel defectu, ex tumore vel timore, superbia vel deiectione sint contracti: inde verò non curatio, sed vulneratio & grauior afflictatio solet consequi. Atqui in has aberrationes non deueniet, qui à summo & optimo medico Deo medicinæ modum accipiet. Alterum erat præceptum, vt ne minutè & angustè ad singula præiret qui alteri præest, sed aperiat aditum quo in apertos campos latiùs excurrere, vel etiam indicato aditu

tu ipse sibi viam possit aperire; quippe quod nimiũ circumseptum vel coactum est, non solet benigno naturæ sinu foueri, non sic penitus ad intima transmitti, non debitis incrementis augescere: ergo consultissimum est, vt Deo Domino nostro, qui solus cordium scrutator, & naturæ arbiter est, omnem sanctorũ desideriorum implantationem & irrigationem committamus, nec tantùm, sed & culturæ modum & normam: nos verò beneficentissimo Domino, nostram, si fortè, opellam exigere dignanti, caueamus ne quidquam quod nostrarum virium esse dederit, vllo vmquam tempore denegemus.

Quartò, admirandũ & prima specie incredibile quid consequetur quicumq; harum discretionis regularũ vsum sibi familiarẽ fecerit, nempe vt certas præsensiones atque prænotiones diuinitus accipiat, quibus quid reuera sit salutarius illis quos curæ suæ commẽdatos habet, præintelligat, & ad illud ipsum promouendum, se quoque præmoueri sentiat; sentiat item aptam securamque id perficiendi viam sibi clarè præmonstrari, ita vt videat suum alienúmve impulsum & monitum esse adhibendum, quando, quomodo, quousque, vt ne in irritum laboretur. Sed illud longè præclarissimum, quando in maioris momenti susceptionibus eis, quæ vltroneos impetus exigunt (cuiusmodi sunt status vitæ electio, ad semotas alieno in orbe regiones aditio, præsentissimorum à peste, ab hęresi periculorum, aggressio) quando, inquam, in consultatione his de rebus ineunda, & præsentit, vt dixi, quid alteri optimum, & suam illam præsensionem cùm in alterius animum transfusam optet; certum tamen illi est, nec suum illũ animum vllo indicio prodere, nec vlla in eam partem allectamenta, imò nec vera argumenta proferre, id vnum & nobilissimum experens, vt lucem animo suo insidentem in alterius mentem, nullo signo, nulla administra voce transfundat, eodemque quo ipse prior impellitur alius pariter motu impellatur. Hæ sunt veræ, hæ solidæ minimèque fucatæ, & in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, animorum permotiones, & desideriorum quasi impressiones. Hoc autẽ consequêris, si tu ipse primò affectu omni posito, & ex secundi in eligendo modi præscripto, quid alteri expediat, quidue illum statuere velit Deus, diuino inspiratu haurias: Deinde sincera & humili prece ab eodem summo voluntatum humanarum moderatore impetres, vt eandem illi, cui magis propria esse debet lucem transmittat: teque ipsum doceat quibus vti debeas præceptis, axiomatis, obseruationibus ac exercitiis, non quidẽ in eum finem collimantibus, sed quaquauersum diffusis, at eiusmodi per quæ diuina Sapientia illum in viam istam est deductura, sic tamẽ vt tu tuum nihil adferas, supremumque spirituum omnium dominatorem Deum in alterius animũ, pro sancto eius arbitrio agere permittas, tu id solùm curato, vt Soli æterno omnis animi tui & alieni recessus pateat, & eum abundè suo lumine fouebit, sanctis ardoribus inflammabit.

Quintò deniq; hinc etiam fit, vt facta, vt dicta Sanctorum, eo spiritu, quo sunt prolata percipiat, nec secùs ea quàm par esset interpretando, nec de illis demis-

siùs

siùs quàm conueniat sentiendo, omnesque quæ fortè occurrerent offensiones commodè declinando. Nempe qui eos impulit spiritus, ille idem huius nostri sensum excitat.

Vides amice lector, quàm sensim eò quoq; gradum fecerimus, vt iam tibi pateat, hãc esse illam ipsam viam, qua sensum Scripturarum aperit Deus, iis quos ad hanc spiritus discretionem vocarit, & quorũ conditioni & statui vtile & decorum fuerit. Quod ego adiunxerim, vt hoc dono nihil aliud intelligere me profitear, quàm donum aliquod, quo facilè è sacris Literis tantũ percipiunt, quantum ad suæ deuotionis exercitationem, piamq; sacrorum librorum lectitationẽ, pensisque diurni in diuino officio persolutionem opus erat. Vt enim plus aliquid concedam, non facilè adducar, cùm videam viros ipsos sanctissimos, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Bernardum, Thomam Aquinatem, oratione & cõtemplatione mirabiles, Doctoresq; in Ecclesia Dei positos, absolutam sibi sacrarum Literarũ intelligentiã numquã arrogasse. Et sanè si rem ipsam cõsulamus, nihil vmquã dignius ab iis in hoc genere factitatũ reperiemus.

Sed omittere nõ possum, quin moneam cauere sibi debere quemlibet, quẽ diuina bonitas his deuotionis cognitionisq; luminibus subinde exornet, ne vel non satis agnoscat donum, vel agnoscens sibi nõnumquam in suis sensiculis nimiùm placeat, & licet se minimis indignũ, non tamen continuò eximios reputet, multoque minùs vt eximios referat. Possem exempla referre, sed absit vt quos ex animo propter summas virtutes veneror, de eorum apud alios existimatione, ob leuem & humanam incogitantiam, quidquam detraham.

Art. 5. *Eius quæ mente perficitur orationis omnia genera complexum fuisse Ignatium.*

Quatuor orationis genera posuimus, extra quæ aliud nullum reperiri credo, & satis probat ea quam c. 2. secuti sumus adhæc ipsa vestiganda diuisio. Ergo singillatim singula percurramus.

De applicatione quidem sensuum, nemini suboriri debet dubitatio, qui modò sciuerit, & eam totam, & nomen ipsum Ignatiani esse adinuenti.

De consideratione dixi, eius præcepta omnia eadẽ quæ meditationis ratiocinantis esse: at præterea ei quoq; dirigẽdæ inseruiũt *examen* quod generale vocat, & modus orandi in præcepta atque de *potentijs animæ*. Quippe in præceptis expẽdendum solet cõmendari, quid præcipiatur aut vetetur, quàm iustè, & ex ratione, quàm graue sit peccatũ quo contra venitur, (omitto quàm sæpè lapsi simus) qua ratione eius cauere violationem, iussioni obsequi meliùs poterimus. At de facultatibus animæ, quid vnaquæque sit, quàm necessaria & opportuna, cur & in quos vsus data, & denique (prætermitto quomodo simus vsi) quàm rectè & ex ratione, ea in posterum simus vsuri. Quæ obseruationes, quantum ad omnem

consideratione valeant patet. Quod ad me tamen attinet, nihil vsquam pure consideratius, nihil ad omnem prudentiam docendam dirigendamque efficacius, primo illo quod B. Pater ponit *fundamento*; quod, si ad plenum intelligatur, existimo solum satis esse, ad quamcumque (si modò res controuersæ notæ fuerint) consideratione, & deliberationem ritè & ex ratione concludendam: neque vnquam vllam ab eo quod oportuit aberrationem video, quin ex eo sit orta, quòd alicundè sit contra eius fundamenti præscripta peccatum.

De meditatione verò quid attinet dicere, cùm eam totam perfectissimè suis omnibus partibus instruxerit? atque vt omittam quàm accuratè docuerit, & quomodo ante illam parandus animus, & quæ seligenda materia, quantum in eamet præstet indicemus. Tres quippe meditationis partes dici possunt. Prima est ingressus in orationem. Secunda, ratiocinatio, ipsumque quodammodo orationis corpus. Tertia, cùm iam expressus est affectus inflammatior, iucundéque fluens meditatio, in contemplationis quietem molliter assurgit.

Ingressus in orationem præludijs continetur, omninoque ad iritandam meditandi appetentiam, deliciasque gustandas, plurimum faciunt. Totus verò præludiorum instructus & apparatus, à B. Patre profluxit.

Ratiocinandi verò methodum, totam illam quam fusiùs recensuimus à 9. ad 14. caput, abs illo non adumbratam tantùm, sed sensim expressam præformatamque reperio. Poterit autem quiuis illud obseruare, ex illis quæ *primo exercitio*, vt inquit, *secundùm tres animæ potentias* traduntur. Quibus deinde, vbi ad alteram hebdomadem ventum est, personas, verba, opera, quasi iam prouectioribus adiungit, sed & his alia vbi *de cœna Domini*, iterumque alia superaddit cùm ad *resurrectionem* peruenit. Ratiocinationes autem apostrophis & exclamationibus illustres, quasque magnopere commendaui, planissimè docet exercitio secundo, exclamans ad omnes creaturas, cælum, solem, lunam, sidera, ipsaque elementa, cuncta animantium genera, terræ germina, Sanctos denique & Angelos. Illudque tam eximium exemplum tradidisse satis fuit, vt eos qui *sine intellectu non essent* ad eiusdem imitationem permoueret.

Colloquij denique nomen, & eius in meditando vsus à B. Patre est exortus, pariqué qua cetera, diligentia & cura excultus. Primò, quippe eius formam & præceptiones ad finem *primi exercitij* tradit, tum paulò ampliùs in ipso *tertio*: inde in *contemplatione regni Iesu Christi*: in illis quoque quæ *de incarnatione*; *de vexillis*: ac latiùs vbi *de cœna vltima*, & denique in *contemplatione ad amorem spiritualem excitandum*. licet enim colloquijs in meditatione vtamur, & ad meditationem referantur, plurimum tamen de contemplatione participant, & docuimus vtilius esse, si hæc orandi genera misceantur.

Superest quartum orationis genus, contemplatio; de qua cap. 18. diximus, & ex ijs quæ tum attulimus, planissimeque è B. Patris doctrina hausimus, satis superque confirmatum reliquimus, abs eo nobis contemplandi quoque formam tra-

traditam: restat vt addamus tantum ab eo fuisse præscriptum, quantum satis sit, vt ad summa veniatur. Expedit quippe vt filij quàm copiosum illis patrimonium obtigerit agnoscant, & eius fertilitate cognita, tali parente, taliq́ue cultura, non indecoros fructus proferant.

Imperfectiorem quandam, & perfectiorem alteram contemplationem eo loco dixi. Iam perfectioris, hoc est eius, quæ vnico clarissimæ in mente lucis radio, summas res intuetur, duplex est, quod ad ipsam lucem attinet, modus: vnus, quo impressa intimiùs abs Angelis specie, forma & similitudine aliqua, mentis acies quodammodo exacuitur, penitiusq́ue in abstrusiorem antè veritatem penetrat, quasi si illud ipsum cerneret, ad cuius intellectum mens priùs quasi cæca palpabat. Alter modus est quando nulla specie, forma, vel similitudine obiecta, purissimo diuinoq́ue lucis radio, mens illustratur & assurgit, summasq́ue rerum celsissimarum veritates, iudicia, sapientiam, bonitatem, perfectiones Dei opt. max. limpidissimo quodam lumine contemplatur. Atqui hoc vtrumque iam antè art. 4. ex B. Patris doctrina explanauimus.

Iterum alia ratione duplex est, si facultates animæ quibus peragitur, consideremus: namque in contemplatione, vel dominatur affectus, vel intellectus, & hic quidem, quando is qui contemplatur, in perfectionum admirabilitate, veritatem [illegible]atura contuenda defixus hæret, at voluntas in contemplatione dominatur, cùm aliquo affectu vehementiore quasi sauciata, nequit satis, illa eadem voluens reuoluensq́ue satiari. Sed hoc ipsum ex antè dictis patet.

Denique si energiæ & impulsus in contemplatione detinentis, modum spectemus, sic quoque bifariam diuiditur: vna vt sit, in qua diuinæ gratiæ vis sese latentiùs insinuat, occultè excitans, & lumina intellectui subministrans, vt vires & conatum ipse suum ad contemplandum exerat: Altera verò, in qua præcipuæ & potissimæ sunt partes Dei, gratia sua excitantis, mouentis, agentis, illustrantis, & quaquauersum ducentis, ac blandissima consolatione demulcentis. Hoc est quod *pati diuina*, quod celsissimum perfectionis apicem dicunt: neque sic debet intelligi quasi languente otio mens correpta nihil agat, sed quòd Dei, non hominis sit, quod ibi dignissimum est & nobilissimum; cui tamen assentitur & acquiescit homo, præstantissimo amori & gratitudini in Deum intentus, intentus exuendo seipso, & Deo induendo. Sed profectò, & hoc ipsum, eodem superiore articulo 4. ex B. Patre explanaui, & in tertio id in *vnitiua* via doceri, & S. Patris doctrinam eò perfectissimè ducere probaui. Quare ex dictis omnino certum demonstratumq́ue relinquemus, nihil esse in oratione mentis tam perfectum, quin ad illud suos & alios quosuis, atque adeò per libellum Exercitiorum manuduxerit B. Ignatius.

Art. 6.

Art. 6. *Vteretúrne B Ignatius sola meditatione, an etiam contemplatione quando librum Exercitiorum scripsit.*

Ex ijs quæ hactenus dixi, sed maximè articulo secundo, quanta fuerit B. Ignatius contemplationis gratia præditus tum temporis cùm libellum Exercitiorum scripsit, ita manifestum est, vt mirari satis non possim repertum fuisse, qui edito libro scriberet, in initio B. Patrem via in Exercitijs præscripta, & sola meditatione progressum, at verò postea in extrema ætate ad sublimius contemplandi genus euectum, vt lib. 5. c. 1. vitæ ipsius habetur. Hoc scilicet dictum, scriptum, tuáque scilicet auctoritate comprobatum, ferres, Ribadeneira si viueres? Scio, bono animo prolatum, ideoque auctoris (quem summopere & veneror & diligo) nomini, non à me solùm, sed ab alijs omnibus parcitum volo. De rei mihi veritate, non de hominis veneratione vel opinione est sermo. Quippe sic habeo, neminem vnum hominum reperiri posse, cuius omnia sint perfecta: nam sine vitijs, sine imperfecto, vel ignorantia vlla, nemo nascitur, nemo viuit; optimus ille est, qui minimis aut paucissimis vrgetur. ex hoc verò vnum aliud conficio, nempe quòd veluti purissimum aurum non ideò minoris sit, quòd agnoscatur illiali quid deesse, quod ceraso, quod vili pomo inest, ita si præstanti alicui viro vel libro sit insperſa nonnulla à vero aberratio, quam nonnemo ignorantior viderit, non propterea de illius debet quidquam auctoritate decedere: meliora multa præstò sunt, quibus hic defectus obtegatur, malighique est oculi aciem à plurimis præstantissimis auersam, ad pauca vitiosa conuertere.

Duo igitur sunt, quæ non possum, nisi vehementer, in istis verbis improbare. Primum quod apertè innuitur, in libello Exercitiorum nonnisi inferius & imperfectius orationis genus edoceri. Alterum tractabo mox.

Sed hoc primum, ex eis quæ dixi planè confutatum iacet: cùm enim per libellum istum, eo quem secuti sumus progressu intellectum, vsurpatum, perducamur ad omnes vitæ perfectæ vias, Spiritus sancti motiones, arctissimam cum Deo coniunctionem, eam denique contemplationem, quæ siue agendo magis, siue magis diuina receptando perficitur, quid est quod in illo libello desiderari, quid illi superaddi queat? Diffusior forsan, verbis sublatioribus turgescens explicandi modus? At B. Pater humilitatis spiritu ductus, maluit humili, & errandi vias non patiente scriptione, summè perfecta tradere, quàm amplè & magnificè summa promittendo, inani verborum sono, spem accedentium eludere. Sed & proposito sibi fine illo, vt per hunc libellum, non lectum, sed vsu, sed meditando, sed sua genuina praxi, intimo animi sensu reconditum, breui, & securè ad diuina & spiritualia aptarentur homines, ita breuiter & dilucidè scribi, ita doctori eum alteri tradituro, eius rei multipliciter faciendæ, debuit occasio relinqui.

Sed

Sed audiamus vnum aliquod ab optimis viris relatum, vt spectans ad excelsiusillud orandi genus, quod videlicet B.Patris exercitijs putant excellere: *Voluntas*, inquiunt, *non cessat coram Deo, quem fidei oculis intuetur, mox illi venerabunda adstans, mox eius perfectiones admirans, mox gratias agens, mox eius bonis & præsentia lætabunda, se ipsam suaq; omnia illi offerens, dona Dei postulans, quibus ad eum accedat, cor suum tacitè illi expandens, denique in omnem se transformans affectum, vt Spiritus sancti vnctio docuerit.* ita illi, benè sanè, nec est quod in illis displicere possit, nisi quòd ad suum id non referant Ignatium, cuius in libello Exercitiorum tam illa sunt, vt negare nemo possit, qui modò libellum eum legerit: sanè non pauca eiusmodi à nobis scripta reperies, vbi de roborandis affectibus, & de colloquijs agitur, quæ tamen conscripseram priusquam hæc in manus meas incidissent. Consulietiam possunt loci illi, in quibus paulò antè dixi à B.Patre de colloquijs præcepta tradi, ibiq; & ardentiùs & dilucidiùs ista expressa reperies.

Sed &, si rebus ipsis sunt verba reuincienda, quantus fuit in contemplatione P.Petrus Faber, quantus Ouiedo, quantus vir ille Apostolicus Xauerius? at non alijs quàm huius libelli exercitamẽtis vtebantur: & quidem de hoc postremo memoriæ proditum est, solitum illum singulis fermè mensibus, vitam Christi Domini meditando contemplari: nempe qui istud obseruarit quod antè monuimus, vt ex omnibus ad Dominum nostrum Iesum Christum, itemque ad SS. Trinitatem transgredi possit, facilè sibi vndecumque contemplandi materiam seliget. Est autem hoc, ex doctrina in libello illo, tum aliàs tradita, tum in contemplatione *de cœna vltima, de resurrectione, deq; amore* depromptum: & illo B.Xauerius plurimùm vtebatur.

Denique non satis mirari possum, quid bonis illis viris in mentem venerit, vt hanc B.Patris doctrinæ laudem negarent, de qua modestissimè saltem tacere potuissent, imò verissimè ex illis quæ ipsimet censent asserere: sic enim docent, & quantum existimo verè, ad sublime illud contemplandi genus (quam perfectionem contemplationem articulo superiore extremo nuncupaui) nõ peruenirì arte, neque donum esse quod cuiuis concedat Deus: at meditatione frequenti, affectionum & voluntatis propriæ despoliatione, iugiq; cum Deo præsente connexu, reddi animum habilem & expeditum ad diuiniorem illam lucem sinu expansæ mentis amplexandam. Et verò cùm in id fastigij fuerit quis euectus, existimare non debet, ea sibi lumina perpetuò & ad quæuis præstò futura, dispensabit illa pro sua voluntate Deus, ideoq; paratum illi adesse semper debet à meditatione subsidium, vt ad eam (cui fouendæ semper adest Deus) & refugiat, & inde virtutum incrementa conquirat. ita illi, & verè. Iam igitur cùm & hæc omnia per Exercitia B.Patris conferantur, ac præterea præstetur, vt quæ dæmonis fraudes in istiusmodi luminibus latere possint, quàm securè & indubitanter illis insisti possit agnoscatur; cùm deniq; nihil præscribãt, nihil doceant, quod cum ijs quæ à B.Patre traduntur in comparationem meritò adduci possit, certè non fuerunt

quasi abstrusiora venditanda, quæ hic certiùs & clariùs iam olim præmanſa demõſtrauimus. Infantibus imponatur, ab eis credatur ſi placet, interpolatis coloribus, parietibus oblitis, noua facta omnia, nihilo magis credam mutato nomine, myſteria noua reuelata: * infantiſſimoſq; eos deputabo, qui B. Patris Exercitia, curules infantium rotas dixere, quas vbi robur acceſſerit, deſpretas, vt infantilia videlicet arma ſubſannes! Annon iam olim de illis prædictum fuit: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Sed miſſos eos faciamus, reſipiſcere et eis quæ dixi poſſunt, ſi volunt; ſi nolunt, neque pluribus eſt opus.

§ *Eos refutat P. à Ponte in vita P. Balthazar. c. 40.*

Alterum quod in verbis initio allatis falsè dicitur, eſt B. Patrem initio Exercitijs adhæſiſſe, at poſtea ad perfectius contẽplandi genus progreſſum, teſte Ribadeneira l. 5. vitæ eius c. 1. At, vt de auctoritate primũ loquar, eſt illa euidẽs in contrarium: aſſerit quippe Ribadeneira, B. Patrem ad extremum vſque vitę, longiùs quotidie in perfectione progreſſum, adeò vt Manreſanas illas illuſtrationes, prima ſpiritualis vitæ rudimenta appellaret: quod non eſt dicere, nouum aliquod orationis genus aut ſpeciem ab eo vſurpatum, ſed in eodẽ fuiſſe ſemper perfectiora ſectatum. Et vt ad ſenſum eorum auctorũ loquamur, quæro quid vnquã in illis ſuis admirãdis orationis ecſtaſibus vel maius reperere, vel æquale illis quę Ignatio Manreſæ cõtigerunt? illuſtrationum harum quæ lumina, quos fructus è Societate condita, è libello Exercitiorum deſcripto, miratur & decerpit orbis? atqui non ad extrema ſenij tempora, ſed ad primum tirocinium iſta referuntur. Et quidem vt ne homines conferamus (quod odioſum eſſe ſolet) ſed vnum aliquod referamus euentum, quo conſtet quàm ſolida virtute procedat.

Lib. 1. c. 12. Benè, modeſtè, prudenter, verè, de B. Patre refert Ribadeneira, eum vidiſſe aliquando Sanctorum magnum numerũ, fulgentem gloria, inter quos & Hozmes (ille ſociorum qui Societate nondum coalita obiuerat) ſplendidiore quãreliqui habitu, gloriaq; multò illuſtriore cernebatur. Sed audi quid addit, *Non quòd ſanctior ille ceteris aut beatior eſſet: ſed quòd Deus gloriam hominis, per inſigniorem hanc formam compertam Ignatio (vt ipſemet referebat) teſtatamq; eſſe voluiſſet.* ita ille ex verbis & ſenſu B. Patris; à quo propriè hanc modeſtiã diſcas velim, & nemini te

Prou. c. 1. præferens, *vocationem tuam bonis operibus certam facias. Audi fili mi diſciplinã Patris tui,* Ignatij ſcilicet, orationis & actionis præcepta, *& ne dimittas legem matris tuæ,* conſuetum & vſurpatum Societatis orandi modum: *vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Illa erit certa via & ſecura, qua ad ſumma quæq; pertinges. Si verò aliquid legeris, aut vndecumque acceperis, quod ab hac forma recedat, vel ſuſpectum reprobato, vel potiùs iniudicatum, aliiſque ſine contentione admirandum permittito: ſuus eos ęſtus, conſueta locutionis inuolucra, vel longiùs rapiant, vel parum attentis rapere videantur, tuta intutis, certa incertis miſceant: tu verò Ignatianæ formæ præcepta, multa diſcretionis luce ſplendentia

tia, peruigili mente obserua. Sed ex his & pluribus articulo 2. relatis constat, eodem tempore quo B. Pater Exercitia scripsit, supremo contemplandi genere vsum.

Verùm in gratiam contemplatiuorum ostendamus, quàm admirabile contemplandi genus illud fuerit, in gratiam inquam illorum: sic enim maiore boni Patris laude gaudebunt, & ex ipso maior illi contemplationi accedet auctoritas. Ergo in rem ipsam veniendum nobis est. Libellum Exercitiorum scripsit B. Ignatius, & scripsit homo literarum imperitus, primo (si mensium numerum ineamus) vitæ sanctioris tirocinio, cuius paulò antè sic rudis erat, vt de Sarraceno in honorem Beatissimæ Virginis mactando, dubius hæreret: & in eo libello tam multa & admiranda, quanta diximus, est complexus. Atqui nemo hominum est, qui describere rem vllam possit, quin illius quam describit, quasi formam & imaginem quandam animo prænotatam gerat: quidquid autem nobis cogitatione inscribimus, illud sensu, ratiocinatione, vel doctore aliquo hauserimus necesse est: hauriuntur sensu, quæ auditu, quæ visu, & si quo alio sensu delata, mentis cognitionem cient; ratiocinatione verò, quæ sunt eiusmodi, vt ex obscuris clara, ex incertioribus certiora, & ad nostram notitiam perduci possint. Doctoris verò vice fungi possunt, vel libri, quorũ lectio habet instar vocis emortuæ, vel præceptores ac magistri, qui viua voce ignotum aliquid edocent, vel denique summus omnium doctor, omnisque veræ sapientiæ fons Deus. Iam vndenã Ignatianæ menti insederit huius libri idea quæramus? certè à sensu non potuisse constat, sed neque à ratiocinatione, per quam ad eam rerum talium excelsitatem, neque tam celeriter, neque omnino peruenirì potest. Superest igitur, vt à doctore aliquo id acceperit, non quidẽ lectione librorum, quorum nec eiusmodi vllus exstabat, nec admodum lectioni, sed orationi vacabat totus, passimq; volutandis libris exercitatissimi in Hispania Inquisitores, illum vt nouum habuerunt, & vt suũ tradidit Ignatius: sed neque ab aliquo, per quem eruditetur, homine magistro accepit; à Deo ergo acceperit necesse est, dicereque cum Propheta: *Non cognoui literaturam: introibo in potentias Domini: Deus docuisti me à iuuentute mea*, à primordio & infantia melioris vitæ meæ, *& vsque nunc pronunciabo mirabilia tua. Et vsq; in senectam & senium. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.* Sed qualis meditatio? Sanè quæ in altissimam contemplationem abiret, quam illam, nisi quæ planè assimilis esset illi qua Moyses legem, qua D. Ioannes Apocalypsim scripsit! vt enim illi legis præscripta dictabat, huic mysteria occultissima, resque venturas ostentabat Deus, ita necesse fuit, vt rerum in eam diem Ignatio ignotissimarum præscribendarum methodum, ordinem, formã præmonstrando præiret Deus: nec qua alia via id fieri potuerit apparet: nec primus ille hominis tam incẽsus feruor tantam in scribendo tranquillitatem & discretionem tulisset, vel ab oratione, & castigatione sui, ad scriptionis otium se conuertisset, nisi

Psal. 70.

Psal. 118.

clarissimo Spiritus sancti & potentissimo instinctu ad id adactus esset. Cerè sentiet quisque quod volet, at dum hominis ruditatem perpendo, describentis potiùs quàm scribentis speciem, prætulisse credo: sic tamen vt describendo ruditatem poneret.

Aliud quoque est quod apud me valet plurimum, facitque vt & auctoritatem quandam libro illi supra humanam tribuam, & existimem à Beato Patre insueta sancti Spiritus luce collustrato fuisse conscriptum. Etenim cùm in more positum haberet Beatus Ignatius, nihil vt præscriberet, nisi accuratissimè, multum diuque perpensum: cùm in Constitutionibus condendis, iam senex & experientior, tot adhibuerit orationes, deliberationes & lacrymas; cùm aliquot annos de illis periculum fieri voluerit, eisque quamdiu viueret auctoritatem legis negarit: cùm sciret tanto maiorem Exercitiorum spiritus, quàm Constitutionum rationem habẽdam, quanto (quod in proœmio Constitutionum agnoscit) *interna caritatis & amoris illius lex quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potiùs quàm vllæ externæ constitutiones ad Societatem in diuino seruitio conseruandam, gubernandam, atque promouendam adiutura sit.* Cùm, inquam, eiusmodi esset, sciretq; ab vno Exercitiorum libello spiritum & modum orationis, quam tanti faceret, & à qua vna Societatis bonum omne penderet, esse promẽdum, quid fuit cur illum sub ipsa vitæ sanctioris primordia conscriptum, nõ tantùm nulli vnquam hominum expoliendum, corrigendum, censendum dederit, sed in primæuo suo tenore & forma pugnacissimè defenderit, nõ cesserit Inquisitoribus, tantumq; effecerit, vt se viuo, auctoritate quinetiam Apostolica probaretur? Quid, quòd rerum suarum nullus vnquam commendator, sed subtilissimus occultator & dissimulator Ignatius, afferere cuidam amicissimo sit ausus, sentire se Exercitiorum spiritualium vsum, in hac vita esse id optimum, quod sibi deuinctissimo optare posset; tum vt sibi ipsi homo proficiat, tum vt fructus ferat, prositque & proficiat alijs multis? Quid fuit denique cur in extrema ætate, qua vt nonnulli dicunt an fingunt? ad excelsius orandi genus esteuectus, alia omnia siluit, nihil nisi sua illa exercitia filijs suis hereditario iure habenda legauit? inuiditne, quod melius vidit & habuit? an verius nihil vidit, nihil habuit in orandi genere melius? profectò ita est, sciebat enim se id scripsisse, quod non ab homine, neq; per hominem, sed ab ipso Deo didicerat, hauserat, viderat; nec aliunde vlla ijs de rebus vel opinatio, vel suspectio, vel forma, vel cogitationis initium mentem eius inuaserat. Deum, Deum vnum oportuit tantæ, tamque limpidæ fuisse lucis auctorem. Et hac crediderim moderatione intelligendum, quod à P. Laynio dictum scribitur, Patrum primorum ceteris Ignatium, Ignatio verò ipsummet Christum Dominum nostrum exercitia tradidisse; non quidem quod de S. Catharina Senensi tradunt, ac si oranti corporata specie præstò esset, sed quòd claro & eximio lumine mentem eius adeò illustraret, vt in perspicuis veritatis radijs vniuersam Exercitiorum œconomiam clarè cerneret.

Sed

Sed & hinc se nobis aperit Ignatianæ contemplationis prorsus admirabile fastigium, in quo vitæ spiritualis arcana, mysteria fidei, Domini nostri Iesu Christi vitæ decursum, orationis & actionis, sibi & ceteris, non solùm scientiam acceperit, sed tam dilucido luminis radio acceperit, vt non quasi caliginem, sed purissimam ingressus lucem, cum etiam nulla ambage verborum circumquaq; diffundat: quem enim tot Sanctorum, Deoque coniunctissimorum virorum parentem, magistrum, efformatorem diuina prouidentia posuerat; hunc orationis, hunc summæ contemplationis dono instructissimum esse, non sibi soli, sed ceteris quoque decuit, neque in seros vitæ annos differendum fuit, tum quia primos illos Religionum Patriarchas ab initio statim perfecit Deus, tum quia illi mox erant filij perfectissimi, & ad sui similitudinem progignendi.

Rarum igitur, & ab Apostolorum temporibus in paucis animaduersum donum, vt contemplando & orando sic edoceatur quisquam, nullo vt alio studio adhibito, clarè, perspicuè, & ad omnium captum accommodatè res summas enarret: idque propterea factum quòd muneri ad quod eligeretur opportunum id diuina Sapientia iudicaret, quæ *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Lege & animaduerte qua sanctuarij mensura, quo pondere reuelationum dona debeas æstimare: nempe lumina illa mentis quibus doctores facit, ideo donat vt perficiantur Christiani fideles; vt munus quo quis defungitur, meliùs & perfectiùs obeatur; vt Ecclesia Christi, cui omnis aliorum accessio proficit, incrementa noua accipiat. *Ephes. 4.*

Cùm igitur tot Religiosis instituendis & perficiendis, cùm tanto Societatis gubernandæ & stabiliendæ muneri, cùm restaurandæ & amplificandæ Ecclesiæ, heu! nimiùm hæresibus discissæ, excitaretur Ignatius; num quid non illi, cuius institutio breui vtroque orbe diffundenda erat, æquum fuit, clarissimæ lucis illustres immitti radios, tot nationibus clarandis efficaces?

Discamus etiam hinc, qua moderatione de multis, maximeque femineis, quæ circumferuntur reuelationibus iudicemus: vt neque temerè fidem abrogemus; neque illarum admiratores, non sine grauioris erroris periculo, nimis inadamus. Nec enim ægrè, quod iuxta muliebre munus, & gratiam *deuoti femineisexus* est, illis concesserò; nempe vt quædam quæ sibi agenda sunt, dilucidè vereque à Deo cognoscant, rerum quoque sacratum & summarum, confusas quasdam, & deuotioni inseruientes imagines animo efformatas gerant, lumina quoque *terminis quibusdam certis circumscripta*, nempe *in opus ministerij* ipsis demãdati. Huc spectat sensus, & quodammodo gustatio rerum sanctiorum, verba quæ in priuato colloquio vim habeant ad permouendum, vel ea docendum quæ ad actionem & mores faciunt. At verò vt vel mihi Scripturas enarrare, & SS. Trinitatis mysteria docere, vel eiusmodi abstrusiora velint explanare, non feram: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione: Docere autem mulieri non permitto.* Quòd si sæculo- *1. Timot. 2.*

rum omnium memoriam conteſtari volueris, quid ſolidæ vnquam doctrinæ ab eis profectum reperies? Et vt de mulieribus non agam, exceptis paucis quos diximus Apoſtolicis viris, conſule eiuſmodi θεοδιδάκτους homines, reperies ſenſum ſacrarum Literarum contortum, alienum, minimeque genuinum, doctrinam cum ſanctis Eccleſiæ Doctoribus parum conſentientem, explicationis ac non rarò excuſationis indigam, ſermonem ab vſu communi receptoque recedentem, ac res vulgares & claras, vt raras & obſcuras, dum euoluere ſatagit, inuoluentē. Quo fit vt planè intra ſuos mihi limites coërcendi eſſe videantur, nempe vt viri boni, viri ſancti, ſibique aliquando vtiles, & nunc in cælo beati, ſi mores probant, credantur; at ne propterea ſcientiæ magiſtri, ne doctores, ne viæ ab aliis ſectandæ demonſtratores optimi credantur.

Id eſt, diuinitus edocti.

Et quoniam de via monſtranda, de methodo & arte ſæpè ſum locutus: hunc locum finio, vnum ſi monuero; quædam eſſe quorum ars traditur, & arte atque induſtria obtinentur, vt fermè artes humanæ: quædam verò quæ arte atque induſtria comparari non poſſunt, & meliùs tamen arte traduntur, non quòd illorum ſit ars, ſed quòd ad illa perueniendi, ſeu pertendendi ſit quædam ars; ac ſi quodammodo viam te docuero qua poſſis ad caſtrum aliquod accedere, quod vndique prærupta foſſis inacceſſum ſit niſi nauigio: hîc vides, commonſtrationem meam, tibi factum beneficium, quantūuis poſtea nauicula ſit opus. Sic orationis, meditationis, contemplationis præcepta traduntur, nec ad earum tamen perfectionem præceptis peruenitur: quippe cùm ad ſummam infinitamq; Dei maieſtatem cogitatum hominis extollant, fieri nequit vt ad earum arcem occupādam, humana cuiuſquam doctrina ſufficiat. At quia ritè conātibus, benefica Dei gratia, quæ propiùs accedentes tranſuehat, numquam deeſt, conatūs verò certiores perfectioreſque ratione & arte redduntur quàm ſolo caſu, & indiſpenſato impetu: propterea ſecuriùs quodammodo, & compendiariò nos in Deum euocant, qui cogitationum regendarum, diuinæque gratiæ præparandarum, certam & claram methodum ſcribunt. Hoc autem præ ceteris B. Ignatium perfeciſſe, cùm experientia docet, tum ea quæ de oratione dixi probant.

Art. 7. *An contemplationis eius quæ ſit oratio, plura ſint genera.*

Hæc breuiter percurram, quo illa quæ adhuc dixi, clariora euadāt. Sunt enim qui nobis plura contemplationum nomina ingerentes, totidem varias adinueniſſe ſe, vel ſaltem agnouiſſe gratulantur: cuius rei non in ipſis verbis hæret incommodum, ſed conſequens eſt, vt non vno, ſed multiplici ſcopo propoſito, laborum noſtrorum ad finem directio in incertum aberret.

Varias contemplationis diuiſiones antè protulimus: verùm, vt verbo dicam, eius quæ ſit oratio, & abs mente diuina luce colluſtrata fiat, vnicum genus, ſiue, vt preſſiùs cum Logicis dicam, ſpeciē vnam credo; nec niſi modo, vel tempore, vel

vel materia, vel perfectione, vel aliqua circumstantia distingui. Quippe quemadmodum visus & intuitus oculi, specie non distinguitur, quamuis diutiùs, cõtentiùs, remissiùs, clariùs, obscuriùs, vnam aut res plures specie diuersissimas inspiciat: ita non est diuersus animi intuitus, seu, quod idem est, non est diuersa cõtemplatio, si breuior, longior, contenta, remissa, obscura, clara, laboriosa, facilis, subita, præuisa, perfectior, imperfectior, lætior, tristior fuerit. Vix enim nisi huiusmodi quasdam distinctiones intercedere qui attentiùs introspexerit deprehendet. Quod vt ipsis rebus euincam, nonnulla quæ proferuntur referam.

Quædam est, inquiunt, contemplatio *quietudinis & silentij*, in qua cessat creaturarum strepitus, Deus loquitur, audit anima, leniterq; nullis alijs interturbata motibus contemplationi acquiescit. Tantóne hoc erat nobis molimine promittendum, quasique de quadam abysso eruendum? quid hîc aliud, quàm *primum indifferentiæ fundamentum à B. Patre positum*, cui orandi vsus accesserit? quid nisi contemplatio tranquilla? Sed pergamus: Est, aiunt, oratio *præsentiæ Dei*, qui non foris, sed in nobis ipsis quæratur: at iam olim Nouitij didicimus, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*: Beatusque Pater, nónne in contemplatione de amore, docet in nobis esse Deum, & nos eius esse templum? Sed en alia; contemplatio hæc est *solatium in cruce, voluntas curis exsoluta*: quid hîc dicam, nisi quòd & sunt effectus contemplationis, non ipsa contemplatio, nec est voluntas, sed voluntatis actus, quare, quod antè monui, piè & benignè, sed & prudenter intelligenda sunt: verumtamen hoc ipsum quanto excelsiùs in 2. & 3. gradu humilitatis B. Ignatius tradidit? Audiamus num quid aliud; si mentis eæ illustrationes sic mentem totam occupent vt etiam à sensibus alienent, *ecstasis* dicitur; si subitò & derepentè incurrunt, *volatus* quasi columbæ liquidum aëra celeri penna secantis: ad quæ tria, benè monere solent non aspirandum esse. Hæc autem licet vera sint, aliud tamen contemplationis genus haud denotant, sed non aliter perfectiorem, & (vt ita dicam) penetrantiorem, quàm Archimedis fuere studia præ ceteris, cùm vsque eò illorum ardore raperetur, nihil vt eorum perciperet, quæ circa se fierent. Possem è D. Bernardo, D. Bonauentura, Richardo & aliis exempla varia proferre, sed hoc veritati probandæ sit satis. Quamquam libens fateor Auctores eos qui eiusmodi scribunt, sæpè non asserere, diuersæne omnino, an tantùm diuersi sunt eiusdem orationis modi; sed hæc à me dicta sunt, vt clara & certa proferrem, doceremque non tantùm nõ esse extra libellum Exercitiorum, quasi in alienigenarum puteis, aquam deuotionis quærendam, sed à Domino per Beatum Patriarcham nostrum datum nobis fontem viuum, vnde limpidiùs & perenniter haurire possimus, & ad maiorem illo solo duce & auspice perfectionem peruenire, quàm si alium abs eo adhiberemus. Et verò iniuriam B. Patri fecerit, qui ipsius Religioni alium aliquem magistrum, & præstantioris orationis doctorem datum affirmarit: quod quia neminem affirmaturum scio, non agam pluribus, id verò consequens esse assero, vt si orationis, ea quæ in Societate

tate possunt esse præstantissima docuit, nihil autem de illa nisi in libello Exercitiorum docuit, inde necessariò eruendum, inde illud ipsum præstantissimum sit depromendum.

Quòd autem non omnes id aduertant, causam dedi; quòd liber hic, vsum potiùs, & præceptorum gustum, quàm lectionem perfunctoriam quærat, & contrà quàm alij ex fumo fulgorem, quàm ex fulgore fumum dare malens, nolit verbis magnificis vulgares sensus attollere, sed sensus reconditos plana & aperta dictione vestire. Quod prudentissimè & sapientissimè ab illo factū est, qui sapientibus & insipientibus vtilem operam nauare cupiebat. Videbat enim ea se scripsisse, quibus ad summa quæque peruidenda & vsurpanda, qui tantarum rerum capaces essent, perducerentur, quorum verò non tanta vis esset animi, illi sua se mediocritate quieti inuoluerent, fructus quasi generi suo conuenientes ferrent, potiùs quàm alta sapiendo arescerent: ac interim ita constanter perseuerando copiosiorem diuinæ liberalitatis gratiam iritarent, quæ illos supra se altiùs euheret.

Certè enim quatuor sunt quæ me ab istiusmodi turgescentibus ampla promissione, & verborum nouitate libris abstrahunt. Primò, quòd circulatim, multaque ambage nullam certam progressui viam denotant. Secundò, quòd magna promittentes, vt plurimùm pauca & vilia exhibent. Tertiò, quòd promissis illecti multi, supra vires, & indiscretè audent. Quartò, quòd inquietos, quasi præcipitis nihil dum egerint, nihil perfectionis acquisierint, multos viros bonos reddant; indeque illusionibus dæmonis magis obnoxios. Neque verò ab abusu hæc argumenta promuntur: cùm enim, vt docuimus, non sit noua vlla orationis forma, cumque vt ipsimet asserunt, non violento conatu, sed vocante Deo permeditationem, & consuetam contemplationem perficiatur animus, nónne eiusmodi pollicitationes sine causa exaggerare, est voluntariè alios in fraudem illicere? Mitto quòd iste tumor dicendi, parum sit humilitati Christianæ congruus, indeque fortè non rarò res pertenues in immensum laudibus extollunt: quod an sine aliqua vanitate, vel propriarum, & ad nos attinentium rerum amore nimio fieri possit, aliorum esto iudicium. Nos verò de singulis optimè sentiamus, optimaque voluntate viros præditos, honorisque diuini zelo ad scribendum impulsos, & veneremur & amemus, & meritorum quæ plurima magno conatu congregarunt, vna in caritate participes fieri optemus: quod mihi pro sua benignitate concedat, grauioresque meos condonet errores Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus vnus in sæcula, Amen.

SYNO-

Cùm ad meditandū accenditur: debet intellectus
- intelligere rem
  - historicam, cōtemplando
    - personas, & earum { ætatem, dignitatem, formam, sexum, robur, firmitatem, educationem, nobilitatem, modestiam, venerationem.
    - verba, & sermonem, silentium ue, rebus & personis conuenientia, dialogismos & diuerbia, quæ esse potuere.
    - actiones, & earum { naturam, arduitatem, modum, celeritatem, tarditatem, tempus, auxilia, & circumstantias.
    - finem actionis, & partium eius, & quàm omnia apta ad finem { se superandi: virtutem acquirendi: proximo prælucendi: Dei honorem promouendi: pro peccatis satisfaciendi: Dei gratias impetrandi.
    - quo effectu seu fructu { aliorum qui vident & permouentur. { suo { hic se ipsos perficiendi in alteram vitam maioris gloriæ.
    - cogitatus & affectus eorum qui sic agunt, vt qua animi alacritate, quid præ oculis habentes, qua interdum tentatione & fluctuatione, qua deinde animatione, consolatione, desolatione res peractæ.
  - non historicā (ad quam historica sensim deuenit) qualis est virtus, in ea
    - spectādo
      - Honestatem, & pulchritudinem { tum communem, quà virtus est. { tum propriam, quæ eiusmodi est.
      - Vtilitatem, in { animæ sanitate: vitij depulsione: { perturbationum sedatione: habilitate ad bonum: { honore coram Angelis, hominibus, & Deo: { meritis gloriæ: vita æterna.
      - Facilitatem, quam probant, aut faciunt { animus impauidus, & fortis: { natura, cui maximè consonat virtus: { exempla Sanctorum: terror iudiciorum Dei: { ineuitabilis rectè agendi necessitas: { auxilia cælitus, à Sanctis, ab angelis, à Deo parata.
    - quærendo
      - quid illi repugnet.
      - quas in contrarium vitium propensiones habeamus. } & hæc quomodo optimè vitari
      - quæ argumenta tentationes ue contra insurrecturæ. } possint.
      - quibus vijs, quàm sensim, qua moderatione, vel incitatione hæc virtus comparetur: quamq; hæc exercere honestum, facile, vtile, necessariū sit.

intellectu rei iuxta naturam suam, & circumstantias bene perpensæ.

- iudicare practicè
  - quàm sibi ea res conueniat, quàm inde doceatur aptè
    - Hoc videbit comparādo
      - personas personis
      - verba verbis
      - opera operibus
      - finem fini
      - affectus affectibus
      - effectus effectibus
    - vt { nobilior est: delicatior, verba, & res duriores perfert: ipso melioris vitæ initio: non religiosus: in patria: in suorum oculis: vt leuiora peccata puniat: vt altiores spiritus comprimat: & hinc se ipsum tātopere perfecit, tot gratijs cumulatus est, vel nullo suo peccato, ad altorū salutē, ad exemplum, ad Patris Dei gloriā.
  - quàm multum absit ab ea perfectione, quàm conari debeat ad imitationem.

Volũtas incitanda est ad varios affectus, vt

- Amorem
  - Concupiscentiæ, quo rem aliquam propter me, vel alterum cui commoda est amo.
  - Benevolentiæ, qui vel
    - approbationis, cùm istius rei intuitus & perfectio placet,
    - amicitiæ & caritatis, cùm voluntatum in rem bonam consensio intercedit.

  amor autẽ, bonitatis cupidine incitatur. Est verò bonum multiplex: nempe
  - naturæ suæ perfectionem consecutum.
  - conueniens, concordans, assimile alteri.
  - munificum, liberale, facilè sua ceteris bona communicans.

  quod virtutibus, vt prudentia, fide, &c. praditum est.

- Desiderium: quod iritatur exaggeratione
  - Honesti
  - Facilis
  - Vtilis & Iucundi.
- Gaudium seu lætitiam in bono præsente: quæ excitatur
  - ob multa nobis præsentia bona.
  - ex persona eius Sancti quam induimus.
  - ex quiete, sensu, natura cuiusuis boni operis.
- Tristitiã, quia
  - multa imperfecta habemus,
  - multis bonis caremus

  & hinc
  - lætitia moderatior & certior,
  - humilitas & gratitudo maior.
- Spem, quam fouent
  - virtutis facilitas:
  - exempla & auxilia Sanctorum, & Angelorum:
  - Dei bonitas, & promissa: Christiq; Domini merita.
- Timorem, non
  - vilem:
  - ignauum:
  - perturbatũ:

  sed
  - magnanimũ
  - gnauum
  - sedatum

  sedula cogitatione
  - nostræ imbecillitatis:
  - insidiarum & hostiũ:
  - iudiciorum Dei.
- Audaciam, necessitate cogente.
- Iram, excandescendo in peccatum, & ea quæ vel animæ, vel inimica sunt Deo.

Ex his affectibus oriuntur musi.

Et hi affectus nostræ materiæ sufficiunt. Odium enim, fugam, desperationem nolumus: quamquam odium ex amore, fuga (si quando conuenerint) ex desiderio docetur.

Hos primos affectus, eos etiam qui ex his oriuntur & misti sunt conseruamus, augemus, perficimus: Primò, intuendo quomodo Christus Dominus & Sancti afficerentur, quidq; persentiscerent in sedum talia agerent; Secundò, personam illorum subeundo, idq; sentiendo quod ipsi; Tertiò, ratiocinando & ingendo, quanto magis nos idem sentire, eôdem ferri debeamus.

Affectus

Affectus misti sunt:

- Admiratio, quæ est intellectus, immodicam aliquam exsuperantiam obstupescentis, & voluntati quasi quendam horrorem vel stuporem inferentis, vt in vno obtutu hæreat: estq; varia, vt de
  - summi Dei perfectionibus & iudicijs.
  - mysterijs & excellentia Domini nostri Iesu Christi.
  - perfectionibus & gloria Beatissimæ Virginis.
  - Angelicarum mentium natura, & in homines cura.
  - Sanctorum trophæis, & gestis.
  - mundi totius connexione, & ornatu.
  - actionibus hominum admirandis.
  - virtutibus aut vitijs supra communem modum.
  - inopinatis euentis, & contrariorum conspiratione in vnum.
  - denique se varijs affectibus adiungit, vt admiretur amorem, odium, spem, &c. & vehementius eos inflammat.
- Exclamatio, Interrogatio: quæ sunt modi, admirationi, & cuiuis affectui, ac ratiocinationi explicandæ, animoq; obijciendæ apti.
- Actio gratiarum: quæ est actus gratitudinis
  - agnoscentis beneficia, indigne collata liberalissimè.
  - in diuinas laudes erumpentis, & alia in easdem incitantis.
  - omnia in Deum referentis, omnia Deo offerentis.
- Resignatio sui in Deum, qua se homo Deo suo tradit magna caritate & fiducia
  - ad omnia durissima,
  - diuturnissima,
  - sine detractione,
  - in omne tempus,
  - immò in æternum
- Formido diuinorum iudiciorum in
  - dispensatione diuinæ gratiæ,
  - seueritate vltimæ sententiæ.
- Detestatio peccati, cuius malitiæ damnorumq; non satis æstimari potest grauitas.
- Commiseratio, seu compassio
  - eiusmodi personæ,
  - sic afflictæ,
  - à talibus,
  - tam innocenter,
  - tali fructu, & exitu.
- Abnegatio propriæ voluntatis respectu
  - nostri, vt illi vbicumque licet obsistamus.
  - inferiorum, qualicuerit obsequendo.
  - æqualium, deferendo.
  - maiorum, ex animo, & perfectè obediendo.
  - Dei, nos in omnibus ei conformando.
- Desiderium mortificationis
  - respuendo sensui grata,
  - vsurpando sensui molesta,
  - subeundo honori aduersa.

  quia cupit
  - seipsum vincere,
  - perfectionem acquirere,
  - satisfacere pro peccatis,
  - Sanctos imitari.
- Contemtus huius vitæ, desiderium æternæ.
- Imitatio rectè factorum, & virtutum.
- Desiderium perfectionis.
- Zelus animarum & honoris diuini.

ijsdem, quibus primò excitati sunt, causis, accuratiùs & melius expensis.

Excitati affectus acriùs incitantur

- tarditatis & cũctationis depulsione. Tarditas verò oritur
  - laborum, & periculorum formidine:
  - eò quod malum parum extimescendum, parum amandum bonum putatur:
  - consuetudine pigritandi, & naturæ tarditate:
  - viribus affectui imparibus:

  contra quæ
  - opponendi labores, & pericula æterna.
  - virtutis iucunditas & gratiæ copia ostentanda.
  - boni & mali momenta diligentiùs æstimentur.
  - diuina seueritas & sanctior consuetudo opponatur.
  - si corporis, consule prudentem; si animi vires agantur, spera in Domino, & mutabis fortunam. dinem.

- non planè & nudè, sed incitatè & neruosè illos proponendo: quod ab initio curandum frequentatis
  - apostrophis seu alloquijs ad
    - Deum,
    - angelos, Sanctos,
    - corpus, & animam suam,
    - homines,
    - affectus, virtutes, vitia,
    - cælum, terram,
    - domum, loca, tempora,
    - spectatores, instrumenta,
    - adiuncta, & alia prosopopœiæ apta.

    & quidem in his instar potẽ ratiocinando, & argumentis vrgendo: vt videin cap. 14.
  - exclamationibus:
  - interrogationibus:
  - obiurgationibus sui, & aliorum:
  - reprehensionibus:
  - sui cum alijs comparationibus:
  - correctionibus: vt, Quid dico? da veniam: sed quidni sic dicerem?
- Euicta repugnantia, quando persuasa voluntas placidè conquieuit, firmatur colloquijs non ratiocinantibus, sed inflammatis, quibus is qui meditatur se sistit
  - sui per tentatione, auguratione, coniectura: Quid feciſſes, ibi si fuiſſes? ceßisſes malis, & cederes! ô ignauißimum.
  - Sancto alicui, vel Beatissimæ Virg.
  - Christo Domino:
  - alicui SS. Trinitatis personæ:
  - SS. Trinitati:

  vt
  - Domino:
  - amico:
  - sponso:
  - iudici:
  - Creatori:
  - Redemtori:
  - bonorum fonti:
  - potenti:
  - sapiẽti, &c.

  corã eo
  - sperando:
  - timendo:
  - se accusando:
  - deprecando:
  - erubescendo:
  - implorando:
  - obtestando:
  - promittendo:
  - & variè se se erigendo, ac offerendo

  & ad singula postulando
  - lumen ad boni malig cognitionem.
  - consilium ad electionem.
  - auxilium ad agendum fortiter & perseuerandum.
  - Vel si in agendis nõ versamur: admirationem & amore finimus.

Nota, eadem quæ hìc sui causa fiunt & à Deo petuntur, alterius etiam causa facienda & petenda esse: pro alio sperando, timendo, alium excusando, pœnas deprecando, intercessores illi conquirendo & adhibendo, per Sanctorum, vel Christi Domini merita illi Deum inflectendo, &c.

In

- *In virtutibus, & præclarè factis contemplari possumus*
  - *Christum Dominum*
    - *fontem omnis gratiæ, à quo hæc ipsa profluxit:*
    - *nunc sic illustrantem, & docentem hanc benè agendi rationem:*
    - *exemplar omnis, atque adeò huius, perfectionis:*
    - *qui meritus est, vt nunc tale bonum fiat:*
    - *defensorem contra dæmonem, & ea quæ bonum impedirent:*
    - *promotorem, & incitatorem in bonum:*
    - *spectatorem applaudentem, & agonotheram dantem coronas.*
  - *Deum ipsum, vt*
    - *tum temporis à Sanctis dum ea peragerent, aspectabatur:*
    - *à quo illa bona actio procedit: cuius aliqua perfectio per eam indicatur; & in quo perfectiùs idipsum eminet:*
    - *insidentem, & præsidentem isti animæ:*
    - *se mercedem illi operi facientem:*
    - *nobis posteris, tum cùm ista fierent prouidentem: & nunc etiam illa menti nostræ obiectantem; ac eôdem, gratiæ stimulis incitantem.*

LIBER SEPTIMVS,

De Beatissimæ Virginis patrocinio, & imitatione Sanctorum.

NOn possum quin eius, cuius amorem imis visceribus inditum, auxilium quouis tempore, quibuscumque in rebus semper expetitum esse oportet, Beatissimæ misericordiæ matris mentionem faciam. Est enim & perseuerantiæ, & æternæ salutis præsidium certissimum, cùm ab illa, & per illam bonum omne miseris mortalibus obueniat. Sed prolixioris id esset scriptionis, nec satis huic consentaneæ sunt in hoc argumento feliciter versati P. Platus, P. Costerus, P. Spinelli, ac propemodum adhuc prælo calens P. Ioannes Bourghesius de Patrocinio Deiparæ ad homines Societatis, præ quibus par est vt infantia mea conticescat. De eiusdem imitatione, aureus etiam exstat P. Ariæ tractatus. Hos si consules, nihil à me desiderabis.

Hærebo in Imitatione Sanctorum, quæ & iucunditatis & præsidij non parum ad omnem perfectionem & perseuerantiam confert, dum & eorum notatio permouet, & apud Deum exoratio promouet. Non latiùs me efferam, sed quædam potiora sectabor.

CAPVT I.

De exemplis Sanctorum.

l. de bono pudic. n. 4. Pacat.

PLus proficitur cùm in rem præsentem venitur, inquit D. Cyprianus, *nec de virtute dubitatur, quando quod præcipitur, exemplis etiam signatur*: nec rarò fit, vt *exasperet homines imperata correctio, at blandissimè iubetur exemplo.* Ideoque bonus & misericors Deus *electorum vitam prauitati nostræ contrariam, ad arguendos nos instruendosque multiplicat, vt qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil sibi mens nostra difficile æstimet, quod perfectè peragi ab aliis videt.* Ita sanè, si præterita retrò sæcula memoria repetere velimus, multas, easque mirabiles animorum conuersiones, ex hoc emanasse fonte reperiemus: atque vt ne totam Christianæ religionis amplitudinem, tum exemplis virtutum, tum ada-

Greg. l. 9. Mor. c. 35. vel 43.

adamatæ fortitudini Martyrum deberi dicam, vt innumeras Religioſorum cateruas omittam quæ ſe totæ ad vnius veſtigia ſectanda contulerunt: nónne clariſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinum, è fœdiſſima & impotentiſſima multorum annorum ſeruitute, in libertatem filiorum Dei, Sanctorum aſſeruit exemplum? Quid? Ignatio noſtro, qui totidem propemodum annos, ambitioſæ vanitati ſe mancipio dederat, quis aurem vellicauit, aperuit oculos, ad ſanctiora excitauit, & ad perfectionem viam commonſtrauit, niſi lecta, notata, perpenſa exempla Sanctorum? Poſt hos alium vllum commemorare piget: ſi enim tantos eò vſque promouere potuerunt, quidni in ceterorum omnium animis multò faciliora perſuadere poſſe credantur?

Neque verò tarditatis & cunctationis aliquorum inſulſam eam occaſionem moror, qua hoc ipſo ſe retardari ab inſequendis ijs aſſerunt, quòd vident eſſe facta abs illis qui ſe vulgo ſecernentes, longè ſupra ceteros extulerunt: nam præterquàm quòd ſtultam & abſurdam eam excuſationem meritò nuncupat S. Chryſoſtomus, his præterea ipſis verbis abundè confutat. *Ille Paulus erat, ille Petrus erat, ille Ioannes erat*, inquis, qualis ego non ſum, ideoque quod potuere non poſſum. *Quid eſt, Ille Paulus erat, dic mihi: quid eſt, Ille Petrus erat? Nónne eiuſdem naturæ erant cuius & nos? nónne eadem via ingreſſi ſunt mundum, qua & nos? nónne iiſdem cibis vtebantur, atque eundem reſpirabant aërem? nónne ijſdem vitæ vſibus agebantur? nónne aliqui ipſorum etiam coniugia experti ſunt, & liberos procrearunt? Quidam verò ipſorum etiam opifices communium artium erant? Alij verò, & lapſus perpeſi ſunt peccatorum, atque in vltimum malorum barathrum deciderunt. Sed multum, inquis, gratiæ illi acceperunt à Domino. Si quidem mortuos ſuſcitare iuberemur, aut oculos aperire cæcorum, aut mundare leproſos, aut claudos erigere, aut dæmones effugare, aliaſque his ſimiles ſanare ægritudines: ſi operationum virtus quæreretur, locum haberet iſta reſponſio: ſi verò vitæ à nobis obſeruantia conuerſationiſque requiritur, ſi obedientiæ perfectio; quid facit ad hæc iſta narratio? Et tu enim accepiſti gratiam Dei.* Ac mox, quibuſdam interiectis: *Sed quoniam non ſola gratia Dei hoc agit: requiritur enim vt & nos, quod in propoſito noſtro, & viribus noſtris eſt expleamus: idcirco, venit quidem ad vnumquemque gratia Dei, ſed apud eos qui dignè explent ea quæ mandata ipſis ſunt, permanet: ab iis verò, qui minùs dignè agunt, citò diſcedit. Rectas enim mentes diligit, & ſine fuco propoſitum. Et tu quidem, ſi facias omnia quæ in te ſunt, ſperare debes quæ à Deo ſunt: aderit namque & tibi, ſi tu ipſe priùs non defueris tibi. Noſtrum tantùm*, inquit D. Cyprianus *ſitiat pectus & pateat: quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.* Quam in rem aptè admodum, & vt ſolet excitatè D. Bernardus: *Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiam, ſed iuſtiùs forſan ipſa ſibi queratur gratia, deeſſe nonnullos. Omnipotens & bonus eſt Deus — qui magno eius amore, magna profitentibus, & in fide & ſpe gratiæ eius maiora ſuis viribus aggredientibus, & voluntatem, & deſiderium ſuggerit in idipſum, & qui voluntatis gratiam præ-*

De compunctione l. 1.

Orat. quòd nemo lad. niſi à ſe. Epiſt. 2.

Serm. 17. de diu. De ſolit. vitæ.

prærogauit, subrogabit etiam virtutem ad prouentum. Cui cùm fideliter fecerit homo quod potuerit, calumniante calumniatore, ipse misericorditer pauperi suo iudicium faciet, quia quod habuit hoc fecit.

Sed hæc obiter dicta sint, ne quis animo contrahatur, & inde retardetur, vnde incitari debuerat: sanctiùs & verius cogitant, qui se illis quorum beatitudinem æmulantur, vitæ quoque bonitate assimiles esse desiderant. Verissimè quippe Magnus ille Basilius, *Qua ratione*, inquit, qui Sanctis dispares fuerimus, *vitæ beatitudinem, & æquale cum Sanctis, in cælesti republica ius municipium, & cum angelis inenarrabilem lætitiam, ante Christi conspectum nobis pollicemur?* Prorsus amentium est, talia secum comminisci. *Quomodo enim vnà cum Iob potero ego collocari, qui ne vulgarem quidem afflictationem, vmquam cum gratulatione susceperim? Quomodo cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostes non adhibuerim? Quomodo cum Daniele, qui non per continentem abstinentiam, & precationem sedulam, Deum exquisierim? Quomodo denique cum singulis sanctis viris, qui illorum vestigia secutus non fuerim? Quis quæso ludorum gymnicorum arbiter adeò nullo est iudicio, qui paribus censeat oportere coronis dignari, & qui ex certamine victores euaserint, & qui nullum in certaminibus laborem suscipere voluerint? Quis exercitus ductor vmquam in æquam partem prædæ, cum victoribus vocauit eos, qui nusquam in prælio comparuerint? Atenim bonus est Deus: at idem etiam est iustus. Porro iustitiæ proprium est, vt suum cuique pro merito reddatur: sicut scriptum est, Bonis benefac Domine, declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Ita quidem Sanctus ille, de Sanctis loquitur: quæ si quando attentiùs cogito, mei sanè me non parum, & piget, & pudet: itáne verò de tua, Beate P. Ignati, in cælis in æternum societate adeunda, & gloriæ hereditate herciscunda cogitem? quin potiùs cum Publicano, cum filio Prodigo defixis humi oculis, tantæ excellsitatis aspectu me profitebor indignum. quid enim? quamcumque melioris vitæ tuæ partem introspexero, multa eam virtute coruscantem intueor; meam verò, desidis & ignauia torpentis, omni bono destitutam: quàm feruentes in te fuere vitæ melioris exorsus! quàm constans, & nusquam remissus ad extremum vsque cursus! quàm acriter de superiore & licentiore vita pœnæ sumtæ! quàm omnis cuiuscumque rei, vel famæ vanæ amor medullitus è corde sublatus, totusque in Deum ardentissimè translatus! quantus deuotionis feruor, actionis circumspectio, nusquam à Deo exerrans, & nihil non caritate complectens cogitatio! quot, bone Deus, & quanti labores exantlati! quàm indefessa diuini honoris promouendi cura! quanta in excelsissimo animo humilitas, in prudentissimo viro simplicitas, in distractissimo præsentia animi, in iracundissimo mansuetudo, in morbis languido robur! quanta denique omnium corporis motuum, affectuum, cogitatuum, sub vna moderatrice ratione, & quàm ordinata compositio! quan-

Prœm. in reg. fus.

quantus, vt verbo dicam, quamque perfectus concentus & quasi quædam encyclopædia virtutum! Hæc si contemplatus fuero, oculisque ad me miserum conuersis, contraria omnia in me deprehendero, quid mihi nisi pudor, nisi luctus restat, & timor, ne diuersa sectantem, diuersa maneant loca, & æternæ participatione mercedis excludar, qui earumdem virtutum nitore, minùs comperiar exornatus. Sed tamen hic pudor, hic timor conatum acuat: nam & nobis magna vincendi necessitas incumbit, conantique quod in se pro virium suarum modulo est, numquam deest bonus Deus, qui omnibus bona & iusta volentibus, æternitatis suæ gloriam patere, pro summæ suæ largitatis immensitate decreuit.

Sed satis vniuersè de exemplo sit dictum: cuius duplex est vis, vna & potissima, & ad quam cetera referri debent, est imitatio: altera multiplici, vel cognitionis, vel solatij, vel vtilitatum aliarum capite continetur. De vtraque dicamus, sed de imitatione primùm.

CAPVT II.

Quid sit imitatio: eius origo, antiquitas, & necessitas.

IMitatio est, vnius, aut plurium actionum, ad alteram nobis propositam, quæsita & de industria affectata conformatio: cuius clarissimum in pictoribus exemplum videmus; quorum ars tota, eiusque artis summa perfectio, in imitandis atque referendis rerum formis, figuris coloribusque consistit, & quo propiùs ad earum similitudinem accesserint, viuasque quodammodo aspirantes imagines expressérint, tantò absolutiora suæ artis opera edidisse censentur. Id ipsum tota humana vita sic vsurpat, vt latissimè per omnes eius partes imitatio peruagetur, iamque assiduitate nimia notari desierit: vnius enim nationis, & ciuitatis, quid est cur ijdem mores, vestitus idem, idem oris sonus, incessus, habitus, arma, studia, victus est, nisi quòd vicinia, frequentationem; frequentatio, amorem; amor, eius quod cernebatur & probabatur, imitationem peperit? inde hæc ipsa se frequenter dispertit in familias; quando hæ, sui generis aliquem, vel auctorem, vel illustratorem admiratæ, ad idem, quod ipse tenuerat, vitæ institutum domestica incitatione rapiuntur. Non rarò etiam, sua singulis est imitatio propria, cùm insito quodam à natura impetu, laudabili quidem vt plurimùm, sed & nonnumquam vitioso, certam in partem delati, id æmulantur, & consequi contendunt, quod in aliis mirantur, & putant optimum. Cumque infinita quædam propensionum varietas in hominibus reperiatur, inde tot dissimilia existunt studia in di-

uersissima tendentium, inde maximè in seligendis vitæ institutis tot variæ sententiæ, dum singuli meliora quidem sectari & imitari volunt, at in eo quod sit melius constituendo discrepant. Atque vt ne longior sim,

Ex his conijcio imitationem duplici è fonte originem ducere. Primus est innatus omni homini boni appetitus, quo fit vt vnusquisque, siue in toto vitæ suæ genere, siue in quauis eius parte id sequatur quod putat optimum, gaudeatque, si quanto potest meliore, gratiore, decentiore modo aliquid peragat. Iam verò cùm & supra hominem, & non satis vsquequaque tutum esse videatur, ita sibi fidere, vt suopte marte idem homo, & reperiat, & iudicet, & agat quod sit melius: nam & falli facilè possumus, & vix est vt sibi quisquam auctor, inuentor, & eiusdem rei perfector existat: naturæ nostræ maximè consentaneum, & ex rationis præscripto est, vt id bonum quod appetimus, & in nobis non est, foris quæramus, animaduersum diligamus, dilectum persequamur. Atque hinc alter, vnde pleno alueo profluat, imitationi fons aperitur; quando scilicet mens nostra bonum, perfectum, decorum aliquod, quo se carere putet, & cuius amore teneatur, alicubi curiosiùs notans, illud suis actionibus exprimere, in se transferre, ad eius se formam normamque componere, eadem se pulcritudine insignire conatur. Et quoniam latissimèiam hominum societas est diffusa, nihilque siue in moribus, siue in scientijs, siue in artibus, siue quouis in negotio videtur intentatum inelaboratumue superesse, idcirco, quamcumque in partem suum quiuis animum impulerit, vltrò prontùs occurrent in eodem genere plurimi, quos imitari, si non pigeat, non dedeceat: longè vt planior se nobis, quàm primis illis & priscis, perfectionis trames aperiat.

Quamquam si primum omnino sæculum, & artium nascentium exordium excipias, numquam defuit, quem in quouis genere quisque sequeretur, non ita tamen, vel abundabat copia, vel perfectio consummatioq; eminebat. Cerè iam olim scripsit D. Hieron. *Habet vnumquodque propositum, principes suos. Romani duces, imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philosophi, proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ, æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici, Sallustium, Herodotum, Liuium. Oratores, Lysiam, Demosthenem, Tullium. Et vt ad nostra veniamus, Episcopi, & Presbyteri, habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem, habeamus propositi nostri principes, Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios. Noster princeps Eliæs, noster Elisæus, nostri duces filij prophetarum, & qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis.* Ecce quomodo imitatione gloriatur, & ex ipsa lege veteri quod in noua imitetur acessit. Sed & hinc videas, non aliunde quàm ab ipsa naturæ humanæ vi, haustum imitandi studium: vnde sanè vel parum homines, vel nimio errandi studio

Epist. 13. ad Paulinum.

dio rationem propemodum exuisse, hæreticos eos dixeris, qui cùm philosophorum, Lacedæmoniorum, Romanorum dicta, facta, plenis buccis concrepent, nos à Sanctorum gestis reuoluendis quasi vi & manu facta abducunt. Insaniant ipsi, vt lubet, nos cœptum pergimus, & in cumulum addimus, etiam gloriosius esse vulgò solere, aliorum sanctitate illustrium vestigijs, electione statûs peculiaris, insistere, eorumque exemplo nobilius aliquid audere, quàm desidem, tritaque viuendi ratione contentum, vitam viuere, qualem ceteri hominum, nullo peculiaris instituti decore distinctam: sed habent nihilominùs hi quoque, & quos imitentur, & quo se infimis eximant; at nunc id non agimus.

Ceterùm ex his quæ dicta sunt elucet, vnicuique qui sanctiorem Deoq; gratiorem vitam ducere decreuit, necessarium esse, vt sibi virum aliquem sanctimonia vitæ præclarum, ob oculos ponat imitandum: quippe in hac inscientissima, & ad deteriora procliuiore natura, & facilè specie boni ad vera mala abducimur, & ægrè ad bonum contuendum oculos mentis aperimus, & denique cognitum, remissiùs, nisi aliunde incitemur, amplectimur, minimoque negotio ab omni nostra in virtutem contentione reuocamur: quibus incommodis omnibus, efficta in mente nostra viri sancti effigies, & adamata similitudo, ac præ ceteris susceptum idem vitæ institutum, eorumdemque morum publica professio medetur. iam enim constat ea non mediocriter esse bona, quæ tantopere in viro illo sancto comprobauit Deus, viuumque & nos de cælis respectans perfectionis exemplar æmulatione succendit, ac amica increpatione cessantes instimulat; neque patitur susceptæ vitæ ratio, vel ab eius imitatione aliquid discrepans, vel à moribus alienum, sed cogit quod profiteris, id explere.

CAPVT III.

Quis ad imitationem deligendus?

HAc de re optimè mihi scripsisse visus est Cassianus l. 4. cap. 38. dum ait, *Considera te de paucis & electis effectum: & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas: sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi: &, Pusillus grex cui complacuit Patri dare hereditatem.* Et Diuus Hieron. *Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur: atque vtinam hoc omnes essent, quod pauci sunt!* Sed ad Cassianum redeamus, qui id ipsum altero pòst capite, longè optimè, & dilucidiùs asserit. *Exempla tibi sunt*, inquit, *imitationis, ac vitæ perfectæ in congregatione commoranti, à paucis, imò ab vno, vel duobus, non à pluribus petenda. Nam præter id, quòd examinata vita atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam illud ex hoc vtilitatis* acce- *Epist. 28. & cont. Vigil. c. 6.*

accedit, quòd ad perfectionem propositi huius, id est, cœnobialis vitæ, diligentiùs quis vnius imbuitur ac formatur exemplo. Quibus verbis quamquam de alicuius qui in viuis degat imitatione differatur, id ipsum tamen de ea quam sum descripturus dici potest & debet.

Verùm id fortè non immeritò nonnemini dubitationem moueat, præsternè, ex iis qui nobiscum vnà degunt, an ab iis qui iam in viuis esse desiere, viuendi exempla desumere? nec desunt vtrique parti non leuia, quibus affirmetur, argumenta. Si enim virum aliquem bonum, quicum degas, imitandum elegeris, id commodi consequeris, quòd longè acriùs instigant animos ea quæ sui præsentiâ oculos feriunt, quàm quæ cogitata, sola vi mentis, vt præsentia effinguntur: gestum etiam totum, habitumque, ac integram conformationem hominis contueris, quæ neque satis explicari verbis potest, & occultam quamdam vim, multa silentio edocendi possidet: eiusdem quoque viri, est amor incitatior, sanctior frequentatio, commemoratio dulcior, conuictus carior, imitatio iucundior, & assequendi spes maior: in eius etiam si quando congressum colloquiumque ventum fuerit, quantum addit incitationis viua ipsa vox, & adspirata sanctitatis verba, quàm gratum & ad plurima propè necessarium, suæ mentis sensa proponere, dubitationes, fluctuationes, alternantes & varios animi motus illi viro committere, cuius responsis, non secùs quàm diuinis quibusdam oraculis, fidentiùs acquiescas?

Et ea quidem sic se habent, suntque animaduertenda singula, vt ex eorum quibuscum viuimus, frequentatione & consortio, vtilitatem haurire possimus. At nihilominùs, eorum qui iam in cælis morte triumphata regnant, ac præ ceteris illius, qui ei quod tu sequeris vitæ instituto fuit auctor, imitationem præferendam puto: absentiæque incommodum, multis alijs commodis abundè repensatur. Quamquam quî potest absens dici, cuius paterna semper cura suorum singulis inuigilat, qui eos de cælis contuetur, à noxijs protegit, & beneficijs longè plurimis afficit? De eiusmodi ergo patroni & exemplaris, vel beneuolentia, vel singulari sanctitate, vel eximia potestate, dubitare est nefas. restat vt actiones, & res omnes eius, ad extremum vsque, & ad minutissima quæque, exactissimè disquirentes, nihil inexploratum, & non vndequaque pertentatum prætermittamus: existimemus nihil abs eo, quamuis minutulum, non summa ratione perfectum, quam vbique scrutantes, si res ab eo præclarè gestas cognouerimus, ne putemus nobis hîc esse sistendum, sed adhæc subtiliter est indaganda factorum causa, ratio, origo, modus, destinatio seu finis, harmonia seu congruentia cum ceteris, conuenientia cum instituto vitæ: & eiusmodi complura, quæ ipsa rerum gestarum natura nos docebit.

Sed hæc à me Religiosis dicuntur, quos ego cuiuscumque sint Ordinis, eos existimo sui instituti auctores & fundatores esse nactos, qui ceteros eiusdem fami-

familiæ cùm sanctitate vitæ, tum excellentia gloriæ anteitant. Nec enim vt in humanis inuentis, sic in institutis diuinis agitur: illorum auctores, laborando, nitendo, expoliendo, paulatimque corrigendo, & experiendo proficiunt; at verò Spiritus Dei sanctus, cuius opera perfecta sunt, qui scientiæ atque perfectionis, vbi voluerit, copiosus est donator, quem ad aliquod vitæ genus instituendum seligit, ita gratia, & scientia ad id conueniente, imò exuberante (nec enim auarè, vel ad necessitatis limites angustatur) amplificè exornat, vt quicumque moribus & virtutibus eum propius expresserit, is in eius vitæ professione perfectior; qui verò longiùs ab eo recesserit, is imperfectior, & in eo vitæ genere minùs probatus habeatur. Cùm enim Religiosæ omnes familiæ, quædam sint vitæ instituta, quæ non humana ratione, vel ingenij subtilitate, aut naturæ propensione constentur, sed potiùs plurima illi aduersantia contineant, primaque sui origine ad sancti Spiritus benignam sapientiam, viro alicui sancto non obscurè demonstratam, referenda sint: consentaneum, imò necessarium fuit, vt tota eiusmodi instituti perfectio, in vno isto capite reperiretur, ne si quid eorum, quæ potissima sunt, mancum foret, esset id aliunde minùs tutò petendum, & peregrino aliquo spiritu gentinus læderetur. Plus etiam dicam, quamquam nemini, vt id credat, velim pertinaciùs obtrudere. Tanti existimo eos esse faciendos, vt putem, quando per eos Deus, omnes istius instituti ceteros ad se vocauit, totam etiam istius Ordinis gratiam, ita excellenter auctori esse collatam, vt illa distribuatur quidem in posteros, at longè inferiori gradu & copia; mihique persuadeo vnum illum, exempli gratia D. Benedictum, Franciscum, Dominicum, Ignatium, sanctitate, & gloria cæleſti, non tantùm eiusdem Ordinis singulis, sed vniuersis etiam simul sumtis eminere: & quamuis Xauerios', Laynios, Fabros, Borgias, Gonzagas, Barzæos, aliosque quàm plurimos habeamus, quantos, bone Deus, qualesque viros! in vno tamen Ignatio, plus quàm in vniuersa omnium eorum collectione, qui de Societate, vel fuerunt vel erunt, plus inquam donorum diuinorum abundare credo. Quæ opinatio, etsi nonnullis noua fortè sit futura, nihil tamen aduersum Ecclesiasticæ doctrinæ continet, nihil Sanctorum reliquis, qui institutoris sui gloriæ fauent vnicè, propterea detrahit: quin etiam, quanta verè de B. Virginis gloria dicantur cogitanti, cuius tamen in vulgus paucæ admodum celebrantur actiones, non erit difficile coniectura consequi, quomodo diuinæ gratiæ copiosioris & præcellentioris affluentia, possit vir vnus, adeò multorum, vel æquare, vel superare beatitatem. Interim, qui hoc in animum inducit suum, amorem, reuerentiam, spem, fiduciamque, non mediocriter in illum augeat necesse est, quem tanta gloriæ quasi infinitate coruscantem, tanta Dei vicinia, bonitatis & potestatis diuinæ copiosè participem, suis omnibus, vt benignissimum parentem

rentem præsidere, prouidere, deque cælis placidissimè contueri crediderit. Sed & hinc probatum certumque relinquemus, eius omnino viri imitationem, quorumuis aliorum imitationi præferendam. Singulare planè, & quod nonnisi in paucos eat priuilegium: rari enim sunt vera Religionum capita, & primigenij fontes, plures sunt reparatores, & primi decoris restitutores, de quibus vt perinde sentiamus nulla nos ratio cogit; cùm quidquid eximij operis egerint, è primi tamen institutoris radice & spiritu pullulet, ipsaque sic reparata familia, à primo semper Patre vegetetur: nec verò nouum est vt ramus tenerior, grandiorem se fructum, at non nisi succo à radice hausto proferat, riuoque tenuiore latior lacus prodeat, perpetuo tamen fonte nouis iugiter aquis perennante.

Attamen id nolim sic accipi, quasi non foret aliorum imitatio probanda: reperiuntur enim in eodem vitæ instituto, aliqui adeò præ vulgo eximij, & multifaria perfectione instructi, quales S. Maurus, Antonius de Padua, Vincentius, Xauerius, & alij plurimi exstitere, quos æmulari interdum decet: ac nonnunquam, vel persimili naturæ instinctu, vel diuiniore ad id agente impulsu, totis ad aliquem certum referendum ardent nonnulli; quia cùm aliquam quasi pulcherrimam honesti formam animo hauserint, eamq; ex alicuius præclarè factis sibi expresserint, eò vires omnes & corporis & animi conferunt, vt quoquo modo in eam se transformare, eique valeant se quàm simillimos reddere. ita in profanis Themistoclem Miltiadis, Iulium Cæsarem Alexandri gloria excitauit: nec est cur in vitæ sanctioris proposito, non possimus ijsdem quoque motibus concitari, & ijsdem, si occurrerint, propensionibus piè obsequi, & re ipsa B. Xauerium Gaspar Barzæus, Beatum Gonzagam Ioannes Bercman, videntur expressisse.

Atque hæc fermè de ijs qui ad beatiorem vitam ex hac misera euolarunt. At neque imitatione indigni censendi sunt, qui nobiscum etiamnum in terris degunt, si modò illustriore virtute decorantur: nam & ipsi illi, qui in cælis regnant Sancti, fuere in viuis aliquando numerati, at quàm rarum est, vt eiusmodi, vel reperiantur aliqui, vel agnoscantur? In ijs igitur quos passim viros bonos agnoscimus, & quibus conuiuimus, existimo moderatione vtendum, quam mox addo, sed proximo capite, quoniam breuiores & frequentiores distinctiones multis placere video: nec possum tamen fugere quin in eo quod iam dicendum est diutius inhæream.

CA-

CAPVT IV.

An in iis quos ad sanctitatem imitamur, imitanda sint omnia.

§. 1. *A pluribus variam vtilitatem esse capiendam.*

VT id quod proximè attigimus primum resumam, commendatissimũ proficere cupienti esse debet, vt ex omnium quorumcumque hominum conuersatione vtilitatem capiat: quanto ergo magis, quod nunc agimus, ex conuictu, familiaritate, aut saltem contuitu Sanctorum? Sanctos nunc eos intelligo, quos vitam probam, & virtutibus bellè instructam, viuere videmus, ideoque nos alliciunt, vt benè agendo mores eosdem referre possimus: quorum in Religiosis beneque constitutis familijs, magna est copia, cùm nemo in illis viuat, qui ad absolutam consummatamque virtutem, pro virium suarum modulo non contendat.

In hac optimorum virorum multitudine viuenti, nemo contemnendus, notanda bona singulorum, & in nos deriuanda quæ fuerint optima: quam in rem S. Antonij nobis refert præclarissimam doctrinam Cassianus. *Vetus est*, inquit, *B. Antonij admirabilisq; sententia; — monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere vnamquamque virtutem, ab his qui eam familiarius possident, deflorare, & in sui pectoris vase recondere, nec quid minùs aliquis habeat discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat contemplari, studioseq; decerpere.* Docuerat paulò antè, ab vno discretionis, ab alio patientiæ, humilitatis ab alio, ab alio continentiæ, aut simplicitatis, aut alterius virtutis exempla sumenda: vix autem, aut numquam, in vno & eodem omnia pariter posse reperiri. Quæ nequaquam diuersa sunt ab eo quod diximus, vnicum imitationi nostræ propositum esse debere: nam & S. Antonius de illo loquitur, qui discretione abundans, quid sibi ad imitandum sumendum sit, quid omittendum intelligat, aliudq; est flosculos virtutum varios, & ex pluribus minutula multa decerpere, quod vtile factu esse nemo negat: aliud totius vitæ, ritè & ex perfectione traducendæ, sibi exemplar effingere, quod non minùs vnum, quàm vnam in corpore animam esse debere assirmamus. *Lib. 5. c. 4.*

§. 2. *Quænam in imitatione sint cauenda.*

At in hac imitatione plurium cauenda sunt nonnulla; atque illud in primis, vt ne crediderimus, perfectum esse id omne, quod à viro perfecto proficisci videmus: nemo enim in hac vita numeris omnibus ita exstitit absolutus, quin alicũde in nonnullũ defectum impingat: solus fuit D. N. Iesus Christus, & Beatissima

cius

eius mater Maria, quorum in actionibus nullus vmquam nævus, deficiens, aut exuberans nihil sit repertum: quare, licet omnia in meliorem partem, quantum licuerit, interpretari deceat, non sic tamen in cuiusquam vel facta, vel verba iurandum est, vt planè nusquam ab eo tibi recedendum obstinatè putes: est enim rectæ rationi omnino repugnans, si quem propter egregiè & benè facta miraris, eundem pariter, in iis quæ minùs ex ratione fuerint, & suspicias, & imiteris. Atque hæc etiam me consideratio permouit, vt potiùs à beatis, quàm à viuis assererem viuendi exempla sumenda: viuorum enim, & bona sunt nobis, & mala ob oculos posita, at eorum qui iam decesserè, & quorum res gestæ sunt memoriæ proditæ, ea sola sunt posteritati commendata, quæ præstantiora videbantur, eaque purè, & ab imperfectionibus segregatè descripta sunt.

Est etiam, minutulum quid & affectatum, in imitatione fugiendum, quod mimicum est, iuuenile, & fermè in risum abit: in quod ne incidamus, magna decori ratio est habenda, iuuenem quippe senilis lentitudinis in incessu, in verbis, in ceteris æmulum esse dedecet; sonum vocis, nutum oculorum, situm capitis, manuum gestus, corporis flexum, & eiusmodi plura, est vbi iusta moderatione obseruare & imitari conueniat, est etiam vbi si decorum & modum excesseris, nemo sensatior exstiterit, qui non te morionem agere, nec aliud quàm ridicula putet affectare: quare non sibi soli hac in re credendum, sed aliorum quoque consulendum est iudicium, vt ea non affectemur, quæ vulgò, & meritò, minùs probari viderentur. Nec verò etiam omnia quæ non dedecerent, sunt nobis operosè sumenda: minuta enim quædam, inutilia, & exigui admodum momenti, satius fuerit præterire, quàm animi industriæque suæ vim, à melioribus abstractam, tot minimis rebus exhaurire. Breuis vita, citò præteruolat; nec ingenij nostri mediocritas, omnia amplecti potest; & non paruam iacturam facit, qui vel tempus vel industriam, in res parum vtiles collocat.

Illa igitur primò omnium, maioreque quàm possumus, conatu seligamus, quæ suo genere sint optima, & quàm latissimè pateant, vt neque bonitate decipi, nec angustia fructus operam lusisse possimus: neque verò, permediocri quadam virtutis assimilatione deliniti, priùs conquiescamus, quàm perfectissimè, id quod absolutissimum in alio miramur, ad nostrum animum imitando traduxerimus.

Sed quæ hactenus diximus, magis ad eos qui nobiscum degunt; quæ dicturi sumus, ad eos qui in cœlis, potissimè spectabunt: de quibus nec iniucundè & fructuosè quæri potest, num eos in omnibus tutò, & ratione possimus imitari? Qua in quæstione necessariò nobis imitatorum seponendi sunt errores, qui ex neglecto modo & circumstantijs existunt: vix enim ita bonum aliquid est, vt non possit, non obseruato vel modo vel tempore vitiari: quorum tamen vitiorum tractatio nostra non est.

§. 5. Sit-

§. 3. *Sitne exemplum aliquod Sanctorum admirandum, & non imitandum: & quotuplex sit.*

Eorum igitur (vt verbo dicam quod sentio) qui verè sancti fuere, nullum existimo ex virtute factum posse proferri, quod ita sit admirandum, vt non etiam, si non se toto, at potissima sui parte, sit imitandum. Neque verò vulgatam probatamque passim exemplorum in admiranda, & imitanda distinctionem propterea conuello: est ea aliquando necessaria, cùm scilicet id factum legeris, quod se toto admirationem ita concitet, vt tamen prima fronte in imitationem vix cadat: at Deo dante docebimus, id esse rarissimum, & in vno fermè genere, in quo ipso tamen seligenda tibi sint, quæ imitari conueniat; & comprimenda est in dijudicandis Sanctorum factis, seu leuitas, seu temeritas quorundam, qui ad cuiusuis, quam minùs capiant, rei auditum protinus exclamant, Admirandum! cùm tamen deceret penitiùs omnia rimari, & benè perpensis singulis, tum demum iudicare; ne pulcerrimorum exemplorum vtilitate, nostrâ nos inconsiderantiâ priuemus.

Admirandorum igitur tria sunt genera: vnum eorum, quæ propterea miramur, quòd fiant potestate quadam quæ humanam omnem & naturalem excedat, cuiusmodi solent ea esse quæ miracula vocamus, vt ægrorum sanatio subitaria & repentina, exsuscitatio mortuorum: quæque sunt eiusmodi. Alia, potestate quidem humana fiunt, sed eo animi robore, constantia, perseuerantia, duritieque infracta, vt tanta illa, tamque sibi constans in arduis rebus æqualitas, tantus rerum earum quas ceteri mirantur, tamque perpetuus despectus, tanta tamque alacris, & numquam interrupta ad superna contentio, nonnisi à firmitate & excelsitate quadam, quæ supra hominem sit, proficisci posse videatur: elucetque hoc genus in ijs, qui singulari rerum humanarum despicientia, vel intaminata ad extremum vsque conscientiæ puritate, vel calumniarum & iniuriarum, aut etiam dolorum grauium seu ab hominibus, seu à morbis illatorum perpessione, vel denique in ijs qui vltrò susceptâ duriore quadam austeritate vitæ claruere. Tertium genus admirandorum ea facta complectetur, quæ propterea miramur, quòd rationi minùs consentire videantur: siue ridicula & sine ratione fieri putentur, vt nonnulla Prophetarum catenas collo circumdantium, dies & noctes plures in vnum latus dormientium; siue etiam rationi repugnare credantur, vt virginum earum quæ sibi natum amputauere, quæque in fluuium se præcipitauere, & eius quæ se gladio transfodit; siue denique paradoxa quædam, & à communi sensu remota contineant, qualia refert Climacus eorum qui superato in cogitatione sua primo gulæ impetu, vorantium instar irruebant in cibum, ne scilicet dæmoni

viderentur ciborum abstinentes. Et hoc modo tertium hoc genus, tria diuersa complectitur.

Iam verò cùm de imitando facto agitur, nolim hoc à persona, tempore, causis, circumstantijs, separatum auocari: non magis quàm pictori exemplar propositum exprimere cupienti, sint exemplaris lineamenta, color, effigies, coniectus oculorum negligendi: vt enim primum illud quod imitaris exemplum, non fuit eiusmodi, nec eam meritum est laudem, nisi quòd ab eiusmodi viro, eo animo, eaque ratione perfectum est; ita fieri nequit, vt ad eandem factum tuum pertingat honestatem, nisi à consimili circumspectione dimanet. Quare, vt ne à pictore discedamus, curandum nobis est, vt clara luce videamus, bellè nobis expositum exemplar, nullaque, quantum fieri poterit, pars eius nos lateat, & illud in omnem partem toties cogitatione versemus, donec eius effigie perfectissimè menti commendata, & quasi expicta, non aliud supersit, quàm vt eandem etiam opere repræsentemus.

Imitabimur autem, vel totum illud factum, vel partem eius. Totum intelligo, cùm nihil in eo est quod non sit imitatione dignissimum: qualis fuit B.P. Ignatij Rhotomagum ad pecuniæ depeculatorem profectio, egregiis sanè virtutum exemplis admodum instructa, & quamuis ibi asseratur, totum id quantum fuit itineris à ieiuno confectum, quod aggredi non est cuiusuis, non tamen propterea istud in admirandis censebitur: quia tota ipsa res, eiusque destinatio, & finis est spectanda, totoque ex illo quasi corpore dijudicanda, nec propter aliquam, quæ facto illi minùs erat necessaria, adiunctam magis arduam circumstantiam, inter admiranda reponetur: quod hoc exemplo aptissimè docemur, cuius cùm sit vis permagna ad hominum animos in caritatem inimicorum permouendos, in eumque finem memoriæ commendetur, ex hoc fine, & potissimarum circumstantiarum aceruatione, planè constat, illud esse inter imitanda collocandum.

At hinc prudenter commonefit animus, vt in eis quæ narrantur, aduertat, sitne aliquid vnum quod interponitur, illi personæ singulare, solemne, & perfrequens, ac quasi perpetuum; an verò rarum & infrequens, & an huius, quasi potioris & maioris momenti causa, cetera narrentur: tum enim, si hoc ipsum admirandum fuerit, facilè tota ipsa narratio erit admiranda: at si quasi obiter, & ex occasione vel ad exaggerationem, & pleniorem narrationem ceterorum, inseratur, est planè id in ea virtutis imitatione numerandum, ad quam totius narrationis quasi corpus spectat.

Similiter meritò dicturus mihi videor, quòd cùm, in legendis vel reuoluendis Sanctorum factis, eò potissimùm animum debeamus intendere, vt eorum ad nos vitam & egregiè facta traducamus, propriumque sit exempli, vt ad imitandum vel euitandum sit expositum, lucemque rebus agendis & to-

ti

ti vitæ nostræ aspergat; si quid fuerit quod ex imitandis & admirandis permistum sit, his omissis debemus nos ad illa conuertere, & quemadmodum id corpus diceremus lucidum, quod licet aliqua sui parte non luceat, altera tamen fulgidos lucis radios euibrat, ita illud factum imitandis accensendum est, quod licet admiranda, minusque sectanda contineat, adiuncta tamen plura, imitatione digna complectitur. vt quando lego, fuisse qui suas pauperi vestes, ad nuditatem vsque tradiderit: potiùs imitandis quàm admirandis id factum adnumero, non quòd velim ad ipsam vsque nuditatem imitando deueniri, sed quòd si in nobis illa, quæ esse deberet, in Sanctos viget pietas, protinùs cogitatio nostra in id quod melius & illustrius est, obscurioribus omissis feretur, & in hac ipsa, de qua egimus, nuditate nihil indecorum, sed miram quamdam, à qua profecta est, misericordiam sui oblitam, alieni memorem contemplabitur.

Neque verò ad tenuitatis, vel imbecillitatis nostræ quasi calculos, sunt nobis augustissima sanctorum virorum facta reuocanda, & ea sola in imitandorum classe statuenda, quæ virium nostrarum, vel potiùs animi nostri, exiguitati quadrare videamus. quod enim in corporibus videmus, vt ad aliquorum hominum, vel proceritatem, vel robur, aliorum paruitas & debilitas frustrà nitatur assurgere, id ipsum, & maximè, cernitur in animorum, atque adeò vitæ bonæ, varietate permira: sunt, quibus & animus, & vires corporis, ad plurima, & maximè ardua, indefessæ sufficiunt, quorum è numero Beatum possumus proferre Xauerium; cui vix toto decennio, peragratæ quàm vastæ fuerunt Indiæ, indagati Iapones; priuata, publica, domestica pariter & externa, summa animi quiete, difficultatibus pænè inextricabilibus obiectis, tanta fide, tantaque sunt accuratione ordinata, vt in vnam laborum eius partem si respicias, cetera nulla amplecti potuisse; vniuersos autem labores si commemores, tantam singulorum curam ab homine vno suscipi potuisse neges. At heroës eiusmodi, sunt oppidò pauci; maior est multitudo nostri similium, qui vulgari mediocritate contenti, humi reptantes ad excelsiora non aspiramus, & tarditati cursus, aut potiùs testudinei gradus semel cœpti, insenescimus, & ad quoduis alicuius Sancti præclarius factum cohorrescimus, animo contrahimur, nobisque falsa persuasione blandientes, & quasi veriti, ne crebro conscientiæ nostræ ad imitationem pellicientis conuitio impulsi, perfectiora sectemur, confestim id omne in admiranda reiicimus: quanto melius fuerat saltem inde pudoris & humilitatis, veraque, quasi plurima nobis desint, quæ tamen adesse possent, confessionis fructum capere! Quamquam, neque affirmare velim, imparium virium conatus pares esse, & inæqualibus vasis æqualiter multa infundi debere. at ne ipsi nobis imponamus: multa & perquàm multa, à quibus quàm longissimè absumus, præstare possemus, si no-

nostra nos non retardaret ignauia. Ne igitur cessemus, æternoque & immenso præmio inuitante, nullius laboris aut virtutis aggressionem formidemus: non est immensæ gloriæ comparandum, quod intra modum continetur; nec potest æternitati coæquari, quod angusto temporis fine concluditur.

Est tamen, fateor, vbi discretio, omnium virtutum sapientissima moderatrix, refugiendum alicui suadeat, quod alteri suasit amplectendum: siue virium corporis, siue varietatis temporum, siue statuum, siue hominum, siue ratio alterius alicuius habeatur. Tum verò iudicium nostrum hoc limite circumscribendum est, vt exemplum istud, generatim quidem, imitationi iure meritissimo expositum credamus; at vel hoc tempore, vel omnino nobis ex aliqua certa ratione minùs conuenire vt aliquid simile præstemus, posse tamen ex eo alios à nobis capi fructus. Hinc ergo agnoscimus, non illico cuiuis, aut semper imitandum esse, id quidquid imitatu dignum est: nec etiam id omne quod aliquando, aut alicui minùs imitandum est, ab hominum imitatione in vniuersum debere remoueri.

Accidere etiam nonnumquam potest, vt factum, vel res ipsa, non sit imitanda, nec vt imitationi apta proponatur, vt sunt quædam Prophetarum, & parabolica Sanctorum, velut eius qui melitone (vt vocabant) inuerso ad ecclesiam venit; & nihilominùs causa quædam, cur facta sint, & ratio imitatione dignissima eluceat: vt in Prophetis eminet obedientia, in alio isto solertia occasionis ad molliendam reprehensionem opportunè captandæ: hoc enim volebat, vt, postquàm certatim plures eum de inuersa veste monuissent, vicissim ipse, quod & falsè dixit, regerere posset, Vestem meam semel inuersam ferre non potestis, & reclamatis, cùm ecce iam tot annos tacitus, bonarum monasterij consuetudinum vos euersores, patiens feram. Eiusmodi facta cùm contingunt, facilè quiuis agnoscit, rem ipsam imitatione non exprimendam, at personæ, & agentis hominis, aut virtutem, aut sollertiam, æmulatione dignam esse.

Alia sunt, eaque non pauca, quæ nihil admodum notatione dignum continent, & nonnullis tamen ad exprimendæ vel acuendæ virtutis formam apprimè deseruiunt: quod illi accidit qui sordes, quas videbat, aliorum, neglectum sui interpretabatur; munditiem verò, & cultum corporis, puritati & perfectioni animi deputabat, & sic vndique se ad meliora incitabat. Quo animo, ex omnibus vtilitatem capiente, præditum esse, laudabiliusne sit an conducibilius nescio. Verùm ex hac sic intuentis laude, nec propterea fiunt ipsa laudabiliora, nec imitationi aptiora censenda sunt: aliena ex industria vt id omne dependet, sic est inter aliena reputandum.

§. 4. Qui-

§. 4. *Quibus modis fiant admiranda. déque primo modo qui est, instinctu Dei.*

Sed propiùs ad admiranda veniamus: & quemadmodum varia eorum genera, ita etiam causas varias distinguamus. Et quidem si propriè de causa loquimur, quæ vi ad efficiendum prædita est, non alia esse potest quàm naturalis, aut quæ naturam excedat, vt in ijs, quæ supra naturam sunt, portentis: parumque ad rem nostram facit hæc distinctio, cùm enim eiusmodi facultate præditum esse, vel non esse, non sit electionis, aut potestatis nostræ, nihil hoc ad imitationem, quæ vniuersa in actione posita est, conferre potest. At non parum confert obseruare, quis fuerit animi impetus, quisue Sanctorum motus, quo concitati, ad eiusmodi se facinus patrandum impulerunt.

Et quidem vt ne singulares, quitot esse, quot actiones, possunt, ad agendum impetus consecter, potuerunt viri illi ad sic agendum permoueri, tribus potissimè modis: primò, peculiari & proprio instinctu Dei: secundò, sua quadam, seu virtute, seu ratione, ipsis benè cognita & perspecta, ceteris tamen ignota: tertiò, vi & impetu naturæ arduitate rerum concitatæ, non tamen naturæ solius, (hocenim Sanctorum non esset,) sed naturæ virtute instructæ, eiusque zelo inardescentis. Quæ singula paulò magis enucleanda sunt.

Et quidem cùm se nobis offert actio aliqua viri sancti, quæ longiùs à communi ratione, vel lege recedere videtur, tritissima, & cuiuis obuia, illa solet excusatio afferri, vt ex peculiari sancti Spiritus instinctu profecta dicatur, estque vel honesta ignorantiæ fatendæ declinatio, vel, ne Sanctos diiudicemus, modesta deuitatio: etenim vt hoc aliquando verum sit, at non ita passim, cùm rarissimè à communi lege recedat Deus, qui omnia suauiter, summaque ratione moderatur. Peculiaris tamen ille instinctus vbi fuerit, ipse se prodit, nec difficilè notatur: putemque bifariam eum dispertiendum: in eum scilicet qui ad illa agenda impellit, quæ planè naturæ vim superant, Deumque auctorem exigunt, & fiduciam in eum singularem, ad vnum aliquid vi quadam naturam excedente peragendum: vt in illuminatione cæcorum, excitatione mortuorum, vbi animus, fide & spe supra vulgarem, diuino impulsu instigatur. atque nulla est de hoc instinctuum genere controuersia.

In ijs autem quæ longa variorum euentuum serie ita fiunt, vt nulla quidem singularis actio naturæ limites exeat, at totus ipse ordo, & quasi catenata omnium consecutio, altiore quadam & diuiniore ratione, totam eam connexionem firmari, & quasi compaginari probet; in his, inquam, est etiam diuinus nobis & peculiaris instinctus agnoscendus, dum tamen id omne iu-

ſtum, ſanctum, & Deo dignum appareat. huic rerum generi, nobile illud Iudith factum, & à femina cæſum Holofernem annumerabimus: nec enim tantarum rerum tam mirabilem conuerſionem à femina niſi diuiniore afflata ſpiritu excogitari, nedum confici, potuiſſe credendum eſt. In hunc etiam ordinem auſa illa & conſilia aſſerendum eſt eſſe redigenda, quibus mundo ſpreto, viri ſanctimoniæ ſingularis, noua quædam Religioſæ vitæ genera moliti ſunt, vt olim Diuus Baſilius, Benedictus, Franciſcus, Dominicus, & recentiore memoria B. Ignatius: qui ſacræ militiæ noui duces, ſelectorum, & à vanitate vitæ, contra vanitatem euocatorum militum, nouos habuere delectus, eoſque ſibi poſteros emergere cupiuere, qui ſemel cœptis inſiſtendo, ea perpetuare perenniter, & maioribus incrementis, longè lateque propagare conarentur: ea autem non perinde vt Solonis aut Lycurgi inſtituta, humanæ mentis induſtria, vel excogitari, vel excogitata conſeruari & amplificari poſſunt; nam & voluptario deliciarioque quo maximè ducimur ſenſui noſtro acerrimè pugnant, & mirabilem quandam plerimarum exercitationum ſeriem continent, vnum in æternæ gloriæ finem ita ſpectantem, vt vix ad eam cogitatione aſſequendam, multoque minùs factis exequendam, pertingere, niſi diuinæ gratiæ fauore poſſimus. quare ſi, quod in confeſſo eſt, ad eam profitendam, diuina in ſingulis vocatio exigitur, quanto grandius & illuſtrius lumen, in auctoris & primi inſtitutoris animo, fuit opus?

Sed antequam pergo ad cetera, quomodo ſit his vtendum dicam; Et quidem cùm ea miranda perpetrata legimus quæ ſupra naturam ſunt, non eâ eiuſdem mirabilitatis imitatio nobis expetenda: ſolent tamen multa comitari, ex quibus plurimam poſſimus vtilitatem capere, ad fidem, ſpem, caritatem, variarumque virtutum amorem, humilitatem maiorem, & vitiorum odium concitandum.

In his verò, quæ proximè diximus tota ſua ſerie & continuatione eſſe miranda, vix eſt vnum aliquid, quod non meritò & diligentiſſimè ſit imitationi noſtræ proponendum: quamquam enim illud ipſum audere (ſi maximè perſonæ minùs conuenire, vel occaſioni peccati expoſitum eſſe iudicetur) nemo debeat, qui non eoſdem ſibi motus à Deo ſuggeri ſenſerit, vt non quamuis deceat feminam, obſeſſæ ſuæ patriæ ſic ſubuenire; at virtutes, quæ in eiuſmodi facinore peragendo eluxerunt, obſeruare conſultum eſt, vt caſtitatem, magnanimitatem, legis diuinæ obſeruationem, orationis curationem in Iuditha: ſin autem, in eiuſmodi vitæ curſu, nihil indecens reperitur, aut abſurdum, aut minùs rationi conſentaneum, qualis eſt permira illa qua ſuum excitauit Ignatius inſtitutum, prudentia, conſtantia, & viri ſancti plurima perfectio; latiſſimum in eis & ſecuriſſimum, quo noſter

ſter conatus ad imitandam virtutem excurrat, campum apertum eſſe credamus, & in eo acriter diligenterque ſudemus: reperiemus enim adeò multis, tamque confertis, ad res optimè gerendas, exemplis actiones eiuſmodi ſcatere, vt ex illis tanto plura docendi ſimus, quo ſæpiùs & acriùs mentem in earum pulcritudinem intenderimus.

Sed qui alicuius viri vitæ inſtitutum ſumſere profitendum, vniuerſa eius acta non prætereant: quin in ea exactiſſimè inquirant, ſibique perſuadeant inde elucere eum ipſum qui tali vitæ inſtituto apprimè conueniat ſpiritum, de cuius conditione & natura, etiam ex iis quæ magis peregrina videbuntur, coniecturam capiant. ſic ex lectione rerum à B. Franciſco geſtarum, eoque ipſo quòd quemdam è ſuis propè ſeminudum ſuggeſtum conſcendere, & ad populum de diuinis rebus verba facere iuſſerit; quem tamen ipſe mox, in iuſſionem ſuam animaduertens, eodem in habitu ſecutus eſt, palamque ſe damnauit imprudentiæ; videor mihi in viro ſanctiſſimo animaduertere ſimplicitatis candorem permirum, deuotionis & contemplationis curam maximam, & præ ceteris humilitatis, contemtus mundi, paupertatiſque amorem inexſaturabilem, quem ipſum non interna voluntate definiret, ſed palàm profitendo & vbicumque poſſet exercendo, & multa patiendo, nimiam quamdam contumeliarum & egeſtatis quaſi famem quadantenus expleret: quæ certè ſi quiſquam eiuſdem diſciplinæ aſſecla, perfectè intuitus expreſſerit, nequaquam à propoſito vitæ aberraſſe iudicabitur. Sin autem in Ignatium pariter curioſiùs intueri velit quiſquam, is in eo abſolutam, opinione mea, virtutum perfectionem conſummationemque deprehendet, his maximè ſtabilitam; oratione, ratione, conſideratione plurima, rerum omnium deſpicientia maxima, amore in Deum ſinceriſſimo & flagrantiſſimo, iudicij & voluntatis abnegatione ſumma, paupertatis, incommodorum, crucis & dehoneſtamentorum ardore maximo, infracto prudentis animi robore nullis vnquam vel terriculamentis vel difficultatibus cedente, Deum ſemper præ oculis habente, & præ omnibus virtutum ſolidarum cimelia commendante, ſic tamen vt nihil propè alienis datum veller oculis, fugeret quidquid in ſpeciem ſanctum, horridum, rarum, faſtoſum, & opinioni concitandæ opportunum videretur. Eius verò ad perfectiora progreſſio, perpetua & numquam fuit interrupta; ſic tamen vt ſemper feruorem diſcretio, zelum moderareturratio, cuius lumine quaſi certiſſima bolide, omnis nauigationis curſus prætentatus, ſecurior eſſet & rectior. Harum autem & ſimilium virtutum complexu atque conſecutione, exiſtet vis illa perfectioque mentis, quam in Religioſo homine Spiritum vocationis nuncupamus.

§. 5. De

§. 5. *De secundo admirandorum modo.*

Sed ad secundum, quo efficiuntur admiranda, modum transeamus quem esse diximus, quando fiunt à Sanctis virtute seu ratione ipsis bene cognita, & propria, ceteris autem ignota, & eos longè superante. Quod sic intelligendum est, viros esse quosdam ea virtutis excellentia præditos, tantaque vel perspicacitate vel maiestate mentis, vt & altioribus quibusdam, quàm vulgus proborum hominum nitantur principiis, & eorum actiones occultiore quadam & innata vi, extra omnem diiudicationis aleam secernantur, neminique quantumuis curiosiùs in eas intuenti suspectio, omnibus admiratio oriatur: longeque facilius est, quòd ita se res habeat probare, quàm cur, & quomodo id fiat edicere. Multa sunt eiusmodi Sanctorum gesta, quæ præter rationem, & indecora videantur, quæ tamen, neque in illis probrosa, & ceteris nequaquam improbabilia visa sunt, cuiusmodi lectu dignissima ex Radero nostro in parte altera Viridarij cap. 3. & 4. petiisse iucundum fuerit. de

Grad. 25. quibus docet more suo abstrusè & verissimè Climacus: eos esse verè humiles, neque curare aut metuere hominum offensam, cùm iam per orationem, virtutem eam consecuti sint, vt quæcumque fecerint, inuisibiliter omnes ædificent, omnia rutò faciant, omnibusque Deo cooperante satisfaciant. Tunc enim elucet illustrius quiddam, quod sic spectantium animos afficit, vt nullam in deterius opinationem admittant, quantumque à recepta ratione in agendo recessum fuerit, tantum putant occultioris sanctitatis veneration addendum, atque id ipsum, (quod persæpè verum est) incitandæ tarditati lentitudinique nostræ, prouidere Deum existimat.

Ex ea autem Climaci doctrina id quoque discimus, non esse res eas aliqui imitandas, quàm illis, qui eadem perfectione sint præditi: in quam etiam sententiam præclarus in Radero locus exstat, de quodam egregio sene, in diiudicandis variis animi motibus exercitatissimo; quià Iuniore, quem suum ad paradoxa quædam impetus agebat, interrogatus an eiusmodi desiderio obsequendum sibi esset, sic inter cetera respondit, *Veteres Patres hæc quidam absurda & paradoxa fecerunt, vt operum admirabilium, quæ supra vim naturæ efficiebant, gloriam velarent, & vitæ sanctissimæ, quam agebant, famam opprimerent, adeóque pro laude populari, sibi ignominiam conciliarent, & superbiæ causa & occasiones ad inferos amandarent. Te verò quid vrget, vt huiusmodi quid cures? An ignoras, etiam religiosæ vitæ esse suos gradus, ætatem, ordinem & tempus? Tibi verò hæc singularis, & seiuncta viuendi ratio non fuit, nec est, neque fama nominis tui vlla est in hoc genere vitæ, sed perinde ac alij, vnus ex numero Religiosorum fratrum censeris, proinde & tibi,* si minùs rationi consona fecerit, mi-

nocitum ibis, & alios offensum. Præterea hoc genus vitæ, non omnibus ex æquo conuenit, sed magnis duntaxat & perfectis Patribus, qui sensus corporis, & cupiditates mactauerunt; tironibus verò, & in medio adhuc certamine desideriorum vincendorum versantibus, officiunt magis quàm prosunt: quapropter arta sensuum custodia, & disciplina indigent. Illi verò sancti & perfecti Patres, iam limites omnes humanæ imbecillitatis, & sensuum premendorum curam euaserunt, & iis omnia quibus ad vsum sanctum vti volunt, seruiunt. Alij verò, rerum gerendarum imperiti negotiatores, in maximis causis magna sibi concinnant nocumenta; in leuioribus verò & facilioribus, ad perfectionem paulatim progrediuntur. Et rursum, vt dixi, omnibus rebus est suus quidam ordo, & institutio, processus & tempus, quod qui non obseruat, pro commodo, duplex sibi incommodum parit. Atque hæc præclarè verissimeque dicta sunt à Sene, cùm ab eo quod in Sanctorũ gestis absurdum, & à communi rectoque vsu remotum est, imitando dehortaretur.

At verò qui rectiùs ea voluerit intueri, & subtiliùs ex eis erudiri; animadmertet, quo animo, quales viri, ad quas res aggrediendas, quàm se intrepidè addixerint? & non rarò in eis occultiora quædam & illustria admodum, variæ perfectionis documenta deprehendet; semper tamen humilitatis celsissimæ, qua superbia nostra contundatur, exuberantia mira sese efferet. Cùm autem, nullius alterius virtutis æquè simus indigi, quæ ad eam virtutem conferunt exempla non mediocriter nobis prodesse censenda sunt: quare nequaquam ea respuenda, sed vt ab animo sanctitate turgido sunt profecta, ita videndum nobis est, vt nihil in eis lateat quod non diligenter excutiamus, & ad nostram vtilitatem conuertamus: si minùs quod agitur conuenit, videamus quid, quo animo, vbi, quando agatur, quo euentu, quo spectatorum commodo, & hæc ipsa si inter se comparabimus, mirum fuerit, si non ex eis plura in rem nostram deriuare possimus.

Verùm præter hæc, non absimilia quædam sunt, quæ nihil quidem ab humanis moribus alienius præferunt, sua tamen arduitate communem imitandi vsum excedere videntur: in quorum numerum adscribi potest, D. Benedictus, & D. Franciscus, quando luxuriæ incentiuo inflammati, importunioris tentationis vim, ille quidem nudato, & per dumeta cruentato corpore, hic verò per sæuientem hiemem in plurimam niuem iniecto, reprimere: quibus planè geminum (nisi fortè illa parte maius, quòd non sua, sed alterius causa susceptum) Beati nostri Ignatij egregium illud facinus, quo se glaciali collo tenus immersit stagno, restinguendo, alterius illac transituri, impuro libidinis ardori. Quæ profectò vt suo genere ipsaque prima specie, honestatem quandam præferunt amabilitate & admirabilitate præclaram; ita nihil habent, quod moribus, quod rationi, quod vulgi approbationi repugnet, at in eo ipso quod probatissimum, & rationi est consonantissimum, quendam dignitatis gradum sortiuntur, vix vt ad tantam pusilli audeant sublimitatem respectare. Quod quidem de his dictum velim, quæ sola vel asperitate, vel horrifica specie naturæ sic aduersantur, vt superari

perari sine certo vitæ periculo, at non sine singulari fortitudine & magnitudine animi possint: nam si in eis grauiùs periclitari, vel valetudo, vel vita videantur, tum verò in alia classe, de qua infrà dicemus, reponenda sunt.

Ceterùm in communi Religiosorum vita, nonnulla eorum qui ad perfectionem ardentiùs adspirant, non dissimilia, aut certè longiùs quidem ab absolutione tanta, sed ex iisdem initiis profecta, ac fortassis aliquando eò peruentura videas: cùm scilicet victoriæ de seipsis reportandæ paulò appetentiores, ea vel aggrediuntur, vel subeunt, quæ rationi quidem & instituto vitæ non repugnant, sed ab vsurpata & moribus recepta moderatione, aliquantulùm exorbitant: quæ profectò cùm à Superiore, cui subditi vires exploratæ sunt proficiscuntur, non possunt non esse summopere laudabilia. sicà S. Benedicto Maurum, à Florentio Ioannem Ketelium, à Petro Fabro Corn. Wishaueum, variè exercitos legimus: fuitque illustre eius factum qui sportas cariùs, omnesque separatim diuendendas Abbatis iussione circumferebat. sed quis posset, vel fingendo, illustrior comminisci, quàm quæ obedientissimi sunt Ioannis, seu dum olei phialam vitream in cautes præcipitaret, seu dum immane saxum irrito sudore loco mouere tentaret, seu dum annum totum, adportata bis mille passibus quotidie aqua, lignum putridum non constantiùs, quàm alacriùs irrigaret? Sed & infractus, & naturam propemodum exutus ille Mutij animus, vnde suis additi laudibus, inde fermè sibi fidem adimeret, nisi certissima testificatione constaret, repertum aliquando fuisse parentem amantissimum, qui sordes filij, colaphos, lapas, & diuexationem plurimam, non semel, at sæpiùs diutiusque repetitam, rigidissima immotaque mente perferret, necillius causa vel vultum vnquam contraheret, vel mœroris vllo sensu tangeretur. At his profectò permitis, alia maiora fidem adstruunt, cùm ille ipse, iussu Abbatis, correptum vnis filium, in præterlabentem fluuium proiectum ibat pater: sed hoc postremum aliò referendum erit.

Cass. lib. 4. cap. 29. 24. 25. 26. & 27.

Verùm, quæ recensuimus, non sunt in vnum sine discrimine compingenda. quæ enim de Mutio, deque obedientissimo Ioanne retuli, ad eam spectant iucundi modi admirandorum partem, qua Sanctos dixi quædam facere virtute sibi propria, sed quæ cùm nihil habeat quod probatæ & vsurpatæ rationi aduersetur, hoc solo mirabilis est quòd communem bonorum virorum captum supergreditur: nam tanta illa Mutij tamque perseuerans, in tot filij diuexationibus apathia, laudabilis patientiæ metas transilit: illius verò Ioannis, in rebus arduis, parum probabilibus, tam cordatam, tam simplicem, & nihil discriminantem obedientiam, stupefacti omnes intuemur. Huius generis permulta in Beato Ignatio reperies; studia literarum sic ab eo perfecta, sic elaborata Societas, adhuc quoque confecta quàm plurima, & omnis totius vitæ decursus & finis.

Ad hunc rarissimæ virtutis gradum, sæpè quidem prima feruoris ardentissimi incitatione, quam diligens exercitatio roborarit, peruenere Sancti; fieri tamen potest

poteſt vt ſui accuratus obſeruator,& indefeſſus inſtigator,eôdem paulatim diuina gratia opitulante pertingat:quod conſequetur exercitiis, vel ſponte,vel altero iniungente ſuſceptis. Iniunctorum, in Ketelio, in Wishaueo,ac in adnexo iuuene exempla præſtò ſunt. ſed & priſcis illis monachis probatiſſimis ea fuit prima cura,id inſtitutum ſolenne, vt eis qui ad eiuſdem Inſtituti profeſſionem acceſſiſſent,de induſtria imperarent, quæ ſenſiſſent eorum animo quàm maximè eſſe contraria, donec eos experimentis variis adeò in omnem partem verſaſſent,vt iudicio omni depoſito, id vellent, id ſcirent, id probarent vnicum quod eis imperatum fuiſſet. At verò id fuit ſingulare & permirum quod Climacus quodam in monaſterio vſurpatum ſcribit,vt ad vſque 30. annos, conuiciis & iniuriis agitarentur,vt ſic quodammodo hominem exuerent. Quæ profectò præclara fuerunt ad omnem perfectionem adiumenta: quorum frequentatio cùm ſit in eorum poteſtate qui præſunt,non opus eſt vt pluribus agamus,quandoquidem neque prudentiam illis defuturam credimus, neque in eis vbi conuenerit adhibendis diligentiam, memores dignitatis eius quam tribuit eis D. Baſilius, quòd ſint quaſi quidam ſaluatores, qui ſalutem eorum qui ſibi obediunt Deo ſacrificant.ſed & eos ad eam impellit ſollicitudinem D.Benedictus aſſerens culpę paſtoris incumbere,quidquid minus vtilitatis haurietur ex grege: & quemadmodum crudelis eſſet ille pater, qui adoleſcenti & fameſcenti filio cibum,qui præſtò eſſet, denegaret; ſic non minùs durum aſſerit Climacus eum,qui obedientis & ſubditi animum deſiderio perfectionis incenſum, otioſè torpere ſinit, nec eum tentamentis variis, ad vberiores & præſtantiores fructus excolit. quod profectò ignaui eſt animi, & de ſe deque aliis nimiùm demiſsè ſentientis. Sanè quàm vigil & perpetuus ſuorum ad perfectiora inſtimulator fuerit B. Ignatius,& factis, & ſcriptis,teſtatum ſuo loco reperies.

Caſſ.lib.4. cap.8. Vitæ SS.PP. p.3.c. 21. & 31. *Gradu 4.* *Cap.21. conſtit.mon.* *Gradu 4.*

At quoniam neque iubentur ſingula, & vnicuique ſuæ perfectionis cura incumbit,ſolent,vt dixi,qui ardentiore ad ſumma feruntur impetu, etiam ſponte ſua,id ipſum quod ad corporis cupiditates edomandas vſitatum eſt, minùs vſitatè vſurpare: qua in aggreſſione ſi ſeriò conſtanterque progrediuntur, ad maiorem quandam & Sanctorũ propriam virtutem pertingunt. Iſta verò communium rerum vſurpatio,à communi variè recedit,nempe ſi crebrior, ſi acrior, ſi alio loco,ſi modo qui plus doloris aut verecundiæ afferat:ſic in ieiuniis,caſtigationibus corporis,lacernis induendis,fatenda culpa, humiliore,vt puta culinario,exercitio obeundo. poſſunt hæ res,vel crebriùs, vel acriùs, vel tempore difficiliore, vel coram non domeſticis,vel diuturniùs, vel quaſi contra voluntatem,& ex iniuncta ob grauem defectum pœna,vel aliis modis pluribus,quorum inuentor eſt ingenioſus,perfectionis amor, poſſunt, inquam, ita exerceri, vt in rebus vulgaribus virtus non vulgaris eluceat.

Sed in iis qui communem & cœnobiticam cum pluribus vitam ducunt, nonnulla tamen in eiuſmodi vſu, vt laudabilior perſeueret,videntur animad-

uertenda: imprimis vt ex radice veræ solidæque virtutis oriatur, comitemque humilitatem, & sui contemtum sibi semper adnectat. nonnullos enim reperias eo ingenio præditos, vt quamcunque in partem se dederint, amenter esse singulares, & excellere ceteros, in eoque quadam sui opinione se pascant: quæ profectò animi magnitudo, vt ad res præclarissimas vtilis est, si ratione temperetur; ita paulatim fit iugi impatiens, omnisque humanæ societatis ordinem, ambitioso principatus appetitu, euertit, nec ampliùs frangi potest, cùm à tempore illi robur accesserit; est igitur à primis vitæ melioris initiis acriter comprimenda, & vbi aliquæ ipsius fibræ apparuerint, sunt diligenter euellendæ: fugiendus omnis, cuiuscunque gloriolæ appetitus, & quicunque ei magis obnoxius esse cernebitur, ad humilitatem traducendus erit, conuiciis, probris, quà licuerit, exercendus, & intra suos priuatos parietes ita continendus, vt pauciora potiùs coram ceteris, quàm plura suscipiat. Sed & incipientibus cauendum, ne ad contemtum aliorum, qui eadem non præstant, sint proniores, sibique de rerum eiusmodi patratione blandiantur: quidquid enim alio quàm humilitatis fundamento erigitur, ruinæ præparatur. Est alia quo occultior eo perniciosior proprij iudicij pestis, vt nisi subtiliùs caueris, videas id genus hominum pertinaces euadere, & suarum opinionum mirè amatores, qui sibi quidquid in mentem venerit, diuinitus afflatum, & quidquid in phantasiam inciderit, reuelationem putant, nolint sibi vlla in re contradici, verba sua, vt quædam sacra effata, velint suspici, intolerandi æqualibus, superioribus inobedientes, molesti & graues omnibus. ita pro tritico paleam, pro virtute metunt vitia, quæ certè quo importuniora sunt, tanto magis, certa & errori minùs patens via nobis est terenda; nulla autem certior & breuior, quàm quæ ducem sortitur obedientiam.

Atque ex his videmus explicatum secundum admirandorum modum, qui in eo est vt maiore quadam virtute impulsi Sancti, quædam agant vel paradoxa, quæ stuporem cum sensu virtutis ingenerant intuenti, vel communi rationi consonantia, sed sola quadam excelsitate mirabilia: horum autem vtrorumque vna radix est, virtus quæ illi Sancto propria est, digniorque & præter vulgarem eminens: ad quam etiam an, & quomodo aspirare possimus dictum est.

§. 6. *De Tertio admirandorum modo.*

Tertius igitur & postremus admirandorum efficiendorum modus restat, quem existere diximus, ex vi & impetu naturæ, arduitate rerum concitatæ, & quidem non solius naturæ, quod Sanctorum non esset, sed naturæ virtute instructæ, & eius zelo inardescentis: qui modus cùm à nobis fuerit explanatus, omnem admirandorum exemplorum varietatem abundè putabo declaratam.

Atque vt id intellectu assequamur, plurimùm faciet obseruare, miros quosdam, eosque vehementes admodum, naturæ esse impetus, seu ad eius rei conseruationem quam summoperè diligit, seu ad fugam eius quam vehementer ex-

exhorrescit. quod ipsum, vt ne à feris ipsis animantibus repetamus, quæ catulorum causa in tela, in arma ruunt, quotidiana nos docet experientia, eaque in subitis casibus lucet maximè, cùm scilicet isto quis necessitatis articulo deprehenditur, quo vel amittenda res carior, vel graue aliquod periculum subeundum fuerit: tum enim præsentia & amore rei incitante, animumq; totum occupante, nihil non subitur vt id quod amamus nequaquam pereat; ac subinde, vt non soleat impetus à consideratione regi, in grauius damnum inciditur, dum leuius cauetur; cuius postremi generis est, cùm quis ne antrorsum impingat exterritus, retrorsum corruens in præceps defertur. sunt & alia plurima, nam & sui quasi oblitum brachium, gladio caput ferituro se obiicit, & in summo, iamque vndique inardescente tabulato deprehensus, inde se deiicit: & filium Crœsi legimus in eam diem mutum, viso patris periculo exclamasse; certisque testibus accepimus, multos iam annos paralyticam, à gestantibus, equi furiosi accursu externatis, derelictam, naturæ nisu à periculo expresso, surrexisse, effugisse, & ex ea die morbo liberatam. tanta est vis inconatu quem naturæ summa pariat & extrema contentio.

Hæc autem cùm ex alterius cuiuspiam rei vel summè amatæ desiderio, vel exosæ fuga oritur, per se neque laudi cuiquam neque vituperationi fore censenda est, sed laudabilis aut vituperabilis reddi potest à causa vnde proficiscitur: hinc si quis virtutis conseruandæ gratia in atrocia ruat pericula, laudabimus; quod ipsum si fœdæ voluptatis concupiscentia expresserit, vitio vertetur; sin autem naturæ, aliquod graue malum refugientis, ita tulerit impetus, nec laudi, nec vituperationi fuerit. quocirca qui de huiusmodi actionum, vel præstantia, vel peruersitate voluerit iudicare, is aduertat necesse est, qua causa, quo animo, quaue sunt voluntate perfectæ.

Et quicunque id accuratiùs obseruauerit, non ægrè postremum hunc, ex quo admirandas Sanctorum actiones profectas dicimus, modum intelliget. Velim enim, vt primùm omnium cogitatione tua coneris ad viuum exprimere, mirabilem quendam & flagrantissimum, qui Sanctis inest, virtutis & Dei amorem, qui sic eos penitus occupet, vt præillo neque se, neque cæterorum quidquam, vllo in pretio ducant: ac diuino honori, si qua in te vel ificari possent, id verò quouis dirissimo cruciatu, & vita ipsa profusa perfectum optant: iam verò à virtute, & diuina gratia excidendi; à summo & solo suo bono, Deo optimo, quem medullitus & tenerrimè diligunt, se ipsos abalienandi, vel tentatio, vel cogitatio pertenuis, sic eos concutit, vt id statim & vt summum malorum omnium immensè abhorreant, & præ istius tanti damni, vel formidine, vel periculo solo, in quiduis atrocissimum amentirruere. Adhæc, istam eorum mentem, longa rerum diuinarum & æternarum tractatione, & suspirante desideratione, sic ab omnibus & quæ corporis, & quæ huius vitæ sunt abstractam videas, vt nihil horrificum nisi peccatum, nihil desiderabile præter virtutem &

Deum suum censeat, nec doloream, nec timor, nec mors, nec vita tangunt, vbi maximè vel de perfectionis, vel de Dei aut consecutione, aut amissione agitur: tum enim vires exerit, tum in toto corpore dominatur; tum sui solius & Dei memor, alia omnia, vt res nihili posthabet.

Hoc planè fonte, hac mentis excelsitate, & quæ diximus, & quæ eiusmodi proferri possent, profluxere miranda; nec alio peculiari S. Spiritus instinctu opus fuisse ita credo & assero, vt pertinaciùs obluctantem nolim contentiosiùs vrgere: sic autem in exemplis antè recensitis explano; Pone tibi ob oculos virgines eas, quæ summo virginitatis amore flagrantes, ad eum subitò se articulum deuenisse viderunt, in quo vel à nefariis hominibus opprimerentur, vel integritati suæ esset fuga consulendum; ergo protinus accipitrem columbæ fugiunt, animorum prædo insequitur, euolant illæ velociores, & virtus addebat vires. at ecce occursu fluminis intercipitur stadium cursus, quid faciant his angustiis deprehensæ? consultationi mora non datur, instat raptor impurus, vndarum obiectu iam quasi potiundi certus inclamat. quid ergo sanctæ virgines? instantem & vociferantem formidant, silentem minùs timent fluuium; inflammatæ luxuriæ incendia perhorrescunt, vndarum refrigeria non refugiunt. itaque acriori ceditur timori, magisque exosum periculum cauetur magis, in fluuium paribus animis transilitur, ibique quam in terris consequi non potuerant, in vndis reperire satagunt castitatis securitatem. Quam rem totam si vt gesta est, diligentiùs introspexerimus, totum eius contextum & seriem à castitatis & Dei amore fluxisse fatebimur, nec alio vllo instinctu fuisse opus: quippe isto amore mens occupata, totáque circumuallata periculis, vt quò respiceret non haberet, id solum sibi fugiendum, & credidit, & vidit, quod amori casto repugnaret: illi autem nihil aliud vidit repugnare, præter id vnum quod castitati, & in Deum fidei, intentari videbat periculum, cuius timore primùm exterrita mens in illius depellendi cura sic tota absorpta est, vt ad nullum aliud, vel aquarum, vel mortis contuendum, aut aliquanti æstimandum, se ipsa conuerteret. Atque hinc clarescit, cur dixerimus, naturæ id esse virtute instructæ, & arduitate rerum concitatæ: etenim virtus, & non mediocris, insit necesse est, & plurimi fiat; tum verò emergat, vel grande illius perdendæ periculum, vel instans admodum & in re magni momenti, illius exercendæ articulus, quo fiat vt natura amoris vi incitata, & quodammodo ebulliens, vel ad ausus incredibiles, vel ad perrumpendos insuperabiles obices, impetu quodam cæco præcipitíque rapiatur: & quamuis oriatur inde quiddã quod legi & rationi aduersum prima fronte videatur, vt est, suæ sibi necis auctorem esse; id tamen vitio verti non potest, quia nec præuisum, nec præcogitatum est; ipsa autem incogitantia vsque adeò à reprehensione aliena est, vt etiam sit laudabilis, quandoquidem & summus virtutis ardor eam peperit, & in subitis casibus, humanæ naturæ consentaneum est, vt non dispiciantur omnia, sed quodcunque melius primò occurrerit, id fiat,

tam-

tamdiuque teneatur, donec vel sedatiore per otium mente, vel periculo remittente, sanius aliquod consilium inire possimus. Ira crediderim fortem illum Machabæorum Eleazarum, ad elephantis regij aspectum subitò cohorruisse, tot suæ gentis & religionis vastationes ab impiissimo Rege profectas sibi obiecisse, in conspectu tyrannum esse, posse, si deiiciatur, calamitatibus imponi finem: ergo eum suus abripit impetus, nec hostes confertissimos, nec inimica tela, nec casurum in se cogitat elephantem: Rex in oculis, in cogitatione victoria est, subit belluam, vulneri locum parat, nec se illius ruina opprimi, sed victorem triumphare gaudet. sic videas efferatos ira milites, in incendia, in præcipitia, in mortem propè certam ruere intrepidos, eaque omnia quasi nihili censere: nec enim in eo summo feruore animi, & rerum articulo, vel vacat, vel expedit, periculorum grauitatem expendere.

In hunc ordinem illæ quoque referri possunt, quæ irruentibus in monasterium barbaris, amputato sibi ipsis naso, virginitati consulere, sua deformitate decreuerunt: quanquam granditatem periculi, feritatem barbarorum, castitatis præstantiam, & minùs necessarium id membrum, ipse mecum reputans, quin id etiam communi lege & ratione potuerint, negare vix ausim. At ea quæ ab Imperatore libidinoso ad stuprum accersebatur Sophronia mulier coniugata, quæque, per simulationem sumendi comtus muliebris, expectare tantisper iussis internunciis, ipsa se, relicta sine arbitris, mediam ense transfixit: Pelagia item, nobilis illa, multisque sanctorum Patrum dilaudata virgo quæ venustiora sponsæ ornamenta induta, è summo se tecto, perductore seluta, in præceps misit. hæ, inquam, & similes quamuis id ausæ quod in speciem sit magis inhumanum, mihi tamen nulla alia videntur fuisse ratione permotæ; quàm quòd crediderint virtuti vitam posse postponi, licereq; sibi mortem, quam ab hoste post multa probrosa ludibria expectarent, vltrò integritati seruandæ accersere: vel potiùs quòd concitatissimo feruore naturæ, magnaque periculorum omnium despicientia, virtutis autem & castimoniæ summo amore, contrariorum verò odio acerrimo inflammatæ, ad primum castitatis contaminandæ discrimen, vsque adeò exarserunt, vt quæuis vitæ, quam despiciebant, pericula tunc illis iure meritissimo non tam oppetenda & appetenda viderentur, quàm ne viderentur quidem, nec periculorum nomine, sed fugæ, sed liberationis censerentur, aliudque cogitarent nihil, quàm quòd se seruarent intaminatas. *Lessius lib. 2. c. 9. dub. 6.*

Quod sanè minùs in eis mirum esse videbitur, quando in ipsis cæco modo obedientibus, vt in S. Mauro & Mutio, pericula ideò laudabiliter adita sunt, quia cogitatione in obsequij celeritatem abrepta, nequaquam præuisa sunt. Ex quo datur intelligi, & Mauri & Mutij, & simile obediendi exemplum ad hunc ordinem esse reuocandum: de quibus quia opportuniùs & latiùs alio loco, dante Deo disseram, hîc plura non addam, sed ad priora reuertor, & quid in eis imitari debeamus attexo. quod priusquam dicerem, fuerat primùm admi-

mirandorum origo declaranda; longè enim acriùs ad imitationem accendimur, cùm ea quæ ab hominibus, virtutum omnium laude celebertimis, facta mirамur, intelligimus non esse, vel à ceteris, quadam priuilegij lege secernenda, vel peculiari sancti Spiritus impulsui tribuenda, verùm absindita, & ipsis propria virtute, non consueto, sed acriore mentis incitatu dimanasse.

Erit autem imitatio intra hos limites coërcenda: vt diligenter prudenterque in hoc admirandorum genere, quid sit illud quod legi alicui repugnat obserues, qualia recensuimus è sublimi se præcipitare, in fluuium excurrere, sibiipsi vel detruncatione, vel cæde, violentas manus afferre: quæ cùm illicita sint, probitatem exuerit oportet, qui ad ea imitanda conetur. Ergo his ablegatis restat inquirendum, quid sit id quo actiones, tam à ratione alienæ, tantopere sunt effectæ laudabiles: certè non ex eo quòd periculum, aut lex vetans minùs animaduersa fuerit (id enim nec in laude, nec in vituperio propriè reponendum) igitur ex alicuius præclarissimæ virtutis insigni amore id factum, à qua velut à radice is prognatus fructus, ea laus est deriuata, tantusque ex ea splendor honestatis elucet, vt quæ actio vitioso squallore deturpata iacuisset, nunc virtutis actore illustrata laudetur, luciſque suæ radiis id totum quod subobscurum esse potuisset, clariùs emicet. ita videas virginum antè dictarum castitatem, præcipitationi sui ipsarum tantum luminis, decori & honesti contulisse, nemo vt factum illud totum viderit, vel auditu acceperit, quin statim in laudem admirandæ castitatis erumpat. Quare cùm in eiusmodi gestis radicem, & veram boni laudisque causam repererimus, est nobis omni diligentia contendendum, vt tantæ virtutis formam ad nos quoque traducamus, eiusque perfectionem atque absolutionem penitissima mente imbibamus. De patrandis autem admirandis, ne quidem in cogitationem nobis veniat: hoc enim admirandorum genus, non ideo bonum quia mirum, cùm potiùs malo sit propterea vicinum, sed bonum quia bono innixum est: quod bonum nobis est inquirendum. Non tamen diffiteor vero esse simile, futurum aliquando, vt qui eadem, cùm virtute, tum animi magnitudine ornatus, iisdem derepentè necessitatis angustiis opprimetur, ad eadem quoque fortiter & admirabiliter audenda consurgat. sed hæc diuinæ sapientiæ temporum moderatrici, & auxiliorum gratiæ dispensatrici prouidentissimæ sunt relinquenda.

Vnum etiam quod maximi momenti est, ex his discimus, Timorem videlicet omnem, tarditatem, lentitudinem, & nimis formidantem circumspectionem, in rebus quæ Dei sunt procul ablegare; fiducia verò permagna, celeritate, alacritate, ad ea quæ Deo grata esse piè credimus, euolare: solet enim bene cedere, quod bona voluntate cœptum est, & qui semper intra modum latebit, quando vnquam ad magna pertinget?

Vt tamen audaciam temeritatemque deuites, in grandioribus ausis cauendum primò: vt ad ea non tam sponte, aut præfidentis mentis elatione te ingeras, quàm

quàm ab ipsa rerum necessitate, Deoque quodammodo ducente inueharis: pericula quippe non sunt, vt depellantur, quærenda, sed depellenda quando irruunt; in illo vituperatur temeritas, in hoc laudatur fortitudo. Secundò, nequaquam audacem esse conuenit, vbi peccandi subiretur occasio: est enim salus nostra cum timore curanda, & de audaculis illis meritò intelligitur illud Sapientis, *Qui amat periculum peribit in illo.* Tertiò, ab omni ostentatione, iactantia, laudis humanæ appetitione, vel quouis alio fine minùs recto necesse est, esse quàm maximè alienum, & in vnum solumque Deum intendere: cùm enim eius ope & subsidio, votorum tuorum consecutionem, in rebus arduis sperare debeas, quomodo eam tibi spondere poteris, si aliò aliquò respectabis? Quartò, ne facilè in animum inducas, ea tibi aggredienda esse, quæ licet natura sua sunt optima, genus vitæ quod profiteris tuum dedecent, vel eius rationibus repugnant: communi enim lege fieri non potest, vt à Deo sint quæ sunt indecora, quæue proprias status illius, in quo tibi legitimè viuendũ est, leges conuellunt. Quintò denique, si habes qui vel consilio, vel imperio te regant, ab eorum consilio & voluntate, ne vnquam ausurus maiora discesseris: iudicij nimiùm sui, mater est superbia, at superbiam excipit ruina. Sed hæc breuiter & quasi in transcursu monuisse sit satis: nunc ad alia transeamus, quæ vt faciliora, ita magis strictim dicentur.

CAPVT V.

Aliarum è Sanctorum gestis vtilitatum enumeratio.

CVm illa quam hîc quærimus vtilitas, tota sit in eo vt meliùs humana vita ex virtute traducatur, & ad æterna se conferat; regnum autem cælorum non verbis & præceptionibus, sed sanctis operibus acquiratur; eo nobis vtilior erit considerata vita Sanctorum, quòd rebus & euentis, confirmata bene viuendi exempla demonstret, tantamque in eis varietatem proferat, nullum vt sit ingenium, naturaque nulla tanta diuersitas, quæ non posset ex illis aliquam sibi consentaneam viuendi normam effingere. Et quidem celebris primaque fronte occurrit ea distinctio, Sanctorum nonnullos esse quorum ab ætate prima ad extremum vsque vitæ sanctitas intaminata resplenduit, qualem S. Ioannem Euangelistam, SS. Ambrosium, Nicolaum, Bernardum, Ludouicum Gonzagam, aliosque complures legimus; alios verò quorum initia vel euanida ambitione, vel etiam peccato grauiore fœdata sunt, sed ad meliorem frugem se recipientes, priorem errorem posteriore probitate correxerunt, quorum in numero sunt S. Maria Magdalena, D. Augustinus, B. Ignatius, aliique permulti; alios denique qui ex ipso, in quo semel steterant, iustitiæ fastigio ruentes, ad se tamen rediuerunt, fletibusque & dolore plurimo, ad eum vnde exciderant locum, multa contentione rediuerunt, quales S. Prophetam Dauidem,

S.Petrum,S.Iacobum pœnitentem, alioſque non paucos accepimus: ex his igitur vel ad integritatis conſeruationem, vel ad pœnitentiæ perfunctionem, vel ad maiores è lapſu ſumendos animos, poteſt ſibi quiuis imitandi paradigma proponere: non quidem, quod antè prænonui, vt id in toto vitæ genere obſeruetur, ſed vt iis potiſſimè, quibus opus fuerit, temporibus obuerſetur, tentationibus opponatur, cunctationes inſtiger.

Iam verò, quàm variis modis, viis & exercitionibus, ad eam vitæ abſolutionem, & æternam gloriam venerint, quid non ab ipſis aut exantlatum ſit aut perduratum ſi perpendimus, nullum reperiemus vel afflictationum corporis, vel iacturæ fortunarum, vel exprobrationis famæ, vel mentis ærumnarum genus, quo non diriſſimè atque diutiſſimè conflictati, virtutem ſuam rebus aduerſis, non ſecùs atque fornace aurum, probatiorem fecerint. quare in quemcumq; nodum explicatu difficiliorem incideris, illo ipſo aliquem Sanctorum penè retitum ab eoque ſolutũ offendes, adeò vt eius veſtigiis prudenter inſiſtendo, non aliud poſſis quàm victoriam de hoſte dæmone reportare.

Et quidem ita vniuersè loquor, quia ſingula perſcrutari infinitum eſſet, volenti tamen, ardenterque cupienti, non erit difficile pro re nata obſeruare, quid è ſingulis haurire boni poſſit, ad vitam, vitæque partes omnes bene ſancteque traducendam.

Sed maioris commendationis & auctoritatis cauſa à viro ſanctiſſimo Gregorio Magno audiamus, quid hæc tractans loquatur: Quia carnales homines ſumus, cùm ſuperna appetere nitimur, quaſi in cælum oculos leuamus: & velut in cælum aciem intendimus, quando preſſi vſu rerum corporalium, docere ſpiritalia conamur. Sed quia tranſire intellectus noſter ad diuina non ſinitur, nisi priùs per Sanctorum præcedentium exempla formetur, quaſi iam cælum noſter oculus ſuſpicit, ſed nubes videt: quia comprehendere ea quæ Dei ſunt appetit, ſed vix mirari ea quæ hominibus collata ſunt poteſt. Vnde & aliàs dicitur, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Qui enim orientem ſolem contemplari non valet, irradiatos montes aſpicit, & quia ſolortus ſit deprehendit. Et æternis ergo montibus nos Deus illuminat: quia per admiratam vitam Patrum præcedentium, radio nos ſuæ claritatis illuſtrat. Ecce in ſtudio deuotionis Dominicæ & caritatis accendimur, ſed in hac deuotione atque caritate, melius harum nubium contemplatione formamur. Quid enim deuotius Petro, quid carius Ioanne? ille per deuotionẽ fluida maris dorſa calcare non timuit, iſte per amorem in ipſo auctoris noſtri pectore requieuit: & qui ad corporalis cœnæ refectionẽ venerat, ſpiritale pabulum de ſinu Redemtoris ſumſit. Sed quia ſignati per nubes etiam prophetas diximus, neceſſe eſt vt adhuc ad medium ſuperiorum Patrum exempla deducamus. Ecce cùm præceptis cæleſtibus ſubdi perobedientiam cupimus, conſideratis antiquorũ Patrum veſtigiis tuuamur. Quid enim Abraham obedientius qui ad vnam vocem Dominicam cognatos ac patriam

Lib.17. Mor.c.5. vel 6.& 7.

Psalm.57.

triam deserit: & pro adipiscenda æterna hereditate, ipsum ferire non trepidat, quem senex iam & penè moriturus acceperat heredem? Cùm patientiæ virtutem apprehendere conamur, præcedentium exempla conspicimus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque pòst paululùm ligatur, & non loquitur; aræ superponitur, & non reluctatur? quid ergo isto viro dici patientius potest, qui quasi ad solatium ducitur, & requirit; ad feriendum ligatur, & conticescit; & oblaturus holocaustum, interrogat; offerendus, tacet. Cùm accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentium informamur. Quid enim Iacob laboriosius, qui apud Laban tam longo tempore, propinquus iure cognationis, operæ exercuit seruitutis, & vice obsecutus est famuli, vt perfrueretur præmiis heredis? Cùm arcem continentiæ & castitatis adscendere nitimur, exemplis præcedentium subleuamur. Quid enim Ioseph castius, qui ad desiderium petulantis dominæ, iugo luxuriæ premi non potuit etiam captiuus? & quidem hominibus exstitit seruus, sed contra dominantem nequitiam, & in seruitio liber fuit. Cùm mansuetudine repleri concupiscimus, præcedentiũ exemplis adiuuamur. Quid enim Moyse mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem Dominum pro iisdem suis persecutoribus rogat, seque pro illis diuino furori obiicit: quia in sancto eius pectore etiam ex persecutione caritas ignescit? Cùm contra aduersa mundi firmare mentem per constantiam nitimur, præcedentium consideratione fulcimur. Quid enim Iosue constantius, qui ad explorandam gentium qualitatem missus, nec proceritatis magnitudinẽ, nec numerositatis multitudinem expauit? vnde & easdem gentes quas explorando non timuit, etiam præliando prostrauit. Cùm benignitatis culmen apprehendere conamur, præcedentium exemplis instruimur. Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi populi deiectus, successorẽ sibi humiliter requirit, inuentumq; vngit in regem, vnctum mox tolerat persecutorem? à quo ne moriatur trepidat, & tamen ne ei Dominus irascatur rogat. Ipse quippe cùm mitteretur ait, Audiet Saul, & interficiet me. 1. Reg. 8. 10. 12. 16.
Et ei per semetipsam Veritas dicit, Quousque tu luges Saulem, cùm ego abiecerim eum? quid ergo isto viro benignius dici potest, qui & hunc non vult diuinitus percuti, à quo formidat occidi? Cùm ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, præcedentium exemplis leuamur. Quid enim Dauid misericordius, quid humilius dici potest, qui à rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israeliticam gentem fortis eripuit; & tamen ipse ne moriatur, quasi debilis fugit? qui & se electum diuino indicio, & persecutorem suum reprobum agnoscit, & tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subiicit: qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detruncat, atque ad cacumẽ montis protinus properat, & vno eodemq; tempore, quia occidendi potestatẽ habuerit ostentat, & ne occidatur rogat. Quia ergo in cunctis quæ spiritualiter appetimus, exemplis præcedentibus informamur, bene de

his nubibus dicitur, quę prætexunt cuncta desuper. More enim nubium, extensa super nos Patrum vita tegimur, vt ad fructum fecundi germinis infundamur: & quasi intuentes cælum, priùs nubes adspicimus; quia ante bonorum facta admirando cernimus, & post illa quæ sunt cælestia experiendo penetramus. Et

Lib 24. c. 6. vel 9. &c. hæc quidem eo loci S. Pater, qui idem ea Iobi verba pertractans: *Respiciet homines, & dicet, Peccaui*, in eundem sensum hæc profert cõmemoratione dignissima:

Sanctorum, inquit, virorum exempla conspicit, qui in melioris vitæ versatur initiis, atque eorũ comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissimè intelligere appetit, qualis est; tales nimirũ debet conspicere, qualis non est: vt ex bonorum forma, metiatur quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissima bona adsunt, perpendit rectè quæ sibi minùs sunt: atque in illorum pulcritudine conspicit fœditatem suam, quam in semetipso, & potest perpeti, & sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare, vt in illa videat quid de tenebris æstimet, per quas videre præpeditur. Peccator namque si incognita vita iustorum semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorẽ lucis nesciens, cùm semetipsum conspicit, quid aliud quàm tenebras attendit? Iustorum ergo debemus vitam conspicere, vt subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species, quasi quædam forma nobis

Apoc. 20. imitanda proponitur: quia viua lectio est, vita bonorum. Vnde & non immeritò iidem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptũ est, Libri aperti sunt: &, Alius liber apertus est, qui est vitæ, &, Iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. Liber namque vitæ, est ipsa visio aduenientis iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatũ, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia, quidquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia iustorum nunc vita conspicitur, in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum, legunt bonum, quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt, comparatione damnantur. Ne ergo vnusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in iis quod imitetur attendat. Quod quidem facere electi non cessant; meliorem namque vitam considerant, & deterioris huius conuersationẽ mutant. & mox: Electi ergo, vt assequi summa prævaleant, conspecta odorifera & candida iustorum vita satiantur. Iam quidem videre Dominum sitiunt, iam de eius contemplatione satiari caritatis æstibus inardescunt: sed quia in hac vita positi, necdum valent, per præcedentium interim Patrum exempla pascuntur. Vnde & aptè illic tempus de ipso liliorũ pabulo definitur dum dicitur, Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: tamdiu quippe refici iustorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis vmbras, æterno die aspirante transeamus. Cùm enim huius temporalitatis vmbra, transacta hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, ne-

quaquam

nequaquam iam appetimus vt ad amorem eius per aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est, vt eorum qui illum perfectè secuti sunt conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quàm pulchra est agilitas sequentium, & videamus quàm turpis sit hebetudo pigrorum. Statim namque vt bene agentium gesta respicimus, nosmetipsos confusione intima vlciscente iudicamus: mox verecundia mentē concutit, mox iustè sæuiens reatus addicit, & vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet. Vnde per Ezechielem dicitur: Fili hominis, ostende domui Israel templum, vt confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Templum quippe Dei, filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando vniuscuiusq; iusti anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat, ad confusionē suam peccatoribus demonstrat: vt in illa bonum quod negligunt videant, & in se ipsis malum quod operantur erubescant. Metiri verò fabricam, est pensare subtiliter iustorum vitam. Sed dum metimur fabricam, necesse est vt ex cunctis quæ facimus erubescamus: quia bonorū vitam, quanto subtiliùs pensando discutimus, tanto seuerius in nobis omnia iniquè gesta reprobamus. Bene autem Prophetæ dicitur, vt ostendat templum: quia enim iustorum rectitudinē considerare peccator dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare nolentibus, rectorum opera narrare: qui itaque sicut diximus, perduci ad summa desiderant, semper necesse est, vt meliorum profectibus intendant; quatenus tanto districtiùs in se culpas iudicent, quanto in illis altius quod admirentur vident. Sed quid ista de peccantibus dicimus, cùm ipsos quoque operatores iustitiæ tanta prouehi dispensatione videamus? alius namque donum scientiæ accipit, & tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non pertingit: alius magna abstinentiæ virtute accingitur, nec tamen in summa scientiæ cōtemplatione dilatatur: alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura prænoscere, sed tamen per curationis gratiam non valet præsentis molestiæ mala subleuare: alius per curationis gratiam mala præsentis molestiæ subleuat, sed tamē quia prophetiæ spiritum non habet, quid sequatur ignorat: alius indigentibus multa iam propria largiri potest, sed tamen iniustè agentibus obuiare liberè non potest: alius iniustè agentibus audacter pro Deo obuiat, sed tamen indigentibus quæ habet tribuere omnia recusat: alius iam & ab otioso se sermone restringens linguæ lasciuiam superat, sed tamen adhuc surgentes iræ stimulos perfectè non calcat: alius insurgentem iram perfectè iam edomat, sed tamen adhuc linguam in lætitiam relaxat. Quid est hoc, quòd iste eo bono indiget, quo alius pollet; & ille cùm multis polleat, abunde aliis bonum adesse considerat, quod sibi deesse suspirat? nisi quòd mira nobiscum dispensatione agitur, vt per hoc quod alter habet, & iste non habet, vnus alteri melior ostendatur, quatenus tanto ardentiùs ad humilitatem quisque proficiat,

Cap. 14.

ciat, quanto ex bonis quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat: sicque fit vt dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine, ad curam nostræ melioris accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Vnde Ezechiel Propheta cùm volantia animalia describisset, adiunxit, Et audiui post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco sancto suo: & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram. Quid namque alas animalium, nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? qui dum terrena despiciunt, ad cælestia volando subleuantur. Vnde rectè etiã per Isaiam dicitur, Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ. Volantia itaque animalia, alis suis se vicissim feriunt, quia Sanctorum mentes in eo quod supernæ appetunt, consideratis inuicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit. & ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. Sed quia Sanctorum vitam significari istis animalibus dicimus, libet in ipso volatu animalium, oculos mentis attollere, & quanta vicissim alarum percussione se excitent, subtili consideratione pensare. Paulus namque cùm ceterorũ Sanctorum sollicitudinem in prædicatione, robustiùs laborando transcenderet, vt ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus ait, Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Et tamen eorundem omnium Apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minùs ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur dicens, Sicut & carissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu. Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam: ecce Apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi quòd sancti viri dum virtutum consideratione vicissim sibi alios præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, vt eo ad volatum se altiùs excitent, quo humiliùs alter in altero quod admiretur videt? Hinc itaque colligendum est, quanta debemus sollicitudine, meliorum vitam conspicere nos, qui in infimis iacemus, si & hi qui iam tanta sanctitate sublimes sunt, vt per humilitatis gressus ad maiora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitantes admirentur. Sed hæc reprobi nescium, quia mentis oculos semper in infimis premunt, qui & si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum exempla vertuntur. neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se præferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores se esse gloriantur, & ideirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi suffi-

Cap. 3.

Cap. 40.

1. Cor. 15.

Epist. 2. c. 3.

fufficere æſtimant, quòd peſſimos antecedunt. O miſeri, viam pergunt, & in terga reſpiciunt. — Recti videri appetunt, ſed ad inueniendum ſe tortam regulam ſumunt. Si enim ſemetipſos quales ſunt cognoſcere appetunt, non deteriorum conſpicere, ſed meliorum exempla debuerant. Hæc ſanctus ille Pater, collaudandæ inſtruendæque Sanctorum imitationi aptiſſima: quæ licet paulò longiora videri poſſint, nec difficile fuiſſet id totum in pauca contrahere, vt nihil tamen decurtarem, ſanctiſſimi Doctoris veneratio perſuaſit, nec tulit animus vt aliena & ſancta, ambitioſa ſtyli mutatione, quaſi mea propinarem. Iniuſtè diteſcit, qui alienis quaſi ſuis ſegetibus demeſſis, quin etiam eas in ſuam aream tacitus comportat.

CAPVT VI.

Peculiaris quædam vtilitas obſeruatur.

SI diligenter quæ ſit præclarè factorum natura contemplamur, ſi qua radice oriantur, & qua circumſpectione fiant inquirimus, perſpectum rebuſque ipſis conteſtatum euadet, nihil rectè ſancteque fieri, quod non certa virtute nitatur, certaque rationis permotione generetur: nulla autem veræ virtutis, rectæque rationis eſt permotio, quæ non ſemper & recta ſit & honeſta, vnde fit vt nemini non poſſit eſſe optabilis, & ſeu imitatione, ſeu alio quouis modo acquiſitu deſiderabilis. Ex hoc autem illud etiam efficitur, vt cuiuis ſubtiliùs exempla Sanctorum indaganti, & quamplurima imitatione digniſſima occurrant, & maximè ea omnia quæ à ſolidis virtutibus, rectaque ſunt ratione prognata. Cuius generis cùm ſint res à B. P. Ignatio geſtæ, dixerimque vnicuique eum eſſe maximè imitandum qui eius quam profitetur vitæ inſtitutor fuit, nonnihil ſummatim dicam, vt quid in illo imiteris videas. Et quidem præter ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, obſerua quæ ſequuntur.

Tres ſunt ſcopuli quibus in hoc vitæ curriculo frequenter aliquorum impacta nauis illiditur, quos qui cautiùs declinauerit, non parum feliciter progreſſurus eſſe cenſendus eſt. Prima igitur, & ſanè grauis, multaque ſecum damna importans offenſio eſt, ſi ad hoc emetiendum iter, benignè adſpirantis Dei flatum non captas, vel in contrarium vela conuertens, voluntate tua te aliò impellis: cùm enim nihil nobis contingere beatius poſſit, quàm à ſumma Dei ſapientia atque bonitate regi; nihil etiam infelicius, extremoque malorum vicinius, quàm ſi noſtro & cæcorum, & imbecillimorum ductu abripimur; quis non videt hunc ſequendo, illud reſpuendo, præſentiſſimum triſtiſſimi naufragij, hoc eſt æternæ damnationis, à nobis periculum incurri? Cùm tamen ſi contrà fecerimus, Deumque nobis, & nauigationis noſtræ auſpicem, & gubernatorem nauis, & auræ vtcumque & quocunque libuerit, datorem & moderatorem elegerimus, planè

planè nulla sit, vel metuenda tempestas, vel aberratio formidanda. Vltro quidem id agnoscimus & profitemur omnes, vixque adeò perfrictæ frontis reperiatur quisquam, qui se Deo vocanti obsurdescere, palàm ausit edicere. At cupiditatibus euicta mens, sic aliquando peccato immoritur, vt audiendi sensus iam deesse videatur: interdum verò & sæpiùs, audit quidem sed dissimulanter, remissè, vixque tangitur, & aliorsum deflectens, ac sibi blandiens, eousque moras nectit, donec vel Deo ingratum deserente, vel deceptrice inspirationum interpretatione superante, malè concupitis insenescet, & nunquam ad quæ vocatur meliora conuertetur. Huius ergo, & grauissimæ & periculosissimæ temeritatis deuitandæ atque corrigendæ, non solùm (quod in præsens omitto) rationes & vias docuit B. Ignatius: sed etiam tota in eius vita, singulisque consiliis elucet vel maximè, quàm semper hoc primùm, & summa cura poneret, esse ne illud opus ex Dei aggrediendum voluntate, & super ea re quàm attentè quid in se loqueretur Dominus audiret: id verò quomodo consequeretur, non vno loco expressum reperies, in Societatis historia, & superiore libro dixi, vbi & docui, hinc quoque Religiosæ vitæ pendere perfectionem.

Alter est, & non infrequens error, vt, postquam vocantem Deum sequi semel aliquis cœperit, non tamen consentaneè sequatur. quod variè fit, si remissè, si nimis ardenter & temerè, si turbulentè, si inconstanter, si à spiritu vocationis alienè, si parum vtiliter & vbi non oportet laboratur: in quos & plures defectus non incidit, si certus & destinatus nobis finis, & probè cognitus est, & præ oculis semper est, & ardenti animo concupiscitur: si quæcunque vel agenda vel omittenda occurrunt, ex comparatione ad finem illum diiudicantur, magnoque animo quæ ab illo fine auertunt, quantumuis prima specie blandiantur, respuuntur; quæ verò ad illum conferunt, laboriosa licet & ardua, quæruntur tamen, & in iis inuicto animo perseueratur. Hoc profectò, si quidquam aliud, exemplo suo mirè sanxit Ignatius, cuius à prima de studiis deliberatione ad extremum vsque spiritum, vita tota, omnisque per singulas eius partes vel suscipiendorum vel deponendorum consiliorum ratio, vnius finis benè semel positi prudenti consideratione quasi filo vnico, aptissimè contexta deuoluitur. Iucunda respuit, insuauia amplectitur, noua inuenit, se in varias partes vertat, sed in vnum semper scopum intuens: vt quid enim vel orandi assiduitatem studio literarum postponit, vel eblandientes de rebus cælestibus respuit sensus, vel Grammaticorum Dialecticorumq; aculeis pungi sustinet, vel chorum cantumque à se abdicat, vt quid tam multa in sua Societate seruanda & exercenda tam subtiliter vtiliterque commentus est, tam varias etiam laborum susceptiones adinuenit, easque certa est ratione moderatus, nisi quòd vnum intuebatur finem, quo rite præfixo, ab illo omnis eius actio consultatioque pendebat? Vt verò id consequatis prudentia inprimis & fortitudine opus est: etenim non præcipitandum est vnquã, sed solerter indagandum, conueniat necne fini propo-

sito

posito, id de quo est quæstio; tum verò fortissimè in iudicato persistendum. Hoc autem quanti momenti sit, nemo non videt: quare simul etiam videat necesse est, quantum ex hac B. viri bene perpensa vita vtilitatis reportare possit, quippe vix alterius cuiusquam tam sibi consonantem, prudenterque decursam vitam, quæ literis ita commodè descripta sit, offendet.

Tertius, si tamen tertius, scopulus dici potest, & non potiùs proximè dicti pars, tertium nihilominus dicamus, quia seiunctè ponitur, deque illo præmonere, cùm plurimi hîc impingant, omnino expedit. Est igitur hoc vitium cùm ad id adspiramus, vel laborem in eo ponimus, quod à nobis nunc temporis minùs exigitur: & fermè vel curiositate, vel ambitione, vel simili quapiam cupiditate ad hoc prouehimur, atque interim iacent quæ magis propria sunt, & de quibus aliquando in extremo iudicio rationem exposcet Deus. ita mihi videas aliquos vel insanis ædificiis exstruendis, vel antiquarijs rebus perscrutandis, vel etiam indignioribus occupatos magnates, fluctuantia reipub. gubernacula non attingere: alios videas Ecclesiæ Deiaddictos viros, & Christi patrimonio diuites, nihil minùs quàm res Ecclesiæ tractare: ipsos quoque, quod dictu fœdum est, Religiosos, alienis multis implicari negotiis, conciliare matrimonia, lites contestari, sibi vel aliis honores exambire, amicorum cognatorumque res perinde vt proprias curare. Grauiora hæc & fermè patentiora sunt, atque vtinam tam cauerentur sedulò quàm grauia sunt, & apertè nocent: sed & leuiora sunt non pauca, nec infrequentia in Religiosis maximè, vt alterius munus optare, iis occupari quæ parum cum officio commendato conueniant, vt puta si confessarius matheſi, chronologiæ, versificationi, antiquariæ, vt vocant, se tradat; si qui harum aut similium rerum alicui excolendę datus est, ea neglecta ad Theologiam, vel quæuis sacratiora se conferat; si quis labores, regiones, contemplationem, aut quietem, ad quam à Superiore non vocatur, sponte sua & indubitanter exoptat: minorum verò infinitus propè numerus est, quale fuerit, huius aut illius emendandæ rei zelo moueri, hunc aut illum reprehendere, facta iudicare. de quibus & eiusmodi omnibus, vel benè B. Pater iudicabat à nobis in die iudicij non exigendam esse rationem, vel timendum vehementer est, ne seuerissima ratio exigatur, quòd iis quæ ex officio erāt minùs diligēter & assiduè curatis, tantum in iis quæ minùs ad nos spectabant, vana quadam naturæ cupiditate ducente, laboris & industriæ sit impensum. Et verò mirè id nos docet B. Pater perpetuus & indefessus id vnum agens quod ageret: suus illum ferebat impetus vt ageret multa, multa pateretur, at eum intra rationis gyrum rigidè coërcuit, totum se suæ Societati gubernandæ addixit; & quamuis ceteris nequaquam incuriosus & otiosus assederit, attamen sic totus in demandata Societatis gubernacula incubuit, nihil vt aggrederetur extrà, nisi illi factum fuisset satis. Quod profectò vnum si seruaretur diligentiùs, multò feliciùs in quam plurimis ageretur nobiscum; at nunc frequentissimè perturbatè, festinanter, & in spe-

ciem res tractamus maximas, dum hucilluc vel affectu, vel ostentatione ducente, per quæuis minutula diuellimur, & agentes omnia, nihil agimus. Pudor ille laudatus, an tædium, an inuidia nos agit, quando multa audentes aggredimur, qui vix pauca benè possumus? quando in multiplices curas minore nostri cura diffluimus? quando alienam, occasione cupidè arrepta, industriam opprimere nitimur? Sed hæc exaggerare nostri non est instituti: id vnum addo, mirari vehementer me solere, quomodo possit quisquam alicui vni statui vel muneri addictus, de alio, vel statu, vel munere, vel re quapiam esse solicitus, eique operam nauare suam, quandiu supereſt aliquid quo se suo in munere perficiat, illudque cumulatiùs præstare possit. Huic verò mirationi ea subest causa, quòd cuicunque qui rectè & ex ratione agere velit, at maximè Christiano, pro certo habendum est, tum agi perperam quando potioribus minùs digna, vel præceptis voluntaria præferūtur, semper autem quæ status vel muneris nostri propria sunt, potioris & quasi præcepti locum præ ceteris habere extra controuersiam est. atque hinc est consequens, vt, cùm dictorum factorumque ratio in diuino iudicio à nobis exigetur, primum, & potissimum, ac propè vnicum quod in discrimẽ veniet, erit, an bellè omni ex parte personæ nostræ numeros compleuerimus. Et verò quotusquisque tanta ingenij firmitate & præstantia præditus est, cui, cùm rem vnam perfectè explendam susceperit, vel multum otij superſit ad alias, vel etiam desit quod in eadem perficiat? quæ si seriò perpenderimus, erit vnde desultoriam istam ad varia transcurrendi leuitatem cohibeamus, & vel paucis vel vni rei studium adhibentes, libenter cetera missa faciamus.

Atque hæc de tribus istis dicta sufficiant: sin autem aliorum quæ vtilissima depromi possunt, enumerationem expetis, certè id vel solus postremi, quem Ribad. conscripsit de eius vita, libri index potest repræsentare: quippe in eo omnia propè sunt eiusmodi, vt vel maximè expeti debeant. cui enim quæso vel orationis perfectio, vel affectuum tranquillatio, vel in agendo prudentia, vel fortitudo, modestia, caritas, ceteræque tot virtutes, non sunt ardenter expetendæ? atqui ad eas ibidem cuncta referuntur.

LIBER

LIBER OCTAVVS,

De Zelo animarum.

CAPVT I.

De iis qui salutem aliorum suis laboribus procurare non possunt.

MVLTA hac de materia scribi possent, ea sola tangam, quæ intra limites mihi positos continentur.

Cùm enim potissimis firmare præsidiis, armis instruere, virum illum optem, qui opum, honorum, voluptatum, pereuntiumq; rerum, imò & sui ipsius amore superato, in Religiosæ familiæ disciplina viuere, & ad extremum vsque perseuerare decreuit: id autem quasi certum indubitatumque sumserim, perseuerare non posse illum, qui ad propria, & instituto quod arripuit, quasi naturalia munera defungenda, voluntatis ac solicitæ curæ nihil confert; omnino necesse est, vt de animarum zelo, virtute tantopere in Societate Iesu commendata, nonnihil disseram. Etenim non quemcunque perseueraturum, sed eum potissimè, qui in nostra Societate perseuerare volet, instruo.

Cùm autem ad Tirones maximè atque Iuniores hæc mea scriptio dirigatur; his verò, non tam laborum & actionum aliis vtilium susceptio, quàm seipsos ad perfectiora promouendi, & maioribus aptandi cura & industria incumbat: erunt mihi ea præcipuè persequenda, quæ ad tantam virtutem aliquando capessendam, ad parandos animos, & cauendos quos illi subinde implectit Satan, dolos nonnihil conferant. Et quidem

Dolus primus est, & de quo statim ipso in ingressu monitos oporter, ne præclarissimæ virtutis cupiditas nimios & imprudentes sui amores concitet. Quod fieret si quæ in instituti amore stabilire ac firmare debuit virtus, instabiliorem, languidum, ac subtristiorem redderet. Quod ipsum variè contingit, & non exiguam, tum priuatim singulis, tum vniuersè communi rerum statui, fluctuationem, atque, quod sequi necesse est, perturbationem, ac damna ingentia importat. Quare vnumquemque, intra suum se modulum cõtinere, suaque esse mediocritate contentum oportet: ita quidem, vt quid ab ipso exigatur sciat, esseque id omne vitiosum, quod aut præter vires est, aut ab hominis conditione dissentit. Quippe duobus his fermè modis fieri puto, vt etiam in Societate nostra, nonnulli à procuranda suis conatibus animarũ salute arceantur; neque id illis vitio verti debeat, imò ceteros, & fructu salutis alienæ, & lucrosis æternæ gloriæ compendiis æquare possint: quod dilucidè per singula demonstro.

Conditione sua, à procuratione salutis alienæ arceri, solos eos quos Coadiutores vocamus, certum est: sunt enim ad id vnum vocati, & in Societatẽ coopti, vt inabruptam, rebus quæ ad spiritum attinent, operam sacerdotes nauare possint, dum ipsi sufficiendis corpori, & vitæ eorum necessariis, summi Dei & Domini nostri amore incumbunt. Quod sanè quantæ sit virtutis, quantæque gloriæ seminarium, is intelliget, qui humilitatis atque caritatis, virtutum præcellentissimarum, quanti sint thesauri probè capiet.

Alij sunt, quorum seu inualetudine, seu imbecillitate naturæ, seu decrepitæ senectute, ita sunt attritæ vires, vt conatum nullum extrinsecùs adhibere possint, nec foras erumpere. Quos profectò sua etiam decet esse sorte contentos, & sanctissimæ Dei prouidentiæ summa tranquillitate subiectos, vereque persuasos, hanc sibi, ad vitam æternam, à Deo viam esse positam; & esse vnde sibi, qui natura filij iræ, & sæpè supplicia sempiterna promeriti sunt, abundè ob tam beatam sortem gratulari possint. Quid iuuat alienis, quæ habere non possis, bonis, liuido & obliquante oculo intuendis tabescere, interimque modica illa quæ tibi insunt, magnisque possent auctibus grandescere, otiosa & inculta dimittere?

CAPVT II.

Solatia duo ex eis, quæ ipsi præstare sibi & aliis possunt.

PRimò omnium tam illi, qui conditione, quàm alij qui quouis alio casu, industriam suam & sudores, promouendæ alienæ saluti adhibere prohibentur, id sibi solatij habeãt: Iustas eas & laudabiles desiderationes esse non posse, imò verò Deo ingratas esse, & ab aliqua prauæ cupiditatis radice ortum ducere, quæcunque rectæ rationi repugnant: atqui id velle, iddesiderare, quod conditionem tuam, benè & sapienter electam, dedecet, vel tuas quæ nunc sunt naturæ vires superat, imprudentiæ est, & rationi aduersatur: cur igitur doleas, tuam illi rei operam non esse addictam, quam vt nunc tecum agitur, prudenter optare non potes, imò potiùs leniter & hilariter declinare debes? etenim ea omnia declinanda sunt, quę conditioni nostræ, & rectæ rationi, ac, quod consequens est, diuinæ voluntati minùs cõsentiunt: sin autem affulgente sola honesti specie abducimur; ipsi nobis imponimus, mendacioq; lactamur, fulgorem vani nominis, & gloriolæ blandirias, pro virtutis vero splendore complectentes. Quod si facimus, quid nos aliud, quàm inconsideratus impetus, vel leuiculæ ostentationis amor rapit? Dum verò neque muneris impositi lege, neque rectæ rationis impulsu mouemur, post labores diu persudatos, post tabefactum crebris suspiriis pectus; quæ tandem huic ad tam præclarum opus ardori, merces erit à Deo? Quæ, nisi vt illud Prophetarum dicat, *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Non mittebam eos, & ipsi currebant: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non*

Ierem. 23. Osee 8.

non cognoui. Ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam: quod etsi fecerit, alieni comedent eam. Sed his erit aptior locus.

At obiiciet nonnemo, sibi graue esse, & verò non ferendum, quòd sua imprudentia, addam etiam, si lubuerit, & peccato, quamquã in bono Religioso, quomodo id fiet? sed demus id quoque, vt peccato se iam ad eas angustias redactũ videat, vt ferendis laboribus impar sit: cõsentaneum igitur esse, vt culpam suam lugeat, atque reparari robur exoptet. Certè de reparandi roboris moderatissima cura, pro ratione loci & instituti suscepta, nihil contendo, quin rectè & laudabiliter fieri possit: at neque se infirmiorẽ lugere, neque ad sudores aliorum adspirare, laude dignum est. Quamuis enim de iis quæ perperam egimus, dolere & peccata deplorare possimus; attamẽ imprudentis est, ea conari, quæ tentare non debes; ea suspirare, quæ efficere non potes: sed quoties in eum deueniisti statum, à quo recedendi omnis tibi est sublata facultas, in id collimandũ, id spectandum contentiùs est, vt ea quæ tibi supereſt mediocritate & conditione, quàm poteris fructuosissimè vtaris: quippe toti hominũ generi vsque adeò benignè optimus prouidit Deus, nemo vt tantis vallari possit angustiis, opprimi calibus, infirmitatibus deiici, opportunitate destitui, quin & liberos ad Deum suum aditus nanciscí, & magnitudine animi, virtutisque firmitate, quidquid extrariæ facultati deest, quadantenus compensare queat. Est autem vafri dæmonis perniciosus astus, quoties vel præteritorum, vel eorum quæ in nostra potestate non sunt, vanis votis & quiritationibus angimur, ea verò quæ nunc temporis perfectiùs fieri possent, & vbi non parum promoueremus, neglectim præterimus; atque ita totius nobis vitæ fructus perit, dumque præsentia, & quæ præ manibus sunt, præ absentium & nos fugientium auiditate negliguntur, vtrumque nos miserabiliter fugit, nudique & bonorum omnium inopes, ad æternitatem, seriis prosequendi lacrymis tendimus, momentoque deuoluimur.

Atqui in hæc incidimus, quoniam parum æqui, tum diuinæ gratiæ, tum laborum humanorũ æstimatores sumus: quod nostrum iudicium si correxerimus, omnis erit sortem suam lugendi materia sublata: & hoc esto secundum, quod nunc profero solatium, vnde videamus, ab iis qui conditione vel infirmitate præpediti, in aliorum salutem non incumbunt, plurimum tamen ad eam conferri & promoueri posse. Etenim hominum animos, improbarum cupiditatum vinculis soluere, à caducis & sensui illudentibus ad immortalia & diuina transferre, incensisque maioris sanctimoniæ desideriis inflammare, non humanæ, sed solius diuinæ est opis: labor & industria hominũ, non aliud est, quàm euocatio & quasi initamentum diuinæ gratiæ, quæsi defuerit, labor omnis cassus & inefficax iacet; at si se, vel vltro, vel vocata, copiosiùs effuderit, potestid omne sola, quod quibuscunque adhibitis, præstari aut sperari poterat.

Solet autem prouidentissimus, & ad virtutem solers incitator Deus, viris illis ad permouendos aliorum animos gratiam dare, qui sincera mente, vereque diuini

uini honoris auidi, suos ad id sudores conferunt: sed ita fermè, vt humilitatis conseruandæ causa, vix, quamdiu hîc viuitur, certò constet, quis per quem sit ad consilia saniora traductus. Quamuis enim satis patere soleat, cuiusnam in homine illo sanando desudarit industria, quis tamen certò asserat, non esse id cuiuspiam alterius virtute perfectum, orationibus impetratum? Concionum suarum fructum, socij precibus acceptum ferebat P. Borgia: veréne, an falsò, nihil ad nos. id autem à nobis facit, quòd ita fieri posse sentiebat, & re vera sæpè fieri pro certo sumo, & probarē, si meritò in dubium reuocari crederem. Certè ipse S. Franciscus non illepidè asserebat, fore aliquando, in extremo illo & decretorio iudicij die, vt non paucis diceretur, Beatæ steriles, & vbera quæ non lactauerunt, erunt filij desertæ plures, quàm eius quæ habuit virum: quando scilicet, à concionatoribus & Præpositis qui opinione hominum celebrabantur, quibus rectè facta multa certatim tribuebātur, supposititij fœtus tollentur, verisque ac ignotis matribus reddentur, iis videlicet qui latentes silentesque, suis eos lacrymis, ieiuniis, suspiriis, orationibus, virtuti salutique pepererunt. Et verò quis nescit maternarum lacrymarum filium fuisse Augustinum, nec arescere potuisse, imò in tantam arborem adoleuisse, qui tam sanctis irrigationibus increuit? Ac ne plura consecter, quoties improborum, nihilque minùs cogitantium hominum diuexatione, dæmonum quoque terriculamentis & peruicaci insultatione perfectum est, vt qui perditam vitæ rationem iniuerant, ad meliorem se frugem receperint, ac postremis prima correxerint? In hac autem felice magis, quàm præcauta & prouisa voluntatum conuersione, quis præter diuinæ gratiæ largitatem, ausit sibi partem laudis vllam arrogare? nempe hinc agnoscimus, neque laboribus, neque industriæ, neque eloquentiæ cuipiam, neque auctoritati, vel homini vlli, insitam eam esse vim, qua possit alium, à dominatu vitiorum, ad veræ virtutis castra transferre. ex quo fit, vt hoc nomine nullus tibi labor, conditio, vel munus meritò sit inuidendum: timendum potiùs, ne, si in non tua, improbante Deo, temerarius inuoles, pro lucello sperato damna multa & ingentia reportes. Sed hæc posteà.

At verò, si tanta hominum animis benefaciendi cupiditate flagras, tua te exilitate inuolue pacatus, copiosum tibi virtutum, ac in primis humilitatis commeatum compara, sanctis votis & precibus diuinam liberalitatem implora, atque cognoscendi, qui per te fiat, fructus minimè auidus, tuas Deo committe sortes nec dubita; quidquid tam munificæ manui traditum fuerit, tibi cum ingenti fenore multiplicatum redibit, eritque vt aliquando mireris ex agro sterilescente, pertenui semente, vberrimas effloruisse segetes, æternumque mansuras.

Audi quod grauissimorum, quique rei gestæ interfuerant, virorum testificatione mihi constat. Fuit in Germania nostrorum quidam, ministeriis domesticis destinatus, vir bonus & gnauus, muneriqúe suo totus intentus: cui cùm & frater, & cognati omnes hæresis labe laborarēt, videretque pro ratione conditio-

ditionis atque susceptæ vitæ, fore sibi præstabilius, si omnem de illis cogitationem curamque deponeret, neque tamen omnino nihil, ad eos in viam reducendos conferret, quid est commentus? Sese ad fundendas diuinæ maiestati preces contulit, sinceroq; atque firmissimo animi proposito coram Deo statuit, penitus in posterum ram in precibus, quàm in aliis occasionibus cõsanguinitatis omnem, vt perfectiùs pleniusque Deo vacaret, memoriam deponere, ita tamen vt hanc ipsam eorum obliuionem, & integerrimam ad obsequia Religiosa contentionẽ, semel vniuersè consecraret, ac saluris propinquorũ procurationi, pro diuinæ voluntatis arbitrio, æquissima mente dedicaret. Ergo plures annos, omni eorum cogitatione & cura solutus perseuerat; cùm ecce fratrẽ illum qui matrimonio tenebatur, visendi fratris importuna cupido incessit: cui vt faceret satis, profectus peregrè, Collegiũ adit nostrum, fratrem euocat. qui hominis, & quidem hæretici, nec opinatum aduentum demiratus, blandis, vt oportuit, verbis consalutatum, tantisper exspectare iubet, dum Superior certior factus fuerit; adit, hæresi laborare indicat, sacerdotem sibi designari impetrat, qui persanandæ vomicæ incumbat. quo impetrato, & fratre plures dies domi nostræ retento, factum est vt hæreticum omne virus euomeret, totaque mox familia in eandem vrbem traducta, ceterique deinceps consanguinei errorem dedocti, saniorem fidem amplecterentur. Amabo te, quod verum est respice: nunquid non hæc sancta fratris obliuio, hi Religiosæ obsequentiæ labores, Deo solo nixa fiducia, argumenta fuerunt impetrandæ à Deo gratiæ, fratrique reuocando potentissima? Iam verò, quis non videt, in infirmitate, morbi dolore, vel cuiusuis casus acerbitate toleranda, si paribus excipiantur animis, pares quoque prouentus esse secuturos? planè vt sit nobis nostra ignauia fatenda, quoties parum ad Dei gloriam, ad aliorum vtilitatem à nobis fieri credimus: satis efficit, qui officio sibi demandato probè fungitur. Atque ita patet, non sibi tantùm, sed & ceteris non mediocriter prodesse veram solidamque virtutem, etiamsi, vel conditione, vel casu, soli Deo, non etiam hominibus fulgeat.

CAPVT III.

Quomodo se ex aliorum labore solentur, qui suum conferre non possunt.

TErtium superest, non esse cur animaduersis, quos subire non possumus, alienis laboribus angamur, delectemur potiùs, & quo maiores dignioresque fuerint, arctiorique eos amore complexi fuerimus, eo plura nobis accedere, felicioresque nos credamus, vnde fiat vt in arrepti semel instituti amore ac tenore firmemur.

Etenim ita nobiscum agitur, vt quicunque in eiusdem Societatis communionem conueniamus, in vnius & eiusdem quasi magni corporis membra coalueri-

luerimus eademque eiusdem Spiritus veluti animæ vi vegetante, vitales gratiæ succos è communi hauriamus, maiore procul dubio largitione fundendos, vbi locupletius ærarium sanctioribus operis abundarit. Quare veluti miles ad stationem in præsidio relictus, & in partem prædæ cum ceteris ex æquo veniens; efferetur gaudio, si excursione subitaria, à populatoribus ingentem prædam conuehi cerneret, neque se in præsidio relictum, iure lamentaretur: ita si Religiosus, ab eiusdem sacræ militiæ commilitonibus, copiosam vndique è carne, mundo, dæmone prædam agi, & in sua castra comportari videat, est vnde sibi vehementer gratuletur, plurimumque Deo debere se agnoscat, quòd in partem sortis sanctorum vocatus, nullo vel perexiguo suo labore, tam sanctis aliorum sudoribus, arentem animi sui agrum irrigare, alienisque, sed vltrò communicatis fructibus opulentare possit.

Apolog. ad Guliel. Abb. Quam in rem obseruare, iuuat quod D. Bernardus quodam loco; Religiosum Ordinem, inquit, *vnum opere teneo, ceteros caritate. Faciet autem caritas (fidenter liquor) vt ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam; Tu tibi caute age; potest namque fieri, quia frustra tu laboraueris: vt autem frustra diligam bonum quod operaris, fieri omnino non potest. O quanta fiducia caritatis! alius operatur non amans; & alius amat nihil operans: ille quidem suum opus perdit, illius verò caritas nunquam excidit.* Etenim, vt S. Leo optimè, *incremento ditescunt proprio, qui profectu delectantur alieno.* Similiter & S. Gregorius; *Aliorum bona, quæ habere non possumus, si diligimus, nostra facimus.* & mox; *Quanta virtutis est caritas, quæ alieni quoque laboris opera, nostra facit sine labore!* At nunquid miratus es Bernardum, etiam quod ad alios Religiosos Ordines attineret loquentem, tamque affirmatè ipsismet laboribus securiorem esse caritatem pronunciantem? quid putas dicturum, si de eodem ageret Ordine, si de caritate etiam quod suæ facultatis esset conferente, preces, patientiam, animi æquitatem, suæ conditionis ministerium adplicante, vel quomodolibet alacriter adnitente, minutique aliquid, instar Euangelicæ viduæ, in gazophylacium recondente?

Serm. 10. Quadrag. In Pastor. adm. 11.

Infelicium, an amentium esse dicam eorum consilium, qui vbi se quàm ceteros minùs ad agendum strenuos viderint, abiiciunt animos, & noua consortia meditantes, susceptum vitæ cursum abrumpunt, atque ad inferiora ac peruulgata respectant? annon tibi perinde videntur isti desipere, atque si inermis & solus, intra firma militarium copiarum præsidia tutus, grassante foris hoste, castris vellet abscedere, quoniam infirmior, non posset instar aliorum, arma tractare? vel si tenuiorum opum vir & multis indigens, prædiuitum, potentium, sibi amicissimorum, & eum percupidè in omnium suarum diuitiarum communionem admittentium, conuictum ideo refugeret, quòd non iisdem, quibus ceteri, facultatibus abundaret? quis, eiusmodi hominum, cùm in crudelissimorum hostium potestatem venerint, vel ad extremam redacti inopiam fuerint, miseram, quam sua voluntate subiuerunt, sortem lugeat?

Et

Et quidem in Religiosis familiis, est id longè verius: istic enim molestiam creare potest imparitas, & ingenuus quidam pudor, qui nos nihil eius commeritos, ab aliena ope imploranda arcet, facitque vt alienis, quæ vsu consumuntur, opibus exhauriendis, graues esse vereamur. At nihil istorum hîc locum habere potest: nam imparitas nulla iudicari potest in illis, quorum omnes diuitiæ intus in animo, & in cælis apud Deum repositæ sunt: & licet in iis qui videntur laboribus, aliquid inæquale videatur, sciunt illud in occulto pensandum, non eam quæ foris videtur, sed quæ intus latet, circumcisionem à Deo spectari, *corporalem exercitationem, ad modicum, pietatem autem ad omnia esse vtilem.* itaque, & qui non manducat, manducantem non spernit, & qui manducat, non manducantem non iudicat, & vnusquisque sibi operique suo intentus, alienis bonis lætus gratulatur, mala verò sua solicitus dispicit, ac insidentem laboribus, gloriæ teredinem veritus, & morbosos, quoniam *patientia perfectum opus habet*, beatos prædicat; & quoniam sua sorte vtendum est, labori gnauus insudat.

Sed neque paucioribus incumbere pudore suffundimur, vbi omnia Superiorum auctoritate atque prouidentia ita dimensa sunt, vt non vnicuique, in quæcunque, pro suo arbitratu inuolare liceat; vbi etiam scimus, non rerum agendarum multitudine & varietate, sed latente animi perfectione æstimari omnia, vnumque opus eximia caritate perfectum, vel dolorem vnum insigni animi fortitudine toleratum, longè pluris esse, maioremque communi thesauro accessionem facere, quàm alia permulta hominum opinione maiora, sed à lentiore virtute manantia. Quid? quòd aliorum, partim Superiorum, partim & inferiorum, exercendis virtutibus variis, sapientissimus ita semper prouidet Deus, vt non desint qui valentioribus admisceantur infirmi, nihilque hinc vel molestiæ sanioribus, vel pudoris infirmis creari debet, si diuinæ se ordinationi præbeant vtrique conformes?

Et verò hac ratione, maiora etiam vtrimque emolumenta redduntur: nam & maiore numero virtutes exercentur, & hoc habent animi diuitiæ proprium, vt quo latiùs ad plures communicatione traducuntur, eo vigescant & clarescãt magis, imò verò quo ad indigniores deriuantur, eo se magis efferente liberalitate atque benignitate, grandioribus auctibus increscunt: planè vt nihil sit, quo à participandis in Religiosa familia bonis deterreri debeamus.

Quid aio deterreri? potéstne diuitias exoptanti, iucundius aliquid occurrere, quàm si nullo suo labore, aliena liberalitate ditescat? & in Religione, an non ita prorsus nobiscum agitur? eodemque in corpore coniunctis omnibus, vnoque & eodem Spiritu omnes mobilitante, nónne id suauissimum exoritur, vt dicere quisque possit se tot animis amare Deum, quot eiusdem instituti socios habet, tot operari brachiis, pedibus currere, regionibus viuere, aduersis exerceri, coronari victoriis? Quas tibi, Deus optime, gratias rependam, qui me immerentissimum, tantorum, quæ nec satis æstimare possum, bonorum parti-

cipem fecisti, tanto me corpori inserendo? ô quantum, mea inutilitate perpensa, solatij capio, quantum fiduciæ mihi accedit; cùm eius corporis membrum esse me cogito, in quo reperias qui tenebras ignorantiæ multa scientiæ luce dispellunt, qui cupiditatum æstum moderatione virtutis mitigant, qui furentem aliorum improbitatem arte multiplici coërcent, qui nihil sibi asperum, nihil inuium, nihil Dei causa pertimescendum putantes, amicos, honores, patriam, suam ipsorum vitam honori diuino vel tuendo, vel amplificando posthabent; hæreticorum insanos furores, dicendo, scribendo retundunt, patiendo etiam, plagasque, & conuicia, & carceres, mortemue tolerando vincunt, duratas gelu plagas, arentes ac nimio ardentes æstu regiones, rudibus ad fidem adducendis, omnium rerum inopes incolunt! In eorum immerentia capita, anthropophagorum inhumani dentes famem exacuunt, procellosæ maris tempestates insaniunt, venenata pestilentiæ aura desæuit, inhospita Sinensium edicta grassantur, Iaponiorum crudelitas furiata bacchatur: at hæc & plura, fide armati, inuicti cantate despectant, Deumque suum ac Dominum pro ipsis cruci affixum inoculi ferentes, non alium sibi decertandi quàm viuendi terminum indicunt: quidni igitur, ignauus ego, & in postremis ad impedimenta relictus, fortissimorum virorum latè procurrentem aciem memorans, eorum saltem societate collætet, saltemque res meas & salutem meam in bono & tuto loco repositam gaudeam?

Hoc idem, & longè optatissimum, quantum opinor, solatium iis omnibus præstò est, qui in Religiosa quauis familia longiùs excurrente sunt adscripti. At nunquid, inquies, idipsum de illis dici potest, qui Religiosorum quidem numero non accensentur, at benefactis, precibus, vel propria Superiorum indulgentia, in partem communium bonorum veniunt? Equidem, certo certiùs existimo, in hos quàm in reliquam Christianæ plebis partem copiosiùs illa deriuari: at eos ex æquo cum Religiosis ipsis participare, non inducor vt credam: nec enim putem fieri posse, vt qui membrum corporis non est, nec eodem & Religionis proprio spiritu viuit, nec veros membri vsus defungi potest, is eosdem quos viua membra succos vitales è corpore toto exsugat. Nonnulla forsan sunt, quæ possint ex æquo deriuari, vt pœnæ quibus pro admissis sceleribus Deo fit satis, & alia quæ Religioso spiritu minùs continentur. At magnum quiddam est, Religiose, quod ista tibi cum ceteris cooptatio confert: non pecunia, non obsequiis, non desideriis, aut quantacunque industria redimi potest: lætus amplectere, thesaurique tanti, ne parcus æstimator, vel prodigus dissipator sis caueto. Superbiæ & inuidentiæ nimiopere deplorandæ est, quibus ipse viribus & virtutibus careas, has in aliis videre, ideoque cum illis conuiuere non posse: humilitatem & caritatem decet, alienis gaudere bonis, promouere quàlicet, semperque præstantiorum consortio conuictuque lætari.

CA-

CAPVT IV.

Quid sit zelus animorum, quæ eius propriè munera, & cuiusmodi instrumenta.

ZElus quandam inardescentis amoris vim significat, quæ in id quod amatur tantopere exæstuat, vt neque riualem vllum patiatur, semperque attentè inuigilet, necubi vel amor offendatur, vel intepescat, sed firmior potiùs vegetiorque reddatur. Zelo igitur animorum, eam amoris atque caritatis vim intelligemus, qua concitamur, vt animi salutem ardenter alteri velimus, conemurque, quod in nobis est, vt sanior Deoque addictior perseueret, caueamus item quæ suboriri possent pericula, vel si iam aut ignoratione aut praua cupiditate & peccato, à Deo sit alienus, inde se recipiat, & sanctiora respiciens, damnata vitæ prauitate, salubriora sectetur. Quæ pulcrè D. Bernard. *Quid est, nisi intima quædam stimulatio caritatis, piè nos solicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum eius, incrementa frugum iustitiæ eius, laudem & gloriam nominis eius?* *Hom. 58. in Cant.*

Quoniam autem acrior molestiæ, quàm voluptatis esse solet sensus, fermeque in depulsione mali tota laborum moles exigitur: ideo fit vt, quamuis ad zelum spectet, in id non tantùm incumbere, vt vitam habeant, sed etiam vt abundantiùs habeant, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc; eas tamen potissimè zeli actiones obseruemus, ac etiam longè potentiùs sese efferant, quibus aduersantia propellit, hæreses, peccata, flagitia, Dei ignorantiam fugat. Et re vera, vt in his est certa pernicies, omnisque diuinus amor, atque adeò salus animi extinguitur, maior in Deum iniuria, diuinæque gloriæ, quantum datur intelligere, grauiora importari detrimenta censemus: vnde fit vt æquissimum, imò planè necessarium putemus, vt qui Deum sanctè diligit, & ea quæ Dei sunt sincerè desiderat, quantum eum amat, tantum etiam doleat, quoties eum videt hominum peccatis iritari, cultum destrui, & impiorum hominum conatus robur acquirere: ac similiter quanta proximum caritate complectitur, tam etiam grauatè ferat, si eum in deteriora deflectere, à salute aberrare, abalienari à Deo viderit. Vbi verò id viderit, tum sanè inardescet, efferuescet, exiliet, nec se ipse continebit, in partes omnes vertet, nihil intentatum relinquet, si quà fortè tantum illud, quodque sanctæ suæ cupiditati tantopere aduersatur malum, ab aliorum ceruicibus arcere, eorumque salutem in tuto locare possit.

Iam verò vt corpori, sic animo sanãdo, certa quædã adhiberi debet industria, multa quidem & varia opera complectẽs, sed quæ omnia vel in malis propulsandis, vel in bonis aduocandis, firmãdis augendisq; versantur. Quæ bona & mala

omnia cùm in intellectu & voluntate resideant, perfrequenter autem extrinsecus inolitæ consuetudinis tyrannide, vehementi propensione naturæ, improborum hominum conspiratione, publica morum corruptela, minis interdum, tormentorumque terroribus aduersus probitatis amatores illatis vitia roborentur, non possunt quæ semel inualuerint mala euelli, vel radices agere melioris sementis, nisi ex alto vis quædam, maior humana, hominum se conatui infundat.

Quare, triplicis mihi videntur esse generis, quæcunque ab animarum zelo proficisci possunt: Primi sunt, quæ ad intellectum perdocendum, & à falsa prauaque persuasione reuocandum faciunt, vt lectio, doctrina, scriptio, concio, catechismus, monitio, & id genus alia: Secundi sunt generis, quæ itidem ad voluntatem ad saniora permouendam faciunt, vt concio, monitio, reprehensio, exemplum, aliæque artes variæ: Tertij denique generis sunt ea quibus diuinæ virtutis auxiliatricem vim nobis adiungimus, vt oratio, vt corporis ad id suscepta castigatio, sensuum coërcitio, voluptatum abdicatio, earum denique præstantiorum virtutum adeptio, quæ hominem Deo proximum faciunt, & quodammodo diuiniorem reddunt; hinc enim fit, vt eius qui talis euaserit, opera & verba omnia, imò vel sola desideria, animos hominum quaquauersus ducendi vim sortiantur. Ita legimus mirabilem illum virum S. Dominicum, familiariter cum suis colloquentem dixisse, nihil se à Deo postulasse vnquam, quod non etiam impetrasset: cùm autem excepisset quidam, Quin ergo, Pater, M. Conradum, familiæ tuæ vtilissimum Doctorem, & à tuis vehementer expetitum, à Deo impetras? Rem permagnam, ait S. Dominicus, & impetratu arduam loqueris; attamen si postulauero, id etiam daturum Deum non diffido. Vesperat, & ad orationem se contulit Sanctus, in eaque de more pernoctauit, cùm ecce primo manè in sacram ædem irrumpens Conradus, ad D. Dominici gemua prouoluitur, & Religiosorum numero adscribi flagitat; impetrauit, magnæque sanctitatis indiciis datis, in Religione serus obiit.

Lib. 4. vitæ ipsius c. 6.

Vidésne quantum vera virtus possit, & quantopere efficientia omnis pendet à Deo? ex quo certiùs confirmetur, quod paulò antè dixi, nemini sortem suam, quasi miseram, & bene faciendi vigore destitutam, esse lugendam, cùm nemo sit, qui vel bene patiendo, vel bene precando saltem, non possit in aliorum salutem incumbere, plurimumque à Deo consequi. Certè vt ex B. P. Ignatij sensu agnoscamus, quid maximè ad animarum auxilium conferre putet, obseruanda sedulò est, eius in hanc rem doctrina mirabilis.

Primùm igitur id quasi certum indubitatumque sumit, auxilium quod animis impenditur, finem vltimum & supernaturalem spectare, vt videlicet eum consequantur, vel certiùs, vel vberiùs. Cùm igitur id efficere quod naturam superat, hominemque in æternam beatitudinis felicitatem ducere, nemo homo possit; consequitur vt excelsi magnique Dei id sit proprium.

At

At quoniam pro sua bonitate, in tanti operis consortium ita homines aduocat, vt eis non secùs ac rerum agendarum instrumentis vtatur; potissimè ac præ ceteris, homini qui in animorum salutem incumbit, curandum est, vt se, quàm potest aptissimum, diuinæ manui instrumentum componat.

Vt verò sit aptissimum, obseruandum duo requiri in illis quæ passim adhibemus instrumentis, nempe vt agenti expeditum sit, & cum re agenda conformitatem habeat: aptum enim instrumentum pingendis literis, non erunt trabes, quæ neque scripturis digitis inseri, neque characteribus describendis, atramentoque sensim demittendo sunt habiles; quod cum vsu calami commodè fiat, aptum censetur instrumentum. Nec dissimiliter, quamuis Deus è quouis quiduis facere possit, & diximus, nonnumquam etiam improbitate pessimorum ad efficienda bona ipsum vti, quando tamen hominibus, quasi bonorum suorum administris, ad æternam eorum gloriam maiorem vti voluerit; tum quoque aptiora sunt instrumenta, & in partem beneficentiæ diuinæ venire possunt, si hæc vtraque habeant; hoc est, si Deo cuius in agendo potiores sunt partes, quàm maximè vicinos, & ad omnia se præbeant expeditos; virtutibus etiam inferendis conformes, vt efficaciùs ad eas permouere queant.

Si verò Beatum Patrem consulas, quid sit quod hoc vtrumque nobis præstat? edicet clarè: *Efficaciora sunt*, inquit, *media illa quæ cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, quàm quæ illud disponunt erga homines.* Quis autem id in dubium vocet? si enim à Deo salus, profectò qui ad fontem salutis propior accedet, is faciliùs & vberiùs salutares aquas sibi hauriet, aliis funder. Quæ verò ista vtraque sint, si enumeratione prestiore postulas; ex eodem tibi respondebo: Reddi expeditos ad omnia, *pura intentione diuini seruitij, zelo sincero animarum ad gloriam eius qui eas creauit ac redemit, ac denique quoduis emolumentum posthabendo, sinceroq; mundi & nostri contemptu, omnia vt detrimentum existimando, quò posimus lucrifacere Christum.* Inserendæ verò perfectioni conformiores reddunt, quæcunque nos Deo quàm arctissimè adiungunt, eique nos similiores faciunt, cuiusmodi ab eodem Patre recensentur *probitas, virtus, ac præcipuè caritas, familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, virtutum solidarum ac perfectarum, spiritualiumq; rerum studium incensum:* quibus qui ornatus fuerit, satis patet, virtutibus in aliorum animis implantandis, aptiorem fore.

Sed hic sensus fit illustrior, & opinationum nostrarum falsitas apertiùs confutatur, si diligenter obseruamus, quæ sint quæ ab ipso in postremis reponuntur, ea nempe, quæ, vt loquitur, *instrumentum disponunt erga homines.* At quæ sunt illa? illa sanè quæ plerique omnes, maximi ducimus, suspicimus, iisque comparandis conatum ac facultates omnes, ipsamque vitam exhaurimus; quorum si quid nos deficit, & minùs expeditus est vsus, contrahimur animo, omnique ad bene faciendum facultate destitui videmur: sunt autem illa omnia quæ humanitus habentur, & quæ ab ipso nuncupantur *media humana & dona*

naturalia, vel per industriam acquisita, doctrina exacta & solida, modus eam in concionibus & lectionibus proponendi, forma cum hominibus agendi, cum eisdemq; tractandi, quam vulgò Conuersandi gratiam dicimus, quæ est amabilitas quædam, sensim & facilè in aliorum animos irrepens, illosque ita sibi deuinciens, vt consilij audientes faciat, & in suas partes haud ægrè pertrahat. Quæ & id genus alia non parum quidem conferunt, si sincerè ad Dei obsequium exerceantur, at non vult vt illis fiducia nostra innitatur, sed in prioribus longè maius momentum repositum esse credamus, ab eisque ad hæc postrema omnem, ad finem nobis propositum, efficaciam esse deriuandam, adeò vt iaceant necesse est sine primis postrema, at prima sine postremis vigere, florere, fructus suos maturare posse constet.

Itaque quicunque Dei caritate permotus, ad aliorum quoque salutem subdi sibi stimulos sentit, is probè sciat non tantum sibi curæ esse debere conciones, confessionarias expiationes, excursiones, catechismos, & labores eiusmodi, quàm verarum perfectarumque virtutum studium & adeptionem, quibus quidèm adiunctis perficiuntur illa, at remotis quasi sublata vi interna, inanescunt. Cùm autem, quamdiu hîc viuitur, nemo sit qui à tam sancto virtutum thesauro comparando cessare debeat, nemo etiam est qui non permulta in salutem aliorum vtiliter, si non sermone & doctrina, at exemplo & virtute conferre possit & debeat:

Hinc denique elegantem, eamque bipertitam eorum quæ ad animorum auxilium conferuntur, distributionem docemur, pariterque quo in pretio habenda sint inde perspicuè iudicamus. Quædam enim merè humana sunt, humanique ingenij & industriæ, vt sunt ea omnia quæ sibi deuinciendis animis, & in sententiam suam adducendis passim adhiberi solent, sermo blandus, promissa, terrores intentati, suadela potens, & alia plura, quæ vel olim à philosophis, oratoribus, populi moderatoribus, vel etiam hodie abs iis vsurpantur, qui aliquid impetrare, ardentiùs exoptant, artificiosiùs exambiunt. Huius rei mihi formam aliquam in illis expressam videas, qui vel alicuius corporis pulcritudinem insanè depereunt, vel superba honoris amplioris ambitione torquentur: quid relinquunt intentatum, quàm se partes in omnes versant, quæ non tædia exsorbent, quæ non pericula subeunt, vt desiderio potiri suo possint? quidquid autem vel excogitant, vel elaborant, id omne ex hominum proficisci industria clarum est, quæ tam in res sanctas & animorum auxilium, quàm in profanas, vanas, & animi perniciem conspirare posset: quòd si vnquam ad hæc sanctiora respexerit, eisque vellificare sapientiùs cœperit, tum verò erunt humanæ quidem, at, sancta auctorum destinatione & voluntate, ipsi Deo acceptissimæ, honoris diuini promouendi, animisque benefaciendi viæ.

At

At sunt alia quæ sanctitati propinquiora,& quodammodo diuiniora,ideoque ad opem laborantibus animis ferendam aptiora sunt. Etenim res omnes, quæ diuino munere fecunditatem sortitæ sunt, intra eos limites coërcentur, vt nonnisi simile sibi, eiusdemque naturæ particeps generent; itaque nec serpens aquilam,nec fera hominem,nec terra cæleste quiddam profert: eademque,ac profectò æquissima lege,necesse fuerit,vt nonnisi humanum quiddam,humana industria parturiat. Cùm autem vera sanctimonia, & ad beatam filiorum Dei sortem secura peruentio,aliquid supra humanum sonent,agnoscisne quàm stultè niteris, quicunque solis humanis artibus, diuinum germen serere, augmentare,& ad perfectum exornare te posse putas? Profectò, quamdiu id credes,efficies nihil.

Duo sunt quæ nullo modo deesse illi debent qui hæc sacra animorum compendia, hanc spiritus filiorum generationem promouere voluerit. Primum est vera & solida virtus,cum Deoque coniunctio, quibus reddatur aptus, vt per virtutis insitæ quasi sementem, in alterius animum eadem virtus quasi traduci queat,eiusque tam sancti & diuini germinis inolescentis,in partē laudis veniat. Etenim si ea ipse virtute careo,& eam alteri humana eloquentia suadeo, Deus verò sua vtens occasione, alium permouet, & ad veram vitæ sanctitatem traducit; facilè video, nullam mihi me eius operis partem arrogare posse, ad cuius effectionem nulla in me vis inerat, nihil in me generis eiusdem & cognatum reperiebatur. An, si statuam artifex fingeret, Deus verò informe lutum in carnem & ossa mutaret, animumque quin etiam infunderet; gloriari posset statuarius se viuum hominem effinxisse? Tu verò cui virtutis emortuum & inane simulacrum, solis insedit labiis; vegetæ & viuacis, quam alteri indidit Deus, virtutis laudem tibi adscribes, tuaque insertam operâ putabis? quæso mendacem hanc tuiipsius assentationem depone: solus Deus, ex nihilo aliquid facit: non potes ex virtute quam non habes,virtutem in alium deriuare: si dicis, At de illa loqui possum, quid illa sit probè intelligo: quid hinc conficies, nisi ad summum, quòd verba verbosum,doctrina doctum, at ne quaquam vera & supernaturali virtute præditum faciunt?

Alterum,virtuti quam habes necessariò addendum, est vis diuina, quæ nostros conatus permeet,& illis vigorem æternitati germinaturum conferat: nec enim qui rigat, nec qui plantæ est aliquid, sed qui incrementum dat fecunditatis auctor Deus. Vt autem nobis amico & perpetuo fœdere sociatus, auxiliatrices largè suppeditet copias, humilitate, oratione crebra, varia virtutum exercitatione, atque pietatis incitatiore sensu impetrandum erit; sic enim fiet vt nullum quod per nos diuina manus intorserit telum, ictu cassum inaniter pereat: vnde verissimè Chrysostomus, *Non quantitate numeri, sed gratia spiritus, vim suam iusti homines tenent.* *tom.5.orat. de virtt. & vitt.*

Et

Et quidem his duobus tantùm, imò solasua virtute, id omne quod ad hominum sanandos animos conducit, peragere poterat Deus: at quoniam mitè bonus & suauis est, iisque quas condidit naturæ facultatibus vsum & dignitatem addere amat; ideo humanis etiam donis ac artibus honorem adiungit, & latenter vires adiicit, quoties virtutem sibi comitem & ducem eligunt. Ergo præter illa duo quæ proximè dixi, Tertium etiam non est negligendùm, imò verò omni opere & industria nitendum vt prioribus adiungatur, humanæ scilicet, ingenij, doctrinæ, eloquentiæ & gratiæ dotes, quibus capti in quam volueris meliorem partem vltro sequantur animi, vt hac ratione omnibus & naturæ & gratiæ viribus connixi, efficere contendamus, vt quemadmodum & natura & gratia à Deo condita est, ita diuinæ gloriæ, tum natura, tum gratia deseruiat: atque is demum est naturalium donorum rectus vsus, quando etiam ad excelsiora & diuina traducuntur, & gratiæ fauore sustollente, suos egressa limites, cælestia quoque & æterna meditantur. Sed de iis quæ zelus animorum adhibet, hæc dicta sufficiant, erit etiam quod ex dicendis hauriri poterit.

CAPVT V.

Zeli commendatio.

QVandoquidem zelum, inardescentis amoris efferuescentiam diximus, quid omne quod honori diuino, vel animorum saluti officit arte, labore, sudore, quorumuis periculorum susceptione propulsamus, illa verò quæ amplificandæ Dei gloriæ, sanandis & seruandis aliorum animis conferunt, pronostra virili promouere contendimus: sunt autem hæc, selectissimæ & omnium præstantissimæ virtutis, (nempe in Deum & in proximum caritatis) exercitiones continuæ atque pernobiles: fieri non potest, quin hinc mira quædam zeli dignitas, instar fragrantissimi virtutum omnium floris enitescat, quæ contemtium animos in amorem sui meritò rapiat.

Adhæc cùm nihil sit homine, & in homine nihil animo dignius, atque adeò Deus ipse sudores, crucem, vitam, huic à morte reuocando consecrarit; potéstne quisquam suorum sibi laborum digniorem finem quærere, quàm quem sibimet, dum in terris degeret, præfixit homo Deus? cumque id quidquid hominibus elaboratur, auctore Deo & propter Deum suscipiatur, ac Dei gloriæ fiat, eritne quod spectari maius queat, quàm id in quo tantopere hæ res vtræque conspirant? Itaque D. Gregorius ex quodam Propheta loquitur, *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Pretiosum quippe à vili separat, qui humanas mentes à reproba antiqui hostis imitatione distinguit.*

Lib. 33. Mor. c. 16. sen 22.

Recte

Rectè os Dei dicitur, quia per eum proculdubio eloquia diuina formantur. Cui consentiens D. Chrysostomus vult vt præ omnibus vitæ curis, de salute cum proximis agamus: *Nihil ita gratum est Deo,* inquit, *& ita curæ, vt animarum salus; sicut clamat Paulus, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & iterum Deus ipse ait; Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, non vt pereamus, neque vt supplicijs nos torqueat, sed vt saluet, & ab errore liberatis regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum; tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, tum nostri, tum fratrum nostrorum curam geramus. nam & hoc nostræ salutis argumentum erit & occasio, si non solùm pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo vtiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducentes. Et vt sciatis, quantum bonum sit, cum salute nostra & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem, Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit. Quid hoc? qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit; vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili me imitatur. Etenim ipse cùm Deus sit propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret; & hoc quoque Paulus clamat dicens: Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipse qui Deus est, ineffabilis essentia, ob misericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit, cur non & nos erga fratres iusti simus, agnoscentesque eos vt membra nostra, & eripientes ex diaboli faucibus in viam virtutis inducimus? Nam vt anima corpore melior est; ita maioribus, quàm ij qui indigentibus pecunias præbent, præmijs digni sunt qui admonendo & continuè docendo, in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eis virtutum diuinarum fragrantiam, & vitiorum malolentiam. Hæc omnia cùm sciamus, præ omnibus alijs vitæ curis, de salute animarum loquamur proximis, eandem illis sollicitudinem ingerentes. Magnæ bonitatis est, animam cui hæc continuò insonant, posse reduci ex abysso malorum.* Ita ille, more suo copiosè & disertè. To. 1. hom. 3. in Gen. 1. Tim. 2. Ezech. 18. Ierem. 15.

Breuiùs Dorotheus, *Et quod, obsecro, misericordiæ maius genus est, quàm misericordia animæ? vt enim illustrior est anima quàm corpus, ita misericordia animæ quàm corporis.* Doctr. 14.

Pariter breuitate, neque minore vi intorquet alius; *Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti à morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram?* Greg. l. 19. Mor. c. 16.

Hinc ille idem humanorum studiorum inanitatem, ordinemque peruersum dilucidè admodum mihi demonstrare, & zeli præstantiam extollere videtur, verissima sententia duo quædam pronuntians: Primum est, *Qua mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur nisi cùm amittimus. Sine dolore quippe amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, grauiter suspiramus ablata.* Alterum est, *Quis nesciat, quia nostris vsibus res terrenas Dominus condidit, suis autem animas hominum creauit?* Quæ si, vt sunt, verissima sunt, clarè deprehendimus, quàm peruerso amore teneantur, & casso labore desudent, qui opibus, honoribus, commodis inhiant, & quauis eorum imminutione cruciantur, cùm tamen læsi honoris diuini, inualescentis improbitatis, æ- 31. Mor c. 8. vel 10.

ternumque in interitum tuentium hominum nullo dolore tangantur; pauidi, socordes, ignaui, tardi, imò in eis quæ ad Dei honorem faciunt, quasi sensu, quasi intelligentia & mente capti, cùm tamen ad res terrenas vegeti, vigiles, acres, industrij, nihil non & videant, & caueant, & perficiant, ac exinde eximium quendam apud sibi similes opinionis & honoris gradum comparent.

At verò, quàm debuerat istorum omnium æstimatio iacere, si ex recto pensaretur? etenim seruiunt ista corpori, si tamen seruiunt magis quàm imperant, torquent & perimunt; sed age, fac seruiant, id tamen ad breue tempus, & corpori tantùm, at corpus famulatur animæ, ipsa verò anima in æternum Deo. Quid igitur? cùm illa sedulus obis, quæ consuetis mortalis vitæ delicijs blandiuntur, quæ verò ad animi siue tui siue ceterorum salutem conducunt, perfunctorie præteris: annon tibi persimile quiddam equisonis illius facere videris, qui stabuli, vel freni solicitam curam, at equi regij, imò & honoris regij nullam gereret? honorem is, an potiùs contumeliam regi inferret? maximi res minimas, ipsum autem flocci faceret? quid sunt, quàm reiectanea sunt, hæc quæcunque adspectabilia miramur, cupidæque mentis auiditate complectimur? quid opes, quid vrbes, quid regna, quid imperia, nisi lutosæ pars quædam perexigua terræ, extrema aliquando conflagratione vastandæ? at quantopere his exstat humanus animus, naturæ quidem indita vi immortalis, sed & intelligendi facultate polleus, à materiæ concretione liber, Deique; sic imagine insignitus, vt toto in orbe dominetur, exstet omnibus, regat omnia, eius omnia vtilitatibus inseruiant: ac denique quod his longè maius est, adspirante diuina gratia, ad summam Dei beatitudinem euehatur, Dei filius euadat, coheres Christo, regnique cœlestis collega æternus inscribatur.

Quid ergo? opes aggerare, regna subiugare, quod est lutum luto addere, & in breui terræ puncto aliquid tantillo plus occupare, magnum quiddam, & digni laude censebitur; & non erit longè dignius, ac immortali præconio prosequendum, si quispiam excolendis animis, & ab æterna morte ad vitam æternam asserendis totum se curasq; omnes laboresque deuoueat? Quid agimus, Christiani Religiosi, quid agimus? cuiusnam exempla sectamur, vestigia premimus? Ecce Dominus noster Iesus Christus, an opes, an exambiuit gloriam? & nos horum insano amore bacchamur: at verò quot sudoribus, doloribus, ac dira etiã morte salutem nobis emit animorum, putauitq; diuini laboris nõ indignam hanc sorte mercedem, si videret semen longæuum, & conuerterentur ad Dominum omnes fines terræ. ô vtinam hæc nos sacra teneret ambitio? huc arma principum, huc fortitudo ducum, huc periclitatio militum, potentum opes, sapientum consilia, literatura doctorum collimaret, vt pellerentur vitia, virtutes aduocarentur, animorum salus, Dei gloria vigeret. ô conspirationem, quam optare magis, quàm sperare possimus!

Verùm, quid necesse est, quoniam stultorũ infinitus est numerus, ita te quoq; deli-

desipere, vt eorum te numero eximere & feliciùs sapere nolis? inardesce zelo, & hanc solã homine dignam appetitionẽ puta, si homo homini seruando vtilem operã colloces, desiderio, affectu, precatione crebra, omniq; tibi conueniente tatione in salutẽ aliorum incũbas. Quis infirmatur, inquit ille, & non infirmor? nẽpe aliorum infirma nimio caritatis ardore & sentit, & sua facit, & ad sanandũ, si potest, conuolat, instar sacræ illius aquilæ de qua dicitur, *Et vbicumq; cadauer fuerit, statim adest.* Quæ verba in hunc sensum optimè S. Gregorius interpretãs, ait, *Omnis qui in peccati mortem ceciderit, non inconuenienter poterit cadauer vocari. Quasi examinũ namq; iacet, qui iustitiæ viuificantẽ spiritum non habet. Quia ergo sanctus quisq; a* zelo caritatis inardescens, *vbi peccatores esse considerat, illuc anxiè peruolat, vt in peccati morte iacentibus lucem viuificationis ostendat, benè de hac aquila dicitur: Vbicumque cadauer fuerit, statim adest: id est, illuc tendit vbi vtilitatem b* conuersationis *prospicit: vt ex eo quod iã spiritualiter viuit, alijs in morte sua iacentibus prosit, quos corripiendo quasi edit, sed ab iniquitate ad innocentiam permutando, in sua membra quasi edendo conuertit, — suamq; in cadauere escã reperit. Esca quippe iustorum, est conuersio peruersorum, de qua dicitur, Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ita ille

Iob 39. lib. 31. Mor. c. 22. seu 37.

a *apud D. Gregor. est. sanctus quisq; praedicator.*

b *praedicationis, ibidẽ legitur.*

Ioan. 6.

Ex cuius verbis videor mihi te audire clamantem: Ergò ne mihi, vel struthionum ardor est, vt ferrum, & chalybea vitijs pectora deuorem, vel ceruorum inuiolatus stomachus, vt serpentes venenatos cauernis extraham, illæsusq; deglutiam, demumq; quod solius Dei est, Deo mortuos, Deo ipsi, soliq; veræ vitæ restituam? Verè, vt dicis, & magna, & permira ista sunt, neque nisi adspirante Dei fauore speranda, qui tamen cùm adeo non desit, vt etiã vltro se ingerat, non est cur tantis auxilijs te arduitas deterreat, est tamẽ vnde te vehementiùs eximia rei dignitas incitet. Videndum tamen, vt nihil eorum quæ mox exigemus desit.

CAPVT VI.

Zeli necessitas quanta hominibus omnibus incumbat.

EGregium est, & per multa peruagans D. Augustini placitum: *Hæc est lex diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit.* Ex quo id conficio, non esse vnde sibi de diuinæ gratiæ sperata copia blandiatur, qui non eos quoscumque potuerit, Deo arctiùs conciliare conatur: cùm autem gratiæ præsidio nudis, certus immineat interitus, quis neget extrema eos pernicie sensim inuoluendos, qui torpore, vel alio quouis affectu prauo periclitantibus animis consulere, vel idoneos ad altiora prouehere neglexerint?

de Relig. c. 28.

Certè, si qua mensura mensi fuerimus, eadem & remetietur nobis; si quam legem tulimus, eandem patiamur iustum est; si longè minùs homini Deus, quàm homini debet homo: quis non æquissimum esse credet, vt nihil à Deo fiat in gratiam eius hominis, qui in aliorum, naturæ communione coniunctorum,

salutem nihil confert? eorum damnis non tangitur, pericula non propulsat, infirmitates non roborat, interitum siccis oculis intuetur, ideoque nec impetu propugnabit, nec egeni miserebitur, nec languentem excitabit, nec sanabit vulneratum, & in eius interitu ridebit Deus. An non enim est, cor illud durum, cor quod alienæ miseriæ miseratione non flectitur, quod malè habebit in nouissimis? Scilicet! corpus quod hodie viuit, mox verò mandatur terræ, vermibus roditur, sic erit curæ Deo vt dicat, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur: conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo: Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Sed & simili remuneratione Sapiens asserit, *Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Vt quid ista?

Eccli. 3.

Prou. 21. Eccli. 29.

Iustus enim est Deus, & vnicuique iuxta eius opera reddit, misericordi misericordiam, liberali liberalitatem, crudeli (si dicere fas sit) crudelitatem, duras certè, dignasque vindice iusto pœnas: ideoque si in plurimas corporum & animorum calamitates incidunt, qui alienorum corporum indigentiæ opem ferre neglexerunt; multa verò bona, & largissimè consequuntur, qui alienam egestatem, quà ope, quà opera leuare conantur: quanto verius, quanto certius idipsum asseritur de illis, qui animis hominum, vitij morbositate laborantium, vel medicam benignè opem proferunt, vel pereuntes crudeliter negligunt, aut etiam vltrò interimunt? Quidni enim, vt S. Apostolo postquam legem recensuisset, *Non alligabis os boui trituranti*; licuit argumentari & dicere, *Numquid de bobus cura est Deo? Anpropter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos hæc scripta sunt. Si*, inquam, hæc verè & ex mente Dei Apostolus, quidni & nos hîc acclamare possimus, An tanti est corpus nostrum Deo, vt ei benefacta sic repensetur, sic amari parcitatem exsecretur, & non longè pluris apud eum erit animus noster? cur igitur & illud parui ducere, & hunc maximi facere visus est, cùm nos docuit, oculum, pedem, manum, ne animus lædatur, abscindere; cùm seriò monuit, non tyrannos, qui solum corpus; at timeremus Deum, qui potest etiam animum perdere, qui potest numquam desituris ignibus tradere?

1. Cor. 9.

Sed hoc ipsum non acutius, quàm sanctius commendat Augustinus, cùm ait, *Fratres, vnusquisque Christianus, in membris Christi zelo domus Dei comeditur. Qui comeditur zelo domus Dei? qui omnia, quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit.* Et nonnullis interiectis, postquam vitia quædam recensuisset, addit, *Prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, nolitamen quiescere. Si amicus est, admoneatur leniter, vxor est, seuerissimè refrenetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur. Fac quidquid potes pro persona quam portas: & perficis, zelus domus tuæ comedit me. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi tibi sufficiens, & dicens in corde tuo; Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruem Deo. Ita, non*

Tom. 9. tract. 10. in Ioan.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tibi venit in mentem seruus ille qui abscondit talentum & noluit erogare? Numquid enim accusatus est quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit? Sic ergo audite fratres mei, vt non quiescatis. Ita ille quemuis è vulgo adhortatur; quid alijs doctioribus, Religiosis, & quidem ad id destinatis, dicturum putas?

Sed audiamus quàm & copiosè & neruosè id ipsum apud omnes vrgeat Chrysost. *Vnigenitus*, inquit, *Dei filius, docere nos cupiens quàm istud debitum necessariũ sit, vtque hi qui illud reddere negligunt, summis afficiantur incommodis, aiebat; Quicumque scandalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & demergatur in profundum maris. Atque is qui talentum retulerat, non quòd aliquid ex suis contemsisset, sed quòd proximi salutem neglexisset, increpitus, & supplicio affectus est. Itaque etsi vitam omnem nostram, diligentissime compositam & instructam egerimus, hac non euitata negligentia, nihil consequemur emolumenti, cùm ea talis ac tanta sit, quæ sola in gehennæ profundæ possit immergere. Si enim is qui proximum in eis quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excusari poterit; verùm, etsi virginitatem ipse seruauerit, extra sponsi thalamum proijcietur: is qui, quod multò maius est, omiserit, (quippe multò maximum est animarum gubernatio & regimen) cur non mala omnia perpeti meritò dignissimus existimetur? Hominem enim, non vt sibi ipsi tantùm prodesset, creauit Deus, sed vt multis. Idcirco Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles, ceteris quoque vsui esse. Luminare quippe, quamdiu seipsum tantummodo illuminat, luminare profectò non est. Quocirca Gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligerent, sic dicens: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non gerit, fidem abnegauit; & est infideli deterior. Quid enim hoc loco, prouidentiæ nomine significari putas? an fortasse necessariorum largitionem. Equidem reor ipsum, hoc nomine curam animæ significare voluisse: sin verò tu contentiosè sensum tuum afferre malueris, sic quoque sententia mea firmior ac validior manebit. Nam si de corpore hæc dixit, eumq; qui vilem hunc & quotidianum cibum non præbet tantis cruciatibus addixit, Ethnicisque deteriorem esse ait: quonam tandem in loco statuemus eum, qui id quod longè maius & dignius est, magisq; necessarium, contemnit?* Ita S. Chrysostomus, qui priùs quàm ad hæc ipsa descenderet, nihil cunctatus erat affirmare summum iudicẽ Christum, reparatorem, assertorem, & saluatorem, atque animorum vnicè diligentem, pari & eadem fermè diligentia, & nostram & proximorum salutem, à nobis extremo in iudicio exacturum: ideoque toties S. Paulum, ac pænè vbique monere singulos, vt non quæ sua sunt sed quæ proximorum quærant, atque (sancti Patris ista verba sunt) *ne quis diceret, Quid mea interest, etiam aliorum curare salutem? qui perit, pereat; & qui seruatur, seruetur; nihil horum pertinet ad me, mei tantùm ipsius curam habere mihi imperatum est. Ne quis, inquam, ista diceret, immanem hanc & prorsus inhumanam cogitationem iugulans, legibus istis illam sepsit & circumclusit, quibus plurima iuberet nostrorum commodorum negligere, vt proximorum saluti consuleremus, omnibúsque in locis eandem vitæ diligentiam habendam definiuit.* Refert

Lib. 3. aduers. vitup. vitæ monast.

Matth. 18.

1. Tim 5.

igitur D.Paulum,acriùs in Corinthios inuehi,quòd non satis magnam eius qui in fornicationem inciderat curam gessissent, sed magis vulnus tumidum obdu-
cap 6. ratumque neglexissent.Eundem & Galatis scripsisse,*Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,vos qui spirituales estis,eiusmodi corrigite.* Et Thessalonicen-
1.Thessal.5. sibus; *Itaque exhortamini inuicem, sicut & facitis.* Iterumque, *Corripite indisciplinatos,consolamini pusillanimes, sustinete infirmos.* Romanis quoque cùm scriberet,id voluisse vt in eam toti curam incumberent,vt fortiores imbecillis patrum loco essent,eorumque salutem solicitè promouerent:eò vsque animos percellens,vt etiam pronuntiet, eos in ipsum Christum peccare, Deique ædificium diruere qui fratrum salutem negligunt. Addamus quod etiam alio loco præclarè idem S.Doctor:

Orat.5 ad-
uers.Iudæos. Exigit enim à Christiano vt Christum imitetur, cùm ideo id nomen acceperit, vt re ipsa Dominum imitetur:atqui Dominus noster Iesus Christus,cùm vno loco commodè residens,multaque perfruens quiete , potuisset ad se quos voluisset adducere,docere,sanare;maluit tamen, vt adeundorum laborum exemplo præluceret, per ciuitates, per oppida, per deserta & aspera loca,rigente,ardente,pluuia aura peragrare, & benefaciendi apud varios ansam quærere: maluit bonus pastor,non quidem copioso nonaginta nouem ouium gregi medius assidere,ibique vel expectare redeuntẽ,vel vnius aberrationem præsentium lenire consortio; sed abijt ipse,multoque labore circumiens, errorum vestigia terens,luporum incursiones arcens,eam denique inuenit gaudens,inuentamque, ne quà forsan iteraret errores,in humeros extulit, & in loca tuta deportauit. Et verò, annon idem faciunt & medici?annon ægros adeunt, vrbes circumlustrãt, morbos explorant,blanditijs animos addunt,amara eporanda persuadent,in omnem se partem vertunt, vt alicunde medelam morbo faciant? *Hoc & tu facito, dilecte,* ait Chrysostomus, *sciens hanc præsentem vitam esse breuem; quòdque nisi hic lucra parauerimus , nullam illic sumus habituri salutem. Sæpè vna anima quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæq; nostræ redimendæ pretium in extremo iudicij die fieri.Cogita,quamobrem Propheta, quamobrem Apostolus, quamobrem iusti , quamobrem angeli frequenter missi sunt, quamobrem ipse primogenitus filius ac Verbum Dei aduenit.Annon vt homines seruaret? annon vt eos errantes reduceret? Hoc idem facito agas tu quoque pro viribus tuis , omnemq; studium ac solicitudinem impendas, ad reducendum eos qui aberrarunt. Ad hæc vos singulis concionibus adhortari non cessem; siue mentem adhibeatis, siue non adhibeatis, ego dicere non desinam.* Cumque eius qui talentum defoderat,luctuosum exitum narrasset,addit, *Ille propterea manibus ac pedibus vinctus, in tenebras eiectus est externas, quoniam non depromsit in alios quæ audierat.Ne igitur nos quoque eadem patiamur,eum qui quinque talentis acceptis alia lucratus est imitemur, etiamsi sermonem,etiamsi pecuniam, etiamsi corporis laborem, etiamsi preces aut aliudquidpiam,quidquid illud fuerit,proximo seruando insumere oporteat,ne grauemur;vt vndecumque talentum à Deo nobis traditum , pro sua quisque portione multi-*

tiplicantes, posimus illam beatam audire vocem, Euge serue bone & fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Satisne intelleximus, quantæ sit necessitatis, etiam in aliorum salutem incumbere? quàm sibi soli nemo viuat, quin viuat & ceteris? se solum nemo seruet, sed seruare debeat & ceteros? Ergóne, inquis, Pastores omnes, concionatores omnes, omnes Apostoli? absit: nec enim vel ad omnium humeros, vel ad rectum ordinem id facerer. Sed tamen *mandauit vnicuique de proximo suo*, testatur Sapiens, neque poterit innocens iudicari, qui in vno fuerit reus. *Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos*, ait regius Vates; & ipse Deus, *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris eius, requiram animam hominis.* Et verò, *Si non pauisti, occidisti*; sanguinem fudisti, vitam ademisti; requiret Deus: tanto acerbiùs, quanto animarum, quàm corporum; immortalis, quàm mortalis vitæ, amator est acrior. Quid dices exprobranti Domino, *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum*? Sententiamne, iam olim latam, effugies; *Impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram*? Si contendis, minarum istarum plures ad corporum iniuriam fuisse referendas: refer, si voles; at quanto verius & grauius tunc instabo, Si tam acrem experietur vindicem Deum, quicumque corpori vel iniurius, vel misericordiæ parcus fuerit, quàm acerbas eum pœnas præstolari par est, qui alienam animi salutem vel læsisse, vel neglectui habuisse reperietur? Poteritne vultum ferre Iesu Christi, Iudicis irati, laboresque suos, conuitia, probra, crucem, vulnera, hominum causa tam propensè susceptæ exponentis? quid Christo aduersius excogitari potest, quàm si quod tanto ipse opere perfectum voluit, tu impiè perditum eas, vel si collabascat, ruinam spectes otiosus & vt in alieno securus? adeone dolorum Christi Domini, sanguinis, & vitæ diuinæ tibi pretium viluit, vt pereuntibus animis id effundi, profundi, prodigi, dilapidari videas, nec ingemiscas, nec instaurare, nec damna tentes resarcire quà potes?

Eccli. 17.
Psal. 54.
Gen. 9.
Amb. Greg. &c.
Ierem. 2.
Ezech. 3.

Multa potes, & multa facies, si, quæ potes, facies. non dico, potes omnia, sed multa; & licet tibi pauca videantur, multa sunt, & accedent plura, si quod potes fideliter agis, & fecunditatis largitrici Dei manui committis. Non legisti, *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: & multiplicabit semen vestrũ, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ? Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem reddet ei.* Quidni ergo largè seminas, vt largè metas; amplè feneraris, vt vicariam animo tuo misericordiam consequaris? Multum si voles, multum potes, multum præbes, *Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet.* O ingentem animi consolationem! si doctrina, si verbi facundia, si desunt cetera quibus homines à vitio & erroribus reuocem, non desit voluntas, non intepescat caritatis ardor internus; & ecce desi-

2. Cor. 9.
Prou. 19.
2. Cor. 8.

desiderium meum ita Deo acceptum erit, ac si doctè, facundè, fructuosè plurimorum me saluti impendissem. Distribuit quidem dona sua singulis prout vult; conatuum quoque laborumque prouentus dispensat prout vult, at vult bonus & liberalis Dominus, vt indiscriminatim vnicuique, secluſa modicitate virium, pro bonæ voluntatis ardore, gloriæ merces æterna reddatur.

Noli ergo quàm multa ceteri, quàm tu possis pauca spectare, & animo deijci. Gaudendum alienis diuitijs fuerat, & communione caritatis, tua ipsius opulentanda paupertas. Excole quem nactus es agrum; non ratò quod natura negauerat, dedit industria; hîc potissimè, vbi conantem nunquam destituit Deus. Et quàm variè conari potes? cuiquam ne deesse potest, saltem vnum eorum, quæ S. Bernardus enumerat, cùm vult pascendum esse proximum, mente, verbo, vel opere; mente, hoc est desiderio, oratione, affectu; verbo, siue monendo, siue docendo, siue exhortando; opere, quando exemplo, quando rebus ipsis ad meliora perducuntur? Equidem, exemplo prodesse possunt omnes; desiderijs æstuare possunt omnes, orationi & precibus instare possunt etiam omnes; sed & quotusquisque, non saltem aliquando potest, sermone familiari, amicis monitis, vel ignora proponere, vel à prauis dehortari, vel ad meliora permouere?

Serm. 2. de resurrect.

Hoc vidit Magnus Gregorius, qui pro concione populum alloquens ait; *Vnusquisque vestrûm, inquantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si à prauitate proximum reuocat, si exhortari ad benè operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denunciat, cùm sanctæ denunciationis verba impendit, profectò angelus existit. Et nemo dicat, Admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum; quantum potes exhibe, ne malè seruatum talentum quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. Neque enim plus quàm vnum talentum acceperat, qui hoc abscondere magis studuit quàm erogare.* Ecce quàm conspirant sancti Patres, vt talenti defossor habeatur, qui id quantulumcunque quod habet, nequaquam in animorum vtilitatem erogat.

Homil. 6. in Euang.

Vbi tamen, neque forsan absurdè, subit mirari, quid tandem sibi velit, quòd solus ille acceptum talentum defodit, solus damnatur incuriæ, cui soli datum fuerat talentum vnicum? & nónne cui plura data sunt, ab eo plus exigitur? ita sanè, & plura quidem illi reddiderunt, qui duo, duo; qui quinque, quinque alia lucrifecit; at qui vnum, in fossò otiosus assedit, nihil domino retulit, & pœnas otij pertulit. Itáne est, vt qui plus acceperunt, plus diligant, sitque proniùs ex copia ad copiam, quàm ex penuria ad aliquid mediocre assurgere? an potiùs quòd opulentia ingentes animos, egestas angustos, & nihil audentes facit? Vera quidem ista sunt, sed & angustius quiddam intermicat.

Crediderim enim Dominum, omnes homines vulgatissimi cuiusdam erroris voluisse monitos, seriò vt præcauerent, ne in illum incidant, quandoquidem tanti esse momenti vident, vt ex eo tota pendeat æternitas: Vanos timiores excutiant, verissimo grauissimoque tangantur. Passim ita fieri, & videmus, & ingemiscimus: qui se putant, vel scientia pollere minùs, vel minùs eloquio & gratia vigere;

vigere; vbi sibi diffidere, vbi trepidare, vbi concionum, confessionum, conuersationis munus expendere, vbi suos humeros tantis oneribus impares iudicare semel cœperint; tum verò firmè statuunt, suam sibi seruandam animam, ceterorum fugienda consortia, tenebrosis in antris delitescendum, nihil aggrediendum cuius finem certum præ manibus non habeant: nempe id genus hominum, sui totí sunt, suas iudicationes sequuntur, sibi & quidem soli sapiunt, sapientiorum, eosque ne tota die stent otiosi monentium consiliare spuunt, Superiorum certa eos statione collocantium iussa vel non audiunt, vel quacunque occasione captata se subducunt, & ignauè, oscitanter, perfunctoriè sui muneris partes, aliò respectando, percurrunt magis quàm explent; non acquiescunt, quiritationes ingeminant, sortem suam lugent, beatos alios prædicant, importunis precibus otium suum, vel (vt loquuntur) securitatem suam, vt verè est, perniciem suam vrgent. Quid facitis, ô viri? si viri tamen. quid vos inertiæ damnatis? quid trepidatis vbi non est timor? quid nemine persequente fugitis? vobis timere, vobis fidere, quàm timere Deum, Deo fidere mauultis? qui timet Deum, verborum otiosorum, multoque magis otiosæ vitæ iudicia formidat: qui fidit Deo, scit eum deesse non posse conatibus, vel prudentum consilio, vel Superiorum auctoritate susceptis. Interimque præ foribus est, ob talenti defossionem, certa damnatio: & hanc non timetis?

At non credebam id mihi talenti esse. Sit ita: cur expromere, cur probare tentanti restitisti? cur quod tuum erat non feci̇sti, incrementum & exitum Deo non commisisti? cur tibi de te, & non potiùs aliis credidisti? Conatus sum, nihil promoui. Quid ad te? ideóne cessandum fuit? tuum est conari, laborare, Dei verò prouentum dare; quem si non dederit, tuo tamen muneri constanter instandum est. Quid Isaias, quid Ieremias, quid profecêre Prophetæ ceteri, apud duræ cerui̇cis populum blandiendo, minando, monendo, & ab impietate deterrendo? sed ecce peruicaces illi *vbi sunt? & Propheta numquid in sempiternum* Zach.1. *viuent?* Desuda, perseuera, si minùs quem nunc velles, effectus; at qua exultabis merces erit operi tuo. Qui confestim victoriam non assequitur miles, an protinus abiectis armis militiæ renunciat? hostem terruisse, defensionem ostentasse, cauisse damna maiora non parum est. An non prudenter Sapiens consulit? *Mitte panem tuum, super transeuntes aquas,* eleëmosynam largire obliuiosis, ingra- Eccles. tis, quorum è memoria, non secùs quàm in aquis, beneficij vestigia diffluent: nec putes beneficiũ perdidisse, *post tempora multa reperies illud;* non est obliuiosus remunerator Deus, reddet largè, nec muneris tantùm, sed tædij, sed patientiæ, sed humilitatis & perseuerantiæ rationem habebit, præmia cumulabit.

At, quò tandem à Magno Gregorio abiuimus? redire iuuat, ab eodemque audire quàm nemini desit, quod in aliorum salutem conferat. ait enim, *In quantum* Greg. sup. *vos profeciſſe pensatis, etiam alios vobiscũ trahite, in vias Domini, socios habere desiderate. —Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc etenim scriptum est; Qui audit,* Apoc.22.

dicat Veni: vt qui iam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem, vt indigenti eleëmosynam porrigat, non habet; sed maius est quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim est verbi pabulo, victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Nolite ergo, fratres, proximis vestram eleëmosynam verbi subtrahere. Ita ille, *verbi pabulo* nequaquam conciones de superiore loco intelligens, sed piam omnem & familiarem de Deo, de virtute, deque fugiendis vitiis sermocinationem, quam vt vsurpent, & otiosa verba caueant, vir sanctus hortatur.

Idem quoque quàm acriter alio loco vrgeat audiamus: ex eo enim quod Dominus Petro dixerit, *Simon Ioannis amas me?* & amare se respondenti, addiderit, *Si diligis me, pasce oues meas*: docet certum esse dilectionis Dei argumentum, si quas amat pastor oues, & nos amemus, & eas quo meliore possumus verbi, exempli, affectus pabulo pascamus; quod præstare qui renuit, Pastorem summum non amare conuincitur. Et nónne hoc ipsum volebat Apostolus cùm scribebat; *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et, si pro omnibus mortuus est, superest vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Et denique de illis qui prodesse proximis poterant, at se præhumilitate subduxerunt; concludit, *De quo si districtè iudicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente, is qui proximis profuturus enitesceret, vtilitati ceterorum secretum præponit suum; quando ipse summi Patris vnigenitus, vt multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?* Quæ si vera sunt, quàm graue futurum putas, tot animarum pereuntium reum peragi, quot prodesse potueras, & neglexisti? & laborem subterfugisti, tuique iudicij pauore, in diuini iudicij iustissimum terrorem incidisti?

Ioan. 21. p. 1. Pastor. c. 5.

2. Cor. 5.

Sed & in eos copiosè & fortiter inuehitur, ita scribens, *Si indigentibus proximis, quas habent pecunias absconderent, adiutores proculdubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt.* Quis non Sapientis illud verissimum esse profitetur, *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* An non crudeles & haberentur, & essent, qui fame populos atterente, frumenta occulta seruarent? quis non eos tot cædium reos fateretur, quot ab eis pasci seruarique potuissent? qua igitur plectetur pœna, qui exhortationis, monitionis, vel cuiuscunque suæ operæ auxilio, & quasi animæ pane denegato, elanguentem, moxque periturum animum, à morte reuocare, refocillare, viresque restaurare neglexerit? *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis*, ait Salomon; & qui alios quacunque legitima via corrigere, & ad meliora traducere potuit, nec fecit; in solo silentij & otij crimine, abundè reperiet vnde damnetur. *Certè si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatũ fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa inuoluantur aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt*

Ibid. p. 3. admon. 26.

Eccl. 20.

Prou. 11.

ea sectione verborum. Vnde beneper Prophetam dicitur, Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Gladium quippe à sanguine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur; Et gladius meus manducabit carnes. Ideoq; Paulus, eo se à proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens; Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium vestrûm, non enim subterfugi quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis. Ierem. 48. Act. 20.

Sed & magni ponderis apud vnumquemque esse debet angelica vox, Ioanni, & per Ioannem vnicuique dicens; *Qui audit, dicat, Veni*: vt quicunque à Deo edocetur, permouetur, vel ad æterna inuitatur, nitatur etiam alios eò rapere, quò se trahi sentit; non adeat vacuus, & quasi de inuitatione securus; etiam vocato, & audienti, fores occludentur, si solus aduenerit; at si comitatus accesserit, fores expandentur, obiàm ibitur, ouans intrabit. Itaque Propheta Isaias id ipsum cœpit intelligere postquam & vidit Dominum, & audiuit clamantia Seraphim, & mente illuminatus est; tunc enim peccati sui grauitatem ingemiscens, exclamauit, *Væ mihi, quia tacui*: continuoque se ad omnia paratum obtulit, vt quocunque ad quoscunque & ad quæcunque mitteretur. Apoc. 22. Isaiæ 6.

O alacritatem & pœnitudinem cessatoribus imitandam! audiant angelos, ad hominum salutem mitti paratissimos; Deum spectent, omnes saluos fieri volentem, & omnia ad hominum vtilitatem dirigentem; eosque pudeat, vsque adeò ad id ministerium torpere, quod planè angelicum, Deoque gratissimum comprobatur. Si parum se posse dicunt, id ipsum nobis exhibeant; occultando, minuitur; depromendo, auctius fiet; liberalitas liberalitatem inuitat, & gratia gratiam parit. *Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*. hoc est, qui largiter donat, ipse quoque largiùs à Deo accipiet, bona, opes, diuitias; illarum si propter Deum profusus donator fuerit, si pauperem non tantùm fame liberarit, sed (quod inebriare dicunt Hebræi) lautiùs habuerit, non sola damna ab eo arcebit Deus, sed variis bonis copiosiùs augebit. Sed illustriora sunt hæc, si transferantur ad animum: qui enim ab alio peccati egestatem arcuerit, qui prauæ cupiditatis morbosa sanauerit, ipse quoque à Domino sibi robur addi sentiet, ne innato mali fomite vincatur; sin autem etiam ad perfectiora, & virtutis excelsiora iuga se ducem præbuerit, eum quoque Dominus ad cellam sanctæ caritatis vinariam perductum, sobria ebrietate deleniet. O beatos, qui rebus ipsis, quàm vera sint hæc, persentiscere conantur, possuntque cum S. Dauide dicere: *Ecce labia mea non prohibebo: Domine tu cognouisti. Iustitiam autem tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi!* Vtinam pro virili imitemur omnes, vt aliquando huius Prophetæ sancti consortio non reperiamur indigni! Prou. 11. Psal. 39. vt D. Greg.

Sed ne quid hîc aut præceps, aut aliunde vitiosum sit & effræne, quid præterea sit obseruandum dicamus.

CAPVT VII.

Prudentiam zelo adiungendam.

PRudentiam quæ in rebus ad spiritum attinentibus versatur, Discretionem; prudentemque, Discretum nostri vocant, quòd res agendas à non agendis, modos item & tempora, rectumque à non recto secernat. Quo verbo licet carere potuissent, vt & aliis non paucis, quia tamen iam inualuit, liberè vtemur; consuetudini cedemus, perspicuitati seruiemus: leuiculum est digladiari de verbo, vbi de re nihil controuersum est.

Quàm igitur zelo sit iungenda prudentia pulcerrimè mihi videtur expressisse Bernardus: *Ratio*, inquiens, *sine amore, & amor sine ratione nihil est.* Et alio loco, *Quid faceret eruditio absque dilectione? inflaret. quid absque eruditione dilectio? erraret.* Item: *Virtus discretionis absque caritatis feruore iacet, & feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoq; laudabilis cui neutrum deest; quatenus & feruor discretionem erigat, & discretio feruorem regat.* Et alio libro; *Quorum ratio non præmittit gressus, currunt, sed extra viam; ac proinde, Apostoli spreto consilio, non sic currunt vt comprehendant.* Sed longè grauiùs ac quodammodo minaciùs vrget cùm scribit: *Facillimè zelo tuo, spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt ea incautè, & non cum ratione ambuletur.* Quapropter horridè admodum horratur: *Ne seducaris spiritu mendacij & erroris, luceſcat tibi veritas Christus.—Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit seruidus, sit circumspectus, sit munitus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit.—Sit suauis & dulcis affectui tuo Dominus Iesus: sed sit nihilominus intellectui præuia lux, & dux rationi, non solùm ob cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum vecordia custodiendam, verùm vt cautus quoque sis nimiam & indiscretam vehementiam in tua conuersatione vitare.* Certè Sapientia est Deus, & scientiarum Dominus est Deus, scit quid cuique sit opus, discreteque ac prouidè, prout nouit expedire, distribuit, ideoque non potest non ei displicere quidquid insipienter volumus. Itaque efferuescit, & amplius etiam audet Bernardus, aitque: *Importabilis, absque scientia, est zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria.—Semper quidem zelus absque scientia minùs efficax, minùsq; vtilis inuenitur, plerumque autem & pernicioſus valdè sentitur.* Quæ viri sancti verba apprimè notanda sunt, eorumque error damnandus, qui imperitiores, modò ardentiores, aut, vt verius loquar, audentiores, conscientiæ suæ moderatores eligunt. Sed pergat Bernardus; *Quo igitur zelus feruidior, ac vehementior spiritus, profusiorq; caritas, eo vigilantior opus scientiæ est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet caritatem.* Discretio quippe

Cap. 8. de nat. amoris.
Hom. 69. in Cant.
Ibid. 23.
De dilig. Deo.
Hom. 19. in Cant.
20 ibid.
Hom. 49. ibid.

quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Denique ait, Ordinatione tua perseuerat dies; diem virtutem appellans. Est ergo discretio, non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumq; naturæ. — Si suo quisque feratur impetu secundùm spiritum quem accepit, & ad quæque volet indifferenter, prout afficitur, & non rationis iudicio conuolarit, dum sibi assignato officio nemo contentus erit, sed omnes omnia indiscreta administratione pariter attentabunt, non planè vnitas erit, sed magis confusio. Ista S. Bernardus, quem toties discretionem commendare non mirabimur, si errores omnes ex eius penuria oriri animaduertimus, nec posse Deo gratum esse, quod non illius adspersione condiatur, haud secùs quàm sale non addito offerri sacrificium nefas erat.

Et quidem, cùm zelus, sit quidam amoris incandescentis modus; amor autem, sit voluntatis in rem amatam impetus, vel ipsamet voluntas amans; est zelus vi sua, seque solo rectionis impotens; aliundeque regatur necesse est: imò verò tanto seuerioribus frenandus est habenis, quo ardentiùs ad agendum exsilit. An non idem vigilantissimè feceris, si generosissimo, sed cæco equo insederis, & per confragosa, ac hinc inde præcipitiis minantia loca perrexeris? & ecce tibi, cæca voluntas est, ardenti rapitur zelo, nihil sibi timendum putat, nihil cauendum videt; ac nihilominus dæmonum insidiis plena sunt omnia, vndique mentes hominum offensionibus patent, implexi rerum casus incertiq; voluuntur; quanta ergo prudentia prouidendum, ne quid temerè fiat, ne improuisis deprehensi turbinibus, vel stantia proruamus, vel præcipitemus nutantia, pro pace turbas, pro caritate inuidentiam, lolium vitij pro virtutis segete demetamus.

Ita fieri per singula comperimus, vt quo celsior alicuius muneris est finis, eiusque consecutio pluribus difficultatibus obsepta, hostibus impetita; tanto ad eum assequendum acriores oporteat impetus afferre, at in primis peruigilem ad occupandos aditus, præstruendas & præcauendas insidias, & ad vtendum suis occasionibus industriam. Quis non proculdubio certam eius Imperatoris cladem auguretur, qui neque commeatu comparato, neque vadis prætentatis, neque regione meliùs explorata, indispensato impetu in penitiora regis inimici regna perrumpat? an non ita Darius, Crassus, Iulianus improuida temeritate periere? Tu verò in hac periculosissima contra cupiditatum phalanges, mundi atque sociorum corruptelas, dæmonis inuidentiam pugna, putabis tuta omnia, & non potiùs in tuam perniciem exarsura, & quidquid conatus fueris euersura? Certè si fortis & victor Dei miles esse vis, præstandum tibi quod ille apud S. Iob, qui *in occursum pergit armatis.* Hostes armati sunt immundi spiritus, innumeris contra Dei militem fraudibus accincti. Quibus in occursum pergitur, quando eorum insidiæ longiùs præuidentur. Sæpè quippe, vt ibidem notauit D. Gre-

Iob 39. & in eum locũ D. Greg.

D.Gregorius,hostes callidi militem Dei tanto terribiliùs impetunt, quanto illum non sibi tantùm, sed etiam aliorum saluti vtiliorem vident: vt videlicet sui periculi formidine territum, & de suipsius tuitione sollicitum, saltem occupent,& ab eorum salute curanda reuocent, quos interim auxilio destitutos in ruinam præcipitent. At firmata Deo mens inimicorum minas despicit, impetum non pertimescit, diuinæque gratiæ freta præsidio, sic vulnera suæ infirmitatis curat, vt aliena tamen haud deserat. *Contemnit pastorem, nec cedu gladio.* Terrores intententur,contemnit; tentationes,instar gladij, acutissimæ & acerrimæ eum fodiant, nihil remittet. Sed aduersus cælestis militis forte pectus,tanto vehementiùs antiquus hostis inardescit, quo se animosiùs despectum conspicit: vnde in B.Iob sequitur, *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.* Sonat pharetra, vibratur hasta, clypeus impellit, bellum instauratur, pugna recrudescit, vis, dolus, impressiones, cuniculique miscentur: nihil intentatum relinquit Satan, sperans duce cæso, opimisque spolijs detractis, palabundum territumque vulgus, victori prædæ futurum. Sonat pharetra,quando procul ex occulto telum ad vulnus emittitur, quando furtim ex insidijs lenè stridens sagitta euolat, quando scilicet specie virtutis obtectum vitium, eo perniciosiùs quo amiciùs in intima se penetrat. Si quem videt futuri securum,mentis pacatæ sinum Deo expandere, hunc in alios quasi caritate mouet, vt eorum indigentiæ succurrat, ac ita sensim curis implicet; & à mentis tranquillitate abductum, à consueto quoque sensu atque vsu pietatis alienet. Si tamen, vt fit, infirmius quiddam viderit, vbi vulneri locum patere credat, istac apertè impugnat, hastam vibrat, mortemque non obscurus intentat: quem enim ad carnis illecebras molliorem viderit, apertis eum blanditiis, & cupiditatum incensione allectare tentabit; quem autem celsioris animi & magna spirantem viderit, huic protinus ingentium rerum spem, hominum famam, sanctitatis opinionem, & id genus etimia non pauca mentis oculis obiiciet. Quid? quòd tantus frequenter furor est hostis, vt simul & hastam euibret,& pharetræ iaculis impetat, quem & suæ & aliorum salutis curatorem videt impigrum? etenim persæpè impugnatione manifesta pertrahit ad peccatum, simulque occulta suggestione ob virtutem custoditam ad superbiæ elationem prouocat. Omnibus tamen superior euadit, eo protegente de quo scribitur: *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris:* hoc est,ita te custodiet, vt nec ea quæ in conspectu sunt posita, & ad quæ gressus solet tendere, vis vlla, vllus ex aduerso impetus labefactare; nec à latere nudato, insidiosum quidquam te incautum vulnerare, vel ad interitum rapere possit. Imò verò quantumuis clypeorum oppositu, hoc est variarum molestiarum obiectu progressum intercludere nitatur dæmon: *Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem: Vbi audierit buccinam dicit, Vah! Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlula-*

Prou. 3.

vlulatum exercitus. Nullo se terrore à progressu retardari patitur, nimioque ardore pugnæ, quidquid terrenos hebetat artus, mentemque prægrauat, subtiliùs discutit, ardenter excutit, minis non terretur, ostentata spe pugnæ exsilit gaudio, neque tamen cæcus & in præceps ruit, pericula prouidet. *Super custodiam suam stat, statuit sibi speculam*, non deprehenditur imparatus, stratagemate ducum ne irretiatur cauet, cauet ne quasi agmine facto totis in eum castris irruatur, & se tantæ moli, vel declinandæ, vel fortiter sustinendæ apparat. Quæ certè omnia, cùm & multitudine plurima, & sint genere præclarissima, taram quandam solertiæ prudentiæque vim exigunt. Lege si adlubescit quæ in eum D. Iobi locum fusè scribit Magnus Gregorius, & cum iis quæ à præcellenti athleta D. Antonio gesta sunt compara, planeque comperies ab hoc rebus ipsis esse perfectum, quod ab illo est præceptione atque sermone deformatum. *Abac. 2. Ierem. 31.*

Iam verò, si tam singularis cum fortitudine prudentia, propter inimici fraudes & odium iungenda est, haud multò minor exigitur in eorum gratiam quibus decertatur, quorumque salus cordi est: quippe cum his salutis animorum, quàm salutis corporum amatoribus, longè deteriore conditione agitur. corporis enim morbos passim medico retegunt omnes, sanari percupiunt, & in idem conspirant, & non admodum diuerso atque à præceptionibus artis parum aberrante remedio curantur, ac denique si efficacem medicinam adplicueris, vim suam etiam ægroto nolente retinebit: at in animi morbis prorsus contra vsuuenit, obstinatè & industriè reguntur, & quo grauiùs laborat quisque, eo sanior videri cupit, medicum auersatur, morbum ipse suum amat & auget, præterea occultissimi, incertissimi sunt morbi, quique cùm animo insideant, sola coniectura deprehenduntur, diuersissimis non rarò fontibus emanant, nulla certa medendi via curantur; sed mirabili quadam solertia cum diuina ope coniuncta est opus, & quidquid demum coneris, sanari nequit, nisi qui sanari velit, primusque ad sanationem gradus est, velle sanari, quem nisi obtinueris, frustra desudas. id verò abs eo impetrare, quem transuersum rapit ambitio, quem multiplex cupiditas excæcat, qui in contrarium toto impetu fertur, quantam circumspectionem, quàm accuratam rerum omnium considerationem exigit? medicinam facere voluisse, nec feciſſe, nocet plurimum, & melioribus viam occludit; obdurescunt, exasperantur, serpunt latiùs vulnera. Animal est maximè liberum, & iugi impatiens homo, iudicij sui voluntatumque apprimè tenax, varius, multiplex, obscurus, mutationibus, simulationibus, plurimisque affectionibus obnoxius, quem ægrè admodum cognoueris, & vbi cognoueris, paulo momento mutabitur, eique nocebunt grauiter, quæ paulò antè profuere: hinc, quid vrgeas, quid relaxes, quid consulas, propè semper in ambiguo est; & tamen errasse tanti est, vt nonnunquam reparari non valeat, æternoque immortalis animi supplicio luatur error vnus.

vnus. Quis hîc non expaueſcat? & prudentiæ immenſum quiddam ad curandos animos exigat? cumque Nazianzeno exclamet; *Profectò ars quædam artium ac ſcientia ſcientiarum mihi eſſe videtur, hominem regere.* Si enim id verè dicitur de illis, qui cum auctoritate præſunt, & quod rectum eſt præcipere poſſunt, quanto magis in eis locum habebit quorum omnis actio precaria eſt, & voluntaria perſuaſione vim ſortitur? Non venio ad ſingula; ſatis enim horum veritas conſtat, & à propoſito longiùs forſan euagaremur: ad ea quæ viciniora ſunt pergendum.

Orat. 1.

CAPVT VIII.

Suâ cuique tempora præſtolanda eſſe.

3. p. Paſtor. admon. 26.

QVam in ſententiam peropportunus eſt Magnus Gregorius, aptiſſimè docens eum qui præcipit impetu, ante conueniens tempus ad alios curandos proſilit, viam profectui qui futurus fuiſſet improuidè occludere: & non rarò, pro ſcientia, citiùs quàm par eſſet oſtentata, vel ignorantiæ opinione laborare, vel à conſequenda vera in poſterum ſcientia arceri. Implumes autem pulli, ſi præmaturè volare tentarent, non alta peterent, ſed in ima præcipiti caſu ruerent: necdum ſolidatum fornicem qui grauiùs onerat, non ædificium, ſed ruinam præparat: & quæ feminæ conceptas proles priuſquam formentur eiciunt, non domos prolibus, ſed cadaueribus tumulos replent: & ſunt vnicuique rei maturandæ ſua certa tempora, quæ niſi magno rerum damno præuertere non poſſis. Hoc in corporibus, hoc etiam verum eſt in animis, non tantùm quod ad ſcientiam, ſed ad virtutes, ad munera & opera diuina ſpectat. Quamuis enim temporum & ætatum atque occaſionum dominus ſit & arbiter Deus, & illa vbi voluerit, ac prout voluerit obſeruet aut mutet; ſumma tamen moderatione, & ſuis omnia temporibus perficit. Cuius prudentiæ vt

Luc. 24.

etiam poſteris exemplo præluceret Chriſtus Dominus, Apoſtolis præcepit, *Vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, non priùs eos ad prælia prouolare cupiens, quàm robur & arma diuinitùs accepiſſent: quid enim præter cladem è bello referat, qui impar & imparatus pugnam temerè aggreditur? In ciuitate verò, D. Gregorio interprete, *conſidemus, ſi intra mentium noſtrarum nos clauſtra conſtringimus, ne loquendo exteriùs euagemur; vt cùm virtute diuina perfectè induimur, tunc quaſi à nobiſmetipſis, foras etiam alios inſtruentes exeamus.* Et verò

Luc. 2.

Qui priuſquam doceret, cœpit facere; hoc ipſum tanto antè præmonſtrauit, quando *factus annorum duodecim, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem*, ibidemque mox parentes eius *inuenerunt illum in templo ſedentem, in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem*; non autem docentem, vel arguentem, vel increpantem; quæ

quæ tamen optimè & diuinitatis auctoritate, & eximia singularitate sapientiæ poterat, sed prudenter humilibus maluit, quàm temerè præsidentibus exempla præbere.

Idem quoque Prophetis solenne fuisse comperimus, latebant, in lucem prodire recusabant, quamdiu pateretur Deus. Ille quoq; qui plus aliquid quàm Propheta, qui facula fuit ardens & lucens Ioannes Baptista, ardores internos inflãmare, & copiosam sibi Spiritus vim intus reponere sategit, priusquam hominũm animos pertentare, & à vitijs inolitis auocare niteretur. Namque vt S. Euangelista scripsit, *Puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Puer ille qui iam ex vtero matris, si non corpore, at mente puer esse desierat, latebat, orationi vitæq; asperitati deditus, nec tam incrementa exspectabat ætatis, quàm Domini Dei vocem, iubentis vt sese Israëli palàm faceret, Messięq; venturo animos pararet. *Crescebat, confortabatur spiritu*, vt legitimus Dei nuncius euaderet, magnaq; libertate clamaret, *Genimina viperarum, quis vos docuit à ventura ira fugere?* nec Herodis tyrannide paueret, & saxea Iudæorum corda molliret, & verba eius tanta verissimi testis auctoritate pollerent, vt is, Agnus Dei, Saluator mundi, Filius Dei credi posset & deberet, quem Ioannes talem esse testatus esset. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Nónne cor nostrum*, inquiebant experti, *ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Verba eiusmodi, nõ verba mollia, flaccida, turgescentia, euanida; sed fortia, sed penetrantia, sed pertinaciam, mendacium, libidinem, errorem, & vitium omne debellare potentia, sed ad intimum spiritus penetrantia, malorum radices euellẽtia, solidarum virtutum semen implantantia, sibi à supremo spirituum Domino & omnium potente Deo, in animum illabi, & ad ista fortiter vibranda vires dari, oratione, ieiunio, afflictatione castissimi corporis, & omnium rerum aspernatione contendebat.

E Ribera in 1. Osee.

Ierem. 23.

Luc. 24.

His insiste vestigijs, qui venturo in aliorum animos Domino domiciliũ præparare desideras, ab omni hominum familiaritate secede, solus cum solo Deo colloquia miscere disce, parco victu, seueriusq; habendo corpus, carnem spiritui subijce, tibiq; intentus quid cordi tuo loquatur Dominus attende: etenim proculdubio per Superiores & Præpositos tuos administros loquetur; si tacuerit, ipsum silentium, sermo erit, tibi in eodem vt quiescas indicens; sin verò te Superiorum iussu emiserit, faciet idoneum suæ voluntatis interpretem, & vt olim Ieremiæ, dabit verba sua in ore tuo, verba quæ non reuertentur vacua, quæ petras conterent, & rigentia auditorum corda succendent. Si vltro prosilieris, si nõ suo tempore eruperis, quid nisi ad temeritatem proficies?

cap. 1.

Itaque, vt sibi quisque quàm alteri propior est, & dare volenti prima esse cura debet, vt vnde dare possit habeat, id etiam sapiens quisque spectare primùm debet, vt mentem suam omni vitiorum caligine atque perturbatione puram, virtutibus exornet, tantoq; lucis calore compleat, vt nec obscurati nec intepesce-

re facilè possit, malit semotæ ab actione vitæ tenuem fructum indirupta quiete sectari, malit nulla sæculari cura, nulla variorum casuum distentione, nulla cenodoxiæ & vanitatis elatione, nulla vllius sollicitudinis molestia tangi, & modico fructu, ac quodammodo agelli sui prouentu vtcumque victitare, quàm affectare lucra maiora, quæ etiamsi quæstuosissima conuersione multorum parta fuerint, quotidianis tamen mundanæ conuersationis, & blandientium rerum diminutionibus absumentur; atque exinde quoque nondum satis firmatam mentem prægrauando, latiorem ducent ruinam, & omnia in præceps rapient. *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Melior est pugillus vnus cum requie, quàm duo pugilli cum labore & præsumtione spiritus.* Quare verissimè apud Cassianum pronunciauit vir sanctus Abrahamus, & illudi, & nonnisi dispendijs implicari infirmos illos, *qui*, vt loquitur, *cùm etiam de sua salute sint dubij, ipsiq; adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, ad conuertendos alios & regendos, diabolicis illusionibus instigantur, quíque etiamsi potuerint lucri aliquid ex quorumdam conuersione conquirere, impatientia sua atque inconditis moribus, quidquid acquisierint profligabunt. Illud namque eis quod Aggæus Propheta describit euenit: Et qui mercedes congregat, misit eas in sacculum pertusum. Verè enim lucra sua in pertusum sacculum condit, qui quidquid per aliorum conuersionem videtur acquirere, intemperantia cordis sui, & quotidiana animi distentione disperdit. Itaque fiet vt, dum vberiora lucra per aliorum credunt institutionem parare se posse, etiam sua correctione priuentur. Sunt enim qui se diuites ferunt, nihil habentes, & sunt qui se humiliant in multis diuitiis. &, Melior est vir in ignobilitate seruiens sibi, quàm qui dignitatem sibi acquirit & indiget pane.*

Psal. 36. Eccl. 4. sec. 70. Coll. 24. c. 13. Agg. 1. sec. 70. Prou. 13. & 12. sec. 70.

Asperiùs minaciusque quodam loco D. Bernardus: *Vnde ambitionis impudentia tanta, vnde væsania tanta præsumtionis humanæ? audeatne aliquis vestrûm, terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria? præripere beneficia? negotia dissipare? — Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia quasi homines qui iustitiam fecerint apprehendunt. Væ filiis iræ qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filijs iræ qui pacificorum sibi vsurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ qui fideles sese mediatores pacis vt peccata populi comedant mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt.* Sed ista declamat in eos, qui vel ambitione vel auaritia perciti, dignitates Ecclesiasticas venantur: de quibus non est cur agamus, at de illis qui præmaturo zeli feruore rapiuntur: quos vir idem sanctus alio loco sursum deorsumque non illepidè versat: sparsim seligam, & interiecta nonnulla omittam.

De conuers. ad cler. c. 27.

Quod tuum est, spargis, inquit, *& perdis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere. nimirum, vita & salute quam alteri das te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & letali apostemate turgens interis. Multos hodie habemus tantæ caritatis, vt*

Homil. 18. in Cant.

apud

antè effundere, quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & promti docere quod non didicerunt, & alijs præesse gestientes qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo quem Sapiens posuit dicens: Miserere animæ tuæ placens Deo. Quòd si non habeo nisi parumper olei quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi; & omnino, nisi ad Prophetæ iussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Ceterùm tu frater cui firma satis propria salus nondum est, cui caritas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui caritas tanta est, vt vltra mandatum quidem diligas proximum tuum plus quàm te ipsum: & rursum tantilla, vt contra mandatum fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, protrahatur ambitione, suspicionibus inquietetur, conuicijs exagitetur, curis euisceretur, honoribus tumeat, liuore tabescat, tu, inquam, ita in proprijs te ipsum sentiens, quanam dementia quaeso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Sed enim audi, quid consulat cauta vigilque caritas? non quod alijs, inquit, sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Noli nimiùm esse iustus, sufficit vt diligas proximum tuum, tamquam te ipsum, hoc quippe est ex æqualitate. Dicit enim Dauid: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum: infundi nimirum priùs volens, & sic effundere. nec solùm infundi priùs, sed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate. Ergo & tu fac similiter, implere priùs, & sic curato effundere. Benigna prudensque caritas affluere consueuit, non effluere. Fili mi nepereffluas, ait Salomon; sed & Apostolus, Propterea, inquit, debemus intendere his quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus. Quid enim? túne Paulo sanctior, sapientior Salomone? alioquin nec mihi sedet, ditari ex te exinanito. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo, si vales, adiuua me: sin autem, parcito tibi. Ista planè verissimè D. Bernardus. *Eccli. 30. Matth. 25. 2. Cor. 8. Eccl. 7. Psal. 62. Hebr. 2.*

CAPVT IX.

Cur vsqueadeò omnis properantia cauenda.

DVm antè dictorum rationem reddimus, tanto vehementiùs illa confirmamus; possunt tamen propè rationes omnes ad hæc pauca reuocari, quòd vnicuique prima sui & potissima cura incumbat, nec alteri bonus esse possit, qui sibiipsi bonus non est. Sed hæc latiùs demonstranda sunt, & certa sanctorum virorum auctoritate firmanda.

Hinc certè necessariò initium esse ducendum, grauissimè firmauit B. Basilius ad Gregorium Theologum scribens, *Primùm omnium*, inquit, *mentem pacatam habere conuenit. Vt enim oculus continuo circumactu versatus, & nunc horsum illorsúmque deflexus, nunc sursum deorsúmque erectus vicißim ac depressus, exactè cernere nequit; sed obtutu incumbere in rem visam oportet, si perspicuè eam conspicere velit: hunc in modum mentem humanam, sexcentis mundi curis distractam, euidenter cernere veritatem, vix est vt euenire poßit.* Neque verò sic asseuerasse satis ei fuit, nisi præterea adderet; *Quietus igitur status, expiandæ animæ initium est, cùm nec lingua loquitur quæ ad homines pertinent, nec oculi colorum nitores, aut concinnè dispositas membrorum porportiones conspiciunt, nec animæ intentionem elanguescere faciunt aures, vel modulamentis ad voluptatem ciendam accommodis, vel facetorum hominum ridiculis dictis intentæ, quæ postrema res frangendæ animi intentioni quàm maximè comparata est. Quippe mens, nec extrorsus dißipata, nec in mundum per sensoria diffusa, ad sese ipsa redit, moxq; suopte nutu ad Deo notionem euadit. Quo fit vt illo decore illustratus vndique intellectus, atque supernè illuminatus, naturæ quoque ipsius obliuione capiatur, nec iam se ad curam cibi demittat, nec amictus anxietate tangatur.* Qui progressus quomodo sensim fiat, videre facile est: etenim sancta quiete, paulatim quæ animo malè fuerant impressa, obliterantur, cupiditatum & perturbationum omnis procella mitescit, mens liberior euadit, promptiùs ad ea quæ sibi cognata sunt, spiritualia scilicet, conuolat, quæ vbi sapere cœperit, desipiunt cetera, accessu desiderium accenditur, frequentatione delectatio accedit, ac denique adeò penitus in res diuinas immergitur, vt vilescentibus omnibus, omnis alia tractatio molestiam pariat.

in ascetico, to. 5. Bibl. SS. PP.

Sed in hoc eodem argumento, aptissimè ad institutum meum versatur Beatus Nilus, vt doceat nihil esse properandum nimis: verba eius & vestigia sic sequar vt quàm proximè accedam, paucissima hinc inde vel perspicuitatis vel breuitatis causa mutans. Ait igitur in hæc verba: Quibus propositum est, animum ab omnibus inquinamentis abluere & expurgare, ij quàm longissimè debent ab omnibus rebus, quæ sordes & maculas augent abscedere, multamque rationi tranquillitatem præbere, & ab iritamentis procul aufugere; ac vulgi consuetu-

suetudinem euitare, solamq; sapientiæ matrem quietem amplecti. Facilè enim in laqueos quibus se extricasse arbitrabantur, rursus incidunt, qui cum immundis turbis sine timore versantur. Quid enim in melioris vitæ principijs, perniciosius esse potest, quàm iterum ijs gaudere, quæ antè damnasti atque fugisti? & licet ex breui ac fortuitò oblata occasione contigerit, attamen vestigia in animo relinquentur, magno studio quæsita quies interrumpetur, ad instituta pristina mente saltem reuocaberis, & mala quæ iam obliuioni tradebantur, in memoriam reducentur. Etenim quicumque à licentiore & imperfectiore vita recèns discesserit, ei qui à diuturniore morbo vixdum conualuerit persimiles sunt: vt enim hic leuicula quauis offensione in morbum grauiorem recidit, ita illorum adhuc imbecillæ, nondumque confirmatæ vires, in grauiorem mentis ægritudinem exiguo impulsu laberentur. Virorum fortium est, contra hostes in aciem, in campum progredi, insidias effugere, impetum arcere, nec lædi. Qui nondum sic est ad bella doctus & fortis, domi se contineat, salutemque, procul periculis, in quiete tueatur. Ita quippe præceperat populo Moses; *Nemo vestrûm egrediatur ostium domus suæ, ne vos percussor attingat.* Exod. 12. Ita monebat Ieremias, *Nolite exire ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici, pauor in circuitu.* Ierem. 6. Ita re ipsa, Mose iam grandæuo, robusto, & ad castra exeunte, *Minister eius Iosue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo:* Exod. 33. & ista sua tranquillitate, prudentiáque suæ imbecillitatis agnitione, dum se totum diuinæ prouidentiæ suaque tempora committit, tanta cælitus fortitudine, sapientia, felicitate donatus est, vt aliquando dux populi fieri, hostes internecione delere, Terram sanctam duodecim tribubus dispertiri meruerit: nec fuisset ad tantum dignitatis culmen euectus, nisi lenioribus & mollioribus initijs, placidam, & vera humilitate pacatam mentem, tantæ celsitati parasset.

Certamina, inquit beatus Nilus, *vires nostras superantia confidentiùs adire alienum est à Religione: nec debemus antequam virtutis habitum adepti simus, negotijs nos ciuilibus immiscere, sed ab illis quàm longissimè discedere, & cogitationem procul à strepitu & tumultu auocare. Quid prodest, si cùm à negotijs recesserimus, eorum rumoribus interpellemur? si relicta ciuitatis administratione, ad portam tamen, vt Loth, sedeamus, tumultúque ex ea proficiscente repleamur? Foras cum magno exeundum est Mose, vt non opera solùm, sed de illis etiam cogitationes cessent. Tunc enim vera tranquillitas est, cùm non solùm facta, sed ne quidem recordatio nos impedit, quo minùs occulta nostra videre, & vitia singula impugnare, atque quidquid prauitatis inest corrigere possimus.* Quæ profectò perfici nequeunt, quamdiu mẽte medijs in rebus versante, noui cogitationum fluctus, nouæque perturbationes affluere non cessant, sed vt aquarum accessione fluuij quo longiùs decurrunt crescunt, ita lapsu temporis, inextricabiliùs mens implicata, quò se vertat, quidue respiciat non habet: Quemadmodum igitur qui fluminis alueum aridum videre cuperet, nihil ageret si eodem loco labore multo aquam exhauriret, cùm noui subinde fluctus fluctibus accedant, &

affluere non cessent: at si sursum eatur, fons auertatur aut obstruatur, aut in alueum alium deriuetur, tum sanè vndæ deficient, & protinus alueus exaresc et. Ita formæ illæ cupiditatum effectrices, quæque animo insident, exhaurientur facilè, si sensus, è quibus quasi fontibus in animum influunt, sic obstruentur, vt eas extrinsecùs suppeditare in posterum nequeant: sin autem assiduè nouas suggerent, vix, ac ne vix quidem fieri potest, vt animus ab eiusmodi fluctuum perturbatione liber euadat.

Scio equidem non rarò fieri, vt nullum aut sentiant, aut videant incurri damnum, qui minùs acutè ad sola præsentia respiciunt, neque occultam futuri vim penitiùs quasi in semine prospiciunt: sæpè enim aculeum suum exerere, & rebus ipsis prauitatem suam comprobare cupiditates haud possunt, quia propter nimis assiduos, sibique inabruptè implexos congressus, dum ad alia semper transilitur, & nullibi sistitur, ipsa etiam lædendi, & se ipsam qualis sit ostendendi, opportunitas amittitur. Clàm tamen sese insinuat prauitas, & roboratur, & maiores vires diuturnitate temporis colligit. Ita mihi videas terram, frequenti incessu conculcatam, spinas quæ intus latent non proferre: at in imo propagantur radices, & vbi primùm, vel imber humum laxauerit, vel à continua inambulatione cessatum fuerit, vbertim confertimque erumpent spinæ. Idem & cupiditates, & si quæ sunt menti insitæ desiderationes faciunt; dum assiduis congressionibus & occupationibus in apertum prodire nequeunt, occultè fouentur, robustiores fiunt, & occasione per otium & quietem data, graue & periculosum bellum inferunt.

Hæc est Babylonia propago, quam adhuc tenellam, & vixdum ad primos sensus illatam, aboleri suadet, ne animum blanditijs illectum occupet, paulatimque ita sibi deuinciat, vt occupata rationis arce sanctam Ierusalem, hoc est pacem veram, destruat, & Dei templum, quod est virtutibus instructum cor, profanet & perdat. *Beatus* igitur, *qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram*: beatus, qui cupiditatum fœtus erumpentes, molli brachio non excipiet, sed vel obliuione, fomentis negatis, deleri sinet, vel statim natos fortissimo
Iob 8. virtutis proposito ardentiùs innouato illidet. Ac fortè apud beatum Iob eiusmodi quippiam innuitur, quando in humore virescere scirpus dicitur, & crescere carectum in aqua, eaque deficiente, exaresc ere herbam omnem. Sed &
Iob 4. eiusdem libri alio loco, vbi nos legimus, *Tigris perijt, eò quòd non haberet predam*, pro tigride μυρμηκολέοντα, animantis aliud genus Septuaginta reposuerunt: formico-leonem interpretari possumus non sine tropologia insigni, vt cupiditatum & vitiorum insidiæ atque natura describatur, ex abiectissima & imbelli formica, audacissimoque leone conflata. Sic enim cupiditatum impetus à vilissimis, fractis & imperfectis cogitationibus incipiunt, sensimque for-

formicarum in morem repunt: at paulatim ad eam excrescunt magnitudinem, vt etiam robustissimis, non secùs quam leones, terrorem incutere possint. Prudens igitur & strenuus pugil cupiditatibus oblúctetur, quando etiamnum formicæ minus habent virium: pabulóque & præda negatis, eas fame atterant. Cupiditatum verò vitiorumque pabulum & esca, sunt formæ & imagines rerum sensilium, forinsecus ad sensum, & à sensu ad animum illatæ, à quibus longiùs à principio recedendum est, vt vacuum tumultu animum habeas, & cùm volueris possis profana omnia adytis mentis arcere. Quod ipsum numquid non tacitè commendauit legislator, quando *fores templo reticulatas* esse voluit? vt tu quoque, qui animi tui templum purum, solisque sacrificijs mundum seruare desideras, cancellatis foribus vtaris, & quidquid sese ingeret immundum, castigatiore & seueriore proposito refutes: hoc autem vt perpetuò constanterque efficias, diuturno primùm opus est à voluptarijs rebus recessu, atque sanctiorum & purissimarum voluptatum spiritus gustatione firmata: firmari verò, & radices profundiùs agere non potest, si vbi se primùm melioris vitæ molle germen extulerit, duris illud Aquilonibus, hoc est liberioris vitæ incursionibus, properati zeli obtentu perflandum dederis. Ita est natura comparatum; sua est vnicuique rei generandæ & stabiliendæ quies necessaria; motus vehementior, etiam bene coagmentari cœpta dissociat & dissipat.

Exod. 27. iuxta B. Nil.

Sed iuuat audire, quàm præclarè super his Gregorius Magnus differat, qui historiæ beati Iobi locum illum, *Humectus videtur antequam veniat Sol, & in ortu suo germen eius egredietur*, latiùs euoluens, multa dicit quæ in rem præsentem plurimum faciunt. Docet enim esse quosdam, qui in vitæ huius tenebris, priusquam Solis æterni luce cuncta claresçant, humanis oculis gloria sanctitatis illudunt, atque adeò primo in exortu speciosum germen statim proferunt. *Herba qualibet*, inquit, *nascendo prius à terra producitur, aura & æstibus tangitur, Sole ac pluuijs nutritur, & tum demum ad proferendum sui seminis germen aperitur: scirpus verò cum flore suo nascitur, móxque dum à terra surgit, sui secum seminis germen producit.* Et paulò pòst, *Germen in ortu, est remuneratio in inchoatione.* Quod quàm pernicioſum, & summopere vitandum sit vt demonstret, addit sapientissimè, *Qui mundum deserunt, ad exteriora officia prouehi non debent, nisi per humilitatem diutiùs in eiusdem mundi contemtu solidentur. Citiùs namque bona depereunt, quæ hominibus ante tempus innotescunt: quia & arbusta plantata, priusquam fixa radice conualescant, si manus concutiens tangit arefacit: at si altum radix figitur, & terræ humoribus conspersa solidatur, hæc & manus impellit, sed non lædit; hæc & ventorum flatus inflectendo concutiunt, sed non euertunt. Ne ergo euratur vita cœpti operis, diu ac robustè in alto humilitatis figenda est radix cordis. —Sic bona nostra, & intempestiuè manifesta-*

cap. 8.

lib. 8. Mor. c. 28. seu 33. & seqq.

ta

ta depereunt, & diutiùs occultata solidantur: cùmque longa suæ quietis adiectione se animus comprimit, contra impugnationes obdurescit, & confractum protinus resilit, omne quod in solidum impactum fuerit. Et paucis interiectis, *Sæpè nouæ conuersationis primordia adhuc ex carnali vita sunt commixta: & idcirco innotescere citiùs non debent, ne, cùm laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent.* Ita igitur est, qui nondum ad perfectum virtutis diutiùs & diligentiùs extocti sunt, partim infirmi sunt, vt in pristina leui inductione referantur, partim occultis laborant vitiorum reliquijs, quas numquam depellent, quamdiu aliorum priusquam sui præposteram curam gerent.

De inform. Nouit p. 1. c. 15.

Diuus quoque Bonauentura, quo propior, eo clariorem monitor accedat: qui Nouicios informans monet, vt neque confessarij, neque concionatoris munus affectet quisquam. quid enim? eo munere si dignus fueris, vocabit Deus, & ad id promouebit: sin autem indignus fueris, annon in maius tuum dedecus cedet, si violentus irruperis? Et hinc ait sanctus Doctor fieri, cur è concionatorũ & confessariorum munere, fructus decerpatur exiguus, quoniam à Deo nondum vocati veniunt, & non missi currunt, eiusque in qua nondum fixêre radices, virtutis fructum ab aliis reposcunt: quo fit vt, si quis fortè in speciem sese ostentat fructus, nonnisi immaturus, peracerbus, cadiuus sit & emarcidus; prima illum pruina decoquet, vel instar eorum quæ ad mare Mortuum pomorum, inter legentium manus cortice fatiscente vanescet. Non sic Israëlitas præstinare voluit Deus, quando tantam præcepit continentiam, vt eam ad annum quintum vsque protenderet; *Quando ingressi fueritis terram,* ait, per Moysen loquens, *& plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt.* Quod præceptum ita D. Bonauent. in rem suam interpretatur: arbor terræ sanctæ implantata, ille est qui à licentiore, & vitiis circumsepta vita, ad sanctum Religiosæ familiæ pomarium est translatus, nec sibi tantùm, sed & alijs salutares fructus tempore suo proferet; sin autem intempestiuos ediderit, immundi erunt, & ventoso superbiæ tumore euanidi. Primus annus, est vera de improbitate transactæ vitæ pœnitudo. Secundus, est solicita vitæ melioris, & sanctorum operum frequentatio: cui cùm ex assuetudine accesserit habilitas & firmitas, iam tertius annus addetur. Quartus autem, quando ex rectè factis rumusculos hominum contemnere, laudem honoremque fastidire, puram animorum salutem, soliusque Dei meram gloriam quærere iam assueuerit. Quicumque præuertit hunc annum, is neque saluandis aliorum animis vtiliter insudabit, neque sibi ipsi virtutum ornamenta conquiret, vanitatis potiùs & leuitatis notandus, & quod grauissimum est acceptior Deo esse non poterit, neque familiari vmquam eius amore perfruetur. At puris-

Leuit. 19.

simæ

simæ caritatis anno quinto, maturatos & egregiè præformatos fructus vbertim æternitati sacrabit, & ad horrea diuina transmitter. Audiant igitur hoc viri sancti monitum, quicumque non inutilem operam nauare cupiunt, timentque ne ritè, & vt vndecumque oportuit, ex vera virtute factorum vacui, ab hac vitæ statione decedant.

Finem huic articulo imponam, si verba Gersonis, licet incomtiora subtexuero: sunt enim & significantia inprimis, & quæ in veram huius rei originem digitum intendant. Is igitur de illis agens qui ad varia munia quasi zelo permoti adspirant, ita scribit; *Si consideret vehementer & acriter homo, quòd nihil de se posſit humana industria, pro salute, pro eruditione, pro correctione hominum, ita vt vbi plus aliquando proficere crediderit, ibidem non prodesse sed obesse frequenter reperiat, quia peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus: mirabitur profectò stoliditatem humanæ præsumtionis, non expectantis vt vocetur; nec vocari satis esset, nisi simul cogeretur. Quo pacto cogeretur? per auctoritatem, & legem, vel Dei reuelantis, vel Prælati mittentis, vel vrgentis, vel ineuitabilis necessitatis.* Deinde aliquanto pòst addit, *Tu qui times de absconsione talenti, qui dum tibi vacas dicis, Vt quid perditio hæc? exerce potissimum tui cordis talentum: fac omnibus de illo seruitium. Sit in eo prædicatio tua, sit commonitio, sit eleëmosyna distributio, sit hospitale miserorum omnium. Quo pacto dices? orando in qualibet & pro qualibet aduersitate proximorum, pro sua eruditione, castigatione, consolatione, patientia, cibo, potu, veste, sanitate. Sciet pater omnium Deus, & volet desiderium pauperis exaudire, & præparationem eorum audiet auris sua.* Ita Gerson, voluntate, desiderijs, crebraque apud Deum interpellatione, id omne perfici posse iudicans, quod multo labore & anxijs curis promoueretur: non quòd has improbet, solisque animi votis cuncta peragi oportere putet, sed quòd à tranquillitate mentis, ad multiplicem rerum procurationem, non existimet tutum esse suæ ipsius, sed solius Dei auctoritate transire. *lib. de perfect. cordis.*

CAPVT X.

Cui potissimè sint obseruanda iam dicta.

MEminerit credo Lector, hæc à me ijs maximè scribi qui primum vitæ perfectioris tirocinium ponunt, quos Nouitios Religiosæ familiæ inscribunt, nomine, opinione mea, neque incommodo, neque peregrino: si enim Iureconsulti mancipia nouitia dicunt, qui seruitutem seruire incipiunt, quidni liceat sic eos nuncupare, qui diuinis obsequijs se totos recentiùs addixerunt?

Tironibus igitur & Nouitijs nostris omnino cauendum est, ne priùs in are-

nam pugnaturi prodeant, quàm virtutum clypeo & thorace, cunctóque armorum apparatu non tantùm probè instructi, sed & armorum singulorum vsum, hostiumque versutias egregiè calleant.

Credant, si rariores impugnantis dæmonis insultus, pacataméque non recalcitrantis naturæ obsequentiam sentiunt, aliorum se societate defendi, occasionibus amotis in tranquillo nauigare, atque singularem Dei boni prouidentiam, ab infirmis grauiora bella remouere: sibi verò nequaquam præsidant, intra sua se munimenta contineant, eruptiones in hostem, nonnisi obedientiæ classico insonante tentent, ac Romani instar militis confestim vt receptui canetur, districtum, iamque vibrato ictu feriturum, vagina recondant ensem: ne seorsim solitarij vagentur, non raro victor palabundus, hosti victo præda fuit: libentiùs versentur in hibernis, vbi non corpora, sed cerent animum. Spiritualem edoceri militiam, eamque probè callere, res est haud vnius alteriusue anni. O quoties post seros annos, prima tirocinij tempora, molles committendo bono semini sulcos, & secura otia suspirabunt!

Ne tamen ignauiter torpescant, sed quasi leunculi, & aquilarum pulli lambendo sanguini assuescant, nonnumquam frumentatum emittuntur, & ad prædas è proximo captandas vel subitario impetu, vel etiam veterano adiuncto præsidio prodeunt. Vidit enim vir sapientissimus Ignatius, ab ipsis rei cuiusque primordijs, eos esse flexus, vires, conformationemque tribuendam, quæ ad functionem propriam esse iudicetur aptissima: ita in herbis ab ipso primo germine, & in animantium singularum pullis, futuri languoris, aut roboris indolem statim videas, eundemque equi pullum aliter aratro, aliter cursui & bello condocefacere conuenit: superando terrori, audaciæque spirandæ sensim aptatur. quid enim eius vsus foret si tumultuoso clamore trepidaret, paueret armatos, clangore tubæ terreretur, fumo sonituque fugaretur? ita fieret nisi paulatim contemnendis istis assuefieret.

Eam ergo moderationem, seu temperationem in tironibus efformandis adhiberi voluit Ignatius, vt neque perpetuò in vmbra desidentes delicatuli quidam, pulueris & Solis impatientes forent, neque grauioribus temereque properatis certaminibus nouitias vires, priusquam adoleuissent, obruerent. Quare primo statim ingressu, sibi ipsis, Deóque soli seriò & contentè vacarent præcepit, vt primi roboris, Religiosíque quo sustentarentur instituti vitales succos auidiùs haurirent: inde verò varijs domi foríque periclitationibus, voluit eorum vel durari patientiam, vel industriam exacui, non tantùm vt cuiusmodi essent probarentur, sed etiam, vt ad varios casus, nec imparati & aptiores redderentur: ita tamen, vt subinde ex interuallo ad longiorem quietem redeant, iterúmque & sæpiùs & contentiùs, perfectioni suæ se totos reddant, serióque

post-

postquam suarum virium experimentum cœperint, viderintque quàm multa etiamnum sibi desint; qua parte sint imbecilliores, vbi restaurandum, vbi firmandum, quidue potissimè sit adsciscendum diligentiùs inspiciant, & verò penitùs perspectum habeant, cuiusmodi, quibus difficultatibus obsepto, quæ animi præsidia exigenti instituto nomen inscripserint; cumque à bene semel, auctore Deo, cœptis resilire nolint, eos virtutum commeatus, atque gratiæ præsidia & ornamenta comparent, quibus nec indecorè, nec indignè tali familiæ accenseri, & eiusmodi vitæ institutum profiteri possint.

Hæc autem cùm ad humanæ naturæ modum accommodissimè, & ad res ipsas prudentissimè sint statuta, restat vt ad quos ea spectant, eò quoque quantum dabitur colliment. Quod, vt opinor, fiet si ipsimet Nouitij, memores ad eam se accessisse viuendi rationem, quæ actione pariter & contemplatione misceatur, interdumque, vt ferunt tempora, sic vtraque miscetur, vt parte altera exuberante, tota videatur vnius; ad vtramque se tum voluntate, tum facultate ita reddere conentur expeditos, vt dum vni potissimè addicuntur, alteram etiam simul si licet retineant, sin minùs; ab altera certè non abhorreant, totosque se ad quamuis earum, & ad quantumcumque tempus, pacatissima mentis tranquillitate Superiori relinquant.

Magnum hoc est, quódque paci & perfectioni, an perseuerantiæ magis necessarium sit, vehementer dubitem: ideóque dilucidiùs explicare tentabo.

Duo fermè hominum genera passim reperiuntur; tertium est rarius. Eorum verò primum est, qui natura sunt ita comparati, vt sensu, & ijs quæ in sensum incurrunt, plurimùm ducantur, societate delectentur, agendo enitescant, varietate gaudeant, solitudine contrahantur, quiete sordescant, in vno eodemque perseuerare fastidiant: ingenium ijs est versatile, varia respectans, humani conuictus & colloquiorum auidum, rumorum & laudum sitiens, mediocri rerum cognitione contentum, longioris otij impatiens, secum non habitans, sed ad externa profusum: itaque illos videas, si quando à negotijs feriantur, non ad studia, non ad orationem, non ad exercitationes animi se conferre; grauia illa & penitus insuauia desipiunt; sed ad pictorum, fabrorum, agricolarum, & id genus oblectamenta confugiunt, vt animi, otio suo vti nescientis, graue tædium leuare possint.

Alterum genus est eorum, qui præfractiore & seueriore ingenio sunt præditi, solitariæ vitæ amantes, fugientes hominum, ad silentium, ad otia suspirantes, turbarum & negotiorum impatientes, suorum retinentissimi iudiciorum, cœptis pertinaciter insistentes, in studia, in literas, atque (si sanctiora respexerint) in orationem & contemplationem indefessa contentione incumbere promtissimi.

Paucioresreperiuntur eiusmodi, qui ad vtrumque horum non tantùm per-

æquè sint idonei, sed etiam æquè propensi, ac demum, quod etiam addendum est, qui cùm in alteram se partem dediderint, non sic ad inchoata rapiantur, vt neque auelli possint, & alia cuncta fastidiant. Equidem cùm in eos inciderit, qui belli pacisque artibus pariter clarere queant; qui domi, forisque; manu, & consilio; actione, & oratione; agendo, & otiando; parendo, & imperando, tranquillæ perfectæque vitæ numeros expleant, ne dubites quin hi ad Religionis mixtæ formam apti natique sint: omninoque beati sunt, ad illam si se vmquam contulerint. reperient enim, vnde summa cum tranquillitate, liquidissimis animi voluptatibus perfrui, fastidioque iucunda alternatione semoto, omnigenis virtutibus, tam actionis, quàm contemplationis, animum exornare contendant; semperque (quod iucundissimum est) scientiam experientia, experientiam scientia condiant.

Iam verò, quia naturæ propensiones, & quasi insitas gustationum animi voluptates, optare magis, quàm indere, sed inditis tamen ritè vti, easque & corrigere & perficere nostrum est; Nouitios oportet vtramque & agendi & contemplandi facultatem accuratiùs edoceri, earumque altera si careant, profectò Societati nostræ, & sibiipsis graues inutilesque sunt futuri; ac denique vel non perseuerabunt, vel tædio plurimo & imperfectionibus varijs obruentur.

Et quidem si ab æquilibrio recedatur, (quamquam an vel sic recedatur non immeritò quæri potest) ad orationem & contemplationem paulò proniùs, & propè dixero ardentiùs ferri conuenit. Est enim hæc suapte natura nobilior, minùs ad vitia exposita, cuiuis pænè loco & tempori opportuna, solatium in aduersis, moderamen in secundis, in arduis auxilium, in periculis præsidium, actionis vigor, animi salus. Sentiet quiuis vt volet, me certè eorum subit Religiosorum miseratio, qui se totos ad externa profundunt, secum & cum Deo versari, domo contineri, ignotos alicubi versari, abstinere publico, nullos domi forisque familiares habere, instar Babylonicæ captiuitatis, vitæque non vitalis existimant. Quid enim, si rerum eæ vicissitudines occurrerint, & verò vt occurrant prouidebit affectionum prauarum osor & excussor acerrimus Deus: sed si occurrerint eæ vicissitudines, vt ab omni omnino occupatione, hominumque familiaritate remoueantur, quid miseris fiet? esse sine delectatione anima non potest, bene dixit quidam; studijs, oratione, Deo delectari non possunt, amicorum oblectamenta tolluntur, quonam ergo se vertent? an ad inanes querimonias, obmurmurationes, carnis delicias, & consilia pessima? an ignauæ, quod proximum est, se tristitiæ tradent exedendos? At verò qui orationi, meditationi addictus esse didicisset, in magni beneficij loco reponeret, quòd siue Præpositorum voluntate, siue corporis infirmitate, siue cuiuspiam (id si velis) calumniosa inuidia, siue quo alio casu, ab infimis & procreatis, ad summum omnium creatorem Deum se conferre, felici necessitate cogeretur. Hîc tranquillum ab

omni

omni iactatione portum, iucundum à dolore solatium, à timore securitatem, ab inconstantia firmitatem, à tumultu tranquillitatem, à perturbationum nubilo serenitatem reperisse lætabitur.

Hoc sacrum orationis tabernaculum adire frequenter, ad illud instar Moysis, à tumultu sæculi, familiariter ingredi, diuque in eo perseuerare discât Nouitij, idque cùm didicerint, non minimum perseuerantiæ suæ, perfectæque in Religione vitæ fundamentum posuisse se credant. Verùm ita demum, vt etiam obedientiæ classico vocante, arma expedire, vibrare gladios, iritare pugnam, prœlia ciere sint parati, & ad omnem imperantis nutum quauis in statione perseuerent, fortiterque gerendis rebus intenti, ita suo munere ad vnius Dei gloriam defungantur, vt nusquam ad alia respectantes, eodem in vestigio immori statuant, id vnum sibi ad salutem certius & glorioſius credentes quod à Superiorum voluntate puriùs & sinceriùs, nulla cuiusquam interpellatione manauerit.

Cùm autem ad aliorum salutem promouendam varias artes esse superiùs dictum sit, idque fieri exemplo, oratione, & actione ad hoc destinata; duobus prioribus, quiuis, quantum in se est, aliorum vtilitati seruire debet, at verò actiones eas solas, earumque illa sola munera (quando maximè honoratiora videbuntur) amplecti quemque oportere, ad quæ Superiorum auctoritas, & Dei voluntas vocat. Oratione ad Deum fusa, rectis vitæ exemplis, occasione pij colloquij, vtilis monitionis, vel fortuitæ eruditionis alteri prodesse, recta consulere, ad meliora prouocare, à prauis deterrere, nemo est qui conari non debeat, idque si casu & vt sors tulerit fiat, planè cuiusuis est: at verò se totum, suasque operas & studia, vitæque rationes aliorum saluti curandæ, perfectionique promouendæ dicare, ac interdum (quod est eorum qui præsunt) etiam ob aliorum salutem aut perniciem reddendæ rationi obnoxium fieri, profectò neque cuiusuis est, & sedulo sanctarum virtutum studio, robur est comparandum.

Quoniam autem ad aliorum salutem, Deique amplificandam gloriam, Societatem excitatam esse diximus, omnibusque qui in ea sunt ad id esse collimandum; opportunum hîc fuerit paucis attigisse quales eos esse oporteat qui in aliorum salutem incumbunt, vt hîc videant quàm conniti conueniat Nouitios, qui tantæ militiæ nomen inscribunt.

CAPVT XI.

Cuiusmodi eos esse oporteat qui se aliorum curandæ saluti dicant.

in Iulit. BReuissimè rem hanc totam, sed & plenissimè definijsse videtur sanctus Basilius oratione quadam dicens; *Qui iacentem erigere vult, altior omninò lapsò esse debet: qui verò æquè lapsus est, altero qui erigat, etiam ipse opus habet.* Cuius dicti vim si per singulas, vnde alios per te cupis erectos, prolapsiones expendens, protinùs quanta fortitudinis & virtutum necessaria sit congeries vides: si enim quemquam ab errore, ignoratione, superbia, intemperantia, iracundia, inuidentia, segnitie, auaritia, & quouis vitio ereptum voles: si his, si alijs quibusuis animi morbis te medicinam facturum esse profiteris, annon animi tui officinam, salutaribus virtutum omnium amuletis, refertam esse oportet? annon istic plurima veritas, eruditio, humilitas, temperantia, mansuetudo, benignitas, strenuitas, liberalitas, totusque perfectionis chorus efflorescet? atque ita, si Basilio credimus, eum de se summa quæque profiteri necesse est, qui ad aliorum animi morbos curandos ausit accedere. Quam sententiam, vt ex ijs quæ articulo secundo dicta sunt, constat esse verissimam, ita non exiguos ijs omnibus qui ad diuinum istud munus apparantur, ad virtutem stimulos inde subdi pareat.

lib. 7. Mor. c. 24. Pastor. adm. 25. 2. p. Past. c. 2. *Mundus à vitijs esse debet*, inquit S. Gregorius, *qui curat aliena corrigere, — quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat; & superiectas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.* & alio loco; *Improbus & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse vulnus quod patitur nescit.* Item; *Nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officij, vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat. — Hinc per Prophetam Isaiam dicitur, Mundamini qui fertis vasa Domini. Etenim vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas, in suæ conuersationis fidem suscipiunt: apud semetipsos ergo quantum deheant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viuentia in sinu propriæ sponsionis portant.* Plurima sunt quæ idem vir sanctus in eandem sententiam, variis locis docet, quibus omissis addam id vnum, quàm bellè Salomonis iudicium illud

lib. 21. Mor. c. 8. celebre, in rem nostram interpretetur: Ibi enim matrem legimus, interemisse dormiendo, quem vigilans lactare consueuerat; quo etiam pacto scientia, cura, & arte vigilantes magistri, ad vitam excitant & instruunt; at vitæ torpore dormiendo, & quod dicunt facere negligendo, quos lacte verborum alere videbantur, eos operum prauorum pondere oppressos interimunt. Quid autem hinc sequitur? non admodum equidem de aliorum salute solliciti sunt, sed suæ laudis

laudis amatores, obseruant nullos sibi vitæ laudabilis esse sectatores: itaque vt quasi bonis discipulis gloriari, bonique virtutis magistri haberi possint, saltem alienos sibi vendicare, & ad suam familiaritatem alicunde allicere conantur, non secùs quàm illa mulier quæ fœtum exstinxerat proprium, quæsiuit alienum. Frustra tamen versutiæ nectuntur, matrem veram Salomonis gladius inueniet, ac in extremo iudicij die, cuius fructus viuat, cuius emortuus sit, seueri & sapientissimi Iudicis ira monstrabit. Hîc quidem oretenus viuens filius prius diuidi iubetur, vt soli deinde matri integer reddatur: in hac enim vita non tarò vnius & eiusdem vita bipertita diuiditur, vt inde alter apud Deum meritum, alter apud homines laudem habere permittatur. Verùm id appositissimum sequitur, quòd falsa mater, quem non genuit, occidi non metuit; at veræ matris, ad cædis auditum viscera commouentur, mauultque apud alium, etiam carendo, prolem viuere. quippe arrogantes, & suijpsorum amantes magistri, inuidiæ face succenduntur, audent quæ offensioni sint ceteris, vi, calumnijs, prauis artibus alienos alliciunt, & ne à veris matribus alantur impediunt, eorumque vitam aut vulnerant, aut elidunt, quos sibi mancipare diffidunt. At qui eos vera caritate genuere, solam in eis vitæ integritatem amant, sibi illos tribui non appetunt, cuiuis alteri tam inductionem in bonum, quàm progressum & perfectionem tribui gaudent, ideóque supremo iudice Deo, tandem & viuentes & integros recipiunt, & æterna ex illis vitæ gaudia consequũtur. Quæ cùm docuisset D. Gregorius, vniuersè concludit, *Quisquis iuxta hoc quod loquitur non viuit, quos verbo genuit, à stabilitate rectitudinis opere euellit.* Sed hęc ex eo sint satis, quo magis constet, copiosum virtutum thesaurum illi esse cumulandum, qui in alios plurimos & egentissimos copiosè velit erogare.

Sed ex vna D. Bernardi epistola nonnulla decerpamus, vbi sic loquitur, *Si tentatio est cuiuscumque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita illius, cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ego latens in caverna, & quasi sub modio, non quidem lucens, sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continuis tentationum varijsq; fatigatus impulsibus, instar vento agitatæ arundinis, hac illacq; circumferor: quid positus supra montem, positus supra candelabrum? Solus mihi seruandus: solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo, ita vt propriæ gulæ & ventri, & oculo scandalizanti, frequenter irasci oporteat. Quibus ergo molestijs angitur, quibus lacessitur iniurijs; cui etiam, etsi propria cessent, numquam tamen de alienis desunt, foris pugnæ, intus timores?* epist. 42.

Sed & aliud pluribus interiectis mouet: *Cui ex his placere gestis, mundo an Deo? si mundo, cur sacerdos?* cur Religiosus? *si Deo, cur qualis populus, talis & sacerdos,* talis & Religiosus? *nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium,* quid Religio? *nec enim potes duobus dominis seruire. Qui autem vult amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituitur. —Volens placere hominibus, Deo non places.*

si

sinon places, non placas. Cur ergo, vt dixi, sacerdos, cur Religiosus? Pergitque vrgere Bernardus, vt excellior alijs euadat, qui eis prodesse voluerit, eumque fide, castitate, caritate, puritate cordis ornari optat : *Hoc tanto puritatis intimæ bono,* inquit, *gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfectè respuerit. Nec enim purè valet Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contemserit.* Sed operæpretium est, seriò animaduertere, ad lucra ex alijs captanda quid requirat? *Necesse est,* ait, *cor esse benè conscium sibi, quò se in lucra securius foris extendat, cùm securam intra se reliquerit conscientiam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Et mox; *Duo sunt præcipuè quæ bonam reddunt conscientiam, nempe (vt verbis loquar B. Gregorij) commissa flere, flenda non committere. Horum neutrum solum sufficit. Vtriusque virtutis benè conscius animus, securèiam seipsum deserat, & quodammodo perdat, vt alios lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmatur, vratur cum scandalizatis; fiat etiam, si oporteat, Iudæis Iudæus, nihilque formidet cum tali conscientia, exemplo Ieremiæ & Ezechielis, in Aegyptum, vel in Chaldæam cum transgressoribus captiuari, & cum S. Iob frater fieri draconum, & socius struthionum; cum Moyse quoque (quod grauius est) deleri de libro Dei, & cum Paulo anathema esse pro fratribus, non timeat cum tali conscientia. Ipsam denique si necesse est intrare gehennam, securus medias penetrans flammas, læta decantet conscientia: Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et hanc fiduciam operatur caritas, de corde puro, & conscientia bona.*

En quantam requirat virtutum consummationem Bernardus; quæ & eiusmodi plura si persecutus fuero, longior fiam, nec fortassis quod volo consequar; itaque auctoritatibus probationibusque missis, rectioribus & breuioribus præceptionibus rei summam comprehendam.

CAPVT XII.

Qualesnam esse debeant qui in Societate aliorum saluti promouendæ incumbunt?

POtissima quædam paucis indicabo, eo fine vt à primis tirocinij initijs, eo spiritu imbui, eamorum conformatione ornari, ijs virtutibus instrui nitantur Nouitij, quibus possint non sibi solis, sed etiam alijs ad æternitatem prodesse. etenim, vt bene perseueres; in eo pænè sunt omnia, si ab initio validè, & conueniente flexu adoleueris; si tenuior, vel exsucca radix fuerit, si in prauum rami indurierint; quid speres aliud, quàm vt vel euelli tandem, vel præcidi sit necesse?

Exisli-

Existimet ergo Nouitius, ad sumtus comparandos ædificio tanto, quantum erit tota vita exstruendum, perbreue esse biennij spatium, eoque tempore non cesset, instar sedulæ apis, virtutum solidarum mella congregare, diligenterque contendere, vt nihil in eo desideretur eorum, quæ in sanctissimum & peritissimum animorum aucupem quadrant.

Primò igitur & præ omnibus, in eo Societatis homine, qui aliorum saluti operam nauat, id requiro; Vt persuasissimum habeat, nihil vnquam boni rectique perfecturum se, nisi adiutore atque auctore Deo; itaque hic semper sit consiliorum, actionum, laborum inspirator, causa, finis, moderator & regula. Spes in eum vnum & solum, tota collocetur: sic adhibeantur cetera, vt abs eo tamen pendere cuncta, nec nisi eo adlaborante, & vires indente, vtilia putentur. Pestiferum, vel suæ laudis, vel adulationis alienæ virus, longè longiùs expellatur, sincereque, & ex intimis cordis fibris, Deo soli, omnium feliciter gestorum gloria tribuatur.

Iam verò quoniam cauendorum primum est, ne quid inuito & alieniore Deo suscipiat: pro certo habendum quoque est, id omne inuito & repugnante, ac proinde, vel conatibus obsistente, vel ad grauiorem nostram damnationem permittēte Deo suscipi, quod à susceptæ vitæ institutis alienū fuerit. Cùm enim neque fallax sit, neque inconstans Deus, & ad id quod profitemur Religiosæ vitæ institutum, quasi sibi gratum, nobisque ad salutem accommodum vocauerit, profectò fieri non potest, vt quidquam abs eius rationibus discrepans consulat. Itaque in agendis & omittendis, id primò & maximè intuebimur, quantopere cum Religiosæ nostræ vitæ formulis consentiant, vt & discrepantia omnia liberrimè, acerrimè, constantissimè respuamus, & quæ verè consonant, ea, nisi melior ratio dissuadeat, totis animi corporisq; viribus perficienda curemus. Hinc autem, neque nos terrore vllo, neque blanditijs, neque oblata cuiusuis emolumenti spe, abduci sinamus: non potest vllum tantum esse compendium, quod minima læsæ vocationis valeat æquare dispendia.

De his autem vt certiùs & rectiùs iudicare valeamus, duo sunt habenda præ oculis: nempe finis, quem sibi ipsamet Religio, in eius operis susceptione præfigit; quòd enim in eiusmodi Religione ad populum verba fiant, artes & scientiæ doceantur, varia munia obeantur, ex aliquo præscripto fine ortum habet, ad eūdemque, quasi vniuersi corporis finem, membra singula, functionesq; membrorū conspirare oportet. Sed præter finem, etiam via & methodus est spectanda, vt quibus adminiculis, & quousq; nitendū sit constet: nec enim ad eundem finem consequendū, ijsdem conatibus & fæcularis & Religiosus instabunt; imò & diuersæ familiæ Religiosos, vix vnquam eadem per omnia exercitatio decet. Cuius rei proba, & minimè fallax iudicatio, partim è maiorum exemplis, partim probatissimorum, qui in viuis degunt, imitatione atque doctrina, partim legendis & medullitùs imbibendis legibus & statutis proprijs haurienda est.

Certè noſtra Societas, vt ex toto ſuo inſtitutore B. Ignatio apparet, in ſuis nihil vult exſtare peregrinum, à moribus & vſu hominum alienũ, periculoſum, dubium, iactabundum, admiratione populari magis quàm certa ratione conſtans, à doctrina ſanctorum Patrum Theologorumque diſſentiens, neque verbis aut ſenſu metitur fructum, ſed vera morum emendatione, depulſione vitiorum, aduocatione virtutum, præque ceteris humilitatis veræ, quam ſenſuum refrænatio, appetituum cohibitio, iudicij voluntatiſque integra ſubiugatio teſtentur.

Finem verò ad quem procurrat, & cui ſe totam, ſuorumque vires exerat, maiorem Dei gloriam ſtatuit, hoc eſt (vt in ſimili antè dixi) ita Dei gloriam indefeſſo ſtudio promouere conentur, vt quantumcumq; promouerint, numquam tamen deſiderijs ſuis faciant ſatis, verùm tanto diuini honoris zelo flagrent, vt ei maiora ſemper additamenta perquirant. Non ament à labore ceſſationem, nõ à ſudore ad quietem anhelent, non ab impugnatione inducias exorent, ſed inexplebili crucis ferendæ, diuinique honoris amplificandi auiditate acti, nouas catenatim bella, nouam patiendi ſeriem, quod de Beato Ignatio, Xauerio, Gaſpare Barzæo, & eiuſmodi heroibus legimus, vehementer enaſci cupiant: adeò iam, non ſibi, ſed Deo ſuo viuere ſe credent. Sed interim, videſne ad quanta aggrederis, quantaque tibi virtutis abſolutione ſit opus, tu quicumque tantæ militiæ delectui, nomen adſcribi poſtulas? annon maioris erit probri, in imis delituiſſe, celſa profitentem?

Sed vt maior illa Dei gloria, in quibus quærenda ſit, non in ambiguo relinquatur, diſertè eam quoque in eo poſitam B. Ignatius iudicat, Primò quidem *vt ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacetur*: Secundò, *vt eadem gratia, impensè quoque in ſalutem & perfectionem proximorum incumbatur*: idque vtrumque, *quauis in mundi plaga, vbi maius Dei obſequium, & animarum auxilium ſperabitur.* Quæ ſingula nec exiguam vim habent, & accuratiùs ab vnoquoque obſeruanda ſunt.

Sin minùs, multiplex aberratio contingit, quam tamen omnem ad tria fermè capita reuoces, nempe ſi vel propoſitum ſcopum haud aſſequamur, vel alium ſectemur, quàm qui nobis propoſitus eſſe debuit, vel eundem quidem ſed præpoſterè quæramus: nam ſi indecorè proſequimur, aliò ſpectabit iſte error. Et quidem, quæ primo loco recenſetur, ſalus & perfectio ſuipſius, eiuſmodi eſt, vt nemo ſit quin eam pro ſuo modulo valeat conſequi, ſi modò diuinæ gratiæ adlaborare conetur: & quo maiores progreſſus fecerit, eo ſe aptiorem vt alijs prodeſſe poſſit reddet. Imò verò vſque adeò in hanc partem eſt connitendum, vt in hac vna ſita omnia credantur; haud ſecùs quàm in milite robur corporis, animi fortitudo, longè potiora ſunt, quàm gladius, quàm clypeus & arma, quæ etſi deeſſe non debent, at perfacilè comparantur, & ſine illis prædatorem potiùs alliciunt, quàm pugnatorem pauidum tutantur. Quid hominum fauor, auctoritas, cle-

eloquentia, eruditio, tibi veræ perfectionis egeno conferet, si fretus istis ad aliorum salutem curandam, & potentem bellatorem dæmonem lacessendum prosilis: ridebit audaculum, tuo te gladio iugulabit, tuis irretiet laqueis, imbelliam despiciet, nec impugnare dignabitur; commilito, si superis placet, accedet, res secundas, fauorem plurimum, adgratulationes hominum adspirabit, vt & tu omnibus, & tibi placeant omnia, æstuque & vento nimiùm secundis, incautus expansis vanitati velis nauiges, impactaque in insidiosas cautes rate, non eluctabili naufragio sorbearis. Sin autem nonnihil quidem progressus es, at animi ardore properato, supra vires & impar audes congredi; veterator & vafer hostis, quàm te miserum deludet! æstu implicabit, terrore concutiet, impetu prosternet.

Tanti est, & suam ipsius perfectionem plurimi ducere, & ad alios curandos nonnisi suo tempore, & ad id comparato robore accedere. Ne tamen dum præcipitantiam caues, socordiam & ignauiam incurras: eorum instar qui numquam assurgentes, vel sibi nimiùm diffidentes, delitescere perpetuò amant, prodire in publicum exhorrent, & cùm in rem ventum est, nihil audent, formidant omnia, dubia dubijs inuoluunt, nec se vsquam extricant, dumque incertos pauores metuunt, certissimum iudicij proprij, pertinaciæ, & otiosæ cessationis crimen haud pertimescunt. Est igitur Præpositorum iudicio standum, statuendumque id omne nos posse, quod ipsi nos posse iudicant, & in quo nos desudare decernunt; omnisque est de iudicio diuino abijcienda formido, dum paremus; aduocanda, si imperata detrectamus, aut etiam grauatè obimus: nihil enim formidabilius nobis esse debet, quàm si sponte nostra, quoduis munus aut refugisse, aut suscepisse reperiemur; tum enim de omnibus tam consecutis, quàm illatis damnis rationem seueriſsimam exigemur: at nihil securius fuerit, quàm post impositam Præpositorum iussione personam, respondere Deo posse, En pro meo modulo quod potui gessi, non vltrò, non superbè me ingessi, numquid onus à te Deo meo impositum detrectare & excutere debui? noueras quid in me esset, quid à me velles noueras, nec plus exigebas, quàm ipse dederas: quis eram vt obsisterem: tuum est, ô clementissime Domine, condonare quod deest, solaque, in omnium fructuum vicem, obtemperatione esse contentum. Certè quicumque quouis securitatis obtentu hinc recedit, sese in laqueos inextricabiles induit. Sed pergamus.

Hic diuinæ gloriæ, & salutis animarum finis, vsqueadeò propositus animoque oportet vt sit infixus, non tantùm vt aliò non respectetur, sed vt etiam aduigilemus ne cuiuspiam alterius admixtione reddatur impurior: quamuis enim vel auctoritas, vel opinio, opes, commoda, tutela, scientia, valetudo, possint etiam vnà cum diuinæ gloriæ fine quasi additamenta coniungi; insidiosum tamen istud est, minusque, quantum sentio, perfectum: præstantius & consultius existimo, si solo & vno diuinæ laudis amore moueamur; alia verò, neque respuamus,

neque ambiamus, nisi prout ad Dei honorem, vel obesse, vel conducere iudicitur. Hoc autem, non fictè, non verbis tantũ, sed sincerè, rebus ipsis præstare, quitam virtutem exigat, dispiciãt Nouitij, ad eamq; se comparent: exstet oportet omnibus, qui omniũ, vel blandimenta despicere, vel territamẽta superare cõsidit.

Adhæc, ita est ceterorũ salus expetenda, vt non quorũdam tantùm, sed planè omnium, vbique, quandocumque, quibuscumque periculis atq; sudoribus, expetatur salus. Quam in rem, omnino excelsos, suiq; & rerum omniũ contemtores animos afferre, tamq; patriæ, quàm parentum, cunctorumq; quæ sub sensum cadunt amorem elisisse necessarium est. Quæ sanè dictu longè sunt, quàm factu faciliora, & nisi à principijs inoleuerint, frustrà seriùs inserentur.

Vt autem abs ijs qui in alienam salutem incũbunt inserantur, & ad excelsum illum tantiq; faciendũ finem peruenire queat, tria in aliorũ curatore sunt opus, nempe scientia, virtus & industria; quarum tamen longè potissima est virtus, ad eamque duæ reliquæ ita referantur & colliment oportet, vt si eò non respexerint, inutiles; si aliò, vitiosæ atque damnosæ sint futuræ.

Etenim scientijs varijs, non in alium finem, suos exornari voluit B. Ignatius, quàm vt stabiliendæ certiùs virtuti, reuincendis erroribus, obscuris dubitationibus illustrandis, perplexis ambagibus euoluendis, esse subsidio possent. Quo fit vt docentium discentiumq; labor omnis, comparandæ, firmandę, exornandæq; virtuti subseruire, omnino que ancillari debeat: quod nisi fecerit, aberrat à fine, alienus est à susceptæ vitæ instituto, nec est in Religioso viro decorus, quandoquidem sic eũ decet suis moderari propensionibus, nihil vt ab eo proficiscatur, quòd non possit prudenter ad finem propositum dirigi; aliàs vanitatis & iactantiæ, vel inanis cupiditatis, aut gloriolæ maculam vix effugiet. Est quidem, fateor, quod studiorum ardore paulò interdum longiùs prouehamur, humanumq; atque veniabile est, modò neq; diuturniùs, neque contentiùs adhæresca tur: at in rebus verè inanibus, nec ad vllam humanæ vitæ actionem vtilibus, ætatem terere, quis in Christiano, nedum Religioso ferat? in eruderandis extorũ, sacrificiorum, sacrorum Cereris, Poëtarum tabularumq; figmentis, in auguriorum, auspiciorum, pharmaceutriarum, apotheoseon, & dedicationum ac similium obeuationibus, in contentiosis de renouato perobscuro verbulo disceptationibus anxiè laborare, temporisque atque studij plurimum ponere, qua tandem boni specie obuelari poterit?

Nec enim reperiendum credo quemquam, qui eiusmodi notitiam in eorum quæ suijpsorũ gratia expetũtur numero reponendam putet: sin autem non est ea cognitio per se optanda, qualis est quæ de Deo, & rebus oprimis habetur, cuius ergo alterius causa tanto ambitur opere cur tanta ostentatione iactatur, nisi pariter, quam ad virtutem conferat, quamue vtilitatem proferat adiungatur? Sunt enim eiusmodi sanè plurima, quorum animaduertendorum methodum & rationem pereleganter & fusè prosecutus est Basilius, quem vtinam, non in hunc tantum,

tantùm, sed in cuiusuis scientię tractatione ducem sequamur: etenim sapientissimè vult, ad vtilitatem animi omnia referri; vtilia consectando, reliqua, vt nihil profutura, respuendo. Nempe legerat in Prophetis, de Deo ipso quasi magnum edici, *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambules.* Atque vbi de Christo Domino, deque sancto Spiritu multa magnificè prædicuntur, quasi eximium dicitur, *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ*: hæc est Sanctorum scientia, hæc beatificans animos; inflat, & illudit, quidquid huc non tendit.

orat. quom. legendi libri Gent.
Isaiæ 48.
Ioël 2.

Ne autem fallamur, rectissimam ponit normam Basilius, *Vt nihil esse in humana vita admirandum, aut omnino bonum existimemus aut nominemus, quod hic finem quandoque sit habiturum. — Quæ autem ad futuram faciunt vitam, hæc etiam nos & amare & prosequi totis viribus; nihil verò profutura, totis viribus despicere oportere.* Quod semel ab initio posuisse non contentus, aliquot paginis interiectis repetit, inquiens; *Non omnia nobis, sed vtilia tantùm recipienda. Enimuero turpe est, ea quæ in cibis noxia sunt repellere; in sermonibus verò ac scriptis, nullam omnino eorum quæ nostram nutriunt animam, rationem habere, sed more torrentis, omne obuium secum trahere.* Additq; sanctus Pater, esse prorsus à ratione alienissimum si nauta, si sagittarius, si faber, si quiuis artifex ad finem sibi propositum intuetur, homo verò in eo quod potissimum est, nempe in vitæ suæ studijs, finem suum non respicit, cùm tamen qui eò non respexerit, & cũcta eius causa non fecerit, simillimus brutorum sit. Est igitur ad consecutionem finis nostri, hoc est ad nostræ Religiosæ vitæ perfectionem, qualem modò describebamus, omnis nostra quæcumque sit literaria occupatio referenda: censenduſque labor ille deperditus, quo virtute, vel ijs quæ ad eam faciunt, non reddimur auctiores. Huc igitur collimandum; prudenterque fecerimus, si, cùm omnia complecti non possimus, ea sola seligamus quæ certiora & vtiliora videbuntur; & in his ipsis eam mediocritatem sectamur, vltra quam progredi, nec ipse, si sapiat, Hercules velit. Numerorum, & temporum implexis quæstionibus inhærere, non tam studiosi, quàm otiosi hominis esse pronuntiauit D. Hieron. quibus verbis, non tam studium, cùm & ipse chronologiam scripserit, quàm id quod in eo nimium esset, damnasse censendus est.

epist. 132.

Si quæsieris, quandonam sit futurum nimium, & quo certo argumento dignoscetur? non habeo quod certius de re incertissima dicam, quàm vt se quisque consulat, vitæque susceptæ rationes, Præpositorum voluntatem, ingenij vim, naturæ propensiones, ad virtutem retardationem, aut progressum diligentiùs perpendat, vereque ac sincerè velut rationem Deo redditurus, in quo, & quousque sibi sit elaborandum statuat: non se longiùs abduci, rerum quas præ manibus habet delectatione, vel nouitatis aut laudis cupiditate permittat, moderateq; prospiciat in futurum, solidiorem vtilitatem quid importet. Ita fiet vt zelus idonea scientia instructus vegetior & efficacior euadat.

Et ista quidem de scientia, at verò industria, vigil sit, & in omnes partes excubans, acuteque prospiciens oportet: laboribus non succumbat, repulsis non fatigatur, exitu infausto, & aduersantium obnisu non concidat, lætetur aduersis, vile putet quod magno non constat, sola magnanimum decet ardua, & lætior venit ex hoste potente victoria; vltro prostratum conculcasse quis laudet? Spectat autem ad industriam, in partes omnes se versare, & excogitando varia comminisci, quibus ad finem destinatum peruenire, & aliorum animos quà intendis ductare valeas. quam in rem quædam obseruanda.

Primùm, vt quæ humiliora, Religiosoque decentiora videbuntur, ceteris, quantum dabitur, præferantur: certè quæ dedeceant, probanda non sunt. Consulendus Deus, & ab eo, agendi ducenda primordia, sed & alij in consilium adhibendi, vt res ipsa suadebit.

Secundò, non plura sunt aggredienda, quàm animi corporisque vires ferant, & perficere nullo tuæ perfectionis detrimento valeas; in plura quippe dispersus, nec veram alijs vtilitatem, & tuæ tranquillitati perturbationem paries. Ergo non impetu, sed certa mentis destinatione in hanc illamue partem connitere, & seriò age quod agis, præsentibus intende, totusque in tibi demandatis habita. Inconstantium, & nihil ad perfectum perducturarum mentium est, noua respectare, quod præ manibus est fastidire, ad futura anhelare, id velle quod non habent, quod habent spernere; semper pleni spei, vacui commodorum, præsentibus carent, dum futura prospectant. Duo sunt hominum genera, à quibus, si quando in Religionem irrepserint, nil magnopere spero: Primum est eorum, qui demandatis rebus haud acquiescunt, siue quòd plus aliquanto se posse confidant, siue quòd id ipsum se posse desperent, & sub omni onere quasi iniusto gemunt. Alterum eorum, qui socordiæ ignauia pressi, vbique lentescunt, remissiùs agunt, nullaque solicitudine & cura rerum quas susceperè tanguntur. Quæ vtraque quæ vitiorum fibris implectantur, ipse quidem vt consideres, at multò magis vt fugias hortor.

Tertiò, nihil nimis properandum, sed neque tardandum est. benè iunxit qui dixit, Festina lentè: vnum altero remoto mancum est. Lætitudo, angustis præteruolantis vitæ spatijs; festinantia, prudentis consultationis maturitati videtur inimica: vtramque si iunxeris, quod rectum est consequeris. Iunctionem prudentia, & res ipsæ, dummodo timidior & dubitantior non sit animus, docebunt. Nam & in grauibus, diuturnis, perobscuris, mora maior adferenda, sed in leuibus, grauior esset temporis, quàm totius ipsius rei iactura. Sed & præcidi dubitationes oportet, alioquin in infinitum processuras, & quando quod nostrarum est partium moderatè præstitimus, cetera sunt diuinæ prouidentiæ humiliter pacateque committenda.

Quartò, id vel maximè curandum est, vt quoties industria nostra ad aliorum nobis deuincièdos animos adhibetur, quod fermè necessarium est, sic eos ad sanctio-

ctiora promouere conamur, in id incumbamus, vt non nobis propriè ac nominatim, sed Deo soli confidant, ideoque nos nõ in nobis, sed Deum spectare doceantur, secundũ illud, Qui vos audit, me audit, &c. Huius sentẽtiæ vim clarissimè demonstrare operæpretium est, omnesq; in spiritus rebus aberrationes fermè ex eo initium ducere atque roborari, quòd aduersus id peccetur, aut certè nõ fidatur satis. Multa quæ obiectemus præstò sunt, non satis nostros sensus edixi-mus, non intellexit confessarius, vel plura, vel alio modo, vel breuiùs, vel prolixiùs volumus, inueteratæ iudicationes, timores insculpti non obruuntur, non suffocantur, sed audiuntur, fouentur; inde, vellicant, turbant, terrent, & à sacris exterrent; cur? nisi quoniam, non vt Deus auditur, non vt Deo creditur? ideoque cùm nõ vt ad Deum, sed vt ad hominem accedamus, non est nisi humanũ, quod est sanè perexiguum & instabile, auxilium sperandum. At verò cùm Deus deesse sperãti non possit, excitandi sunt, vt ad eum se totos conferant, qui etiam quod volet, per quæcumque volet efficiet, doctis, indoctis, prudentibus, imprudentibus, perinde vtetur vt volet, idemque per vtrosque si volet efficiet, taciteque se ipse insinuabit, quod deerit supplebit, ardorem eum, illudq; lumen dabit mentibus, quo in eam flectantur partem, quæ est ipsis optima & iucundissima futura. Iam verò, hoc stabilito, non erit difficile vt eorum quos curandos suscepimus, amorem expurgemus, primoque à nobis in Deum prorsus transferamus, si modò idipsum ipsi nobis seriò & ex animo persuaserimus, ideoque molestum sit, quoties ad nos potiùs quàm ad alios ipsi se conuerterint. Et quoniam secundùm Deum, etiam ab aliquo regi conuenit, id curetur, vt sit quædam in omnes quidem, at potissimè eiusdem familiæ Religiosos fiducia, prout suadet vera & prudens caritas.

Quapropter ab omni omnino inuidentia alienissimos esse oportet, optareq; vt ad aliorum potiùs, quàm ad nostram experiundam industriam se conferant, & gaudere si post consilia nostra, operamque tentatam ad alios adeant, quia minùs illorum expectationi respondimus. Ibi si fuerit illis factum satis, lætemur: quid enim aliud quàm Dei quærebatur honor, & spiritualis eorum vtilitas? sin autem nec ibi benè sit illis, & rediuerint, benignè recipiamus, horremur & solemur, imitatores Dei nostri qui peccatores ad pœnitentiam vocat, & septies peccantes quotidie iustos non despicit, sed *supponit manum ne corruant*. O qui austerus es infirmis, qui tam rigidam dictorum tuorum obedientiam exigis, quid te fiet, si eadem lege tecum agat Deus? Hæc autem licet breuiter indicata, vehementer tamen cupio esse commendata, vt re ipsa quouis in munere obseruentur, quod nõ fiet nisi ab inani amore laudis alieni, vera & sola Dei caritate moueamur. Plura de Industria qui volet, consulat quæ in meditationibus de conuersatione, è B.P. Ignatij vita deprompsimus.

Quod autem ad virtutes attinet; certum est nullam esse, quæ non sit ad honoris diuini & animorum zelum vtilis, quædam tamen præ ceteris: quas B. Ignatius eas

eas asserit esse, quæ hominem arctiùs Deo adiungunt, disponuntq; vt à diuina manu rectiùs gubernetur : cùm enim ad Deum perducendas animas suscipiat zelus, ipsius autem Dei sit ad se ducere, nemo certiùs aut compendiosiùs ducet, quàm is qui Deo duce nititur. Illarum verò quæ propiùs admouent ad Deum, exempla in medium hæc profert; *Probitas & virtus, ac præcipuè caritas, & pura intentio diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam eius qui eas creauit ac redemit, quouis alio emolumento posthabito.* His itaque comparandis studebit, quisquis tanti Patris desideria explere cupiet. Quæ ad id conferant, pauca dicam.

In eo igitur qui animarum lucris labores suos deuouet, variamq; itando, procurrendo, agendo, conuersando operam locat, Primò, & præ ceteris exigo, vt vocationis, personæque quam gerit memoriam numquam deponat, & ad eius normam atque præscriptum suas omnes aggressiones actionesq; moderetur. Itaque inducat in animum, spectaculum se factum esse Deo, angelis, hominibus, ac ipsis etiam dæmonibus; suscepti certaminis spectatoribus, æquis ac iniquis, benevolis ac malevolis, fautoribus aut æmulis, quorum tamen vtrisque quod æquum est redhiberi conuenit. In medio nationis prauæ, vt sacræ loquuntur Literæ, dolis calumnijsq; suffarcinatæ, & in deteriorem partem omnia trahere amantis, meminerit se quasi in proscenio spectaculum factum, nobilemq; totius suæ Religiosæ familiæ personam gerere, ita vt ex vno, sæpenumerò quidem malè, at judicent tamen omnes, & in se vno omnium aliorũ virtutem, eruditionem, prudentiam, probitatem periclitari putet. Hoc verò qui vt decet perpenderit, nihil in sermone, actione, vllaúe temporis parte videbit elabi oportere, quod non summa circumspectione ad rationis libellam exigatur.

Erit autem hæc summa, quam sæpè dixi, semperq; si deceret dicerem, vt cum susceptæ vitæ rationibus, seu vt loqui solemus cum propria vocatione consentiat: non tantùm animo recto, & ex virtute res fiant, sed gestus omnis, modus, verba, & id omne quod à Religioso erumpit, Religiosam moderationem atque modestiam sapiat, intra suæ Religionis limites maneat, nihil habeat vnde quisquam, non dico meritò, sed, si fieri potest, ne quidẽ omninò offendi queat: quàm multa hîc, vel admittenda quæ nolles, vel omittenda quæ velles! & tamen omnia omnibus fieri debes; sic tamen omnia, vt neque desinas esse quod es, & incipiant velintq; alij fieri quod es, hoc est meliores fieri, quod non erant. Quod qui fiat, docebit ille, qui suos misit vt oues inter lupos, non ea lege vt lupi fierent, & vorarent, sic enim vorarentur; sed vt in ouium mansuetudine perdurantes, lupos in oues immutarent.

Ardenter itaque apud Deum precibus instandum, crebrò in nos ipsos inquirere, nos accusare oportet, vereque & non fictè in peccata nostra, nostrosque defectus, malorum omnium causam conferre, vt quòd alij obdurentur, nostri conatus proruantur, Dei gloria, salus animorum minùs procedat.

Quæ

Quæ nostri accusatio vt verissima, ita frequenter vtilissima, & resarciendis damnis illatis aptissima est: facit etiam vt agnoscamus quàm nihil nobis fidere debeamus, qui euertendæ quàm excitandæ pietati, perdendis quàm saluandis animis longè sumus aptiores: omnem verò spem atque fiduciam, ad vnum boni omnis fontem Deum esse conuertendam. Ex hac autem vtraque, & de se diffidentia, & de Deo fidentia, vbi probè stabilitæ fuerint, pendet omnis bona progressio, omnisque tam nostræ quàm salutis alienæ recta curatio. Pernicioſius, & ad certũ naufragium præsentius in tota hac animorum virtutumq; negotiatione nihil est, quàm si rebus ad votum fortè fluentibus, tuis profectibus delecteris, tibique blandiri lætus, tuæ vel industriæ, vel virtuti tribuas, quod soli Deo fuerat adscribendũ: tunc enim omnia tibi momento pereunt, iusteque puniente Deo, nonnumquã etiam ad antiquam, quæ corrigi cœperant, prauitatem reuertũtur.

Humilitatis ergo conseruandæ, amandæ, augendæ summa est vbiq; ratio habenda, & quãtum dabitur, sectanda quæ humiliora sunt, in victu, habitu, domicilio, sermone, actione, rebus omnibus: fugiendus qui non est necessarius apparatus omnis, & splendidior instructus. Vbi errant, maiorem eum fructum putantes, qui maiore concursu celebratur; fit quidem vt ita sit, at non semper: etenim à patribus nostris accepimus, paruum sine offensione fructum, magno qui cum offensione sit præstare; quippe hic impugnatione labefactatur & tensim perit, ille fauore maiores auctus capit, temporeq; firmatur: atqui quæ instructu vario sumtuque à Religiosis fiunt, multam obloquendi, impugnandi, detractandi materiam aut saltem occasionẽ præbere solent, quo fit vt penitiùs introspicienti plus fermè detrimenti veri quàm speratæ vtilitatis importent. Quod eò dixerim, vt ex B. P. N. Ignatij consilio, longè plus in solidis virtutibus, quàm in eiusmodi inuentiunculis momenti reponamus: quamquam & subinde necessariæ sunt, & populum qui sensibus ducitur, sensibus capere, & dolo sancto ad meliora traducere laudabile est: sed etiam tunc ad humilitatem potiùs inflectendum est, & humiliora splendidioribus (dum æquè ad finem propositum valeant) præferenda, faciendumq; vt soli populo, non etiam nobis, quæsita videantur, ideoque priuatim numquam, vel ad solos nostros vsus adhibeatur quod splendorem aut magnificentiam redoleat.

Dispiciemus igitur sedulò, quid res exigat, quantumq; à nobis postulet susceptæ actionis finis, quippe solerter & constanter ad finẽ spectare oportet; finem inquam, non eum tantùm de quo antè generatim dixi, sed eũ cuius gratia laboramus, & quẽ speciatim nostris hisce conatibus cõsequi optamus: exempli gratia, huius hominis à vitijs pessimis maligniq; consilijs auocationem, prauæ cõsuetudinis euersionem, pij alicuius exercitij excitationẽ, serpẽtis clàm hæreseos, vel aperta vi bacchantis exstinctionem, & id genus plurima. quæ vbi semel à nobis perficienda proposuerimus, firmè est in eo tranquilleq; perstandum, suscipienda, & tentanda quæ eò conferre videbũtur, auersanda, & subindè auertẽda quæ à nostro scopo auertunt: sed in primis prudenti patientia opus est, non qua

feras tantùm, sed qua prudèter feras, dissimules, & quasi nõ audiens, non intelligens, illa prætereas, quibus obstares acertimè, nisi aliud nunc tibi quò tenderes menti præfixisses; nunc verò à peruentione in rem propositam vel auertunt, vel longiùs abducunt. Magni est hoc præceptum momenti, ideoq; paucis explano.

Si quis orator aduersarij conuitiis iritatus à susceptæ causæ firmamentis abducitur, sueq; vel famæ vel doctrinæ, quàm rei tuendi auidior est, vel si indulgẽs ingenio, statutum dicendi tempus, expolitis à causa digressibus & descriptionibus deterit, profectò non leuiter aduersus oratoriam artem, quæ vult illum ad suæ causæ victoriã contentissimè vigilare, peccat. Itidemq; in rerum spiritualiũ tractatione non rarò sic peccatur: vis aliquem à suis vitijs curatum, ille in te, in tuam Religiosam familiam multa obiter, interdum & grauiter obiectat; hæc si potes omitte, vel dissimula, vel præteri, non ad hoc vt te inculpatum ostendas venisti, ad hoc redi quod volebas, insta pijs monitionibus, animum alterius tibi deuinci: similiter multa sunt quæ corrigenda forent, multa obiter incurrũt, de quibus commodè, opportunè, gratioseè monere, ac vt videtur cum fructu posses; dum tamen maius aliquod perficiendum restat, abstine; vt enim acies gladij, sic monitionis vigor, crebritate obtunditur. Sed & quamuis tanto lepõre, tamq; amicè moneas, vt etiam monendo gratiam ineas, at pronum est vt is habeatis, cui ægrè satisfiat, & qui fermè omnia improbet: quæ opinio sensim faciet vt dicta & facta tua grauatè accipiantur, illisq; decedat fides. Quidquid ergo ad præcipuum, tibiq; propositũ finem non est necessarium, id omitte, de eo tace, vt tuis occasionibus tanto solicitiùs inuigiles.

Suus etiã, in familiari sermocinatione, huic obseruationi locus est, nõ tantùm vt id omne omittas, quod offensiores eos redderet, quibuscũ amiciùs versari cupis, sed etiã vt quoties de rebus ad pietatem spectantibus colloquia miscẽtur, id omne remoueas quod minùs vtilibus ansam daret: cuiusmodi sunt quæ doctrinã, vel cõtrouersa redolent, quæ ridiculum quid, aut minùs probabile cõtinent, quæ mores hominum nationumue perstringunt, & alia quæ pro ratione loci personarumq; procul odoranda, & sapienter prouidenda sunt. Ex his verò Nouitij videant, quantum illis præsentia animi sit necessaria, quæ neque cuius feruido motui credat, & rectè patienterq; in finem omnia probè dirigat.

Nec verò ab eo quod semel auctore Deo cœperit, abduci se vel blanditiis, vel tædio, vel terrore patietur: perget infractus, nec obloquentium hominum impetu, nec aduerso rerum exitu, progressuq; negato terrebitur, donec eum qui id possunt Superiores, ab ea statione reuocarint.

Sic enim & obedientiã zelo, & zelũ obedientiæ misceri oportet, vt ille quidem dura, difficilia, ardua quæuis exoptet, totasq; vires largiter expendat, at obedientia perfectissimè atque promtissimè cũcta moderetur, vt suo loco dixi.

Castitas verò (vt etiam obiter hîc perstringatur) summum Religiosi viri honestamentum ita zelum exornabit, vt tamen sibi accuratissimè prouideat, non dico ne turpari, sed ne possit vel tenuissima suspicione fuscari: quidquid ioco-

sum,

sum, remissum, leue, immodestum, molle, deliciarium in gestu, visu, verbis, actione, vel conuictu fuerit, quidquid à Religiosæ grauitatis, honestatis, decentiæque præscripto discesserit, id omne protinus detestabitur. Nullam eximiam & singularem aduersus vllum hominum (vt de feminis taceam, clarius enim est quàm vt moneri oporteat) familiaritatem nutriet, omnes in Domino diligendo, ac vnumquemque pro eo quod meretur, & potest ad doctrinam, eruditionem, exemplum vtiliter adhibendo.

Iam verò illa paupertas ad zelum non parùm conferet, quæ à mendicorum, & inuitè pauperum, affectu quàm longissimè, vt planè decet, distabit: ideoq; pro certo habeat Religiosam paupertatem non in eo esse, vt multa (licet in commune) possideat, congreget, cumulet, sed multò magis vt multa contemnat, & ad diuinæ gloriæ incrementum largissimè cuncta profundat, tum demum vtiliter ea posuisse putans, cùm illa Dei gloriæ deuouens, præsentem iacturam æternitatis fenore resarcire sperabit. Fallor, nisi hæc ditior ceteris sit futura paupertas; quid dico, Fallor? hîc falli non possum, certum teneo Domini promissum, qui non tantum vitam promisit æternam, sed & hîc centuplum. Hos igitur liberalitatis animos à tirocinio imbibe, & hanc veram crede paupertatem, præ honore diuino nulli sumtui parcere, quiduis libenter effundere, dũ honoretur Deus; eius omnia sunt, ad eum omnia redeant oportet; restituet amplificè, si volet; & volet, si non angusti animi, sed latissimæ spei fueris. Sic tamen hanc tuam largitatẽ modereris velim, Primò, vt memineris eam esse & paupertatẽ, & Religiosi, quem & magnifica & superflua dedecent; non igitur profusioni, non ostẽtationi, sed rationi seruiet. Secundò memineris, non ex rapina, nõ ex alieno offerendum Domino holocaustũ, *Qui offert sacrificium ex substãtia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*, inquit Sapiens: cùm igitur quæ in domo Religiosa sunt, non tua, sed Christi pauperũ sint, caue ne supra quàm licet, sed tãtùm quod licet effundas. Video, hîc hæres, euertere me putas quod antè statui: abest, sed ita est, duorum extremorum in medio virtus est posita, si altrinsecus excesseris, vitium est. Nolo angustè ad calculos voces, quod diuinæ gloriæ impenderis, *Domini est orbis terrarum & plenitudo eius*: nolim etiam vt tibi plus iuris vsurpes, quàm penes te sit. Subditus es? nihil nisi facultate accepta, quãtumuis in res pias dederis; Superior factus es? ne animum cõtrahe, sed quantum potes ad Dei gloriam largire, habendi numquam, sed honorandi Dei semper auidus. Denique quodcumq; munus obeas, occasione oblata, numquãte vel tua, vel tuos quære, nisi apertè ad maiorẽ Dei gloriam conferat, sed suade & perfice id in quo maius Dei obsequium, etiam cum rei tuæ familiaris iactura, futurum prospicis. Est qui multa benignè largiri tibi tuisque solet, & aliquãdo etiam longè plura poterit, varia de vitæ instituto agitat consilia, iudicioq; tuo ad directionẽ vtitur, id si eligat quod eum alijs adiunget, quodúe sumtuosius est, fons pristinæ liberalitatis exaresceret, aut aliò auertetur; id contemne, suade quod optimũ, quod perfectius, Deoq; futurũ est gratius. Similiter, eleëmosynarum quæ in alios, & maximè Religio-

Ecclí. 34.

ligiosos fiunt, caue ne vmquam interuersor esse tentaueris, sis potiùs diuinæ & profusæ illius caritatis imitator, qua cælestis omnium parens nõ amicis tantum & inimicis, sed omnino rebus omnibus ea suppeditat, quæ conseruationi & ornamento naturæ conueniant. Parentis tam munifici auaros esse filios dedecet.

Præterea ita se quoq; tiro in vsu paupertatis exerceat, vt per hãc ad plurimas zeli functiones expeditior euadat: quod fiet si multa pati, si dura perferre cõsueuerit, ne molestiæ, penuriæ, laborũ incursu, ab ope, laborantibus animis ferẽda deterreatur, paupertatemq; atque pauperes tãto amore cõplectatur, vt cum eis iucundiùs atque optatiùs versetur. Etenim fermè accidit, vt in iis quæ ad animũ spectant, rudiores sint pauperes, magisq; doctoribus destituti, suspicaces, ingrati, maledici, aliosq; è sua (qua laborant) habendi cupiditate metientes; quapropter vt cũ illis agas, magna opus est caritate, benignitate, patientia, amore crucis, abstinentia, & rerum duriorum tolerantia; ad quæ si nouus & inexpertus accesseris, citò resilies, & ad commodiora respicies. quod spectauit B.P.N. Ignatius cùm voluit tirones probari, *vt possint ad incommoditatem comedendi & dormiendi assuefieri: atque adeò vt omni spe abiecta, quam in pecunijs aut rebus creatis possent constituere, integrè, vera cum fide, & ardenti amore, eam in suo creatore ac Domino cõstituant.* En paucis verbis vt cõmendat & confirmat quæcumque de paupertate dixi, propterea aque à Nouitiis diligentiùs obseruari, & constantiùs exerceri, exoptem, vt quæ maiorem quàm prima fronte videatur vtilitatem importent.

Longè plura informandi zeli gratia possent addi, vnum adiiciam, sed summo mento suadente, separatim.

CAPVT XIII.

Quæ remissio zelum deceat.

Lib. 19. de Ciuit. c. 19. IN definiendis discernendisq; rebus vir acutissimus Augustinus, id pronũciat, vnde huius rei cognitio duci queat: sunt autẽ eius verba, *Otium sanctũ quærit caritas veritatis: negotium iustũ suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem, sed nec sic, omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.* Quibus è verbis, quid contemplationi, quid actioni dandum sit, conijcere non ex incerto licet: nam & veritatis amor, rerumque diuinarum contemplatione assequendarum desiderium natura nobis est insitum, est etiam innata quædam ad cæteros hominum socialitas, ex qua fit vt aliorum commodis & saluti, publicè priuatimque consulere caritas communis impellat. In priore, nostri potissimè & maximè; in posteriore, ratio maximè habetur aliorum; quo fit vt potius & ptius illud sit, hoc verò posterius, quodque priore neglecto rite suscipi nequeat: nam & nostri prima nobis esse cura debet, & quantumuis strenuè in aliorum salutem incumbamus, non est nobis nostri ipsorum cura deponenda.

Insi-

Insidiosa res est actio, & quæ nos lõgiùs, ni caueamus, abducat; intermixtas adhibet familiaritates, laudibus (malo blandissimo) pascitur, opinionẽ hominũ & naturæ cõmoda suggerit, varietate rerũ sensui subiectarũ delectat, modò spe, modò timore contrahit & effert, specie varia illectos illusosque detinet, nodos nodis implicat, modò expedita omnia ostẽtat, & mox inextricabilibus inuoluit, tempus ducit è tẽpore, ac negotia negotiis implectens dum vana paucissimarum rerũ ad exitum perductarum delectatione lactat, ad plurimarum numquã perficiendarum susceptionẽ prẽcipitat, nec sibi ipsi vnquã respirare, & se liberè contueri sinit: hinc suauior pietatis succus exsugitur, diuinis rebus mẽs exarescit, cælestia fastidiũ, oratio tædium parit, oblectatio in rebus infimis quæritur, pallimque ab iis quæ in sensus incidunt solatiola emendicantur. Væ illis, qui semel ex quietis & cõtemplationis domicilio emissi, corui instar, cadaueroſæ huius mũdi escæ, liberioris que vitæ dulcedine inescati, ad arcam, sæculi fluctibus exstantem non reuertuntur: feliciùs imitemur columbam, & ramum oleæ, hoc est pacificæ quietis desiderium, ore & corde præferentes, ad consolatorem Deum frequẽti oratione redeamus. Apud D. Bernardum lego, *Nemo ad conscientiam redire amat, qui ab eâ, ad agendum, rectâ intentione non proficiscitur.* Veriſſimè sanè dictum: & exeo vt plurimum fit, vt ægrè abs occupationibus recedant, quietemq; complectantur, qui non honoris diuini impulsu, sed solatiorum suorum, tædijque vitandi causa (cùm Deo vacare non possent) foràs eruperunt. *Lib. de vita solit.*

Verùm, quę est hominũ infirmitas, etiã postquàm rectè & inuitè cœperis, volẽs teneris, tibiq; si nõ inuigilas, sensim gratiora fiunt, atque vt apud B. Iobũ est, quæ priùs abominabaris, erũt præangustia spiritus cibus tuus; qui vestiebaris croceis, amplexaberis stercora: dũ enim Deus suauiter illabi desinit, & esurientem animũ cælestia non pascunt, etiam siliquis porcorum, præ nimia egestate, ventrem repleri cupit, & inanissimam inanitatẽ quo auidiùs hauserit, illa sua se inanitate eo magis exhaustũ sentit. Hinc est, quòd summa Veritas apertissimè pronũciauit, Nemo mittẽs manũ ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Retrò respicit, qui in varia sparsus, cogitationẽ ab vnius Dei amore, virtutumq; progressu auocatã ad imperfectiora conuerterit, vel nimia curarum multitudine obruerit.

Vacate, monet Propheta, *& videte, quoniam ego sum Deus*: de quo piè & incitatè D. Bernardus: *Studeamus, fratres, furari aliquando nosmetipsos, & à pessimis occupationibus istis surripere vel ad horam: iaculari animos, vibrare corda in id quod suũ, & quod quanto naturalius, tanto suauius est. Hoc enim est quod dicitur, Vacate, & videte, quoniã ego sum Deus. Neque enim est oculorum visio ista, sed cordium, cùm Dominus dicat, Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbũt.* Vbi egregiè monet, vt nos à pessimis, hoc est suia multitudine & importunitate nocentissimis occupationibus subinde diuellamus; quippe mẽtis aciem præstinguunt, & eã quæ vitiis euellẽdis, fouẽdis virtutibus necessaria est, lucẽ animi, tenebris obuoluunt. *Humanus quippe animus*, vt Magnus ait Greg. *multis cogitationibus occupatus, sæpè sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, vt omnino quod tolerat nesciat: quia dũ per multa spargitur, ab interna sui cognitione* *Psal. 45.* *lib. 24. Moral. c. 7. seu 14.*

tione remouetur. Si autem Deo vacare appetat, & ramos multæ cogitationis abscindat, tũc liberè conspicit quod de intima radice carnis procedit. Grauior igitur & diuturnior in res externas occupatio, mentem sibi intentam detinet, & externis vacantem, necessariò ab internis auocat, quo fit vt minùs ipsa se, sed res alias plurimùm dispiciat, ex quo grande vitium nempe ignorantia sui nascitur, hinc autem incuria, tepor, temeritas, arrogantia, Dei denique & ignorantia & contemtus, & vitiorũ improba seges pullulat. At verò qui tanta semper moderatione in agendo vtitur, vt sibi semper præsens, prouidente mentis oculo cuncta discernat, non sic alienis implicatur, quin sibi suisq; progressibus vacet, atque inde plurimã sui cognitionẽ haurit; è sui cognitione, humilitas; ex humilitate, sedula & nihil negligens deuotio; è deuotione, mortificatio; è mortificatione, vitiorũ depulsio, virtutũ acquisitio, perfecta caritas, cum Deóq; coniunctio cõparatur. Tantũ scilicet, vel ex nimijs occupationibus mali, vel ex moderatæ quietis interpositu boni enascitur.

Eò igitur, quantis dabitur viribus, contendite, fratres mei, vt nulla vos vmquam vllius agendæ rei, vel blandior illecebra, vel ardentior cupiditas eousque rapiat, vt vestri, vt orationum, vt spiritus curam rebus alijs postponatis; miscere sic vtrumque, vt neque contemplationi actio, nec actioni officiat contemplatio: Iesum Christum, vestrum ducem sequimini, qui Euangelio teste, & enarratore Magno Gregorio, *Cùm in vrbe miracula faceret, in monte verò orando continuè pernoctaret, exemplum suis fidelibus præbuit, vt nec contemplationis studio proximorum curam negligant, nec rursus cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis studia derelinquant; sed sic in vtrisque mentem partiendo coniungant, quatenùs nec amorem Dei præpediat amor proximi, nec amorem proximi, quia transcendit, abijciat amor Dei.*

l. 28. Mor. c. 6. siue 14.

Cuius obseruationis illustre sanè in D. Gregorio Nazianzeno exemplum habemus, qui temporibus difficillimis, grassante hæresi, vigilantissimus veritatis propugnator, Ecclesiæque Constantinopolitanæ præpositus, tam iustas tamen graueisq; curas putabat sibi esse subinde seponendas, vt sibi ipsi solitariè, & procul à tumultibus liceret vacare: cuius suæ consuetudinis & rationem & fructum oratione quadam elegantissimè prosequens, mirum quendam suum erga commissas oues amorem describit, dulcem tyrannum, qui breuem secessum molestia compleat, faciatque vt quemadmodum stridula mater, stridentibus pullis post breuem moram aduolat, & aduoluitur, & pennis fouet, & adblanditur, ita ipse acrioribus amoris flammis excitetur, lupos timeat, vereatur ne quid absente pastore perturbent. Quis infirmatur, & non infirmor? inquit: Quis scandalizatur, & ego cura & solicitudine non incendor? Non enim quæ vestra sunt quæro, sed vos. At ecce, ab eis secessit, & causam his verbis profert: *Nam & Elias libenter in Carmelo philosophabatur, & Ioannes in deserto, & Iesus ipse vt actiones multitudini, hominumq; frequentiæ, ita preces quieti, locisq; ab hominũ commercio semotis ferè tribuebat: quid per hoc sanciens, ac velut lata lege statuens? nempe nobis quoque nonnihil quiescendum esse, vt animis minimè turbidis cum Deo versemur, mentemq; à rebus vagis & incertis paulum reducamus. Neque enim ipse secessione opus habebat, (quid enim erat, in*

orat. 28.

quod

quod Deus, qui omnia replet, colligi ac contrahi posset?) verùm vt & actionis, & sublimioris occupationis tempus esse disceremus.

Obseruasne, quid illud sit quod sublimioris occupationis nomine intelligitur? nempe otiũ id, quo vacatur Deo, quo ab omni strepitu seuocata mens, tranquillæ rerũ æternarum cõtemplationi se dedit. De quo apud D. Bernar. *Otiosum non est vacare Deo, imò negotiũ negotiorum omnium hoc est.* Et S. Gregor. *Sancti viri, qui à mundi operibus, nõ torpore sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quàm vigilare potuerãt,* vt ibidem latiùs probat, & omitto vt rei nostræ minùs opportunũ; meliùs verò percipitur, si & nonnulli alij spectantur, *qui mundi quidẽ actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercẽtur; torpore, nõ studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt, quos sub Iudææ specie Propheta deflet, inquiens, Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Ne verò vmquã tua quoq; hæc sancta sabbata derisui sint hostibus, tibiq; à Deo etiam exprobrentur, vide vt ad maiorem semper perfectionem, iuxta instituti tui rationes consequendam, ritè dirigantur, vt mox indicabimus.

Lib. de vita solit. *Lib. 5 Mor. c. 22.* *Thren. 1.*

Id præterea in Nazianzeno animaduertendũ est, credidisse illũ, sua illa secessione nihil de vtilitate publica decessurũ. Vir erat, cuius doctrina, cũ eloquentia mirabili, & eximia vitæ probitate coniuncta, Catholicæ fidei veritas & restituta fuerat, & stabat; imminebãt absentiæ eius obseruatores hæretici, turbarũ aliquid moliebãtur; quod stabiliri & restitui cœperat, nutabat etiamnũ, neque firmas radices egerat: hæc tamẽ omnia, refocillãdis pia quiete viribus animi, posthabẽda credidit. quo sanè docemur, non esse cur negotiorũ tractatione vlla, blandiente spe, vel perficiendi quod cœptũ est auiditate, ab oratione & cõtemplatione, etiam diuturniore retrahamur. Opportunitatem rerũ agendarũ, destinata studiis tempora, dieśq; nulla superstite linea effluxisse causabimur, heu quàm desubitò toties prodigi, nũc præposterè temporis auari! Sed audiamus amicissimo suo hic suffragantem Basilium, *Temporis pars, Deo ad vsuram tradita, non euanescit, sed cum magno additamento ab ipso redditur.* Quare B. Nilus asserit insidiosum dæmonem idcauere maximè, ne à contemplatione ad actionem vlli se conferant, quoniam ab eis multa & magna perfici certò nouit: additq; hæc verba, *Nã illi in actionibus suis sine reprehensione se gerunt, qui mẽtis oculis acutissimis, quid agendũ sit, anteà meditati sunt.* Et certè quis non videat, accessum ad Deum, accessum esse ad virtutem, & ad boni omnis fontem limpidissimum? lutulentæ sunt quæ nõ hoc fonte fluunt aquæ; ad hauriendos hinc latices sæpè redeamus, quò expurgentur quæ aliunde turbidiùs in animum influxissent.

homil. 3. Hexaem.

Imò verò cùm apud hũc vnũ vita, sanitas, beatitudo poretur, cetera omnia cisternæ sint dissipatæ, rancidæ, cupiditatumq; sitim inflammãtes magis quàm sedãtes; nostrũ esset, si vnius Dei ardore sancto æstuaremus, illũ quibusuis in rebus quærere, ad illũ quasi ad portum à quauis negotiorũ agitatione suspirare. *Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* vrgent me occupationes plurimæ, fatigãt susceptí muneris rationes implicatæ, ad quietem animi anhelo, neq; vsquãm nisi in te reperitur, Deus meus. *Sitiuit anima mea ad*

Psal. 41.

Deum

Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? quando erit, vt extricare me possim, & suffurari vel ad horam, & in orationis tranquillitate Deo meo adstare? *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Interim tamẽ dum in rebus agẽdis versor, meæ me lacrymæ, animiq; desideria pascunt, ipse me vrgeo, & à rebus etiã ipsis mihi inclamari puto, Vbi est Deus tuus? illum cupio, illum ardeo, neque sine illo placere mihi quidquã potest. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam,* totam desiderationis meæ vim, imò totam in hoc profudi animã, quod sperẽ, quod breui futurum videam, *quoniã transibo in locũ tabernaculi admirabilis in domum Dei.* non ita semper effundemur, emisit me sua causa Deus, breui ad se reuocabit, ingrediar ad Dominũ, in oratione illi adstabo, & in conspectũ cælestis exercitus me dabo. Sic fiet, sic ad illum summa cupiditate conuertar. interim si subinde recedendum, & ad prædam ex hoste dæmone captandam, in medias mundi curarumque procellas reuertendum est, *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & Deus meus.*

Ista semper animi alacritate, à negotiis ad orationũ pensa soluenda, nõ perfunctoriè, non grauatè, sed quasi à labore ad optatam requiem, ab esurie ad capiendos cibos rediisse B. Xauerium legimus: estq; nobis id etiam cauendum, ne decurtentur, ne cursim obeantur, ne lentiùs, tepidiùs, oscitantiùs, animoq; ad externas curas euagante, orationis & precũ stata tempora trãsigantur: sensim enim vires deficerẽt, & ipsa nos humanæ conditionis infirmitas, nisi crebrò ad Deum reparatorem rediret, elanguidos destitueret: veriſſimeq; dixit S. Gregor. *Afuore mentis, vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo viuendi vsu veteraſcimus, & assumtæ nouitatis vestem fuscamus. à qua tamen vetustate, quotidie si studio circumspectionis inuigilamus, orando, legendo, benè viuendo renouamur: quia vita nostra dum lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem suam sine cessatione reparatur.*

Lib. Mor. 19. c. 16. vel 27.

Sed & nobis in animum penitus demittẽdum est, certam ad ruinã viam, fugiuamq; in pernicialem interitum prolapsionẽ esse, ita res suas agere, vt cæca mẽte pertransiens, quid egeris non retractes, nulloq; interquiescendi, teq; Deumq; respiciendi spatio sumto, nouas negotiorum susceptiones inexplebili auiditate perpetues. Non aliter videas cum illis agi, vel eos agere qui ambitiosum Sisyphi lapidem diuitijs & gloriæ dediti voluunt; at sanctorum beatorumq; virorum omnino sunt exempla diuersa: horum enim proprium est actiones suas omnes quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidũ influeret, à prima solicitiùs origine perpurgare: cumq; norint quãta sensus pellacia, quãto blanditiarum astu natura decipiat, quantaq; sæpenumerò arte, probitatis specie mẽtiatur improbitas, numquã se in rei vllius curam adeò effundunt, vt non potiore mentis parte sibi inuigilent, Deum spectent, & certum sibi seponant temporis spatium, quo accuratiùs & dedita opera in se ipsos inquirant, idque omne quod præterijt quàm seueriſſimè ad rationis calculos reducant.

Vide eund. l. 25. c. 6. & 7.

Certè

Certè id nisi fiat paulatim pessum ibunt omnia: annon hac conditione viuimus, mortales? non sentimus quando membra crescant, corpus augeatur, mutetur species, & coma modò iuuenescens senescat in canos; nobis tamē nec sciētibus, nec sentientibus, hæc fiunt in nobis. Haud secùs, ipso curarum vsu mens nostra mutatur, nec agnoscimus, nisi vigilantiùs nos ad interna reuocantes, profectus nostros quotidie defectusque pensemus: sin autem indiscussam mentem relinquimus, primi propositi robur sensim sine sēsu perdimus, solaq; nostri negligentiâ, nescientes senescimus, conuenitque nobis illud Prophetæ, *Comederunt alieni robur eius, & nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Numquā est igitur nobis quietis & tranquillitatis internæ, progressionis in virtute, & pacatæ animi præsentiæ cura deponenda. Audiendus Deus non solis illis priscis Patribus, sed nobis cunctis præcipiens, *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens manè ligna per singulos dies.* Altare cor nostrum est, templum enim Dei viuimus sumus; prima verò diei parte, matutino tempore, priusquam multipliciū cogitationum turba mentem diuidat, hæc potior & prima cura sit, vt caritatis ignis, qui sensim lentescit, & deficit, quæsitis fomentis nouis, oratione, meditatione, & ad Deum recursu augeatur. Ac præterea, quod viro Religioso vel maximè conuenit, *Impositio holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus qui numquam deficiet de altari.* Quid enim aptius, quàm vt votorum Religiosorum holocaustū, ac susceptæ Religiosæ vitæ onera omnia, iteratò, magna animi alacritate, nec secùs ac si nunc primò eligeres, vnius Dei amore subeunda suscipias, nouoque ac recenti semper hoc holocausto repræsentato, *adipes pacificorum adoleas*, hoc est, partim id omne, ad quod te proximi caritas, muneris ratio, impellet, Deo consecres, partim sanctæ alicuius meditationis, quasi pingui & fragrante pietatis succo reficiaris, vnde penitiùs delibuta mens intimè calescat, & in crebras (quod ignis perpetui & indicium erit & fomes) amoris diuini flammas medijs ex occupationibus erumpet?

Osee. 7.

Leuit. 6.

Atque postremū hoc, suis omnibus magnopere cōmendatum voluit B. Ignatius, qui optabat, vt deuotionis tantum, vel etiam persæpè plus, in actione, quàm in oratione reperirent. Quid opus pluribus? constant omnia, & in confesso sunt; distinctiùs igitur, & ad vsum aptè, ea tempora comprehendam, quibus vnumquemque mentem ad interna reuocare consultissimum sit.

CAPVT XIV.

Quando & qua ratione in se ipsum reuocetur animus.

PRimùm igitur, quotidiana, manè, meridie, vesperi publica Religionis lege statuta tempora, tota animi cōtentione sunt obseruanda: quibus adnectendum, quod sacrificij, rosarij, diurnarumque orationum statum tempus exigit.

Secundò, iugis quędam & lenis esse debet animi prędentia, personæ quam gerit, Deiq; & officij memor, numquam in res effusa, sed rebus eminēs: vnde facilè

fiat vt crebrò, celerrimè, vndecumque, in breuissimas orationes, quas dicũt ejaculatorias, erumpat. Quamquã Incipientes hîc monẽdi sunt, ne quid nimis, néue violentiùs, aut præcipitantiùs; desit potiùs aliquid, quod annorum decursu addatur, quàm vt abortione prępropera, omnẽ in futurum adolescẽdi spẽ elidãt.

Tertiò, hebdomadatim partem diei seligat, statam atque sepositam, quam hebdomadæ curis moderandis, progressuique virtutum diiudicando opportunè destinet.

Quartò, diem integrum sub prima singulorum mensium auspicia in eundem finem incumbat, curisq; omnibus abiectis, vni sibi Deoque vacet, plures horas orationi & disquisitioni sui tribuat: hîc summè pertinax, ne quanticumq; emolumenti spe, cuiusquam importunitate, tentatione, fastidio, desperatione, inconstantia, & causa vlla se ab hoc proposito abduci sinat. Etiã frigidè, etiã lentè observatũ, multa tandẽ cõmoda importabit, & se altiùs, quàm credideras, efferet.

Quintò, quod de mense, longè potiùs de anno dicendum, vt annuatim, non vnum sed plures dies eidem rei dones. Numerum dierum, negotia, personæ, perfectionis amor docebunt.

Sin autem quid menstruo illo die sit maximè spectandum quæras, paucis iudicabo.

PRIMO videndum est, vt quàm firmissima summæ solidæque perfectionis fundamenta iaciantur, caueaturque in ijs quæ iacta fuerant, ne quid vel assiduitate, vel diuturnitate, vel tentationis vllius concussu labefactetur aut concidat: itaque quidquid eò confert, tota est animi contentione quærendum atque complectendum. Hoc verò faciliùs forsan assequemur, si mentis cogitatum aduertimus.

Ad perfectam Iesu Christi Domini nostri imitationem, vita, moribus, actionibus, quâ dabitur exprimendam. Qua de re suprà est dictum.

Ad nostræ vocationis amorem, cognitionem, dignitatem, partes omnes summa cum solicitudine explendas. Quærendum hîc quid à nobis exigat? quid à sanctis illis viris, qui in ea degerunt, exegit? quàm sumus procul abs illis? longa restat via; quid cessamus? hodie inchoemus.

Ad veratum & præstantissimarum virtutum consecutionem, veramque perfectionem comparandam:

Ad rerum omnium contemtum, crucis amorem, æternorum desiderium:

Ad sui contemtionem & humilitatem:

Ad sincerum Præpositorum amorem, integramque in eos fiduciam. quò plurimum conferet

Summa in diuinam prouidentiã fiducia, omniumq; velut à Deo exspectatio.

Suarum propensionum, imperfectiõnum, vitiorum, rerumque planè omnium nihil Superiori occultum habere.

Amare deferri, neminemque vt suspectum refugere.

Pu-

Putissimè,& nulla sui,commodorúmve suorum ratione habita diuinam in omnibus gloriam ardenter sitire.

Amorem suum omnem ita diligenter expurgare,vt solam Dei gloriam amet in omnibus,nihil ambiat,nihil exhorrescat, nisi solius Dei causa, sanctissimam eius voluntatem in omnibus quærendo atque promouendo,ideóque se obedientiæ ad quæuis ardua,molesta,vilissima,in perpetuũ paratissimũ exhibẽdo.

His autem in rebus id eligatur, vrgeatur, sæpiúsque & contentiùs voluatur, quod ad nostram perfectionem, & rerum præsentium statum conducibilius futurum speramus.

SECVNDO,inuestigandæ sunt,detestandǽque imperfectionum radices,certisque ac efficacibus remediis, etiam breui scripto,ne diffluant, comprehensis, impugnandæ. Cuiusmodi essent,

Propensiones malæ ad gulam,iram,inuidiam,timorem,&c.

Appetitiones inordinatæ vehementiùs impellentes;

Habitus vitiosi praua consuetudine roborati;

Tentationes nobis familiares,& crebrò recursantes;

Occasiones feruorem spiritus restinguentes: oriuntúrque à loco, personis, officiis,negotijs,rebus ipsis,& alijs;

Persuasiones nonnullæ animum religiosum dedecentes, vt gratiæ aucupatio,placẽdi hominibus desiderium,sui ipsius vindicatio,axiomata,vt loquuntur, politica: & alia id genus.

Hæc verò videndum est quibus nitantur fundamentis, & quàm sint stabilienda contraria.

TERTIO, cuiusmodi esse debeat rerum ad spiritum attinentium tractatio, quando, quomodo,quàm perfecta statuendum est:itaque inquirendum quemadmodum te habere soleas in

Meditatione,eiusq́; præparatione, atque in ea propositorum obseruatione:

Oratione vocali:

Examine, tam omnes defectus vniuersè, quàm vnum singulariter indagante:

Sacramentorum vsu:

Colloquio cum nostris & externis:

Lectione librorum piorum:

Votorum ac spiritus, hebdomadaria,menstrua & annua instauratione:

QVARTO,ministeria & functiones nostræ diiudicandæ sunt,quo fructu,quo spiritu obeantur, quóue meliore possent: ita vt nihil indiscussum maneat, siue domesticos, siue spectet externos;ratio otij, ratio negotij constet, nihil temerè & casu,sed suo tempore,certaque animi destinatione fiat, suusque sit occupationibus(quantum in humanis licet) &ordo,& scopus præfixus. Videat vnusquisque quid illi sit demandatum, studia, doctrinam, exhortationes, concio-

nes, catechismos, confessionum curam, xenodochiorum, carcerum, pauperum, ægrorum leuationem: præfecti, procuratoris, aut aliud quoduis proprium munus. Illa quoque discutienda sigillatim sunt, quæ ad domesticum ordinem spectant, vt dormire, surgere, quæque communia sunt vicissim obire, velut in inseruiendo mensæ, & similibus.

QVINTO animaduertendum, ne immodestum quid, & à Religiosæ honestatis decoro alienum, vsquam emineat, sed ex eadem amicabilis vultus serenitate, membrorumq; ac gestuum omnium placiditate trãquilla, decor virtutis internæ resplendeat. Caueatur quoque ne in curando corpore, siue solicitudinis anxiæ, siue rigidioris neglectus nimietate peccetur. quod fermè potest accidere,

In refrænatione sensuum, & linguæ,
Victu,
Vestitu,
Domicilio,
Lecto,
Remissionibus à contentione,
} quæ singula Religiosum pauperem, & mortificationis amantem spirare, & ad eum aptari debent.

Castigatione corporis vltrò assumta:
Nempe,
Humicubatione, vel duriore somni captatione,
Vigiliis non immodicis,
Abstinentia in potu vel cibo,
Ciliciis, & rebus asperioribus carni adpressis,
Diuerberatione corporis,
Æstus, frigoris, & iniuriarum aëris tolerantia, & similibus corporis afflictationibus de more, vel solito crebriùs, aut duriùs vsurpatis.

Quæ quidem ita distinctè, at non diffusè, describo, vt quoties ad sacram istam animi perscrutationem veneris, sacro illi otio negotium deesse non possit, siquorum singulis penticulatiùs insistens, an vspiam defueris, an & qua via meliùs & longiùs progredi possis, in hac quasi tabula sub oculos subiecta dispicias.

Hæc est, quam tibi, quã Societatis hominibus omnibus, apprimè commẽdatam velim, actionis & orationis alternatio sanctissima, progressionis in spiritu parens & fautrix, perpetuatio sanctæ animi alacritatis, firmissimum perseuerantiæ propugnaculum. Ideoque huius obseruationem sanctis viris adeò perpetuã credidit S. Gregorius, vt hoc nomine eos apud B. Iob locustas vocari asseuerit, quarum proprium est, ad pastionem quidem sese demittere, at subinde altiùs euolare: neque aliter viri sancti *crura figunt*, inquit, *& alas exerunt: quia rectè agendo stabiliuntur, & alta videndo subleuantur. Qui in hac vita positi, in contemplatione manere non possunt, sed quasi locustarum more à saltu quem dederant, in pedibus suis se excipiunt, dum post contemplationum studia, ad necessaria vitæ actiuæ opera reuertuntur,*

nos

nec tamen in eadem actiua vita remanere contenti sunt; sed dum ad contemplationem desiderant exsiliunt, quasi rursus aëra volantes petunt, vitamq; suam quasi locusta ascendentes descendentesq; peragunt, dum sine cessatione semper & summa videre appetunt, & ad semetipsos naturæ corruptibilis pondere reuoluuntur.

Sed hoc ipsum longè pleniùs & illustriùs ab eodem cõmendatur in illa verba, *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi; Assumus?* quæ interpretatur in hunc modũ; *Fulgura, vt dictum est, sancti viri mittuntur, & eunt, cùm à secreto contemplationis in publicum operationis exeunt: mittuntur & vadunt, cùm de abscõdito speculationis intimæ, in actiuæ vitæ latitudinem diffunduntur. Sed reuertentes dicunt Deo, Assumus; quia post opera exteriora quæ peragunt, semper ad sinum contemplationis recurrunt, vt illic ardoris sui flammas reficiant, & quasi ex tactu supernæ claritatis igneſcãt: Dicunt, Assumus, quia quamuis per exteriora acta, parum quid contemplationi deesse videatur, per ardorem tamen desiderij, quem in mente sua continuè accendunt obsequentes, Deo suam præsentiam ostendunt. Citiùs enim inter ipsa, licet bona, exteriora opera frigescerent, nisi intentione sollicita, ad contemplationis ignẽ inceſſanter redirent. Vnde benè per Salomonem dicitur, Ad locum de quo exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant. Ipsi quippe, illic flumina, qui hic fulgura sunt vocati. Quia enim corda audientium rigant, dicuntur flumina, quia verò accendunt, fulgura vocantur. De quibus aliàs scriptum est, Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina voces suas. Et rursum; Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. Ad locum ergo de quo exeunt, flumina reuertuntur: quia sancti viri, etsi à conspectu creatoris sui, cuius claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad actiuæ vitæ ministerium veniunt; inceſſanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt, & si in prædicatione sua, exteriùs nostris auribus per corporalia verba se fundunt, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis reuertuntur. De quibus & benè dicitur, Vt iterum fluant: nisi enim ad contemplandum Deum solicita semper mente recurrerent, nimirum interna cæcitas, etiam externa prædicationis eorum verba siccaret. Sed dum videre Deum indeſinenter sitiunt, quasi decursura foràs flumina, intus semper oriuntur, quatenus illic amando sumant, vnde ad nos prædicando defluant.* *Iob 38.* *Lib 10. Mor. c 2. vel 4.* *Eccles. 1.* *Psal 92.* *Psal. 96.* *Ex hom. 40.*

Sed & audi D. Bernard. *O sancta anima, sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Secede, sed mente, nõ corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Sola indicitur tibi mentis & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te, & solum cùm inter multos; & inter multos, cùm solus es?* Ita ille, sic perpetuam mentis solitudinem commendans, vt non improbet quin etiam suo tempore quæ corporis est adiungatur. Ex his interim quàm idem Sancti senserint, instituti tui leges præscribant, sanxerit Christus Dominus, vides; quid addam, nisi tritum illud, Hoc fac, & viues?

LIBER NONVS,

De recta Intentione.

CAPVT I.

Cur de illa hîc agatur.

DE Intentione seu fine actionum cogitationúmque nostrarum, ita multa statuerunt veteres, disputarunt noui, vt de re vulgatissima tacendum potiùs, quàm latiùs disserendum fuerit. Sed quando eam præterire non possum, leuiùs attingam, quàm ipsius postulet dignitas, cuius vnius si ratio haberetur, nõ breue volumẽ expleret.

Conitat equidem, vix esse in quod acriùs eum, qui animarum zelo vacat, inuigilare oporteat, quàm in rectam & indeflexam intentionem seruandam: nam & in medio rerum versatur, quæ timore, blanditiis, necessitate, cupiditate, laude, vituperatione, & sexcentis artibus dextrorsum & sinistrorsum, mentis propositum detorquere non cessant: quòd si vmquam à recto fine in prauum flexerint, momento vno quidquid rectum, Deoque gratum videbatur, euertunt, diutinósque virtutum (vt putabatur) prouentus, occulta teredine exesos, inanissimæ vanitati dissipandos tradunt. Quare committere non potui, quin iis quæ de zelo dixi, hæc etiam quæ de Intentione dicentur adiungerem.

Ac prætereà ne penitus de illa silerem, prohibebat magnus ille Paphnutius, qui interrogatus, cur in præceps multi laberentur, & ad extremum vsque, in vitæ melioris professione susceptæ, minimè perseuerarent, ita respondit, vt si non omnem, at certè maximam vim ad perseuerandum, in recta intentione positam asseruerit. Ait enim; *Fieri non potest, vt qui piè viuit, & rectè cogitat, incidat in ignominiæ lapsus, vel impostura dæmonum. Quicumque ergo prauo scopo & instituto, nempe vt hominibus placeant, & arroganti cogitatione virtutem videntur aggredi, ij in casus incidunt, Deo eos deserente ad corũ vtilitatem, vt cùm se derelictos senserint, aut propositũ aut actionẽ corrigant.* Pergensq; & pluribus interiectis adiicit, *Omnis ergo lapsus, siue fiat per linguã, siue per sensum, siue per actiones, siue per totum corpus, conuenienter proportioni arrogantiæ fit, per Dei derelictionem, parcentis iis qui derelinquuntur. Hæc autẽ vobis dico, ô viri, vt cùm videritis aliquem, vita quidem peruersum, oratione autem aptum ad persuadendum, recordemini dæmonis, qui in sacra Scriptura cum Christo loquitur, & testimonij quod dicit, Serpens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ erant super terram. cui prudentia potiùs detrimentum attulit, cùm alia virtus non concurrerit.* Ecce quanti doctrinam, eloquentiam, sacrarum Literarum peritiam, recta intentione remota faciat: idemque de ceteris zeli actionibus dixeris, nempe non

Apud Pallad. c. 95.

Gen. 2.

plutis

pluris, quàm res eas, quæ in ipsis etiam reperiri dæmonibus, & ab eis fieri possint. Sed in rem ipsam veniamus.

CAPVT II.

Quid sit recta intentio ex ipsa natura petitur.

QVid recta sit intentio, apertiùs intelligemus, si cogitationem ad alia tantisper auertimus: quædam enim sunt quæ casu & præter intentionẽ contingere, quædam quæ naturæ vi, atque ingenito instinctu fieri dicuntur, & hęc vtraque vel finem conuenientem sortiuntur, vel à fine sibi proposito aberrant.

Præter intentionem accidit, quod vel aliud quidpiam volenti, vel certè nihil eiusmodi cogitanti accidit; vt si puteũ fodiens, thesaurũ reperit: valetudinis gratia ambulans, in lapidẽ duriùs impingit; lucrum è mercimoniis sperans, damnũ reportat. Quæ cùm accidũt, casu cõtingere dicuntur, quia cùm actiones illæ ab hominibus, aliquid aliud spectantibus, alioque tendentibus fierent, interuẽit alicunde vis quædã, vel emersit nouus rerum ordo, qui conatum eum totũ aliorsum flecteret, atque ita præter expectationẽ res caderet: non secùs atque si sagittam in scopum contentissimè rectissimeque directam, turbo vehementior auertat, ac etiam (quod in Theodosiana expeditione legimus) retro rapiat.

Rarius longè est, vt in iis quæ naturæ vi, & ingenito instinctu fiunt, præter intentionem aliquid accidat, & fine proposito excidant: causarum enim naturalium eosdem passim effectus existere videmus, essęque admodum infrequens, vt abs eis dissonans quidpiam oriatur. In his autem propriè nulla est intentio alia, quàm vis & facultas tendens in vnum finem, naturæ sic præstitutum, vt quò aliò tendat non habeat, violentumque fuerit, vel portentosum, ac naturæ inimicum, quidquid contrà feceris; vt si leuia deorsum, grauia sursum ferantur, si leones in mari, delphinos in terra alere tentaueris, aues cursu contendere, ceruos adfixis alis volare coëgeris.

Sunt autem omnes, tam rerum sensu carentium, quàm animantum rationis expertium actiones, vsque adeò in vnum certũ finem destinatæ, vt neque ab eo deflectere, nec ad plures queant tendere: cùm enim neq; cognitione, neque voluntate moueantur, sed vel solo ingenito appetitu, vel insita naturæ vi; ideo vnã in partem, appetitui vel impetui suo conuenientem propelluntur magis, quàm se ipsæ propellant. Tunc autem & rectè moueri, & naturæ suæ numeros probè expleuisse dicuntur, quando id vbertim præstant, quod viribus à natura indĸis est consentaneum. laudatur arbor & ager fertilis, mollis lana, durus adamas, argentum candens, flauum aurum, liuidum plumbum, canis docilis, pinguis porcus, agilis equus, animosus leo, ceteraque similiter. Si verò huius in iudicando varietatis causam perquiris, non aliã profectò cõperies, quàm naturæ in singulis con-

conuenientiam variam, quæ ex eo cernitur ad quod factæ sunt singulæ; quò si perueniunt, laudabiles; si non perueniunt, illaudabiles iudicantur; vestiendis corporibus, lanæ mollitudo; nutriendis, agrorum fertilitas; firmādis ædibus, lapidum durities conuenit; lanas præduras, agrum sterilem & vliginosum, quis vel titiuilitio emat? canem indocilem, pauidum leonem, equum bouis instar tardantem, monstrorum in numerum referres. Vnde quæso, nisi quoniam à naturæ suæ moribus exorbitasse, & in quamdam prauitatem deflexisse creduntur? adeò in rebus omnibus id pulcherrimum elucet, vt ad præstitutum à natura finem accommodatæ sint. Quod ipsum vt in ceteris, ita in homine si videremus, quid recta intentio sit perspicuè constabit.

Quædam tamen est, etiam inter ista distinctio: ita enim res inanimæ feruntur in finem, vt nullam finis partem conditionémve percipiant; at animantes in cibum, in generationem, in doloris declinationem, suiq; conseruationé ex insito boni maliúe sensu, imaginatione sola, & cognitionis quasi inchoatione rapiuntur, ac se mouent, ita tamen vt neque motum reprimere valeant, neq; se possint ad alia conuertere. Cùm autem hic secundus gradus esset priore perfectior, admodū tamen imperfectus, tertium, eumq; perfectiorem, naturæ ratione præditæ indidit Deus, vt rationem finis agnosceret, vias eum assequendi inquireret, vltróque quæ magis arriderent eligeret. Ab hoc verò gradu, non esset quò possemus aliò progredi, quàm ad illum qui ipse, omnium esset finium auctor, norma, moderator, & supremus finis, ex eoque omnis rectitudinis, omnisque prauitatis prima esset iudicatio atque ratio ducenda: vt mox apertiùs dicetur.

CAPVT III.

Quomodo in hominem quadrent quæ de alijs dicta sunt.

DVæ nihilominùs in homine sunt, vel functiones vel partes obseruandæ; quarum vna ratione & voluntate, alia verò solius naturæ vi mouetur. Naturam sequuntur, quæcumque non sunt imperio voluntatis obnoxia, sed conditioni corporis obsecundant, vt quòd deorsum feratur, quòd palpitet cor, aures audiant, stomachus cibos concoquat, læuore & asperitate, frigore & calore feriatur tactus. Voluntati verò ea subduntur, quæ nostri sunt arbitrij, vt actionum negotiorumque susceptio, consiliorum agitatio, idque omne quod agere vel omittere possumus: imò etiam, eorum quæ natura exigit certa destinatio, & vt in finem aliquem dirigantur optatio, penes voluntatem est; nam & palpitationem cordis, & anhelitus reciprocationem, omnesque naturæ actiones atque facultates, Deo consecrare, vt ei subseruiant, possumus.

In his autem quæ sola natura fiunt, vt est lapsus temporis, & momenta vitæ, eadem in homine est ad finem lege naturali præstitutum contentio, quæ in anim-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mantium ceteris ; ac proinde incrementa & decrementa corporis, ciborum alimonia, & per membra distributio, eâdem, qua solet in brutis, facultate & ordine perficitur, & in eundem suæ tuitionis finem tendit, si id tantùm quod solius est naturæ spectamus, nec ei forinsecùs quidquam à voluntatis desiderio accedit, de quo mox loco suo dicam.

At in ijs quæ voluntate & electione fiunt, id in homine proprius & voluntarius instinctus potest, quod in brutis & rebus alijs ingenitus & naturalis instinctus: verùm in eo diuersi sunt, quòd cùm naturalis impulsus, & sit vnus, & à Deo, in eundem eumq; conuenientem finem fertur, at verò voluntarius hominis appetitus, cùm sit varius & multiplex, ac errori, cupiditati, ignorantiæ obnoxius, tantæque in refutãdis ac admittendis motionibus libertatis, vt etiam cognita bona nolle, mala velle possit, idcirco ipse sibi fines quos libuerit ponit, bonos, malos, vtiles, noxios, aptos, ineptos, cõmodos, incommodos, suaues, insuaues vtcumque voluerit. Prætereaq; cùm vna quapiam naturæ impulsione ac veluti ductu in finẽ suum cetera dirigantur, nec sit illis relicta, quánam eum velint persequi, libera eligendi optio, sed vno certo statoque tramite ferantur; vni homini & naturis ratione præditis est cõcessum, vt quamuis ad certũ finem pertingere statuerint, nõ tamẽ vna illum via, sed quacumque maluerint assequi conentur. vnde fit vt eædem quoque hîc aberrationi occasiones pateant, quoties id eligitur, quod vel nobis, vel fini proposito, minùs est consentaneum.

Ex his verò intelligemus, duo quędã intentionis nomine cõtineri, quę in homine maximã, in belluis & inanimis nullam admittunt varietatem: exempli gratia, fertur in cibum canis, fertur & homo: canis quidem instigante natura, sic rapitur in cibum, vt nisi grauior metus vrgeat, non possit se ipse cohibere, neque cur id agat nouit, sed natura duce ad conseruationem sui ducitur, eademque duce quæ sit cibi opportuna satietas, & quis naturæ aduersetur, sentit & respuit. Homo verò, licet amore sui ad sui conseruationem vrgeatur, non tamen cogitur, tantumq; in nonnullis valuit voluntatis peruersitas, vt se ipsos de medio sustulerint; agnoscat igitur velitque suam conseruationem oportet, quam vbi voluerit, & cibum, & hunc cibum magna mentis libertate eligit. Quæ omnia vno intentionis nomine notantur.

Cùm enim quærimus qua intẽtione quis ambulet, loquatur, comedat, legat, oret, otietur, dormiat? Primò quidem, quasi certum sumimus, id non esse à mera natura inuoluntariè profectum, vt accidit cùm irrepente somno opprimimur, vel lingua mentem præcurrente loquimur, vel aliò defixa cogitatione nescientes mouemur, sedemus, ambulamus: sed vltrò & voluntariè, scientibus & animaduertentibus nobis, quidpiam fieri vel omitti. Deinde de hac voluntaria, vel cessatione, vel actione quærimus, quo fine sit illa suscepta? Quæ interrogatio quoniam res duas inuoluit, nempe finem, & id quod ad finem eligitur, duo quoque iudicia solent consequi, vnum de fine, alterum de rebus quæ ad finem

eliguntur: nam & finem bonum esse, & quæ sunt ad finem apta esse, & saltem non mala, oportet, vt tota actio recta dici possit.

Intentio igitur, vt ex dictis cõstat, est volũtatis ad quempiam finem certa vis tendentis impulsus. Qui an rectus sit, conijciendũ est ex eo quod de ceteris diximus, probari vniuscuiusq; rei eas effectiones atq; motiones, quæ naturis cõsentaneæ sunt, grauitatẽ lapidis, animos leonis, & eiusmodi. Vt non aliud hic inquirendum superſit, quàm, quid naturæ ratione præditæ sit consentaneum? nam id ipsum rectum & perfectum fuerit, rectissimum verò & perfectissimum, si etiam maximè consentaneum, eaque naturæ præstantia dignissimum fuerit.

Quæ verò certior huic rei diiudicãdæ norma statuetur, quàm ipsius hominis dignitas & finis? ita sanè, quarũ rerum fines nouimus, ex illis cuiusmodi esse debeant non malè conijcimus. Fundamentum ceterorũ est terra, ideoq; grauis, stabilis, firma, cõpacta; siccitati temperandæ est aqua, ideoq; perfluit, penetrat, liquatur; respirationi subseruit aër, ideoq; tenuis, perspirabilis, & per omnia permeans; lucem & tempora dispertit cælum, ideoq; dispansum, cunctis eminens, pellucẽs, volubile, summaq; celeritate rotabile est. Quid homo? ratione & cognitione præditus, futura prospectat, immortalitati, beatæque æternitati natus, nõ in alium finem, quàm ipsummet Deum, à Deo est procreatus. Ad hunc si aliquãdo pertingit, beatus & quodãmodo Deus efficitur; ab hoc si ad extremũ aberrat, in sortẽ omnium infelicissimam, in æternum desperata salute cõpingitur.

Iam vt in plantis & arboribus, si quid adhibueris, quod ad illarum finẽ & fertilitatẽ conducat, id bonum; si quid quod obsit, id illis malum; si denique quod neque prosit, neque obsit, id indifferens & otiosum dixeris, & in quo nonnihil laboris, temporis, aut sumtuum extrinsecus iactura æstimetur, nullum tamen illi rei detrimentum inferatur: ita planè de homine, de quę eius intentionibus philosophari nos decet.

CAPVT IV.

In homine, quid sit recta intentio.

FInem in quem editus est si quærit homo, si conuenientia & cõuenienter adhibet, tunc recta est intentio, & bona; si finem aduersum quærit, vel si non conuenientia, vel non conuenienter, sciens & prudens adhibet, prauа est & mala intentio: si denique sic rebus vtitur vt ad finem illum neque prosint, neque obsint, intentio illa in se est indifferens, facileque ac vt plurimum fit otiosa, dum temporis, aut melioris occasionis, ipsiusque æternitatis iactura pensatur. En paucis lineis comprehensum, id quidquid de intentione disputari latissime potest: ex hoc enim fonte petantur quæuis alia necesse est. Tardiorum tamen in gratiam, & forsan quia his immorari non est iniucundum, nonnulla explicatius adiungamus. Obscuriora primò legentibus videbuntur, at repetita clarescent:

&

& ad naturæ modos & methodum traducta, firmiùs inhærebunt, & faciliùs deinceps ac certiùs quibusuis rebus aptabuntur.

Consequuntur res ceteræ finem suum, dum ad eum ipsa naturæ vi propellũtur, nec plus minusue cõsequuntur, quàm naturæ vis impellat: at homo ad suum se finem mouet, ab eoque aberrare, eum lentiùs, vel ardentiùs persequi potest, imò verò non tantùm perfectiorem & imperfectiorem finem, sed eundem finẽ perfectissimum, perfectiùs & imperfectiùs spectare potest: quod quando accidit, desideratur & amatur ille finis, lentiùs, ardentiùs, perfectiùs, aut imperfectiùs. Si verò huic desiderio accedat voluntas eum finem assequendi, per intermediam quamuis corporis aut animi actionem, hæc voluntas dicitur intẽtio, ex qua iudicabitur de bonitate vel prauitate, illius, vel etiam plurium actionum quas ad eum finem benè vel malè adhibet. Exemplo clarum fiet: est qui in Germaniam abit Catholicæ tuendæ causa, est qui vt hæreticorum rebus faueat, qui vt prædas agat, qui vt belli artibus nomen sibi pariat; hîc vnius eiusdemq; profectionis & militiæ, varios fines intueris, itaque vt de illa iudicium feras, ad singulos accedendum, quærendumq; qua intentione proficiscantur, hoc est cuius finis desiderio amore vel spe ducti, profectionis voluntatem susceperint? si prædæ, si hæreseos causa, praua; si propter gloriam, vana; si Catholicæ fidei zelo, bona censebitur. Deo suo aliquando perfruendi sancto desiderio exæstuat quidam; hinc longam actionum seriem in eum finem apprimè conducentem animaduertens, eam subit, puta Religiosæ vitæ institutum, in quo paupertatis, castitatis, obedientiæ, orationis, humilitatis, mortificationis, sui ipsius atque cognatorum abnegationis, patientiæ, atque plurimorum nec opinatorum casuum exercitationem hac in vita perpetuandam videt: si deinceps quæsieris, rectæne annon istiusmodi sint actiones? quid nonnisi optimas dixero, quæ laudatissima ista sunt intentione susceptæ? Ex quo vides ex intentione bona bonos, nisi vitientur aliundè, è mala malos fructus gigni. Si verò quæsieris,

An ex omni intentione bona vel mala, bonitatis aut prauitatis communio in actionem redundet? Affirmarem quidem vniuersè, si propriè seuereq; loqueremur, cùm intentionis id sit proprium, vt causa sit eius actionis cuius est. Sed vt planiùs & latiùs loquamur; obseruemus, duplicem esse finem, duobusque modis intentionem cum actione componi.

Finis, vnus mouens, impellens alter dicitur: mouens dicitur qui ita mouet, vt eo sublato non sit eiusmodi actio futura, vt si Dei amorem sustuleris, numquam fiet vt ad institutum Religiosum me conferam. Impellentem verò intelligimus eum, sine quo esset quidè eadem actio futura, sed non eo tempore, perfectione, vel modo, vt nisi mortis timor accessisset, nisi à concionatore is motus animorum, nisi opportunitatis elabentis occasio, & id genus plurima. Faciunt autem hic vterque finis ad intentionem, eamque vel bonitate sua vel prauitate inficiunt, iudeque in actionem pariter deriuantur.

Adhæc quoties voluntariè aliquid agimus, id ſemper ex aliqua intẽtione agimus, quæ ſit actionis cauſa, vt ſi oramus, ambulamus, id fit quia Deũ colere, quia ſanitatis gratia corpus exercere volumus: ſed præter hãc non rarò accedit illi altera, quæ vel quaſi comitẽ ſe adiungit, vel alicũde ab opere enaſcitur; enaſcitur, vt quando vana gloria inſtar tineæ è rectè factis germinat; comes eſt, cùm aliũde id ſimul menti adhæreſcit, vt ſi orãs, de generis nobilitate memor glorietur. Iam verò hæ vtræq; ſeu comitantes, ſeu enaſcentes intentiones, actionẽ eam quæ aliunde orta eſt, nequaquã vitiant, quod eſt humanæ fragilitati diligenter obſeruandũ; cùm enim actionũ ex optima volũtate ſuſceptio, ſit frequenter longè facilior, quàm in iiſdẽ inabrupta perſeuerãtia, dum propè ad momenta ſingula huc illucq́; variæ mentis agitatione fluctuamus; id ſaltem nobis firmum atque ſtabile permanet, vt, quamdiu primi propoſiti, eiuſq́; quę ad agendum impulit, volũtatis incõcuſſa permanet firmitas, (permanet autem, quamdiu eam aliò, volentes ſcienteſq́ue non auertimus) tamdiu ex eiuſdem primæ intentionis, & non ex aliorum variè incidentium, bonitate vel prauitate æſtimetur. Quod qui perſpexerit, multis ſe conſcientiæ tricis eximet, tenebris exeret: mei enim eſt arbitrij, quem finem voluero vel admittere, vel refutare, atque inde vel moueri, vel non moueri. Sed vt clariùs id agnoſcatur, faciamus eſſe quemdam qui alterius delictum, & ipſius confeſſione acceperit, & aliunde quomodolibet deprehenderit, cumq́ue ea poteſtate ſit præditus, vt ei pœnarum exactio incumbat, aut ſi lubuerit indulgeat: ad puniendum prouocet, priuata quæ dudum interceſſerit ſimultas, vindictæ ob iniurias olim illatas cupiditas, impunitatis & flagitiorum odium, honoris diuini quaſi in integrum reſtituendi deſiderium. iam, his tot nominibus animo eius obuerſantibus, poteſt vno vel pluribus, quibus maluerit permoueri ad puniendum; atque ita ſi notitia à cõfeſſione ſacramentali hauſta, vel ſimultate, aut vindictæ cupiditate moueatur, peccat grauiter; at verò rectè & ex virtute agit ſi legitimis Iuris probationibus niti, flagitiorúmque odio, & honoris diuini zelo punire ſtatuat.

Quæres, quid ſi multiplices illæ cauſæ, ſimul omnes animo obuerſantur, quadamq́; ſuauitatis illecebra perfuſum ineſcãt? Obfirmandus eſt animus, & omni perturbatione tranquillata, ſtatuendũ quam in partem, quáue ratione te flectas: ac deinceps ex eo iudicandũ, quàm benè vel malè ſit actũ, nec vanis fluctuationum (quod ſcrupuloſiorum eſt) anfractibus adhęreſcẽdum. Itaque cùm res agitur, decerne, Re vera hoc eſt vnde ad puniendum moueor, v. g. honoris diuini reſtauratio, peccatum legitimè probatũ; ſi verò deinceps, & in re agẽda, & poſt rem peractam, notitia ſacramentalis, ſimultatis & vindictæ memoria menti oberrant, ne perturbator: nec enim vel eorum memoria, vel ineſcans titillatio, cauſa ſunt cur id egeris, ideóque illud nec bonum, nec malum reddunt, quamdiu primam intentionem non relinquis, & cum poſteriore non permutas.

Si enim poſterior quædã intẽtio diuerſa accederet, ſed quæ cum priore ſimul

eſſe

esse posset, tũ ex vtraq; illud opus quodammodo duplex quantũ ad rectitudinem fieret, vt si ex caritate eleëmosynam dedero, & furtim subeunti vanæ gloriæ consensero, illud opus inde bonum, hinc malum esse potest, quoniã & virtus, & veniabile peccatũ simul esse nil vetat, nec est necesse, (imò ratissimè fit) vt hæc posterior intẽtio priorem euertat. At verò postquam ex honoris diuini zelo punire decreui, si intentione ad vindictam versa, ex odio perrexero, tum confestim hæc actio erit peccatũ, & intentio peruersa, quia fieri nequit, vt scienter vnà cum peccato mortali recta stabiliatur intentio. Quamquam (quod in timidiorũ gratiã verè dixerim) vbi abs intentione recta initium datum esse constiterit, nõ facilè credẽdum est, eum qui vel mediocriter Dei timentior esse soleat, in praua deflexisse. Verùm, vt de eo diiudicare possis instar illius qui *dominator virtutis, in tranquillitate iudicat*, pacata mẽte resideto, te intus respice, seueréq; & verè iudica, an sic à prima intẽtione discesseris, vt te ad posteriorẽ tota voluntate conuerteris; an verò illudẽtis naturæ, vel insidiantis dæmonis pellacia fuerit, aut etiam meticulosæ ac vbique trepidantis, cõscientiæ laruæ vmbratiles: id autem quod pacatè prudenterque iudicaueris, caueto ne temerè iterum in dubium voces; iudicato stabis, nisi perpetuis inconstantiæ flabris te diuexandũ damnare malis.

CAPVT V.

De intentionis rectitudine ratione finis, & ratione electionis.

VNum quidem nomen, at duas complecti partes intentionem dixi; quarum vna est, voluntas cuiuspiã finis; altera, vt ex huius finis desiderio, aliquid eligat, quasi ad illum finem conducibile, & per quod ad eum perducatur: vnde cùm his duobus constet intentio, bonum autẽ omni sua parte bonum esse oporteat, perspicuum fit intentionem, vt recta sit, & fine & electione rectis debere conflari: sin autem in harum altera rectitudo desit, in intentione quoque rectitudinem defore. Duo igitur tibi prouidenda sunt, ô quicumque rectæ intentionis es amator, quid velis, & qua via id velis?

Quid velis, an rectum sit, ex eo dignosces, an verè rationi rectæ sit consentaneum? de quo si etiam controuersia moueatur, vide quid ad æternitatem, beatumq; illum finem ad quem conditus est homo, conferre possit? si confert, bonum est: si non confert, non est bonum; ac etiam malum est si ab eo abducit.

De via quoque, & modo consequendi finem, pari methodo iudicabis, nempe an cum ratione, humanæq; vitæ fine consentiat: ac præterea an verè ad finẽ propositum conducat: via etenim, qua aliquò pertendis, vt mala nõ sit, duo habeat oportet; primum, vt se ipsa mala non sit; secundum, vt eò ducat quò velis peruenire: si enim vel abducit, vel saltem eò non ducit, certè imprudenter id eligitur, quod promouendis conatibus ineptum est.

Curandum igitur nobis, vt nõ tantùm bona, sed etiã benè velimus: nec enim

facienda sunt mala, vt eueniant bona, & quoties malũ aliquod vndecumque se insinuauerit, fermento modico massa tota corrumpitur, & acescit. Et quidẽ quæ sint, quæ bona sunt, è dictis cõstare potest; si tamen enumeratione clarius potest effici, Bona ea omnia, & maximè sunt, quę natura & vi sua, nos Deo similiores, & à peccato alieniores reddunt, cuiusmodi sunt virtutes, virtutumq; exercitationes omnes: præterea quæcumq; vel cõsuluit, vel præcepit Deus, ea quoque bona sunt. Quarum cumq; verò rerum creatarũ, & actionum naturaliũ, facultatumq; vsus, cuiusmodi sit, ex intentione iudicandum est: si enim ad rectum illum finem ad quem homo conditus est dirigitur, rectus; si ab eo ad cupiditates aberrat, prauus; si neq; ducit eò, neque abducit, vel indifferens, vel fortè otiosus est. Ex his autem nemo non videbit, quæ sint quæ prauis adnumerari debeant, nempe illa quæ nos à Deo, ad peccatum abducunt, quæ vetuit Deus, & à quibus quasi malis est dehortatus, & quæcumque à nobis mala vel otiosa intentione fiunt.

Hîc forsan ex verbo dubites, cur malum vel otiosum dicam, quasi otiosum nõ etiam esset malum? diffiteri id possem si vniuersè loquerer: nec enim otiosus omnis vituperandus, & est otium aliquod (vt suprà probauimus) iustum atque laudabile: attamen iampridem vsus impetrauit, vt quoties de actionum humanarum bonitate agitur, otiosum esse, in deteriorem partem interpretemur, ita
Matth. 12. nos docente Deo & Domino nostro Iesu Christo. ita igitur loquor partim vt tacitè moneam, obseruandam cauendamque etiam istam, quam negligunt multi, otij prauitatem, partim vt animos excitem, ne illa quæ nobis blandiores indifferentia vocamus, re vera mala sint, quandoquidem ab otiosis indifferentia distinguere, cogitatione quidem difficile est, at re ipsa longè difficilius. Etenim si humanæ infirmitatis conscius D. Gregorius lugebat, quòd mala nostra frequenter purè mala; bona verò, propè semper malis essent admixta, ratissimumq; sit vt aliquid agamus merè bonum; quanto erit difficilius vt aliquid merè indifferẽs fiat? quippe ad ima pronus animus, quo se magis erigit, eo minùs lapsui propinquat; quo se magis deprimit, eo præcipitantior est ad ruinam: qui verò aliquid de industria quasi indifferens facit, certè ad hoc se demittit, vt sciens & volens, aliquid quòd neque malum, neque bonũ est, potest autem benè & malè fieri, facere velit, neque benè, neque malè, sed ad præsentem oblectationem nõ malam accommodatè; in quo etsi ad mala non conuertitur, nõ tamen meliora spectat, quæ præstò aderant, & eligi poterant. vnde quis non videt esse difficillimum, vt homo æternitatis & Dei amãs, omnemq; temporis & profectus iacturam magni faciens, præ his, volens & sciens, nescio quid indifferens, quod natura sua nihil habet quod quemquam magnoperè alliciat, eligat; quis, inquam nõ videt quàm difficile, ne dicam incredibile sit, vt præ tantis rebus indifferens quidpiam eligatur, & non lateat peruersus quidam qui eò compellat amor?

Qui vt deprehendatur, intimũ animi nostri sinũ diligentiùs excutere, & vndecumq; debemus explorare, idq; si nõ fictè, sed sollicitè atque curiosè fecerimus, equi-

equidem *signatum est lumen Dei super nos*, & eius gratia minimè deerit, vt veritatis & rectitudinis lux amantibus illuceat. Quem in finem duo commendabo.

CAPVT VI.

Quomodo deprehendetur vtrùm recta sit intentio.

PRimum est, duo esse in homine actionum & motionum humanarum principia, nempe appetitū, atque intellectum, siue (quod quasi vnum cum intellectu adnumero) iudicium, atque rationem. Appetitum, in eum quidem qui corporis impulsu, & in eum qui animi præsidio seu prærogatiua perficitur, diuiserunt, eumque appetitus, hunc voluntatis nomine compellarunt. De vtroque hîc loquor: maximeque, ac nescio an præ ceteris, obseruandum dico: vtro è principio ad aliquid conandum permoti fuerimus, appetitu, an intellectu, & iudicio? Si intellectu, in promtu erit iudicium ferre; cùm enim intellectus ipse se certa ratione moueat, & rationem quæ mouet intelligat, procliue fuerit, rectàne sit, an praua censere. At si appetitu, non peræquè facile est: sed ad recti iudicij tribunal euocandus est.

In qua non leue est contra appetitū præiudicium, si primus ortus magno cum impetu cœperit, grauiusq; redditur, si ad ea quæ sensui, opinioni, rebus intimis, cognationi, commodis & honori blandiuntur impulerit; præcipueque si etiam visua, immoderatóq; impetu, non patiatur intellectum sedatè, & suo tempore, nihil præfestinando, de modo & susceptione rei deliberare. Cùm enim hominis propriū sit ratione & iudicio cūcta moderari, quotiescumq; illis nō mouetur, restat vt vel à Deo moueatur, qui nōnisi ad sancta & diuina mouere solet, certè ad vana vel praua numquam; vel à dæmone, vel à natura, vel à sensu & cupiditate: quorum quodliber sumseris, nonnisi malum esse potest, saltemq; non bona erit origo, atque vt minimùm erit corrigenda. Si enim aliquid non malum, & tempore non suo appetitus obiecisset, intentione meliore corrigi, & in aliud opportunum tempus reiici posset: quod tamen rarò admodum, neque nisi omnibus probè exploratis agendū est; quia omnis appetitui obsequendi consuetudo periculosa valdè est, modum nescit, imperare affectat, & vbi regnare cœperit, tyrannidem exercet, perq; fas & nefas sibi in omnibus obtemperari cogit, ipsam etiam dominā rationem cæco famulatui addicit. quapropter rigidissimè sempercompescendus est, in eamq; veniendū est assuetudinem, vt eorum ad quæ appetitus allexerit, nihil admittamus, nisi si quando apertissima ratio ei suffragata fuerit. Tunc verò, vt olim legimus Lacedæmonios, consilium vtile ab improbo viro profectum, auctore meliore proponi voluisse, ne qua improbitati accessisse videretur auctoritas: ita quoque eius quod ab appetitu profectum fuerit voluntas deponatur, & ad rationem referendo, consilium ineatur, satius sit an non desideria sopita suscitare?

Alte-

Alterum est, vt quotiescumq; de intentionis rectitudine, vel de fine quo impellimur, dubitatio incessit, id omne à cogitatione remoueamus quod controuersum est, & ad ea quæ certa sunt & indubitata conuertamur, indeq; paulatim ad controuersa redeamus. Affectus enim mirè fallax & sophisticus est, caliginemq; intellectui offundens, ficta pro veris, adumbrata pro solidis obijcit, tantumque insinuatione blanda pollet, vt quam in partem vehementior incubuerit, eò secum cetera rapiat. Directò ire contrà, arduum est; obliquare, & ad alia prudenti simulatione conuerti, facilius & tutius. Exemplo declaremus.

Est qui naturæ, vel etiam suorum incitatu, quodpiam in Republica munus exambit, putatq; se vel boni publici, vel honoris diuini propagandi gratia permoueri. Vt exploret an ita sit, non est id munus cogitatione complectendum, quamque per illud multa queant in gloriam Dei perfici; quippe illicò vt muneris adamati recordatione tangetur, nihil in eo nisi maximè adamandū eligendumq; sese offeret. Sed erit Primò mens incitanda ad æternitatis, & salutis, gloriæq; diuinæ ardentissima desideria, eorum autē quæ inde abducunt, queçumq; illa, & quantumcumque expetita fuerint, odium & exsecrationem. Deinde agnoscendum multos fuisse, qui à virtutis & salutis via aberrarunt, qui verbo eam quærere se dicerēt, at re ipsa prauo quopiam amore sibi paterētur imponi. Tertiò, quæ istius non deprehensi erroris causa fuit? nempe harum altera vel vtraque, quòd aliquid adamarint, cùm amor ille ab amore veri finis non profluxisset; aut (quæ altera est) quòd aliquid adamarint quod fini obliquè adnecterēt, dum salutem in deliciis, in diuitiis, in honoribus amant, & nō salutem solā; inde namque sensim fit, vt appetitu maiores impetus nanciscēte, & rationis oculos perfalutis adiunctæ obtentū obuelante, salutis euanescat cura, & deliciis, diuitiis, honori soli seruiatur. Quòd quàm infelix pernicioſumq; sit verissimè iudicabo, simulq; quia homo sum, humani à me nihil alienum putabo, sed statuā ita sincerè in meas voluntates omnes inquirere, vt illas penitus respuam, quarum originem aliunde quàm à salutis meæ, Deiq; mei desiderio manasse deprehendam.

His benè firmatis, Quartò denique inquiram, vnde me istæc honoris cupido incesserit? si comperero naturæ propensione, alienæ laudis æmulatione, amicorum, aliorúmve vanitatis amantium suasione ortum duxisse; minimè fuerit dubium, quin aliunde id quàm à desiderio meæ salutis oriatur, ideoque istius voluntatis vel obliqua, vel prauis admixta erit intentio. Verùm facilè accidet, vt ipse sibi animus mentiatur, nec ea occasione, vel ratione id se velle dicat, quare vt certiùs exploretur, addendum erit.

Quintò, si non satis apertè constat, an appetitu, an ratione moueamur? facit vel ipsa dubitatio, vt in appetitum reiici, & improbari potiùs debeat: si enim ratione moueremur, cùm ratio sit lumen, seque atque suas actiones diluciḍ perspiciat, statim ipsa se proderet, suosque impulsus intimæ lucis radiis manifestos expanderet: quod autem vel tenebricosum est, vel tenebras patit, me-

meritò suspectum, & in respuendis habetur; quippe malum omne lucifugũ est. Sed quid si necdum satis constet, quæ nos intentio permoueat, & de ipsius rectitudine dubitetur? Duo supersunt, quæ plurimum lucis conferent, nempe actionis contrariæ, vel omissionis accurata disquisitio. etenim facilè continger, vt quam rem, affectu præpediente, minùs dignoscere poteram, eandem clariùs ex oppositio vel ex omissione cognoscam.

Vt in eo quod allatum fuerat desiderio honorum: contrarium erit humilitas, cuius bona, perfectionem, Dei similitudinem, securitatem, ingentesque prærogatiuas cùm spectauero, inde facile fuerit in honorem contraria omnia deriuare, aperteque deprehendere, quòd si sectanda sit humilitas, erit honorum fuga quærenda, nisi adeò sponte nascantur, & inuitis minimeque cogitantibus accedant, vt euitari nequeant, & à Deo esse constet. Atque hinc ad honores ipsosmet me conuertendo,

Similiter interrogabo; Quid si honores & munia publica nõ ambiuero? quid inde ad æternæ salutis consecutionem detrimenti? id si verè perspexero, comperiam omni honorum ambitu, muniorumque publicorum perfunctione, multipliciter animum distrahi, ad æterna contentionem remitti, progressionem retardari, peruentionem longè impeditiorem reddi. Itaque vbi apertioribus argumentis, Deique voluntate testatissima aliud non constabit, fieri non poterit, quin mihi potiùs fugiendos, quàm persequendos honores putem; & iudicem, affectu quopiam boni speciem præferente & fallente, me primò in fraudem fuisse propemodum inductum.

Denique, si eos honores obire neglexero, quid mali consequetur, cuius neglectæ legis, virtutis prætermissæ reus ero? si quid occurrit, videbo quàm verè & quanti momenti sit illud, & vbinam incommoda plura, pericula maiora subeunda?

Itaque (vt ad vsum expeditius sit) erit denique Sextò inquirendum, cuiusmodi sit, id quod nostræ voluntati, seu rei quam volumus contrarium est? quæ eius commoda, quæ incommoda, quæ laus, quæ ad vltimum nostrum finem opportunitas? & id genus alia. Septimò, quid si desiderium mutem? ideone à consequenda salute retardabimur? quibus commodis, cuius virtutis exercitatione, quorum vitiorum illecebris, qua peccandi facultate carebimus? & plura eiusmodi. Fieri enim non potest, quin id malè appetatur, cuius contrarium, vel omissio expetenda est: pariterque clariùs patebit, esse id expetendum, cuius contrarium, vel omissio fugienda est. Ac vt plurimùm longè maior lux rebus accertanum, vel omissio fugienda est. Ac vt plurimùm longè maior lux rebus accertandit, cùm etiam ad contrariorum & omittendorum comparationem euocantur: vix enim fiet vnquam, quin diligenter institutâ rerum inter se contentione, clarior lux veritatis erumpat.

Latissimè per omnes humanæ vitæ partes, huiusce prudentissimæ circumspectionis peruagatur vtilitas: in eis autem quæ maioris momenti sunt, vt in vitæ

quapiam formula deligenda, in muniorũ, officiorum, grauiorumque negotiorum susceptione potissimè adhibenda est: in aliis quoque omnibus, quæ non tanti momenti sunt; sed expeditiùs & longè minùs operosè.

Vt, si quopiam proficisci, studere, scribere, loqui, cõcionari, docere, animum remittere, & aliorum quiduis voluero: in promtu habeam oportet finẽ ad quem sum procreatus, qui Deus est, ad quem non aliter, quàm ex instituti mei rationibus, & fine cõstituto mihi tendendum est. Itaque celerrima mentis acie prospiciam, quàm sit istud mihi, rationibusque instituti mei consentiens, & vitis illis, qui in eo ceteris præluxere, conforme: retardétne, an ad celsiora promoueat sit, nec ne quidpiam, cui ratio melior aduersetur? Quæ pauca si veraciter, si sinceriter frequententur, mirè valebunt vt intentionis rectitudo ad purum excoquatur. Sed iam quotuplex sit dicamus.

CAPVT VII.

Quotuplex sit recta intentio.

HAnc mihi veniã, vel breuitatis, vel perspicuitatis gratia hoc loco dari postulo, vt verbis vti liceat, nouis quidẽ, at minimè à cõmuni vsu remotis, sed quæ maximè familiaribus, & ad rerum naturam magis accedentibus. Atque ita,

Ex antè dictis hîc est repetendum, omnem eam intentionem, generatim loquendo, rectam esse, quæ rationi rectæ conformis est: tunc autem conformis est, quando id vult, quod conuenienter ad finem ipsi naturæ propositum, velle potest. Si verò quæsieris, quid sit recta ratio? equidem iudicium est non depraui tũ, diuinæ voluntati se conformans, à natura nobis inditum, adeoque à bono prauа secernens, vt quamuis nonnemo affectus prauitate ad deteriora rapiatur, nihilominùs quid melius foret agnoscat, & in alijs laudet, suamque peiora sectantis vicem doleat. Denique hæc est quæ conscientiam vellicat & tranquillat, faciliusque ab vnoquoque sentitur, quàm quid sit exponitur.

Iam verò perpẽdendo quid intẽtio recta spectet, quóue moueatur, quadrifariam eã diuido. Primam, voco rectam necessariã, hoc est, id spectanté, quod necessariò spectandũ esse, recta ratio docet: idq; locum habet, quoties cumque vel præceptis obedire, vel prohibita vitare statuimus. Quod ipsum quoniã dupler est, poteris, si adlubescit, necessariam istam, iterum bifariam diuidere, nempe in eam quæ mandata perficit, & eam quæ vitandis prohibitis inuigilat: quibus nomen philosophicum si cupis inditum, positiuam illam, negatiuam hanc, appelles licet: at sine his commodè potest intelligi. Interim huius distinctionis erit vtilitas, vt perspicaciùs, partiatim intuendo, iudicemus an rectitudini intentionis quippiam desit, deesset autem, si in harum partium altera quidquam deforet; hoc est, si vel agenda perficere, vel cauenda vitare nollemus.

Altera

Altera intentio recta, est intētio virtutis, quam intelligo cùm spectata quadā certæ & specialis virtutis exercitatione, vel assecutione aliquid agimus. Vt si, quia officij nostri ratio hoc exigit, quia fidelitas, liberalitas, fortitudo, castitas, misericordia, caritas, corporis ad animum subiectio, paupertas, obedientia, vel virtus alia diligitur, & ex eius dilectione, vel ipsamet, vel aliquid ad eā conducens exercetur. Curandumque nobis est, vt non tantillo isto cōtenti simus, si mali nihil agimus, & quomodocumq; rectè egerimus. Quāuis enim nihil nimiū contendendū sit, non est nisi solutissimæ remissionis animi, id solū velle ne quid mali fiat, vel vt boni quidpiam fiat, sed in partē certam, certamq; virtutem destinādus est conatus, fietq; longè fructuosior: cùm enim actionū frequentatione, reddamur magis habiles & promti, ad easdē eodem iterum modo producēdas; si nostras actiones ita facere consuescimus, vt solam intentionem rectā generatim spectemus, fiet vt ad intentionis rectæ obseruationem reddamur promtiores & firmiores: at quamdiu hîc restiterimus, neque singularem virtutem aliquam spectauerimus, nullam virtutem, sed tantummodo vniuersam quamdam ad bona seruanda, mala vitanda cautionem firmabimus. Cùm autem in possessione plurimarum virtutum, sint huius vitæ veræ diuitiæ & vera perfectio, multas verò comparare non possis, nisi singulas compares; enitendum nobis est, vt quantum dabitur, quantum vires & opportunitas ferent, ad alicuius virtutis peculiaris adeptionem quasi scopum collimemus.

Sed hocipsum duobus modis contingit, nempe animi solo voto, & rei cuiuspiā propria & naturali vi. Solo animi voto, quidquis ad cuiusuis virtutis adeptionem referimus, quoties bonum aliquod Deo offerimus vt eam consequamur, vt si eleëmosynam, vel orationem, vel ieiunium, ad fortitudinem, zelum, perseuerantiam à Deo impetrandam obtulero: & quidem vt omnia nobis diuinitus expectanda sunt, ita plurimum valet hæc ratio. Nec tamen satis est, nostros etiam conatus exigente Deo, vnde adiungendus quoque alter est modus, quando cognatas virtuti actiones, easque quæ illius progignendæ vim habent ideò vsurpamus, vt eiusmodi virtutem consequamur: itaque vt fortitudinem acquiramus, & dura patimur, & non temerariè pericula subimus; vt liberalitatē, damus; vt deuotionem, oramus; vt animi æquitatem, affectus premimus: vbi, quo similiores virtuti, & magis arduæ actiones sensuique ac deprauato sui amori aduersæ fuerint, tanto virtutibus progignendis accommodatiores erunt, ideoq; in hoc Religiosorum proborum vigilare oporteret industriam, vt eiusmodi actionum copiam comminisci, earumque exercendarum occasionem nanciscipossint.

Tertium rectæ intentionis genus, intentionem perfectionis nuncupare, distinctionis gratia possumus, etsi hoc nomen vt varium est & latè spectat possit plura complecti. Illam verò perfectam intentionem intelligam, quæ non vnam virtutem, sed multas, easque, quàm commodè poterit plurimas, ex destinato petet, ardenti desiderio flagrans, vt quidquid agit, ex omni parte absolutis-

simum sit. Quare si quæpiam, dura patiendi occasio datur, & perfectam intentionem adiungis, non tantùm in de patientiam exercere voles, sed caritatem, sed humilitatem, sed iustitiam luendis pro peccato pœnis, sed spem & in Deum fiduciam, sed magnanimitatem, sed clementiam, aliasue virtutes quas rerum ipsarum natura & modus promtiùs obijcient.

Cùm enim omnes inter se virtutes, quadam cognatione copulatæ, earumque nonnullæ quasi propinquiori iure sibi sint affines; fermè accidit, vt quoties aliquam ad te propiùs aduocaueris, altera quoque, pro familiaritate sororia, comes accedat, moxque plures aliæ, ad primam inuitantis vocem, faciles irruant. Quod vtinam tam diligenter frequentaretur ab omnibus, quàm est omnibus vtile! imò verò (si quartam quã mox addo exceperis) nihil esse potest, vel ad perfectionem compendiosius, vel ad æternitatem fructuosius.

Quippe hominum actiones, probitatis & improbitatis suæ modum ex intentionis modo sumunt, itaq; ambulatio, quæ est natura sua indifferens, si ex libidine, odio, vindictæ cupiditate, alijsque prauis desiderijs fiat, non tantùm totius peccatorum probris inficitur, sed eo vituperabilior redditur, quo ardentior ad flagitium est voluntatis intẽtio. At si ambulare statuis, ex caritate in proximum, ex obedientia in Superiores, ex desiderio vitia & errores profligandi, ex auiditate martyrij, resque duras pro Christo perferendi, ex vera denique in Deum caritate; en ambulationem, quæ cùm vna sit, tot istis virtutibus insignitur, tot sibi æterna præmia meretur, & quidem tanto celsiora, tantæque æstimationis futura, quanta voluntatis fuerit ad sanctè concupita contentio.

Sed ex hac vna, & quidem indifferente actione, animaduerte, carissime mi frater, quanta sit humanarum actionum si volumus dignitas, quanta damna nolumus. Non equidem ardua, periculorumq; & laborum plena, sed in ijs ipsis quibus assueuisti, voluntatem solam, solam animaduersionem flagito: hanc si dederis, en continuò, virorum sanctitate illustrium te numero inscribo. Orem magnam, & perfacilem paratu! Comedis, bibis, loqueris, taces, legis, oras, Deo sacrificas; hoc ipsum quod agis, hac perfecta intentione age: quàm sunt ad manum paupertas, castitas, obedientia, humilitas, caritas, quæ, præter ceteras, propè in singulis exerceri admodum propriè possint? Exempla modumque proferrem, nisi & admodum essent familiaria, & vnum id esset, quod primo in tirocinio studiosiùs docetur.

Quartum & perfectissimũ intentionis genus est, conformationis ad Deũ; hoc vnũ & solum summè quærendo, vt Deo placeas, & ad eius voluntatẽ te conformes, ita vt nec tua, nec aliena vlla compẽdia, nec æternitatis dãna nec lucra, nec virtutẽ vitiumue, nec euẽtus vllos admodum magni facias, in vna Dei voluntate quærenda habites, hanc non præponas tantùm, sed in ceteris vnam diligas, vnam inquiras, vnam sequaris; hæc enim est omnium expetendorum atq; fugiendorum norma certissima, virtutũ fons, conciliatrix beatitudinis, rerũ omnium

optima

optima gubernatrix, cui qui adhæret, erroris fit expers, & summo bono, omniſq; perfectionis fonte perfruitur, celſiorque terris & cælis ingenitam mutabilitatem quadantenus exuit, & in diuinum traductus affectum non iam humana ſapit, non tangitur vlla ſorte variata, non ſi fractus diſſiliat orbis, ſi ſus deque res & iura miſceantur, peſtilentiæ, bella, clades ingruant, regna & imperia vacillentur, diriſſima quæque irruant; vna ſe diuina voluntate ſolatur, diuina iudicia ſuſpicit, miratur, amplectitur; hinc tranquillitatem ſummam, hinc æternitatis immotæ quamdam in ſe, quatenus homini fas eſt, traducit imaginem.

Quem in ſenſum optimè D. Bern. inquit, *Quoniã Scriptura loquitur, Deum omnia feciſſe propter ſemetipſum, erit profectò vt factura ſeſe quandoq; conformet & concordet auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandocumque tranſire, vt quomodo Deus omnia voluit propter ſemetipſum, ſic nos quoque nec nos ipſos, nec aliud aliquid, fuiſſe, vel eſſe velimus, niſi æquè propter ipſum; ob ſolam videlicet ipſius voluntatem, non nõſtrã voluptatẽ. Delectabit ſanè, non tam noſtra vel ſopita neceſſitas, vel ſortita felicitas, quàm quòd eius in nobis & de nobis voluntas adimpleta videbitur, quod & quotidie poſtulamus in oratione cùm dicimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. O amor ſanctus, & caſtus! ô dulcis & ſuauis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis, eo certò defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur, eo ſuauior & dulcior, quo totum diuinũ eſt quod ſentitur. Sic affici, deificari eſt. Quomodo ſtilla aquæ modica multo infuſa vino, tota à ſe deficere videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens, igni ſimillimum fit, priſtina propriaq; forma exutum: & quomodo ſolis luce perfuſus aër, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tã illuminatus quàm ipſum lumen eſſe videatur: ſic omnem tũc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Quando hoc erit? quis hoc videbit? quis poßidebit? quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Domine Deus meus, tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Putas, videbo templum ſanctum tuum? Ego puto, non ante ſanè perfectè impletum iri; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Ita vir ſanctus; quem vides, ex huius ad Deum conformationis præſtantia, continuò ad æternæ gloriæ & felicitatis mentionem abripi, in qua demũ perfectã abſolutamq; huius intentionis exercitationem fore pronũciat. Quod profectò vt veriſſimum eſt, ita non retardari, ſed vel maximè hinc incitari ad eius deſiderium & exercitium oportet: haud ſecùs quàm ad Dei amorẽ, qui in altera ſolummodo vita perfectus erit, etiã in hac quantum licet exardeſcere ſolemus.

lib. de dilig. Deo.

Igitur conſultiſſimum eſt, & ab omni peccandi periculo remotiſſimum, diuinam voluntatem in rebus omnibus amare, in euentibus amplecti, in faciendis quærere, in futuris optare. Et quamuis aut dura, aut noſtris deſiderijs aduerſa contingant, cùm tamen nihil niſi diuina voluntate fiat, ſemperq; omnia iuſtè & ſanctè faciat, id quidquid eſt velut à iuſtiſſimo Domino, & clementiſſimo patre ratione ſumma profectum, magna animi æquitate iudicijq; ſubiugatione laudemus:

mus: dicamus, & sentiamus, Iustus es Domine, & iusta iudicia tua: omnia quæ voluisti fecisti, in cælo, in terra, & in omnibus abyssis, nec est qui tuæ resistere possit voluntati. Egóne, vermiculus, vt obsistam? quid melius & securius mihi, quàm tibi obsequi, quàm sapientissimæ & occultissimæ tuæ prouidentiæ semper adhærescere? Da mihi Domine gratiam, vt illam semper tota alacritate complectar, summo gaudio excipiam, solerti diligentia exquiram: nihil ab illa durũ, nihil mihi proueniet ingratum: dixisti enim, & falsum esse nequit, te diligentibus, omnia cooperari in bonum. Diligam te, voluntatem tuam Domine requiram, nec timebo mala quamdiu mecum eris, eris autem, & in voluntate tua decori meo virtutem dabis, qui te quærentes minimè deseris.

Non est quidem locus differendi, de iis quæ multa quæri possent, latiùs dicam vbi de diuina prouidentia scripsero: hîc autem id satis sit, absque diuina voluntate, nihil omnino contingere, nihil esse: Deum autem nihil velle, nihil permittere, quod non iustissimis sanctissimisque de causis, licet nobis ignotis, velit: quapropter nihil esse, cui non possim (saltem postquam euenerit) ex iisdem rationibus acquiescere, quibus id permiserit Deus, conuersisque Deum versus mentis oculis, serenitate innubila perfrui. Ecquis enim fando dicere audeat, non dico malum esse, sed non esse laudatissimum, idem in omnibus, eodem modo, eademque ratione velle quâ Deus? estne maior, certior, & ad deriuationem in ceteros aptior bonitas? & cuiusnam potiùs, quàm Dei erimus imitatione boni, conformatione perfecti?

At nonnumquam eiusmodi esse hæc fateor, vt absurdi nonnihil, vel ab humanitate alieni inuoluere, vel præter modum ardua videantur: vt cùm agitur de calamitatibus publicis, insultationibus improborum, de amicorum, fratrũ, parentum morte, damnationeque æterna, & aliis id genus plurimis. Sed in his omnibus indubium est, posse mentem diuinis acquiescere iudicijs, tranquillari, idemque velle quod denique voluit Deus, eadem ratione, eadem qua ipse moderatione seruata. Quid enim? annon optimè, iustissimè, dicam & clementissimè in istis iudicauit? melius si non possum; quid velle melius possum, quàm quo fieri melius non potest? finge, si lubet, gerere me vicem Dei, vel, tantillo momento, esse Deum, aliud nollem, aliud non agerem: quidni ergo nunc idem velim, idemque actum comprobem?

Sed sunt, vt dixi, molestiora hæc & rariora, & in quæ minùs necesse est incipientium oculos defigi, si tamen subinde conuertuntur, & tenebris offunduntur, paratum tutumque sit eis ad petitiorem aliquem asylum, qui & caliginem leniter detergat, & ad faciliora, passim obuia conuertat.

Doceat hinc maximè parabiles erui spiritus diuitias, easque longè pretiosissimas; dum tamen qua methodo decet vtantur, vt quàm mox dicam.

CA-

CAPVT VIII.

Vt recta intentio expeditè frequentetur.

QVæ in rebus ceteris omnibus valet plurimùm, hæc etiam & primò cõferenda est, solicitudo & cura; quæ ipsa tum demum & innascetur, & augebitur, cùm sedulò vereq; perpenderimus, quanta sit intentionis rectæ ad vitia euellẽda, virtutes inserendas, perfectionem comparandam, æterna præmia cõsequenda, Deumque complectendum vis & efficacia: quàm denique absque illa nihil bonũ, nihil rectum; per illam & bonitatis & sanctitatis mensura statuatur. Indicasse sit satis, ne, quàm statui, longiùs abducar. Solicitum autem, rectæque intentionis exercendæ auidum, vt crebrò, vt expeditè id possit, instruamus.

Scribere aggredientem, rei amplitudo deterret, omittam longè plura quàm dicam: nec enim huc vsque progresso silere integrum est. Sed hoc sit primum, vt postquam rectæ intentionis curam menti commendauerimus, quoddam etiam statum tempus decernamus, quod illi excitandæ renouandæque tribuatur: deinde aliud aliquod, quo quid gestum omissumue sit inquiramus.

Primum id tempus, vespertinum sit, quando corpore iam in somnum fatiscente, postremum illud fideli memoriæ depositum commendabis, vt manè primo meminerit voluntatis aurem vellicare, quo confestim & ardenter, seque omnemque totius diei operum decursum Deo consecret, serioque statuat omnem eam vitæ partem, & id omne sibi periisse momentum, quo non aliquid recta intentione perfecerit. Et verò hoc ipsum, prolixiùs & ardentiùs illico vt euigilaueris, exercere conaberis, cauebisque ne vllum vmquam tantum esse negotium putes, quod huic præuerti sine piaculo possit. Breuius id primò atque generatim, mox verò pensiculatiùs, ac etiam singula, quantum præsagire dabitur, Deo offerenda, imò etiam ad rite peragenda, & quomodo sint peragenda, diuinus fauor implorandus est.

His cogitationum actionumque primitijs ita consecratis, plana sunt cetera, dummodo huic tam felici inchoationi, quasi cõsummationi, nõ indormias: iam enim pronior mens est, vt ad actionũ singularum primordia (quod vt dicemus necessarium est) totæ illæ Deo sinceriùs offerantur, quam in curam debes incũbere. Præterea designata sint interualla, quibus ad se reuocatus animus, innouandæ, siue, ne diffluat, repetendæ rectæ intentioni incumbat, quale esset horæ vnius, vel etiam breuius, prout rebus & personis conuenit, quod neque crebrius, neque longius sit, quàm vt facilè constanterque retineri queat.

Maiore verò diei parte decursa, meridies non præteruolet, quin dedita opera, & præfinito spatio, in cogitationum actionumq; tuarum intentionem inquiras, quàm bellè, quàm feruidè, quàm frequenter & purè singulas in Dei gloriam retu-

retuleris; si remissior & solutior fueris, ex animo doleas; si propositum animi, egregia contentione firmaueris, diuinæ clementiæ, quæ ruentem sustinuit, laplantem erexit, ex animo gratias agas, laudem omnem reponas, præsentemque eius opem in reliquum diem efflagites; qua fretus, id dici quod supereſt, actiones occasionesque secuturas mente percurre, & sanctæ intentionis ardore redintegrato, statue, quanam ratione meliore, in honorem & gloriam Dei perfici possint. Tum verò, in negotiis ipsis, fac propositi huiusce tui memineris, id exerceas & augeas, parique qua de matutino tempore dictum est, diligentia, in pomeridianum istud sub noctem inquires, tuamque, si deprehensa fuerit, negligentiam nequaquam inultam abire patieris.

Hæc pauca si diligenter constanterque seruentur, sensim ad maiora promouebunt, & in mirabiles omni que opinione maiores auctus proficient. Quam in rem non parum contulerit, si assueueris numquam in res aggrediendas impetu ferri, sed primo in actionis ingressu sistere, quid & qua intentione sis acturus expendere: deinceps autem vigilem continere mentem, ne rebus præsentibus nimiùm immergatur, sui que, Deique, minùs sit memor, sed adeò rebus & euentis exstet, vt se nusquam à recto & semel proposito fine auelli sinat.

Cuius rei perficiendæ, præstò erit copia quàm maxima, si ad quatuor illa quæ dixi, intentionis rectæ genera cogitationem conuerteris, sedulaque meditatione atque exercitatione, quid ex illis confici possit excusseris.

Et quidem generatim, cùm recta intentio à recta ratione dicatur & oriatur, tanta erit rectæ intentionis, quanta rationum cur aliquid rectè suscipi possit, facilitas & vbertas. Quare si quid egeris quod à ratione non sit alienum, si ambulaueris, ederis, tacueris, locutus fueris, legeris, scripseris, eleëmosynam dederis, obediueris, Deum oraueris, aliudue quodcumque præstiteris, tua te ratio, & inditum à natura ingenij lumen docebit, quàm vanè ob iustissimas rectissimasque rationes id fieri potuerit, quarum vi si permotus fueris, tot intentiones rectas, quot illæ fuerint, operi efficiendo adhibueris.

A te ipso igitur scisciture, quibusnam de causis ambulare, edere vel ceterorum quidpiam aggredi possis, & quomodo ad æternum, Deoque gratum finem eas dirigere? & teipsum consuefacias, plures illas, rectas, Deoque gratas rationes pariter amplecti, ac si singulis mouereris: etenim nihil vetat, estque acrioris ingenij viris perfamiliare, vt rem eandem multiplices ob causas velint. Est autem hæc à se ipso scisciture, & diligentior indagatio adhibenda, Primò, ad singulorum operum initium, vt recta intentione nascantur: secundò, ad finem, vt an benè constanterque perrexerimus iudicetur: tertiò, etiam subinde, opportunè, & pro singulorũ captu, in ipsa rerum decursione repetenda est.

Vt crebritas, vt copia, vt dignitas maior occurrat, percurrenda sunt intentionis rectæ genera singula, scrutandumque quid in singulis lateat, multasque deprehendes actiones, quas generum illorum vnoquoque decorare possis.

Inten-

Intentio quippe recta necessaria (quæ primum genus est) omnibus actionibus adiungi potest, saltem ex ea parte qua peccatum cauet: nulla enim res est in qua nobis videndum non sit, vt ne peccemus; ambulationē, neque loco, neque tempore, neque diuturnitate, neque aliunde illicitam esse oportet: victum quoque, & potum, tempore, mensura, modo, aliisque circumstantiis vitio carere necessariū est; idemque, si per omnia percurreris, vbique asserendum est. Velle autem à peccato abstinere, est errorem omnem, qui nos à fine vltimo abduceret, ideoque rationi rectæ repugnaret, cauere velle; est id nolle, quod æterna Dei lege vetitum est, quod nolle non possumus, nisi quoniam volumus æternæ sanctissimæque Dei legi obtemperare; hæc autem voluntas cùm sancta sit, summeque laudabilis, omnem eam quæ hinc oritur peccati fugam, sanctam atque laudabilem reddit.

Altera verò primi generis pars, quæ est vt præceptis obediamus, latiùs patet quàm prima fronte videatur: cùm enim istæc omnia voluntatis ministerio fiant, nostrum est, quàm altè voluerimus, & vnde voluerimus, actionum nostrarum primordia repetere. Itaque licet ambulatio, nequaquam præcepta, sed maximè sit indifferens, quid vetat, quin eam quoque in aliquam rerum præceptarum classem referre possimus? etenim muneris mei ritè perfungendi, sanitatis, & vitæ tuendæ, necessariò mihi cura incumbit: cui cùm suffragari ambulationem videam, possum eam vt ad res mihi præceptas perutilem vsurpare; quare orietur ex desiderio obtemperandi rationi, muneri, & ad extremum Deo, atque ita fiet ex voluntate omne id obseruandi quod iure & ratione præceptum est. Idem in esu, potu, oblectatione licita, & studiis aliis obseruare facile fuerit. Diutiùs hærere non valeo: frequenti & seria meditatione, hæc tibi reddantur expedita.

Secundum verò intentionis rectæ genus, quod virtutis nuncupani, tanto se facilius offeret, quo fuerit actio quæpiam ad virtutis consecutionem accommodatior. Cùm autem nulla sit actio (quæ modò natura sua non fuerit mala) quæ recta ratione fieri non possit, nihil autem recta ratione fiat, quod non ad aliquam virtutis formam spectet, profectò nihil est, vbi non etiam, si rectè fit, peculiari virtutis intentione moueri possimus.

Imò verò, quoniam cognatæ sunt virtutes, & ad vnius vocem aliæ plures faciles consequuntur, nulla est actio, quæ non etiam ex tertio intentionis genere, quam perfectionis diximus, manare possit: sic enim quam antè recensuimus ambulationem exercere possumus, ad vitæ sanitatisque conseruationem, ad vires caritatis, religionis, obedientiæ operibus instaurandas, ad diuinæ laudis munera exequenda, Deumque ex interuallo puriùs diligendum.

Si hæres, & quò intentionem dirigas, ægrè occurrit; suadeo vt Sanctorum, vt Angelorum, vt Beatissimæ Virginis, vt Christi Domini, vt denique ipsius

Dei tibi in memoriam veniat; tum sanè ipsa etiam copia laborabis.

Sanctorum quidem; qui cùm eandem aliquando, iisdem obnoxiam casibus vitam duxerint, eadem quoque peregisse, iisdem fluctibus agitari, secundis & aduersis probari, illa ipsa, quæ tu modò, mente volutasse potuerunt: ambulauêre, dormiuêre, comedêre, & alia multa huius vitæ, vel indifferentia, seu media, vel sancta & recta peregêre, sed quibus animis? quàm diuina cantate incensis! quanta semper ad perfectionem, ad Deum contentione nitentibus! Tu eorum personam indue, animi sensum in te transfer, nec remissiore ardore tua Deo dedica, quàm sua olim obtulerunt.

Angelos verò, spiritus nobilissimos, ab omni materiæ contagione secretos, perfectaque iam beatitudine fruentes, vbi verè humiliterque contemplatus fueris, magna, & quantam assequi cogitatione non possumus, alacritate diuinis mandatis omnibus obsequi, omniaque hæc adspectabilia, etiam infima, vilissima, inanima, infatigabili assiduitate curare, plurimumque his diuinis obsequiis lætari ac gloriari: quid erit tandem, in quo non reperias, quà diuinæ voluntati obtemperare, tuamque opellam consecrare possis?

Ac præ ceteris Beatissimam illam Virginem, sanctitatis omnis exemplar, intueri, & quà dabitur imitari iuuabit. Nullum illi tempus otiosum effluebat, nulla erumpebat actio, quæ non multiplici virtute radiaret, quæ non ex incensissimo Dei amore oriretur, & ad plures, eosque sanctissimos fines referretur. Quàm sancti eius omnes gressus, aspectus, auditus, verba, esus, somnus, corporis motus & gestus, ac multò magis animi cogitatus! ô, si nunc in terris degeret, si tibi præsens adesset, & quæ acturus es, agenda susciperet, quantis actionem istam virtutibus insigniret! sensuum eius particulam deposce, & non inanis recedes.

Quid enim de filio eius, Domino meo Iesu Christo dignum eloquar? totus nostri similis factus est, iisdem ad vitam alimentis egens, corporis doloribus & functionibus obnoxius, communem cum ceteris vitam, ideoque quibusuis casibus expositam degens: at quiuis eius motus, & actio, etiam quæ naturalis est nobis, in eius erat potestate, erat diuina, erat vndique omni virtutum perfectione delibuta, vna quælibet, vniuersum hominum genus seruare potens. Finge nunc, (nisi fortè decori ratio dissuadet) eam ipsam, quam mox peracturus es, actionem, à SS. Domino in terris viuente peragendam; quibus animis, quàm multa, & quàm propemodum infinitam perfectionem spectantibus, ad eam se conferret? Ingrediatur Dominus in mentem tuam, eamque & omnem cogitationem tuam, non iam quasi tuam, sed quasi suam, quasi omni iure sibi donatam Patri offerat, qua sanctitate, qua perfectione vult & pollet.

Sed & ipsa, omnibus eminens, omnia sustentans summa diuinitas, perfacilem & obuiam, diuinæ se voluntati addicendi, & ad eam conuertendi occasio-

casionem suppeditat. Cùm enim omnibus intimus Deus, omnia foueat, complectatur, conseruet, iisque id omne quod sunt, quod vigent, quod boni & pulcri habent donet; cùm omnis rerum naturalium ordo & varietas, cælestiumque atque terrestrium distributio, à diuina sapientia fluxerit; cùm id omne quod ritè agitur, imò verò id omne quod quomodolibet est, non sit nisi vel volente vel permittente Deo, nihil verò velit aut permittat, nisi summa ratione, eritne in vniuersa rerum machina, quò oculos conuertere possimus, & non illicò diuinæ voluntati atque rationi, esse consentiendum putemus? Sed hoc ipsum distinctiùs, nostra percurrendo enucleemus.

CAPVT IX.

E rebus diuinis eadem intentio frequentatur.

QVÆ in homine sunt, & ab homine fiunt, aut naturalia sunt, aut voluntaria. Naturalia vel eiusmodi sunt, vt in ea imperium liberum non sit, qualis est palpitatio cordis, fibrarum subsultus, respiratio pulmonum, corporis deorsum casuri grauitas: & in huius generis res, sola nobis est optatio quædam, vel comprobatio relicta; optatio, qua desideremus, vt id omne in diuinam gloriam cedat, cor & caro nostra exultent in Deum viuum, eique nostra viuant omnia & seruiant; comprobatio, qua naturæ ordinem, partiumque & rerum inter se aptam conuenientiam probemus, admiremur, indeque in Dei laudem erumpamus. Alia sunt naturalia, quæ voluntati non omnino quidem subsunt, eorum tamen non est adeò necessarius & perpetuus vsus, potestque voluntatis, non quidem imperio solo, sed imperio cui aliud aliquid suffragetur impediri; vt visus, olfactus, auditus, non quidem sola voluntate prohibente, à videndo, olfaciendo, audiendo arcebuntur, sed arcebuntur, si alterius ministerio occludantur palpebræ, nares & aures obturentur: sin autem ad videndum, olfaciendum, audiendum, ardentiore quapiam cupiditate voluntas incendatur, sentiendi vim diutiùs & ardentiùs eò conferet, & perfectiùs illa percipiet. Quo fit vt quæ huius generis sunt, humano arbitrio longè magis subsint, quàm quæ priùs recensui: ideoque in hæc, non tantùm quæ in aliis, optatio & comprobatio nobis est relicta, sed & susceptio, perduratio, cessatio, nostri est arbitrij, atque adeò ad videndum audiendúmve, admouere nos voluntate liberrima possumus, vtcumque vel iniusta, vel iusta, Deoque placente ratione collibitum fuerit. Quare vt benè & rectè fiant, erit eadem quæ in proximè dicendis norma & methodus vtenda.

Præter hæc quæ naturalia dixi, sunt voluntaria, cuiusmodi sunt Primò quidem & maximè quæ sola voluntate peraguntur, vt amor, odium, affectusque voluntarij; sed præterea voluntarium dicimus id omne quod cùm volumus facimus, aut omittimus, aut mutamus, vtramlibet partem liberè complectente voluntate; quo explicatu, tacere & loqui, moueri & quiescere, edere, bibere, ludere, orare, & humanæ omnes, quæ fieri omittíque possunt actiones, voluntariæ dicuntur. Quas vt benè & ex Dei voluntate faciamus, quærendum quàm variè nos eas velle velit Deus? Quis in eius infinitæ atque sanctissimæ mentis arcana penetrabit? Tentandum tamen quiddam est, non tam vt in eius adyta irrumpamus, quàm vt in nostram vtilitatem aliquid inde deriuemus.

Quidquid probum, quidquid rationi rectæ consonum est, id vult, id probat Deus, & ipsi non mediocriter placet, siue ad naturam spectet, siue ad mores, siue ad æterna referatur: etenim naturæ gratiæque conditor Deus, iis gratiam præponit ceteris, vt naturam nequaquam neglectui haberi velit. Itaque consentaneè diuinæ voluntati, & quasi supremi domini, & optimi rerum conditoris decretis obsecundantes, possumus ea velle, quæ ad conseruationem naturæ, vitæ, virium, integritatis, pulcritudinis naturalis, aliorumque à Deo inditorum faciunt: ex eademque voluntate possumus ea non refugere, imò verò optare atque perquirere quæ eòdem conferunt, & cùm præstò fuerint, iis vti modis, quos isti fini congruere natura docuerit; quare & delectationes, licet maior perfectio suadeat resecare, possumus tamen in eum finem, etiam cum laude admittere & quærere, & in auctorem Deum animo grato refundere. Quæ animaduersio, iis quidem potissimè qui ex instituto vitæ minùs perfecta profitentur, sed omnibus etiam vtilissima est: quotusquisque enim hominum reperietur, qui sensus suos ab omni semper voluptatis gustatione arceat? qui auditu symphoniæ, elegantium tabularum adspectu, condimentorum varietate non tangatur, respuat, auersetur, abhorreat? en igitur lapsanti naturæ fulcimentum ne ruat: sic enim si non perfectissimè, at non malè, imò benè, & cùm virtute, cum gratiarum actione, cum diuina laude, quasi à Deo ad Dei gloriam, voluptate licita vtitur.

Sed hîc cauendum Primò, ne nostra sibi mentiatur iniquitas, fingens id se in voluptate amare quod non amat, cùm amet quod amare se negat: dicet non se delectationis, sed naturæ seruandæ causa edere, cùm tamen re vera, vel plus, vel eo modo, tempore & affectu edat, vt id omne, non naturæ, sed delectationi seruire satis constet, qua tamen omnino carere, quàm vti moderatè longè facilius est, vt iam olim omnium ætatum iudicauere sapientes. Secundò, ne blandiente hac opinione decepti, ad perfectiora, sensuumque reprimendam procaciam minùs sedulò assurgamus: nec enim hanc nostra

noſtræ mortali naturæ aſſeruandæ, ſed ad immortalitatem traducendæ nati ſumus, idque omne quod hîc nobis deceſſerit, ſi acceſſionem æternitati faciat, non in detrimenti, ſed ingentis lucri loco reponendum eſt: & voluptatibus obſiſtere, dura ſectari, corpus affligere, non contra naturam, ſed ſupra naturam pro natura, proque immortalitate eſt. Tertiò, quædam ſunt oblectationes propè ſemper licitæ, vt quæ ex cantu & volatu auium, pulcritudine & ſymmetria rerum ducuntur: quædam quæ tantùm ad vnum aliquem finem, vt propagationem generis: quædam quæ vel illicitæ ſunt, vel in deterius accipi ſolent. & hæ quidem omninò vitandæ, aliis prioribus moderatè, licitè, prudenter & ad finem ad quem inſtitutæ ſunt vtendum eſt, ſi vtendum: etſi enim interdum licitus, imò & neceſſarius ſit earum voluptatum vſus, at vix vnquam fiet quin abſtinentia perfectior ſit atque laudatior.

Cùm autem ſeueriores in noſipſos, in alios blandiores eſſe prudens doceat caritas: cùm ad alios deuinciendos & ad meliora trãducendos plurimùm valeat beneuolentiæ declaratio: cùm leuationem egeſtatis, promtamque ad opitulandum & benefaciendum ceteris alacritatem, toties in ſacris Literis commendatam legamus; hinc facilè in ceteros hominum, ſed & ipſas animantes beneficentia noſtra ſe prodet, ſi ad imitationem munificentiſſimæ & amabiliſſimæ diuinitatis, non tantùm neceſſaria ſed etiam iucunda prouidentis, & nobiſcum porrigentis, aſſurgimus. Quid vetat, quin hoc pacto, cibum, potum, lectum, veſtem, quieſcendi, vireſque reparandi opportunitatem, in agendo & loquendo leporem, varia ſenſuum, & animi oblectamenta ſuppeditare coner, delecterque cogitando; En qualia, quàm varia condidit optimus Deus, & ea viliſſimis rebus impertit: non vt ſint tantùm, ſed vt illis etiam iucundè ſit prouidet, & benè atque delectabiliter illis faciendo delectatur? itidem gaudebo, ſi beneficentiam tantam imitari, illis benefaciendo poſſim, nec tam quid faciam, quàm quid per me faciat, & quàm amicè illos oblectet Deus, intuebor. Cumque bonitate atque beneficentia nihil ſit melius, eam omnibus exhibebo, non hominibus tantùm, ſed & rebus: omnes enim Dei ſunt, ipſeque dominatur in omnibus. quare quemadmodum domino & poſſeſſori, vel iniuria, vel commodum inferri putatur, quod ipſius rebus infertur; ita in honorem Dei mei & bonitatis eius vſquequaque diffuſæ, res omnes complectar, Deique in illas liberalitatem, curam bonitatemque demirans, contemplabor quàm ad illas ſe demittat, quàm multa illis donet, quæramque numquid ſit vbi rebus Deo caris ego quoque gratificari poſſim.

Vides, cariſſime frater, quàm latè hæc vna vagetur animaduerſio, quàm ſenſim, & facilè, à rebus naturæ congenitis, & infimis, ad ſummum diuinitatis culmen adſcendat. Cernè à Deo omnia ſunt, & in omnibus elucet, quo fit vt à requirentibus, vbique reperiri queat. Contemplare, & plura comperies. Sed pergendum.

Nec est cur in huius rei erga te ipsum commendatione hæream; quis enim non videt, eadem & potiore ratione qua ceteris, etiam sibi posse bene fieri hoc vno demto, quòd in suis, quàm alienis oblectationibus, pronior est lapsus, & cautio maior adhibenda. Illius equidem mihi semper dictum placuit quæ ad cibum accessura, Dixisti Domine, inquiebat, Quod vni è minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: vna sum è minimis tuis, quem mihi cibum tribuam, cui tribuam, & vt spero, me nequaquam mercede fraudabis. Imitanda fiducia, & paribus animis, pari puritate comitante nascatur.

Istam igitur, in rerum naturalium, virium & oblectationum conseruatione, intentionis rectitudinem conferre possumus, quæ cùm sanctissima Dei voluntate nitatur, ab eaque non recedat, erunt, quæ sequentur, faciliora, breuiusque, vtpote iam explicata, dicentur.

Et quidem, si rerum aliarum, tum inanimarum, tum animatarum conseruationem & commoda curat Deus; multò certè magis tum singulorum hominum, quod iam diximus, tum verò societatis humanæ; quo fit vt id omne sanctissimè velle possimus, dummodo sic velimus, quia ita velle, ita ea conseruare gratum est Deo. Societas autem humana publicè priuatimque seruanda est. Ad priuatam spectant, quæ priuatis officiis continentur, fœmeque cognationis, consanguinitatis, amicitiæ, vicinitatis, studiorum eorundem, conuictus, aut patriæ communione coalescit: quarum rerum cùm officia sint assidua, vixque dies abeat, quin his nominibus aliquid operæ à nobis exigatur: eo rationem qua non inutiliter ad æternitatem effluant, si ea intentione fiunt, vt coalitam necessitudinem mutuis beneuolentiæ signis & officiis propterea firmet, quia non dissensionis, sed pacis & amicitiæ conciliator & fautor est Deus, ideoque dictum legimus, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Sed multò maioris est momenti societatis humanæ publicitùs conseruandæ cura: ad quam laborum pars maxima refertur: ideò magistratus, & omne satellitium, ideò classium, ordinum, muniorum multa varietas instituta, ideò tributa, vectigalia, stipendia constituta; ideò leges, statuta, consuetudines, rescripta principum, responsa sapientum, pacta, conuenta, contractuum descriptiones, rerum & bonorum diuisiones, actionum formulæ, iusti & æqui certa comprehensio, in malefactores & quietis publicæ perturbatores animaduersio, in priuatos ne suis rebus abutantur prouisio; multò tamen maior cura ne quid eorum desit quæ in commune conducunt, vnde est portium, fluminum, portuum, ædificiorum, propugnaculorum, vrbium, aborumque plurimorum reparatio, annonæ procuratio, ditionum limites, iura regnorum, municipiorum priuilegia, & alia sexcenta quæ ad societatis humanæ commodum conferunt, passimque & sumtu, & permagno labore curantur. Iam, cùm in eo plurimorum desudet industria, proniſque ad vitæ peritiam com-

commoda mentibus, vix nisi lucellum, nisi ambitiosum fumum spectent, quàm lugendum tot sudores, tot industriorum hominum vigilias, tam angusto fine concludi? En quàm facilè, tam qui præsunt, quàm qui suas variè operas conferunt, eam ad res agendas afferrent mentem, vt societatis publicæ conseruatori & amatori Deo placere, vnaque cum illo, etiam suum aliquid minimum, ei conseruandæ conferre possent. Quis viliorum operarum, quis mercatorum, literatorum, militum, Principum, & reipublicæ gubernacula moderantium, ita in rerum suarum, muneriſque sui procuratione versatur, vt oculos ad cælestia & diuina illa conuertat? Veriùs quàm optandum esset, dilectus Deo discipulus dixit, *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* audisne remedium morbo fieri? ne cupiditate vincaris, Dei voluntati obsecunda, obserua quod præcipitur, *Carnis curam ne feceris in desideriis, Post concupiscentias tuas non eas.* 1. Ioan. 2. Rom. 13. Eccli. 18.

Sed si quæ ad huius vitæ & societatis conseruationem faciunt, tantopere placent Deo, quanto illa magis quæ ad æternam gloriam vel necessaria esse vel conferre videbuntur? quare, horum singula ea intentione suscipiam, vt id faciam quod Deo meo probatur.

Ad æternitatem autem conferunt, Primò & maximè ea omnia sine quibus nemini ad æternam gloriam patet aditus: cuiusmodi est fides, spes, caritas in Deum, diuinorum humanorumque præceptorum obseruatio, instituti vitæ à me suscepti, muneriſue impositi sedula perfunctio, & quæcunque ad id conducunt & prudenter obeuntur. Plurima item alia, plus minusue, propiùs aut remotiùs, ad æternam gloriam, maiore vel minore bonitatis vigore referuntur. Non mediocriter, sed recta voluntate, eruditio & scientia, omniſque ad eruditionem susceptus labor valet. Plus tamen potest virtutum exercitatio, Sanctorum & Christi Domini imitatio, rerum duriorum, opprobriorum, iniuriarumque perpessio, deliciarum, honorum, omniumque perituroru seria contemtio, rectissima, nihilque nisi ex Dei voluntate suscipiens intentio, caritas in omnes homines & quidquid ex ea caritate in actionem deriuari multipliciter potest, ad aliorum eruditionem, correctionem, exhortationem, moresque componendos, operaque & studium quod ad illa perficienda collocatur. Denique huc spectant quæcunque ad societatem in fide, sanctæque Ecclesiæ vel conseruationem vel propagationem non minùs latè recenseri & fieri possunt, quàm quæ ad humanæ societatis conseruationem commentata esse, & exerceri diximus; est enim infinita quædam immensitas eorum quæ ad Ecclesiastica munia, dignitates, officia, instituta, iura, leges, pœnas, & præscripta, excogitantur, docentur, obseruantur. Quibus in rebus, aut quauis earum parte, qui aliquid opere confert, quomodo in vnam diuinæ voluntatis concordiam conspirare possit, per se est obuium, & ex antè dictis peti potest.

Ad

Ad maiorem verò copiam memineris quemuis laborem, actionem, cogitationemúe non malam, offerri Deo posse, vt eius ope, gratiæq; liberalitate, hanc illamúe virtutẽ, tibi vel alteri impetres: Item vt alium quemuis qui ad eius gloriam faciat, optatum finem sortiatur, quod in plurima negotiorum & rerum varietate perfrequenter vsurpare consultum est: Tertiò, in gratiarum actionem ob beneficia quædam, aut etiam plura cælitùs accepta: Quartò, in honorem Sanctorum, multoque magis Dei: Quintò, in memoriam, honorem, & gratiarum actionem huius aut illius mysterij vitæ sanctissimæ Dei Genitricis, Dominique nostri Iesu Christi. Quæ cùm sola hominis voluntate, forinsecus adplicentur, & facilè possunt, & quantouis numero eiusmodi plura reperiri.

Cuius rei copiosiùs & promtiùs faciendæ facultatem, crebra quadam exercitatione comparare oporteret. Primò quidem & maximè, sic re ipsa nos ad id præstandum vrgendo. Deinde, ne, cùm ad res ipsas ventum fuerit, tarditate vel ignorantia præpediti hæreamus, in sermonem familiarem, communi consensu, & de industria inducenda sunt, quæ ad id conferunt amica colloquia: vt si quæras, quàm variis modis per singulas diei actiones consuetas exerceri paupertatem, obedientiam, humilitatem, in proximos & in Deum caritatem, patientiam, aliasque virtutes possis; non sic quidem, vt de his omnibus simul quæras, sed de vna tantùm; atque hoc modo vnius virtutis vim in varias actiones dispersam cupis. Potes & aliter, Vna in actione, plures virtutes, pluresque rectæ intentionis modos quærere; vt si quæras, Quàm multipliciter ex recta intentione literis vacare, vel aliud quiduis agere possis. Est autem hæc vtraque disquisitio mirè vtilis: & quam si fortè, ob parium & idem sapientium inopiam, colloquiis non potes inserere, at potes ipse tibi obiicere, seorsimque commentando dispicere, quantopere tibi liceat omnia ad virtutem, ad perfectionem, ad sanctissimæ diuinæque voluntatis conformationem referre, adeò vt tibi tantum actionum nihil pereat, hominique iusto (sacris suffragantibus Literis) verè totus mundus diuitiarum sit. Hæc igitur meditare contentiùs, in his te exerce frequentiùs, neque credideris his neglectis, Christiani, nedum Religiosi hominis, officio ritè posse defungi.

CAPVT X.

Quænam è recta intentione ortum ducant.

CErtum est actionum voluntariarum nullam esse, quæ non ex aliqua intentione proficiscatur: quidquid enim volens & sciens agit, homo, ex alicuius consequendi finis desiderio facit, aut certè in ipsomet fine amando atque perfruendo delectatur: cumque in hac vita nullus huiusmodi finis habe-

tur, imò verò tota ipsa sit ad alteram, vt sementis ad messem, omnia quæ aguntur, alterius vitæ causa sunt agenda, vel si propter aliquid præsens aguntur, cùm id consecuti fuerimus, quia mancum est, & parum satiât, continuò ad alia quærenda conuertimur; quo fit vt actionum nostrarum propè nulla sit, quæ non ex intentione fiat, nisi si naturali impetu, & minimè voluntariè fiat.

Quæ licet ita sint, at sæpè controuertitur, quid ex qua intentione ortum habeat, cuius rei non exiguum est momentum, vtque res explicatiùs dicatur, vulgatissima statuamus exempla; Manè decernit aliquis, cuncta se illius diei opera in honorem Dei, ex vna vel pluribus virtutibus obitarum, ac etiam singulatim præcipua animo percurrit, deinceps verò vel ratiùs vel nunquam eam voluntatem repetit, pluresque actiones suis temporibus aggreditur; suntne ex matutina ista voluntate bonæ singulæ, an ex occasione indifferenti, quæ oblata fuerit, vt ex appetentia cibi, indifferentes habendæ? Iten que, quod multò diffunditur latiùs, est qui Religiosæ vitæ institutum (idemque de quouis vitæ genere diciqueat) ex ardenti se & sua omnia Deo consecrandi cupiditate complexus est, eritne id omne quod in Religione perfecerit, Deo sactum, quasi ex illo primo proposito, ex illa vitæ susceptione dimanans? Reperias qui sic sentiant, partimque D. Bonauenturæ (qui tamen planè contrà sentit, vt etiam videre est in perutili Ioannis Crombecij de Studio perfectionis libro 2. n. 147.) ita inquam sentiunt nonnulli, partim sic intellecta auctoritate permoti, partim quod existiment, primo illo proposito vel susceptione vitæ, non minùs Deo opera secutura donari, quàm fructuum prouentus, etiam in plurimos annos datur, quoties alicui arbor tota donatur.

Benignissima, & cui vulgò faueatur, est ista sententia; in qua id periculi video, ne dum confidentiores, etiam socordiores animos reddat, spirituque diuitias facilè parabiles persuadendo, languescente conatu perpetuæ mancipet egestati. Est tamen quod verè, sed moderatè concedamus, magnoque solatio sit, quod mox videbimus.

Vt igitur dilucidiùs progrediamur à compertis; vniuersam rerum naturam contemplemur, perque singulas quæ aliquando cœpêre, videamus quid sit cur alicuius exortum, huic potiùs causæ, quàm alteri, acceptum feramus? certè illi tribuitur, quæ vi sua illam produxit, vel illa adhibuit vnde produceretur; horum autem neutrum si adfuerit, nunquam id ei tribuetur. Domus ardeat, quæratur, Quæ est incendij causa, sanè physica est ignis, moralis autem, ac etiam alio significatu physica, Lucius qui ignem adplicuit. Arboris quæ causa? semen ex quo erupit, itemque fructus ille vnde semen, arbor altera vnde fructus & semen, & sic deinceps ad primam vsque arborem serie obseruata. Vnde hic pullus? ab isto ouo, ouum ab ista gallina, quæ ipsa ex quopiam ouo, & ita deinceps donec ad prima perueneris. At si obstiteris, contenderisque vel Titium, vel aliud semen, vel ouum aliud, incendio, arbori, pullo dedisse ortũ; in prom-

tu responsio est, id in hominis mentem ne quidem suspicione cadere posse, nisi illorum vi exorta ea esse docueris: quis ita desipit, vt igne Iaponio, incendia nostra dicat excitari? cur? nisi quia vis illius ad hæc nostra non protenditur? quis arborem, eius, cum qua nihil commune interceſſit, arboris causam putet? at assimilis est, vicina, eodem loco, paulò pòst exorta. Probabilia ista sunt, fateor, & quæ ad inquirendum sollicitent, sed nisi, qua vi prioris, exorta posterior sit ostenderis, nihil efficies. Imò verò quo plura, siue natura, siue tempore diuersa interiecta fuerint, eo difficiliùs probatu fuerit, vnum ex alio oriri: vt hanc arborem ab alia quæ mille annis præcessit propagatam fuisse, domum meam interfluente fluuio ab igne seiunctam, illo tamen absumtam. Quæ si persuadere volueris, probes necesse est, causarum illarum vim, quodam quasi vehiculo, ita vel vnius perpetuatione rei, vel plurium ordinata vicariaque successione delatam, ad hunc vsque effectum pertigisse: vt si à prima illa arbore, aliam quandam tot stetisse annis, tum ex hac iterum aliam, ex qua per eandem seriem ad hanc deuenias; si ignem illum cuniculis occultis, vel cuiuspiam delatu, sic domui meæ iniectum, vt ad illam vsque fluxisse constet. Sin autem istorum nihil asseri possit, sed tantùm dicatur, Ibi fuit arbor, ibi fuit ignis, igitur hæc arbor, hoc incendium ex illis ortum est, eritne qui assensum id asserenti præbeat? nempe paradoxum est, vt aliquid ex altero ortum ducat, quod neque est, neque sui vim vllam reliquit, quæ ad eiusce rei productionem vsque perduret. Itaque si quæsiuero, An Titius qui nunc viuit, sit à Mario qui annos abhinc quingentos vixerat oriundus, gradatim erit sursum versus reuertendum; si autem comperero Titium Lucij filium, Lucium Caij, Caium Marci, Marcum Quinti, Quintum Seij qui ducentis præcessit annis, filium fuisse; quo verò patre & quibus maioribus sit ortus Seius interciſa memoriâ ignorem, quis mihi hîc hærenti, nec ad Marium vsque progredi valenti fidem adhibeat, si Titium à Mario ortum ducere præfractè asseruero? scio familiarum, hereditatum, & à maioribus acceptarum opinionum, ad id probandum suas esse vires; at nunc iis sepositis de rei natura, ortuque conditione loquor, quæ id exigit, vt quid, à quo, quibus intermediis natum sit ostendatur: quod si non possumus, ingenuè nos id ignorare fateamur.

Iam igitur cùm à me quæsiueris, vtrùm à matutina illa intentione qua omnia eius diei cogitata, verba, opera, cibum, potum, ludum, studia, in Dei honorem facere decernebas, vtrùm inquam, abs illa intentione sint orta, si maximè praui nihil interceſſerit? idem quod modò dixi à te obseruari postulo: nempe vt obserues, qua vi, & qua serie, matutina illa voluntas, ad hanc, de qua quæritur, actionem vsque deuenerit; cùm enim ea imbecillitate sint homines, vt nihil sola voluntate extra voluntatem producere queant, non possunt abs illa sola, multoque minùs abs illa quæ præcesserit voluntate actiones dici existere, nisi demonstretur exoriens ab illa voluntate vis quædam, quæ ad illam, qua

de

de agitur, actionem vsque decurrat. Cuiusmodi fuerint, si, postquàm cocus omnia illius diei opera, & speciatim quæ sui muneris sunt, ex humilitatis amore in Dei honorem curare decreuerit, culinam adeat, ligna comportet, ignem subiiciat, aquam hauriat, & in ceteris apparando cibo necessariis desudet. Pariqúe ratione, sit Professor aliquis, qui manè primo suos omnes labores, actiones, ac nominatim quæ sui sunt muneris, Deo dedicet, indeqúe ad studia se conferens, modò legat, modò scribat, modò doceat, & in id genus occupationibus perseueret. Quis in dubium vocet, quin istæ & coci & Professoris actiones, à matutina intentione dignitatem sortiantur? etenim sic ab illa sunt exortæ, vt ex desiderio adimplendi muneris, perpetua quadam serie fluxerint.

Sed quid, si ignis ardore, vel sudore exæstuans cocus, siti exardescit, vtque illam sedet, interrupto labore, potum quærit & bibit? quid si Professor, ingenij contentione fatigatus, ad hortum vires reparaturus adeat? eritne ex matutina omnium operum intentione censendum, aliquid bonitatis in hæc deriuari? Erit sanè si ab illa ortum ducant, sin minùs, non erit. An igitur ab illa sit, quæramus: vbi certum est, ab illa ipsa quæ aliquanto antè esse desiit voluntate, hanc rem esse non posse, nisi per intermediam aliquam, cuius interpositu à priore dimanet, vt cùm inter se connexæ & in vnum finem quædam referuntur actiones. cùm igitur matutina illa in Deum omnia referendi voluntas desierit, nec sit aliquid quod ab illa voluntate ita sit exortum, vt ex eo hic potus, hæc ambulatio oriretur; dici non potest ab illa voluntate hæc esse exorta, &, quod consequens est, credi non potest, ex illa in hæc aliquid redundare bonitatis.

Obiicies, Ille potus, illa ambulatio, fuit instaurandis muneri meliùs exequendo viribus, cumqúe id muneris Dei causa aggressi essent, debuere & illa in bonitatis partem venire. Ita est, fateor: verùm sic, non à generali ista matutina voluntate, sed à studiosa sui muneris susceptione laudem eam mutuabuntur, quia sunt aliquid muneri illi opportunum, ideoque cum illa voluntate connexum. At si sola propensione naturæ ad sitis fatigationisúe molestiam depellendam, bibissent, ambulassent, profectò nihil illis boni inesset, essentqúe mera actio naturæ. Vnde agnosces, idem esse iudicium ferendum de plurimis quæ solent occurrere, vt quod alicui fortè obuio loquaris, quòd suo tempore bibas, dormias, rideas, audias, videas, & oblatis occasionibus vtaris; quippe hæc & quæ his similia sunt, etiamsi manè cogitata, & præuisa, ac ex tunc oblata Deo fuerint; nihilominùs eiusmodi sunt, vt nunc ab occasione data oriantur, nulla verò cum illo matutino proposito connexione iungantur: cùm enim tempus interceßerit intermedium, quo legisti, docuisti, ambulasti, quî fiet, vt à primo illo proposito in hanc actionem, quæ post illas sequitur, deriuetur vlla virtus nisi per intermedias? (quippe à re disiuncta in remotam, nonnisi per interiecta transitur.) atqui actiones illæ docendi, ambu-

landi, illam postremam ridendi vel edendi, nulla sua vi produxere, sed casu & solo tempore præcessere: quo fit vt intelligere nequeam quæ matutino proposito tam desultoria vis inesset, vt operibus tempore dissitis, nullaque efficaciæ perpetuatione coniunctis vim suam impertiri posset.

Si (quod solet vulgus) dixeris, propositum illud non esse reuocatum; ideoque vim eius permanere; aut falsum, aut saltem quod probandum fuerat, quasi tuo iure, sed minimè verè, sumis. Cùm enim propositum, esse desiit, (desiit autem vbi primùm cogitatio desiit, & in aliam est mutata) non potest eius vis manare in id quod dissitum est, nisi sit proximum aliquid quod vim illam suscipiat, certaque continuatione ad vltimum vsque perducat; ita vt quemadmodum si catenæ ex mille annulis connexæ, vltimum eumque longiùs remotum, per primum qui propior est, ad te velles adducere, ita primum traheres, vt primus secundum, secundus tertium, ac deinceps propior quisque traheret sequentem, & vis trahendi deferretur per intermedios ad vltimum: si verò vis illa in intermediorum aliquo sisteret, continuò sequentes omnes, immoti starent, nec in eos à primo diffundi posset. Itaque quando manè constitui studia, verba, potum, cibum, occupationes meas omnes, etiam suis temporibus prouisas, diuinæ gloriæ dedicare,

Primò & maximè, non hîc tantùm, sed in ceteris omnibus, videndum est, vt non oretenùs, sed re vera ita sit: timendum enim, ne sæpenumerò præter blandam nobisque illudentem naturæ assentationem nihil sit; iam vel affectu, vel consuetudine ferris ad legendum, loquendum, ambulandum, dicis autem, Ad Dei gloriam; Perscrutare quæso te ipsum, verène Dei gloriae est quæ ad id te impulit? annon aliunde id volebas? an si diuinæ gloriæ rationem non haberes, id nolles? vellem, inquis, sed cùm alia de causa voluerim, in diuinam gloriam dirigo. fieri potest, fateor; sed quàm incertum est? & frequenter quàm patum credibile! cibum, potum, ambulationem, remissiones animi, parum admodum ad Dei gloriam facientes, ardore summo prosequeris; in obeundo tuo munere, virtutibusque persequendis, quæ diuinæ laudi longè sunt aptiora, eneruiter langues; & credam te promouendi diuini honoris tanto zelo ardere, vt hinc ad illa desideranda mouearis? Ita sit opto; ægrè tamen adducar vt credam.

Secundò, ne ipsi nos fallamus, sic habendum est; Non esse in illo matutino proposito vim aliam, quàm vt ex eo bona censeantur, quæ vi illius fiunt, fiunt autem illa sola quæ non interrupta vi oriuntur: interrumpitur autem, quauis obliuione, cogitatione, aut actione naturali diuersa & non ex eadem vi exorta: vnde post matutinum illud studendi, loquendi, bibendi, omnesque actiones Deo dicandi propositum, videndum an ex studio meo oriebatur ille sermo, vt fit in disputationibus philosophicis, an sermo meus alias actiones pareret: tum enim ex matutino proposito æstimarentur; at si diuersi generis actiones

actiones sunt, parumque cohærentes, non potest secunda vel tertia à matutino esse proposito, nisi illud instauretur.

Sed, vt primæ cogitationes, seriaque desideria plurimùm possunt, matutinum illud propositum, curam quamdam menti imprimit, facilioremque reddit, vt eadem voluntas confestim, nec aliter quàm in recèns exstinctæ lucernæ fumo flamma redintegretur: quod tanta celeritate & habilitate à viris bonis fit, vt omnem pænè animaduersionem fugiat. Quare maximi facienda est recta ista intentio matutina, quæ quo contentior fuerit, eo faciliùs recurret, imò etiam se obtrudet inuitis.

CAPVT XI.

Vtilem esse atque commodam quam explicuimus sententiam.

NE autem veriorem, quàm hominum imbecillitati fauentiorem hanc meam sententiam credas; obserua quod dixi, Ex intentione recta id omne bonitatem mutuari, quod ex vi eius exoritur. quod sanè latissimè patet, docetque esse consultissimum, vt id bonarum actionum genus recta intentione deligamus, ex quibus aliæ plurimæ pendent.

Vbi vide, quanta sint in recta instituti vitæ electione compendia; cùm enim actionum, quæ inde nascuntur, infinitus propè sit numerus, emolumentorum quoque immensum esse numerum necesse est. An etiam damnorum, quæres, vbi mala intentione sit electum? ita sanè, dum tamen in eadem prauitate hæreatur; at id remedij præsto est, vt quod malè cœpisti, meliore mente pergas: nec enim rei, sed solius animi, qui facilè mutari potest, id vitium fuerat.

Cùm igitur vitæ aliquod genus ritè elegisti, vel electionem ita correxisti, vt in eo nonnisi ex diuinæ gloriæ desiderio perseuerare statueris, quamdiu in illo eris, quidquid ex rationibus illi statui propriis egeris, à recta illa electione, atque adeò à recta intentione, & consequenter in Dei gloriam, æternamque coronam tuam esse censebitur. Itaque si sic vxorem duxeris, omnis actio quæ ex matrimonij fine manabit, vxori placere, rem domesticam curare, tueri & augere, liberos educare, & eiusmodi plurima, ex eadem prima intentione qua id vitæ institutum elegisti, tamdiu æstimabuntur, quamdiu ex desiderio se suo vitæ instituto conformandi proficiscentur: id solum hîc est tum incertius, tum fraudulentius, quòd harum actionum plurimæ prauitati naturæ illudunt, variaque cupiditate facillimè à primo instituti vitæ proposito eo magis abducunt, quo minùs id renouari, sed obliuioni tradi solet.

Nec dissimiliter cùm sacerdotij, vt vocant, sæcularis statum elegisti ad vnius Dei gloriam, ad hanc eandem omnes totius vitæ actiones quæ inde profluunt, ad finem vitæ vsque referentur. Ac ita, quoties in tuo te munere perfectiorem voles, aut facies, vt quoties leges, aut addisces propria, quoties vestibus à sæculari diuersis vteris, quoties coronam in capite, capillumque & barbam in Ecclesiastici morem attonsam geres, quoties à choréis, conuiuiis, consortiis statum eiusmodi dedecentibus abstinebis, & in aliis plurimis; toties ex prima intentione vtiliter illa fient.

Sed hæc vtilitas in vita Religiosa longè clariùs emicat: nam & eius susceptio nulla blandientis naturæ deceptione contingit, & non solent propria voluntate sed Præpositorum destinatione munera suscipi, & maximus earum actionum est numerus, quæ vel omnino, vel certo modo & tempore præscribuntur. Itaque quòd istiusmodi capitis, pedum, corporis integumento vtantur; quòd isto tempore surgant, dormiant, vigilent, loquantur, taceant, comedant; quòd ad hæc vel illa danda, capienda, dicenda, facienda facultatem postulent; quòd isto loco, vrbe, regione, parte domus habitent, supellectile vtantur; quòd istiusmodi rerum externarum procurationi, quòd confessionibus excipiendis, quòd literis humanioribus, aut Theologiæ vacent, & alia sexcenta; ex instituti suscepti rationibus oriuntur, vnde fit vt ex eadem qua institutum delectum fuit, intentionis rectitudine dignitatem hauriant. adeò vt Religioso, à sui instituti amore non recedenti, sibique vel mediocriter attendenti, difficile sit inutiliter, facillimum & creberrimum vtiliter & sanctè agere: quippe ipsæ quoque animi remissiones, quas hodie recreationes vocant, si intra regulæ præscriptum, si moderatione Religiosa, si tempore constituto, si iuxta morem in Religione vsurpatum admittuntur, quis neget etiam eôdem referri oportere? aliàs enim vel pro libito, vel aliis rebus, vel diutiùs, vel sese aliter immoderatiùs oblectarent. Ergo plurimi ducendum, & vel hoc solo beati prædicandi sunt Religiosi, qui benignitate Dei singulari, vitam æternitati tam frugiferam sortiuntur.

Verùm hîc mihi leuis quidam, & facilè depellendus timor surrepit, annon sensim prima illa eligendi status intentio, quasi longo confecta senio emarcuerit, & naturam emutans, consuetudinis habitum induerit: quis enim nescit, vel in somnis, vel perturbatæ mentis homines, id subinde & sine frustratione perficere, cui longa olim exercitatione insueuerant? atqui hæc ad rectam aut prauam intentionem vnde id didicerant, referri nequeunt. Quidni ergo pariter, ex quadam consuetudine, soloque naturæ impulsu, Religiosum isto tempore sic indui, comedere, dormire dicemus? Dici inquam, nequit, quia hæc ipsa consuetudo, ex instituti susceptione, rectaque intentione manauit: eapropter & consuetudinem, & quidquid verè ex consuetudine oritur, istuc referre oportet. Etiamne, inquiens, quæ dormitans, quæ alia cogitans fecerit?

si

si non hæc, cur ista potius? Certè quamdiu à vigilante, volente, intelligente fiunt, non est cur à prima intentione fluere negemus, illa quæ ita sunt, vt sine intentione prima nequaquam essent. neque tamen negauerim fieri posse, vt ex mera naturæ assuetæ proclinatione fiant, in iis præcipuè hominibus qui veternoso torpore depressi, Religiosæ vitæ dignitatem nec memorant vnquam, nec ad eam solicitiùs actiones moresque componunt: at in viris illis, qui diuinæ vocationis memoriam, crebra & læta gratiarum actione non patiuntur intermori, quibus nulla iucundior quàm liberationis ab Ægypto, & adscriptionis in Dei familiam esse potest recordatio; in his inquam viris, intentionis primæ vis nunquam effœta veterascet, sed maioribus in dies incrementis vegetior efflorescet ad singula. Ita igitur conare, ac nihilominus *uoli altum sapere, sed time.*

Finem facio, si de continuatione & interruptione verba pauca; Vt scias actionum continuatam eam connexionem exigi, quæ non tantùm ex naturali vi, sed ex eadem finis intentione proficiscatur: ideoque in exemplo coci superiùs allato, licet ex vi laborum oriretur sitis, & ex continuatione studiorum fatigatio, ex hac verò remissio, ex illa potus sequeretur; quia tamen hæc licet naturaliter secuta, non tamen ex propositi finis intentione secuta sunt, propterea non fuerunt ad primam intentionem referenda; quæ fuerat in coco, vt per ciborum præparationem muneri suo ad Dei gloriam faceret satis; itidemque in altero, vt per literarum studia Deo seruiret. Si quis autem inimici sui, qui Romæ degit, interficiendi causa, si alter Religionis ergò, Romam simul proficiscuntur; ecce tibi totius profectionis tot variæ partes, quia ad vnum illum finem aptæ, ex illoque sunt ortæ, improbitatem & bonitatem suam, à proposito fine mutuantur.

Hanc verò continuationem ea interruptio discidisse censenda est, quæ siue breui, siue longiore mora, aliquid non ex eodem fine ortum interseruerit, cogitatione, cessatione, opere: vt in illa Romana profectione, si conquiesco, dormio, comedo. Sed post hanc moram, vtrùm ex priore intentione ad agendum reuertar, videndum est; si enim eadem quæ priùs ago, vt si in itinere cum euigilaui pergo, vel nouum aliquem mihi finem præfixi, vel non; si præfixi, iam non à priore, sed à nouo hoc moueor; si nihil mihi præfixi noui, certè vetere permotus fui, & in eodem perseuero. Ex quo plurima iudicabis, vt quòd in perlegendis Canonicis horis mente euagaris, ac subinde euagationibus mutatis perpetuò in legendo pergis: si deinde dubitatio mouetur, vtrùm satisfeceris præcepto dum aliena cogitares & legeres? inquire, ex qua intentione sit ista lectio profecta, annon ex voluntate solitum pensum persoluendi? quòd verò varia occurrerint, cogitationemque abduxerint, itáne abduxerunt vt priore voluntate potentiores lectionem præciderint, an verò ad finem vsque perducta? si perducta, satis est argumenti prioris intentionis vim eousque

que valuisse, vt simul cum euagationibus incurrentibus perduraret: dum enim lectio durabat, durabat effectus, & quasi impressio motionis à prima voluntate concitatæ. At si derepentè cum obuio aliquo verba misceret, hæc collocutio quamdiu perseueraret, tamdiu priorem intentionem euerteret: nec enim persoluendi horarij pensi finem spectat; sed si fabulatione relicta, ad legendum se refert, cùm id legendi non alia esse causa possit, censetur instaurari prior voluntas, & reiungi quod dissiluerat.

Ex hoc plurima dignosci queunt, & quidem in iis quæ vix nisi ex aliqua vna causa fieri consueuerunt, vt orationes, ieiunia, labores, & quæ naturaliter nisi vtilitate vel honestate proposita non expetuntur, facilè animaduertimus, vnde fiant. At vbi cupiditas vel honorum, vel voluptatum potest impellere, ad Deum verò ex virtute referuntur, vt in cibo, potu, laude, magistratu; nulla rectæ intentionis intermissio periculo vacat: furtim enim blanda se cupiditas insinuat, pronumque est, vt *qui spiritu cœperant, carne consummentur.*

CAPVT XII.

De rectæ intentionis signis.

OBscura sunt, quæ in animo latent, cumque de virtutibus quærimus, an sint in nobis, in ambiguo hæremus, & coniecturis agendum, vt exploremus, an quæpiam illarum vestigia deprehendemus: vbi & non rarò nos fallimus, dum, vt D. Gregorius loquitur, *Sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat.* Vniuerse quoque pronunciat D. Hieronymus, *Conueniat vnusquisq; cor suum, & in omni vita inueniet, quàm rarum sit fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. neque enim statim, qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extendens pauperi manum, Deo fenerat: vicina sunt vitia virtutibus. difficile est, Deo tantùm iudice esse contentum.* Sunt multæ & inobseruabiles pedicæ, quas detorquendæ rectæ intentioni latenter recondit Satan, eiusque se rebus implicandos deliciarij sensus nostri, amorque nostri immodicus vltrò offerunt. quapropter etiam accuratissimus indagator sui Gregorius Magnus hîc sibi diffidit, & trepidat, & auxiliatrices aliorum lacrymas poscit. *Dum ipsam,* inquit, *subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanæ laudis interserit. quod cùm tam postmodum tardeq; discerno, inuenio me aliter agere, quàm scio me aliter inchoasse. Sic etenim sæpè intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè sibi subiuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis*

1. p. Past. cap. 8.

Con. Lucif. cap. 6.

In Moral. extremo.

laudis assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Vnde plerunque contingit vt refectionem corporis, quam salutis causa cœpimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur quòd rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minùs recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autẽ de his diuinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Quare magna, & suspicienda humilitate concludit; *Igitur quæso vt quisquis hæc legerit, apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat: & omne quod in me sordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione me superat: si cùm per me verba accipit, pro me lacrymas reddit.* Vtinam pari nos & æstimatione lugeremus, & subtilitate scrutaremur! Interim verò ex his

Primum rectæ intentionis argumentum sit, si animum nostrum diligentiùs pertentantes, nulla moueri nos humanæ laudis cupiditate sentimus. hæc est vna expugnatu difficillima, & capitalissima rectæ intentionis inimica; de qua quoniam in superioribus copiosè dixi, plura non addo.

Secundum, quod & primo dignoscendo conueniet, vt animaduertamus, vtrùm rem illam per nos potiùs, quàm per alium quemuis confectam malimus: etenim si nihil nisi gloriam Dei quærimus, perinde fuerit à quocunque proueniat. Quoties accidit vt alicuius inopiam leuare, inscientiam docere, vitium corrigere, concionari, & alia præclara agere, sed ipsimet velimus, ab alio facta esse doleamus? exemplo sit, si post elaboratum diligenter librum aliquem, subitò eiusdem argumenti alter prodeat, ita vt meum assimile opus perpetuis tenebris sit obuoluendum; quàm erit id gratum? annon optabo præuenisse? quid si aliquid à te præclarè factum est, & alteri tribuatur; quàm lætè id feres? istiusmodi plura pro cuiusque affectu excogitare facile est: fermè etenim quibus afficimur plurimùm, illa per nos effici, in eisque superari nolumus. Præterea æmulationis & inuidiæ quotquot non iam riuulos, sed flumina videmus exundare, prauæ intentionis fonte deriuari, recta verò intentione exaresceere compertum est.

Tertium, si (dummodo nulla nostra culpa) euentu aduerso, nostrisque conatibus euersis imperturbati perstamus, idque tum maximè cùm sanctiori iustiorique conatui nostro eorum hominum inuidentia vel improbitas aduersatur, qui quàm maximè fauere, nobisque conspirare debuissent. Si enim nihil nisi honorem Dei quærimus, ipsa nos (quod ad nos attinet) boni conscientia solatur, fructum ceterum, diuinæ prouidentiæ, quæ sua cuique rei tempora posuit, cum patientia relinquimus: certi, futurum, vt quando voluerit, & vtile censuerit, etiam post seros annos, id intermissum & emortuum desiderij nostri semen, erumpens germinet.

De 7. itin. æternit. itin. 1. d 4.

Quartum ex D. Bonauentura, humanæ laudis (vt loquitur) detestatio est, & Dei glorificatio, hoc est, vt non aliunde concitari nos sentiamus, quàm diuinæ gloriæ desiderio: quod ipsum ex aliis coniectandum est, & maximè si pari diligentia quæ latent, & quæ patent, nullouè teste fiunt, exequeris, imò etiam, ne alij resciant optas, iuxta consilium Domini, vt clausis ostiis oremus, eleëmosynam faciamus ita vt siniſtra, quid dextra fecerit, nesciat, Deusque qui abscondita intuetur, reddat in aperto.

Quintum ex eodem est, sobria secundis in euentibus mentis exultatio; etenim quæ Deo, rectaque virtute nituntur, eadem & æquabilia sunt, nullosque immodicos vllam in partem motus pariunt.

Sextum tradit idem auctor, si alios corripiens, te ipsum primò corrigis: nam si eodem laboras morbo, quem in altero arguis; quid aliud, quàm alienam correptionem, quasi tuam excusationem facis? inde quippe iustus videri appetis, quòd malum videns improbas, & ab alio depulsum cupis.

Septimum è D. Gregorio sit asserente, quòd vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem: qui enim à Deo permouentur, peccatorum & delinquentium miserentur, & malis ereptos cupiunt; at qui sui opinione laborant, & quasi sanctiores, aspernantur ceteros, indignantur, irascuntur, aliosque contemnunt. Quod quidem verum est, sed altiore principio ducendum esset, & cum aliis virtutibus est commune. A quibus tamen & similibus alia perquirendis abstinebo, ne longior opinione fiam, & iam dudum volentem me ad se rapit operis optatissima conclusio.

LIBER

LIBER DECIMVS,

De Delectatione Victrice.

CAPVT I.

Quanti illa referat.

FAcem hîc præferet eximius Gratiæ defensor & enarrator Augustinus; vtinam eiusdem gratiæ largitor, & è cuius plenitudine hauriunt omnes, Dominus noster Iesus Christus, suo me lumine collustrare, & ea menti subiicere dignetur, quæ ad ipsius gloriam, & perseuerare cupientium vtilitatem conferant. Et verò, quid iucundius, quàm de delectatione; quid vtilius, quàm de omnium victrice disquirere? Hæc est, quæ iucunditate, mulcet, allicit, detinet; hæc, quæ fortitudine, roborat, vincit, coronat: Vis quædam diuinitùs in animum instillata, qua id quod rectum est, amamus, quod prauum auersamur, omniaque vel malè blandientia, vel à recto deterrentia, fortiter contemnendo vincimus.

Hæc est quæ improba vitiorum tyrannide dudum pressos, vixque se in spem libertatis erigentes, non tantùm respirare, sed ad libertatem atque dignitatem filiorum Dei adspirare atque peruenire facit: hac sine nemo benè bonum inchoat, cùm sine hac nemo verè bonum diligat; hac desinente & intermortua, illico inchoata bona deseruntur; at resumuntur, vigent, & ad extremum vsque retinentur, ipsa si redintegretur, vigeat, seque nobis indiuisa comes adiungat: verbo dicam, hac sine, nemo perseuerat; cum hac autem, nemo non perseuerat. Itaque hanc dicit D. Augustinus eam esse suauitatem, quam donat Deus, vt animæ nostræ terra suos virtutis fructus ferat, aliàs arida & sterilis futura, velut ager quem nec ros nec vlla pluuia molliuerit. Nec multò pòst Victricem delectationem vocat, quæ scilicet aduersantes cupiditatum illecebras, terrores ab improbis intentatos, inolitæ consuetudinis vim, & quidquid vitiis suffragatur, euincit & expellit. Quam compellationem, quia dilucidior, quia gratior ad aures accidit, ceteris prætuli: quantumuis, etiam improbam illam, quæque ab eo quod rectum est, abducit, delectationem, quodammodo Victricem, quando virtutem vicit, hominemque sibi subiugauit, dici posse videam. Impropriè tamen id diceretur, cùm non victoria, sed mera ibi clades reperiatur: cupiditas morbus est, nec vincit morbus, cùm perimit, sed quo maior, eo pernicio-

De mer. & remiss. lib. 2. cap. 17.
Ibid. c. 19.

niciosior est, & ipsi peius est; pariterque cupiditas, quo maior eo vitiosior, quo minor eo sanitati propinquior est; non vincit, sed miserè perit, qui furore percitus, pro hoste amicum vulnerans simul se perimit, & quomodo voluptatius vinceret, qui amicam virtutem fugans, peccati letalis vulnere se conficit? sed neque dici potest voluptas victrix, quam summus Iudex summis & imparibilibus, quosque effugere non poterit, doloribus addicit. Istáne est victoria dicenda, quam quo momento consequeris, eodem & captiuitatem, captiuitatem inquam dirissimam, & æternandam subis? Sed his omissis constat satis quid spectemus, & quantopere liquidissimam illam mentis delectationē optemus, quæ impuram omnem vitiorum caliginem aut pruriginem, castissimo splendoris ardore dissipans, ad veram nos iustitiæ lucem, Deique nostri ardentissimum amorem grata suauitate conuertat.

Hinc etiam idem D. Augustinus lib. 1. de gratia Christi cap. 13. hanc ipsam, suauitatem ineffabilem nuncupat, quam cap. 35. ait esse Adiutorium ad bene agendum, quod Deus naturæ atque doctrinæ adiungit, flagrantissimam & luminosissimam caritatem inspirando. Quo, & similibus locis, vtrumque solet S. Doctor coniungere, vt nouerimus delectationem victricem, licet in intellectu, in scientia non sit, sine intellectu tamen, & sine scientia non esse, cùm eiusmodi sit donum, quo Deus menti nostræ, iustitiæ lumen infundit vt agnoscatur, sed & voluntati suauitatem ac impulsum inspirat vt delectet & ametur, ac præ ceteris (in quo victoria est) eligatur: Itaque lumen est, vt doceat & regat, ardor est, vt permoueat & inflammet.

De correp. & gratia cap. 8.

Neque minùs splendidum est nomen, quo eandem, Delectabilem perpetuitatem, & Insuperabilem fortitudinem indigetat: quæ vel sola nomina, perseuerantiæ dignitatem & mirè extollunt, & clarè exhibent: quid enim fortitudine, & insuperabili fortitudine præclarius? si maximè illa eadem cum delectabili perpetuitate sit coniuncta, aut potiùs ipsamet sit delectabilis perpetuitas; nam & perpetuitas, ipsa per se, esse solet optabilis, & si delectatio accesserit, quid mihi beata esse crederetur? quia perpetua, non deficiet; quia perpetuò delectabilis, tædio non afficiet. O donum, non humanis vllis viribus, sed sola Dei boni largitate sperandum! annon hæc à sancto consolatore, sancta consolatio virtus, qua ex alto induebantur Apostoli? delectatio sic indiuulsè iustitiæ adhærens, vt etiam carceribus, virgis, plagis, ipsa quoque pro Christi nomine obita morte gauderent! Veni sancte Spiritus, & emitte cælitùs lucis huius radium: consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium; da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium: vt piè canit Ecclesia, iunctisque desideriis poscimus, & aliunde nobis obuenire non posse scimus.

O amicabilem Dei opt. max. in homines prouidentiam! eos quidem, nè à recto aberrent, æternisque se malis inuoluant, præscriptis legibus docet, minis deterret, pœnis refrænat, exemplis permouet; sed hæc vel tantæ instabilitati non-

nondum esse satis, vel amoris (in quo salutis summa consistit) dignitati atque profusioni parùm respondere iudicauit; ergo suauissimæ, nobilissimæ, purissimæ delectationis illecebris, in intimum mentis sinum largifluè infusis, humanæ voluntatis amores, virtuti, perfectioni, Deoque adhamat, & firmissimè suauissimeque connectit. ô bonitatem, neque vnquam ardenter satis amandam, neque satis pro dignitate laudandam, & pro sui singularitate mirandam! *Omni homini conuerso ad Deum*, inquit magnus Augustinus, *mutatur delectatio, mutantur deliciæ: non enim subtrahuntur, sed mutantur.* Mutantur in meliores, in sanctiores, in penetrantiores; pro illicitis licitæ, puræ pro turbidis, pro sordidis intaminatæ succedunt. Hæc est gratia, hæc doctrina Dei, quam (vt idem sanctus Doctor loquitur) *cum ineffabili suauitate infundit, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem.* Quod expertus quidam, meritò clamabat, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

In psal. 74.

1. de grat. Christi c. 13.

Sciebat bonus & prouidus Dominus, ea conditione hominem conditum, vt, quod verissimè animaduertit S. Gregor. *Anima sine delectatione esse nunquam possit.* Sciebat quoque similem eis rebus fieri quibus delectatur, cùm ad illas tota rapiatur, immergatur tota, & vires totas ad earum adeptionem effundat: appetitioni enim vis quædam dominandi, & cetera sibi adiungendi inest, ac vbi etiam delectationis gustatus accesserit, tùm verò iritatur & ebriatur, vehementior incumbit, aduersa cuncta perfringit, & quo steterit pluris, eo magis inardescit, & adeptione lætatur. Ne igitur & tam blandè inserpente, & tanto impetu prosternente hoste superemur, quæ optima, ea quoque iucundissima esse voluit Deus, virtutique maximam & verissimam adiunxit delectationem. Ad hanc quidem, fateor, non ita pronus est aditus, volenti tamen patet, & vt velimus, vt assequamur excitat, iuuat, perficit auxiliator Deus. Elegantiùs, an verius dixerit Cyprianus nescio; *Nihil animum fidelem sic delectat, quam integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec vlla maior est victoria, quàm quæ de cupiditatibus refertur.* Quæ postrema verba, pulchertimam delectationis tantæ, tamque iustæ rationem exhibent: etenim omnis victoria iucunditatis quiddam parit, omnesque homines eò natura duce feruntur, vt putent, retulisse victoriam, aliquid esse præclarum.

lib. 18. Mor. ca. 8. vel. 6.

De bono pudic.

Vnde fit vt quo iustior, vtilior, strenuior fuerit, de pernicioſiore & potentiore hoste victoria, tanto sit ipsa iucundior: quid autem vel iustius, vel vtilius, vel difficilius vincitur quàm praua cupiditas? Terrores, timores, minæ, vno verbo, quod idem Sanctus ait, *malum omne, facilius vincitur quàm voluptas: quia illud quidquid est, horridum est, hoc blandum.* & ecce cupiditate deuicta, à fœdissima seruitute vitiorum, ab improbissimo dominatu sensuum, in libertatem rationis asserimur, ad vitam dignam homine respiramus, ac tum demum gustando ex-

Eod. lib.

perimur, quanto purior & suauior sit mentis oblectatio, qua veluti clauo clauum, sic delectationes corporis delectatione mentis extrusimus. Quam vtramque pulcrè interse componens D. Ambrosius ait, *Quoniam summum virtutis incentiuum proposuit Deus futuræ beatitudinis delectationem: idcirco vehemens quoque calcar erroris, delectationem diabolus excogitauit.* qui dolus nostra summa infelicitate tam feliciter illi cessit, vt in primis illis capitibus furtiua delectatione superatis, etiam vitam secuturæ per omnia tempora sobolis elideret. Nec vna clade contentus, quod semel ita bellè & expeditè cessit, iterare non cessat: monetque D. Augustinus, *Plures tamen noueritis, dilectissimi, capere aduersarium per voluptatem, quàm per timorem. Allicit enim homines,* vt inquit D. Ambros. *magis dulcedo peccati, quod ad præsens influit, & impinguat audientis affectum, quàm triste virtutis, qua fidei spem, velut quodam cortice amari laboris inuoluit.* O nos desides, & primis sensuum illecebris nimiùm faciles vinci! quod obuium est, etiamsi fallax, arripimus; quod minùs expositum, etiamsi verè frugiferum & suaue, fastidimus.

Præf. in psalm.

De symb. ad catech li. 2.

In psalm. 1.

Equidem nisi benignissimus Deus & lumen largiatur, quo errorem nostrum, quo bona vera videamus, & sensum donet, quo iustitia & virtute delectemur, eâdem cæcitate capti, iisdem semper in sordibus volutaremur: at miseretur, & liberat, liberatique miramur, & vnde, & quomodo tantopere simus emutati non capimus. Ita ille quem consuetudinis ansulis obstrictum, antiquæ amiçæ nugæ nugarum, & vanitates vanitatum detinebant, vbi primùm luce securitatis cordi infusa, dubitationis tenebras, & fluctuationis incertum depulit, protinùs incenso corde clamabat, *Domine, ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant; Domine quis similis tibi? Dicant, & respondeat mihi, & dic animæ meæ; Salus tua ego sum. — Quàm suaue mihi subito factum est, carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiciebas enim eas à me vera tu & summa suauitas: eiiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo.* Iam ecce, primo in aditu sentiebat, quod olim ad populum è celsiore loco dicturus erat, *Quis enim sic delectat, quam ille qui fecit omnia quæ delectant?*

D. August. Confess. li. 9. c. 2.

In psal. 32. Ioan. 6. Tract. 26.

Iam re ipsa sentiebat, quod olim latiùs in illa Domini verba, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum,* explanaturus erat; *Nolite cogitare inuitum trahi, trahitur animus & amore. — Ego dico, parum est voluntate, etiã voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si poëta dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio; quanto fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate,*

tate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur: Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, & sentit quod dico: da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Et post nonnulla; Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quia quò currit, trahitur, amando trahitur; sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas: non trahit reuelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem? Quo auidas fauces habere debet, vnde optare vt sanum sit intùs palatum vera iudicandi, nisi vt manducet & bibat sapientiam, iustitiam, veritatem, æternitatem?

Audis quo fonte deriuetur victrix delectatio, cùm sic agnoscitur, sic amatur Deus, vt agnoscatur, vt ametur quasi bonorum omnium summum bonum, summè delectans, summa beatitate complens. *Delectetur impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò opum diuersarum, vinolentiæ, latißimorum & luxuriosorum conuiuiorum. Hæc est potentia cui inuides, iste flos est qui te delectat? Nonne, etsi semper sic esset, plangendus esset? Quæ erunt autem deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit. Quia hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum; quod vinum est, non potest tibi esse panis; quod tibi lux est, non potest esse potus. Deus tuus, totum tibi erit: manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; possidebit te totum integrum, totus integer; angustias non ibi patieris, cum eo cum quo totum possides; totum habebis, totum & ille habebit qui vos possidet. Tu tantùm securus esto, custodi innocentiam, pretiosa res est.* Ista D. Augustinus, quæ clariùs & latiùs persequi nostri non est instituti: sed cùm delectationem victricem tanti esse, vt per eam ad summè delectantem perducamur, iam sit probatum, videamus quid sit delectatio, & qua potissimè via, si non eam comparare, cùm Dei donum sit, at retinere, conseruare, & ad eam nos habiliores præbere possimus.

August. in psalm. 36. conc. 1.

CAPVT

CAPVT II.

Quid sit vera hominis delectatio?

DElectatione hominem duci iam diximus, & cuiuis notissimum est; sed est etiam id proximum, vt eadem in re permansionem delectatio efficiat, quamdiu ipsa permanet. ita videas in comedendo, legendo, ludendo, & similibus actionibus, tamdiu perseuerari, quamdiu comestio, lectio, ludus oblectat: at si saturitas, tædium, fatigatio, sublato sensu voluptatis, molestiam creant, tum statim vel ab iis cessatur, vel si qua vi perseuerare cogimur, non sine tædio fit, & quasi durissimum iugum, id excutere conamur: quid grauius, quàm si saturato cibum ingeras, si benè fatigatum, & ab eo ludi genere auersum, in agitanda pila contorqueas? Sed hæ sunt delectationes corporis, quæ & facilius comparantur, & ægriùs quàm delectationes mentis conseruantur, vt suo loco dicemus: interim vt ab illis ad has transeamus,

Vnicuique rerum generi eam vim indidit Deus, vt & sui conseruationem appetant, & iis quæ sibi commoda, naturæque conuenientia sunt, propensiùs & quasi libentiùs adiungantur. ita suis teneritoribus flagellis, implicati abieno pedamini vitem, ita diuturna siccitate hiulcos agros calentem imbrem penitissimè sugere, & quodammodo sitibundè ebibere, itidemque in vnoquoque genere res singulas id auidissimè complecti videas quod naturæ suæ congruit, expanduntur, diffunduntur, vberiores & lætiores arridet. Si verò sensu præditæ sunt; tum sanè naturalis existit delectatio, quam optimè D. Thomas, verbisque rem aptè & apertè indicantibus, ait esse *ex præsentia connaturalis boni*. Quo fit vt aliæ sint visus, aliæ auditus, aliæ aliorum sensuum, aliarumque rerum delectationes, id etiam aliquem oblectet, quod alteri dolorem parit; quia cùm naturæ diuersæ, nec non interim pugnantes sint, diuersa atque interim pugnantia sint necesse est, quæ illis conuenire possint.

1.2.q.31. a.1.c.

Quidquid enim delectat, necesse est vt ei cui delectationem affert, bonum esse videatur, eique coniungatur, & quasi bonum agnoscatur. In ipsa enim delectatione duo necessaria sunt, coniunctio boni, & huius coniunctionis quasi bonæ perceptio: nec enim absente bono delectamur, sed vel tristamur, vel desideramus; &, si præsens, at incognitum, vel ingratum fuerit, neque sic delectamur: si enim adest, & nescimus, nulla inde potest esse iucunditas, molestiam verò creabit si auersamur, vt si ægroto, cibosque quibus eget fastidienti, eos ingeras. At verò quoties aliquid nobis bonum esse credimus, illudque sic assequimur, vt iam id in nostra esse potestate videamus, inde necesse est vt voluptas & delectatio consequatur. ita aures harmonia præsenti, quam harmonicam iudicent, tamdiu delectantur quamdiu bonam iudicant, visus

1.2.q.11. a.1 Ad 3. & q.35. a.1.c.

visus floribus & lene ridentibus pratis, palatum gratis saporibus, nares odorum fragrantia gaudent.

Cùm igitur delectatio, sit perceptio præsentis boni cogniti, bonum autem cognitum ametur, & amoris tum perfunctio tum expletio soleat esse iucunda, propterea id omne quod cum delectatione coniunctum est, iucundè, alacriter, impensè fit, laboremque delectatio exhaurit. Quod ô vtinam in delectationibus illicitis non vsque adeò verum videremus! sed si in illis, tantum tamen valet delectatio, ratione Deoque repugnante, quantum illas valituras credimus, quibus ratio, quibus Deus, & optima omnia suffragabuntur? Iam enim ab illis quæ corporum erant, ad eas quæ animi transeamus. Verùm,

Ex eodem D. Thoma obseruemus, duobus modis aliquid quod concupiscamus esse delectabile: vno modo, quia conueniens est naturæ, vt cibus & potus, & quæ ad naturam sustentandam & fouendam faciunt; quare harum rerum desideratio, dicitur, Concupiscentia naturalis. Alio modo dicitur aliquid esse delectabile, quia id nobis conueniens & bonum esse apprehensione persuademus, & huiusmodi concupiscentia dicitur non naturalis, vel cupiditas. Et quoniam tam hominibus, quàm brutis quiddam est secundùm naturam conueniens, atque delectabile, ideò etiam communes atque necessariæ illæ; hæ verò, quæ ex cognitione oriuntur, propriæ & appositæ dicuntur. Cùm autem in iis quæ concupiuimus oblectemur, quando ea sumus adepti, inde fit vt pro concupiscentiæ vario modo, varia exoriatur delectatio: cùm enim naturaliter aliquid concupiuerimus, & adepti fuerimus, naturalis, siue corporis delectatio sequetur; cùm autem cognitione, persuasione, cogitatione impellente aliquid concupierimus, & assecuti erimus, inde delectatio existet, quàm non naturalem, mentis, propriam, vel appositam nuncupare possis. 1.2.q.30. art.3.c. 1.2.q.31. a.3.c.

Iam verò, cùm apprehensio, siue imaginatio, & cognitio hominis, non in sola sensuum bona, sed in alia excellentiora, puriora, & à corporis concretione remota rapiatur, ex omni verò desiderati boni consecutione delectatio sequatur; dici non potest, quin etiam ex eiusmodi bonorum adeptione delectemur, illa si nouimus illa si acquisiuimus: cumque non corpus, non imaginatio corporea, illa percipiat quæ tantopere sunt expurgata, non erit qui inde delectetur, nisi intellectiuus, vt vocant, appetitus, siue quod idem est voluntas, cuius tam est proprium bonis mentis delectari, quàm sensus appetitui delectari bonis corporis. Quare D. Augustinus hæc spectans dixit, *Cùm consentimus appetendo ea quæ volumus, cupiditas; cùm autem consentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur. Itemq; cùm dissentimus ab eo quod accidere nolumus, talis voluntas metus est; cùm autem dissentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est.* *Ibid.a.4.* *Lib.14.de Ciuit.c.6.*

Quibus è verbis, totaque doctrina, multa maximi momenti docemur, & id quidem primò, vt, si propriè loqui volumus, non dicamus id esse hominis, quod

in homine vel naturâ, vel ipso necdum volente, & animum aduertente contingit; quare si quæ delectatio (vt impropriè loquar) vel irrepit vel irrumpit in sensus; pariterq; si quæ cuiuspiam rei auiditas aut inserpit, aut vrget; quamdiu consensum solicitata voluntas negat, tamdiu neque hæc cupiditas, neque ista delectatio dicenda est; non erit quoque, vel metus vel tristitia dicenda, nisi voluntas accedens cesserit. Est enim æquissimum, vt mutationes, perturbationes, agitationes & obiecta, quæ vel forinsecus adueniunt, vel naturæ vi etiam inuitis hominibus obtingunt, non tam hominis actiones, quàm aliorum in hominem impressiones, & quodammodo iniurioſæ in repugnantem aggressiones & habeantur, & dicantur. Ita est, quis tamen vulgi torrenti leges dabit? vidit voluntariorum & inuoluntariorum motuum sensus eosdem, eandem esse pelliciendi, exterrendi, varieque permouendi vim, itaque eodem vtramque vel delectationis, vel tristitiæ, vel metus, vel cupiditatis nomine compellant: & deficientibus alijs nominibus, idipsum sequi, & indiscriminatè loqui cogimur. At meminisse oportet, tum demum eas esse homini delectationes proprias cùm voluntas accesserit; sin minùs, non hominis esse sed animantis, sed sentientis, sed naturæ, sed corporis & sensuum: vnde id præterea conficio, partem eam delectationis, quæ potior & præstantior est, à cognitione & voluntate, hoc est non à corpore sed à voluntate, pendere.

Præterea intelligimus hinc, quomodo cum vera tristitia delectatio, duæque diuersæ atque inter se pugnantes delectationes esse simul in eodem homine possint: etenim si dissentiente atque renitente voluntate, blandæ quæpiam imagines, diutiùs, lepidiùs atque lætabiliùs sensibus inferantur, fieri non potest quin corpus earum oblectatione tangatur, tamdiuque tangatur, quamdiu illarum præsentia sensibus illudet: nec enim in voluntatis est potestate efficere, vt non delectetur sensus, quando aliquid naturæ suæ conueniens nanciscitur. Verùm cùm id inuita & repugnante voluntate fiat, ipsaque iudicet, bonum illud delectabile, non bonum, sed verè malum esse, quod fugiat, quod auersetur & perhorrescat, præsentis autem mali proprium sit, tristitiam parere, necesse est vt quod sensui iucundum est, id sit tali voluntati iniucundum, amarum, exosum, grauique tristitia contrahens: tum igitur si in vno eodemque homine tam voluptatè pelliciatur sensus, tamque fortiter voluntas recti retinens contrà renitatur; ecce in vno eodemque homine, res eadem quæ delectationem sensui, tristitiam & dolorem voluntati, & quo maior ac importunior delectatio fuerit, eo acerbiorem ac intolerabiliorem tristitiam parit.

Quando verò simul sensus noster voluptariis rebus allicitur, & præsentes eas nactus delectatur, simul autē sanctioribus cælestium deliciis perfusa mens despretis infimis ad suprema liberiùs euolare contendit; duæ tunc in homine contrariæ delectationes insurgunt, quarum quæ potentior fuerit, vel alteram exstinguet (nec enim sensu dominante vigere mentis delectatio potest) vel re-

ctæ

ctæ rationi subiugatam, moderatiùs atque defæcatius cùm voluerit adhibebit, repellet vbi noluerit: sunt enim etiam suæ nonnullæ sensibus oblectationes, quæ sic hauriuntur, vt liquidissimis animi voluptatibus nihil officiant, nonnunquam & eas prouocent, & augeant plurimùm. Quis nescit & ex auditu fidem, & ex pulcherrimo rerum quas videmus ordine, Deum quem non videmus intelligi? & his ipsis in eundem pelliciendi amoris finem vtitur allector Deus.

Ex his autem quasi in transcursu dictis, omnis illa mirabilis, sacrisque Literis & viris decantata, carnem inter & spiritum, pugna cuiusmodi sit, quàm anceps, quàm varia dignoscitur. Tota enim & inter delectationes est, & delectatione geritur, & delectatione finitur; pugnarum incrementa, pericula, fraudes, clades, victoria, induciæ, pax, ruptaque pace redintegrata bella, quid nisi alternantis, recrudescentis, iritatæ, repressæ, vincentis, victæ, languentis, iterumque vigentis delectationis vicissitudines atque conditiones sunt? ô beatum illum qui delectatione mentis delectationes vicit corporis!

Est autem delectatio mentis, quædam naturalis animæ quies, adepto quod sibi conuenire credit bono: fitque ad similitudinem corporum, quæ in loco sibi conueniente, vt grauia deorsùm, leuia sursum, naturaliter quiescunt, quasi tum demum illis benè sit; aliàs (vbi non impediuntur) mouentur, agitantur, naturalemque locum quodammodo suspirant: sic animus, vbi non delectatur, non quiescit, auidè inhiat sursum, deorsum, vbi delectetur inquirit; quod vbi repererit, quiescit, delectabiliter fruitur, nec inde nisi delectatione recedente diuellitur. *Locus animæ*, inquit D. Augustinus, *non in spatio aliquo est, quod forma occupat corporis; sed in delectatione, quò se peruenisse lætatur. Delectatio autem perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa caritatem.* *D. Thom. 1.2 q.31. art.8.* *In psal.9.*

Cùm igitur delectatio, sit grata quies animæ, non potest ea in re vera esse delectatio, vbi vera quies esse non potest; cuiusmodi esse nequeunt quæ fluunt pereuntque continuò, & quæ animo perturbando quàm tranquillando sunt aptiora. Atqui in corporis fluxis delectationibus, quæ totæ in rerum incertarum motione consistunt, cùm ipsæ sint instabiles, quæ stabilis quies esse potest? quapropter, eis insultans D. Augustinus, *Vbi sunt*, inquit, *deliciæ vestræ, propter quas ambulatis vias prauas? Non dicimus, Vbi erunt, cùm hæc vita transierit, sed modò vbi sunt? Cùm hesternum diem hodiernus dies abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit: quid eorum quæ diligitis, non transcurrit, & transuolat? Quid non fugit pænè antequàm capiatur, cùm ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda: ipsius horæ vnius, quæ præsens est, nihil præsens est; omnes enim partes eius, & omnia momenta fugitiua sunt.* Neque verò id in delectatione, quàm in tempore minùs verum est. Eius enim quæ auditu, gustum, tactum leniùs titillat, estne pars vlla quæ permanet? delectatio quæ præteriit, desijt; quæ futura est, nondum est; præsentis autem, quantulum est momentum! quàm decurtatum! quàm volaticum? *Serm.15. de verb. Apost.*

Iam verò si à ratione sunt alienæ, si diuinis legibus repugnantes, nulla quies, ac proinde neque vera delectatio esse potest, in rebus eis quæ mentis, ratione præditæ, verum bonum pessumdant, prauitatem, errorem, ignorantiam, insanitatem pariunt, ordinem euertunt, carnis & sensuum à domina ratione, Deique lege iustissima rebellionem fouent. Verissimè D. Augustinus exclamat, Deoque loquitur, *Quies est apud te valdè, & vita imperturbabilis.* atque loco, *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hinc animus à recto deficiens, instar corporis est deficientis à vita, cui bene esse non potest, in morbos, in corruptionem, in dolores & fœtores labitur; nec dissimiliter animus, in infirmitatem, in tenebras, in anxios timores, conscientiæque cruciatus, improba delectatione compingitur, semperque in deteriora prolabitur, augeturque peruersitas, nisi se ipse respiciat, & errore correcto vitam sanctiùs instituat.

Confess li. 2. cap 10.
lib. 1. cap. 1.

Quod cùm fieri cœperit, & quasi illucescentis diei tenuiter aurora splenderit, amarus quidam peccatorum dolor, præteritarumque sed prauarum delectationum horror animum occupat, suique iam & pudet & pœnitet, facta infecta cupit, & de malè factis à se pœnas exigit, acer expostulator, durusque sui vltor, ac innocentiæ prostitutæ vindex. At quoniam hic ipse dolor, rationi consentaneus est, mali depulsor, & bonorum est euocator, quoniam ad Deum, qui finis, qui summum bonum, qui pacatissima hominis quies est, reuocat; hinc fit vt iusto isti dolori acquiescens anima, tranquillari incipiat, spe meliorum erigatur, & mirabiliter dolor ille dulcescat, eo iucundior, quo amarior, imò lacrymæ ipsæ quo vberiores & calentiores, eo sunt omni risu gratiores. Nempe id efficit, partim rectitudo naturæ conueniens, cui gratum est malis pessimis, duraque voluptatis seruitute liberari; partim & maximè, Dei Domini nostri liberalis benignitas gratiæ suæ delectabilem suauitatem infundens, hominemque humanis, hoc est amoris, vinculis sibi leniissimè arctissimèque deuinciens.

Concludamus igitur, Veram hominis delectationem, in mente esse, rationi consentire, ex iis duci debere quæ pacem animo pariunt, conscientiam tranquillant, vitia & perturbationes reprimunt, ad æternam beatitudinem conducunt, Deoque fini vltimo & summè desiderabili atque delectabili propiùs adiungunt. Intra meos me limites arctabo, aliàs quomodo hæc fiant, quàm variæ quantæque sint sanctæ delectationes amplè admodum diceretur, & pleni sunt Sanctorum libri. Aliquid leui brachio obiter tentemus.

CAPVT

CAPVT III.

De eadem delectatione ex D. Augustino, & D. Thoma Aquinate.

SVbtiliter (vt assolet) quodam loco disserens D. Thomas Aquinas, asserit, ex delectatione singulas actiones, imò ipsum etiam hominem esse iudicandum bonum vel malum, ideoque eam ait esse *mensuram, vel regulam, secundùm quam*, vt eius ipsissima verba referam, *iudicetur bonum vel malum in moralibus.* Cuius sententiæ hanc rationem profert, quòd voluntas, & omnis actio voluntaria, præcipuè ex fine, bona vel mala dignoscitur; id autem est finis, aut certè pro fine habetur, in quo voluntas quiescit; ibi enim finitur contentio, & quasi ad optatam metam peruentum sit, à labore cessatur. Atqui vbi quasi in re quæsita & obtenta quiescitur, ibi delectatio percipitur, est igitur delectatio instar propositi finis, ex qua præcipuè malum bonumque iudicetur; & is malus habeatur, qui malo; bonus, qui bono delectatur; delectatur, inquam, voluntate, mente, desiderio, non autem corpore, soloúe in sensus inuoluntario illapsu. *1. 2. q. 34. art. 4.*

Ex quibus id etiam conficitur, vt, quoniam ex mensura magnitudo æstimatur, inde quoque virtutis aut vitiositatis modum coniectura qua fas est consequamur, & ille vitiosissimus habeatur, qui prauis delectationibus plurimùm irretitur; is contrà, virtute perfectus, cuius in mente virtutis delectatio radices egit altissimas. Quam in rem egregium admodum, multisque sententiis vtilissimis, & gratis acuminibus perspersum D. Augustini locum eius verbis referam: sit licet longior, erunt tamen sancti Patris verba, meis omnibus longè gratiora, speroque non grauatè lecturos, quod cum iucunditate descripsi. Sic autem loquitur:

Amanda est iustitia, & in hac iustitia amanda, gradus sunt proficientium. Prius est, vt amori iustitiæ non præponantur omnia quæ delectant. ipse est primus gradus. Quid est quod dixi? vt inter omnia quæ delectant, plus te delectet ipsa iustitia: non vt alia non delectent, sed plus ipsa delectet. Delectant enim quædam naturaliter infirmitatem nostram, vt cibus & potus delectant esurientes atque sitientes, vt nos delectat hæc lux quæ de cælo funditur sole exorto, vel quæ sideribus & luna fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum: delectat canora vox, & suauissima cantilena; delectat odor bonus; delectant etiam tactum nostrum quæcunq; pertinent ad carnis *De verbis Apost. serm. 17.*

nis aliquam voluptatem,& hæc omnia quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, vt dixi, oculos & spectacula ista magna naturæ,sed delectant etiam oculos spectacula theatrorum; hæc illicita, illa licita: psalmus sacer suauiter cantatus delectat auditum; sed delectant auditum etiam cantica histrionum; hoc illicitè, illud licitè: delectant olfactum flores & aromata,& hæc Dei creatura; delectant olfactum etiam tura in aris dæmoniorum; hoc illicitè,illud licitè: delectat gustum cibus non prohibitus, delectant etiam gustum epulæ sacrilegorum sacrificiorum; hoc illicitè, illud licitè: delectant coniugales amplexus,delectant etiam meretricum; hoc illicitè, illud licitè. Videtis ergo carissimi,etiam in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes. Iustitia sic delecter,vt vincat etiam licitas delectationes:& ei delectationi qua licitè delectaris,præpone iustitiam.

Constituamus ante oculos propter hoc quod dixi,exemplum certaminis. Interrogo vtrum ames iustitiam? respondebis, amo: quod non responderes veraciter,nisi te aliqua eius delectaret: non enim amatur, nisi quod delectat. Delectare in Domino,Scriptura dicit: Dominus autem iustitia est: non enim tibi fingere debes Deum quasi idolũ. inuisibilibus similis est Deus, & ea in nobis sunt meliora,quæ sunt inuisibilia; melior est fides,quàm caro; melior est fides,quàm aurum;& melior est fides,quàm argentum,quàm pecunia,quàm prædia,quàm familia, quàm diuitiæ; & ista omnia videntur,fides non videtur. Cui ergo similiorem putabimus Deum, visibilibus,an inuisibilibus? pretiosis,an vilibus? de vilioribus loquar. Habes duos seruos; vnum deformem corpore,alium pulcherrimum,sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas? & video te amare inuisibilia. quid ergo? quando plus amas seruum fidelem licet corpore deformem, quàm pulcrum infidelem, errasti, & fœda pulcris præposuisti? vtique non, sed pulcriora fœdis præposuisti. Contemsisti enim oculos carnis,& erexisti oculos cordis: interrogasti oculos carnis, & quid tibi renunciauerunt? Iste pulcher est, ille fœdus; repulisti eos, eorum testimonium reprobasti. erexisti oculos cordis in seruum fidelem, & non in seruum pulcrum; istum inuenisti fœdum carne, illum pulcrum: sed pronunciasti & dixisti, Quid fide pulcrius? quid infidelitate deformius? ergo præ omnibus voluptatibus,hoc est delectationibus etiam licitis, amanda est iustitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi interiores sensus delectantur delectatione iustitiæ. Si habes oculos interiores, vide iustitiæ lumen; quoniam apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen. De illo lumine dicit psalmus, Illumina oculos meos,ne vnquam obdormiam in morte. Item,si habes aures interiores, audi iustitiam. tales aures quærebat qui dicebat, Qui habet aures audiendi audiat. Si habes olfactum interiùs, audi Apostolum, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Si habes gustum interiùs, audi, Gustate,& videte quoniam suauis est Dominus. Si habes tactum interiùs, audi quid sponsa can-

Psalm.12.

Luc.8.
2.Cor.2.
Psalm.33.

ret

tet de sponso, Sinistra eius sub capite meo, & dextra eius amplexabitur me. Exemplum ergo, vt dicere cœperam, huius certaminis proponamus. Videamus, fratres mei, quisnam sit, interroger, & respondeat quod dicturus sum, vtrùm sic delectetur iustitia, vt eam ceteris, ad hos sensus corporis pertinentibus, delectationibus anteponat? Ecce, delectat te aurum tuum, oculos tuos delectat, metallum est pulcrum, fulgentissimum, delectat, pulcrum est, non nego: nam si pulcrum negauero, Creatori iniuriam facio. Venit ergo tentator, & dicit tibi; Tollo tibi aurum, nisi dixeris pro me falsum testimonium; si autem dixeris, addo tibi. Decertant in te duæ delectationes; modò interrogo te quid præponas, quid te plus delectet, aurum an veritas, aurum an verum testimonium? an hoc lucet, & illud non lucet: fides quæritur in vero testimonio. aurum lucet; fides non lucet? erubesce, habero oculos: quod amabas in seruo tuo, redde Domino tuo: iamdudum enim, cùm interrogarem de duobus seruis tuis, vno deformi fideli, alio pulcro infideli, quem magis diligeres; respondebas mihi iustè, & præponebas, quod præponendum fuit. Redi in te, quia modò agitur de te ipso. Certè amasti seruum fidelem. Dominus tuus indignus est, si te habeat seruum fidelem? & tu seruo tuo fideli, pro magno quid promittebas? vt multum diligeres, summum præmium libertatis. Quid magnum promittebas fideli seruo tuo? libertatem temporalem. Nónne videmus multos seruientes, non egentes; & liberos mendicantes? en exigebas ab eo fidem, cui promittebas libertatem: nec ei seruas fidem qui tibi promittit æternitatem? *Cantic. 2.*

Longum est per singulos corporis sensus excurrere: sed quod de oculis dixi, hoc de ceteris intelligite, & præponite delectationi carnis, delectationem mentis. Carnem quippe vestram delectant illiciræ voluptates: mentem vestram delectet inuisibilis, pulcra, casta, sancta, canora, dulcis iustitia, vt non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes timore pœnæ, sed amore iustitiæ. hinc Apostolus dicit, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: sic nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quid dixi? Humanum dico: quod potestis portare dico. Quando exhibuistis membra vestra iniquitati ad flagitia perpetranda, timore adducti estis, an delectatione inuitati? Quid dicitis? respondete nobis, quia & qui benè viuitis, malè aliquando fortasse vixistis. Quando peccabatis, delectabamini in peccatis vestris: timor vos adducebat ad peccandum, an suauitas peccati? respõdebitis, Suauitas. Ad peccatum suauitas adducit, & ad iustitiam timor impingit? probate vos: inspicite vos: tollat aurum qui minatur, suauior est iustitia, lucidior est iustitia. Non det aurum qui promittit, præponenda est auro iustitia. Delectando præponenda est, fulgentior est, lucidior est, suauior est, dulcior est. Iam ergo si quis se probat, & in hoc certamine superauit, audiuit Apostolum dicentem: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Sine dubio *Rom. 6.*

bio pepercit infirmitati, & nescio quid gratius, minùs idoneis dicere tentauit.

Ecce, inquit, hoc dico quod capere potestis. Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis: peccatorum suauitate ducti estis, vt illa faceretis: ducat vos ad recta facta, suauitas & dulcedo iustitiæ: amate iustitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est iustitia quæ à vobis impetret, vt exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati: hoc est, humanum dico; hoc est quod infirmitas vestra tolerare adhuc potest. Quid ergo suspendit Apostolus? quid distulit dicere? quid distulit? dicam si potero. Appende iustitiam & iniquitatem. Tantúmne digna est iustitia, quantum digna fuit iniquitas? sic amanda est ista, quomodo amata est illa? absit vt sic, sed, & vtinam vel sic, ergo plus? plus omnino. In iniquitate secutus es voluptatem: pro iustitia tolera dolorem. In iniustitia inquam, sectatus es delectationem, pro iustitia tolera dolorem: hoc est plus. Ecce nescio quis ætatis lubricæ impudicus adolescens, suauitate illiciente iniecit oculos in coniugem alienam, amauit, cupit peruenire: quærit tamen latere. Sic enim amat voluptatem, vt plus timeat dolorem. Quare quærit latere? timet apprehendi, ligari, adduci, includi, produci, torqueri, occidi. Hæc omnia timendo, in illa appetitione suauitatis suæ latebras quærit: aucupatur absentiam mariti, ipsum adiutorem flagitij sui timet inuenire; quia conscio, se formidat implicari. Et videmus eum suauitate duci; sed suauitas illa non est tanta, vt vincat etiam timorem & dolorem, timoremque pœnarum. Da mihi pulcram iustitiam: da mihi fidei pulcritudinem; procedat in medium, ostendat se oculis cordis, inspiret feruorem amaroribus suis, iam tibi dicitur, Frui me vis? contemne quidquid te aliud delectat, contemne pro me. Ecce contemsisti, parum est illi: humanum est hoc, propter infirmitatem carnis vestræ parum est vt contemnas quidquid te delectabat; contemne quidquid te terrebat: contemne carceres, contemne vincula, contemne eculeum, contemne tormenta, contemne mortem. Hæc vicisti, me inueniſti: in vtroque gradu amatores iustitiæ vos probate.

Inuenimus forsitan aliquos qui præponant iustitiæ delectationem voluptatibus, & delectationi corporis sui: qui autem pro illa pœnas, dolores, mortemque contemnat, puras est aliquis in vobis? saltem cogitemus quod profiteri non audemus. Quid cogitamus? vbi cogitamus? millia Martyrum adiacent oculis nostris, ipsi veri amatores perfectique iustitiæ. De illis dictum est, *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Quid addi potest, vt opus perfectum habeat? amat, ardet, feruet, calcat omnia quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minantia, calcat, frangit & transit. ô amare, ô ire, ô sibi perire, ô ad Deum peruenire! Qui animam suam amat, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inuenier illam. Sic armandus est amator iustitiæ, sic armandus est amator inuisibilis pulcritudinis.

Iac. 1.

Matth. 10.

Sed

Sed priùs fratres mei plangite quod eratis, vt quod nondum estis esse possitis. Hoc quod loquor magnum est; & vnde nobis magnum? summum est, perfectum est, optimum est. Vnde nobis? audite vnde nobis: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Inde est quod habemus bonum. inde est quod nondum habemus. Non habetis? Petite & accipietis. Si vos, ait Saluator, si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se? Ista D. Augustinus ingenio non fecundo magis quàm facundo, magna exemplorum varietate populariter, quod obscurius videbatur exponens.

Iacob. 1.

Matth. 7.

CAPVT IV.

Gradus & varietates delectationis.

QVos autem initio cœperat, sed deinde dicendi æstu abreptus minùs distinxit, delectationis gradus in virtute, tres videtur recensuisse. Primus, quando iustitia, virtus, rectum, perfectior vitæ institutio, Deus, & quodcunque spirituale verumque bonum, sic diligitur, vt præ illo aliud nihil diligas, hoc est vt nihil amori eius præponas, nihil sit ex cuius cupiditate ad istud relinquendum, aliud verò amplexandum permoueri queas. Qui sic delectatur iustitia, qui arrepto vitæ Religiosæ instituto sic delectatur, si diuitiæ, si honores, si cuiuscunque illi cupiditatis expletio, sed ea conditione proponatur, vt à iustitia, à Religioso instituto desciscat, protinus auersabitur: cur? nisi quia hæc præ istis amantur, retinentur, & præsentia delectant? Est autem hic gradus necessarius, non ad perseuerandum in bono tantùm, sed ita vt nullus sit verus boni & recti amor, qui verè Virtus dici queat, nisi eiusmodi sit; nec enim virtute præditus, aut Dei amore dici potest, qui non est animo sic affectus, vt nihil quod eis aduersetur, illorum amori præferre velit.

Secundus gradus est, quando sic aliquo delectamur, vt quasuis alias delectationes licitas ad præstantius illud referre conemur, statuamusque in eis non delectari, nisi istis aliis consentiant; vt si delectationes in Religione licitas, nonnisi pro ratione vocationis admittas, si sensuum licitas voluptates ad virtutem referas, temperantiæ, amoris Dei, vocationis explendæ gratia comedas, quiescas, legas, aut aliud quid gratum agas, si denique nihil aggrederis, nisi vt diuinæ te voluntati magis conformes, eique placeas: de quibus antè dixi partim vbi de recta intentione, partim vbi de secundo humiliatis gradu disserui.

Tertius gradus est, quem summæ perfectionis esse meritò miratur, vt iustitia, perfectio, virtus, institutum vitæ melioris, bonum spirituale, & Deus adeò

diligatur, vt pœnæ, vt carceres, ignominia, dolores, mors ipsa subeantur potiùs, quàm vt harum rerum sancta dilectio, vel terrore, vel dolore violetur. Qui gradus, necessarius quidem est, cùm ad eum res articulum venerit, vt vel subeundi sint corporis dolores, vel amittenda dilectio; at multæ sunt, & non infrequentes occasiones, minùs quidem necessariæ, sed huic gradui exercendo, & quodammodo exacuendo opportunæ, vt quando ad ægrotos subleuandos, ad rudes docendos, fidem propagandam, vitia conuellenda, perfectionem stabiliendam, peccata nostra supplicijs voluntarijs expianda, aliisque iustis de causis aut fortè oblatis, aut sponte quæsitis, in Dei honorem iucundiora repudiamus, & sensui molestiora sectamur. Quod ipsum si in desiderationem, in delectationem venerit, ad tertium humilitatis gradum, tam sublimem, virtutique ac Dei Domini nostri Iesu Christi imitationi tam indiuulsè adhærentem peruenitur. De qua diffusè dictum est.

Sed ex his omnibus id efficimus, auocandam à cogitanda delectatione sensuum mentem esse, vt quæ vera sit ipsius mentis delectatio capiamus: quamquam enim hæ variæ sint, & earum illæ crassiores, quæ pruritu titillante, gustatum tactumúe delectant, illæ autem defæcatiores, quæ vel formositate visum, vel auditum numerosiore sono capiunt; attamen etiam hæ, corporatarum rerum mole concrescunt, nec ad spiritus puritatem, virtutum formam, suauitatem mentis internam depurari, & quodammodo tenuari possunt. Vera semper est delectatio mentis, cùm te id habere vides, quod iustè, quod meritò, quod sanctè, quod ex ratione, & voluntate diuina amabas, desiderabas, optabas nunc autem habes: itaque ex omni sancto & iusto virtutis opere voluntariè perfecto, eiusmodi delectatio semper exoritur; itemque cùm te vides bonum aliquod & spiritui conducens obtinere, vt institutum vitæ in flore primæuo vigescens, proborum virorum prouocans ad meliora consortium, Deitui non in aliis tantùm rebus quà Deus est, sed etiam corporatam in SS. Sacramento præsentiam; cùm hæc inquam & alia plurima ad æternitatem conducentia, & spiritualia bona tibi præstò esse vides agnoscisque, fieri nequit quin inde in animum noua delectatio redundet, quæ sit iucunda rerum verè bonarum cum cognitione possessio.

Est autem, quantum opinor, triplex: Prima, & quam præstantissimam iudico, liquidissima & purissima quædam delectatio, qua mens nullo sensu corporis, sed intima quadam mentis serenitate percipit se Deo suo, virtutis affectui, spei salutis, & rebus optimis adhærescere, in eoque desiderationem omnem sopiri, ita vt summa in tranquillitate lenissimè conquiescat. Hanc mortalibus, pro modo perfectionis, occultæque suæ dispensationis rationibus, interdum vtendam, non ad plenum, aut semper fruendam dare solet consolator Spiritus. Altera est delectatio mentis, quæ sui gustum, quasi rorem edulcantem, respergit in corpus, ita vt quædam etiam in sensum suauitas deriuetur, ad orationem & exer-

exercitia pietatis alliciens: & hæc est fermè vulgo notior, quamque intelligunt cùm se deuotè, vel non deuotè orasse, aut sacris interfuisse profitentur. Valet autem vel ad mala cauenda, vel ad bona retinenda plurimùm: oriturque vel à sola Dei miserentis, & ad sanctiora prouocantis liberalitate, vel etiam naturalis, quæ mentem inter & corpus intercedit, coniunctionis efficacia; nec enim soli corpori in mentem, sed menti quoque (& iustiùs) in corpus dominari datum est.

Tertia delectationis est species, qua id omne volumus, quod omnino volumus, & obfirmata voluntate decernimus, censeturque non ex ignoratione & non-sponte, sed voluntariè susceptum, vel admissum: ita vt eiusmodi sint etiam illa quæ vel blanditiis illecti, vel terrore adacti, amore, vel timore, aliàs non facturi, tandem tamen admittenda suscipimus. Cùm enim voluntas humana sit libera, quidquid vult, sua denique sponte vult; & quamuis terrores intententur, nunquam volet, nisi velit, minæque non efficiunt vt velit, sed vt hinc proposito dolore, inde doloris vacuitate, idne subire, an hoc eligere malit, ita tamen vt si eligat, intus quod attinet ad animum, liberè eligat. Hoc in Martyribus, hoc in apostatis cernere fuit: stringebatur gladius impius in Sapricium, stringebatur idem in Nicephorum Christianos; cessit ille terrori, negauit Christum, breuem seruauit vitam, æternam perdidit; non cessit Nicephorus, lictori ceruices fortiter præbuit, vitam hanc perdidit, in æterna coronatus est. cur ille cessit, cur hic perstitit, nisi quia vterque sic voluit? nisi quia ille huius vitæ delectatione illectus, spem futuræ posthabuit? hic autem ficta præsentis dulcedine despreta, futuram præposuit. & quidem mala iste, hic bona voluntate bene vsus est. Sed cur illi mala, cur huic bona voluntas fuit? illi mala, quia malo vitæ desiderio, malè delectatus, malè acquieuit & consensit; huic bona, quia bono iustitiæ desiderio, bene delectatus, bene illi consensit, vitam hanc contempsit, & præ vita fidem dilexit. Hoc autem quod vterque voluit, vterque fecit; voluit minis cedere Sapricius, cessit; voluit minas spernere Nicephorus, & spreuit: & vtrique vt facta voluntaria, sic pro ratione factorum, sua est à Deo iudice merces reddita.

Non efficiũt minæ, efficienter aut formaliter, vt philosophi loquuntur, sed moraliter & inducendo.

Diligenter, quæso in nos ipsos animum intendamus: Cùm aliquid volumus, quodcunque demum sit, quid agimus? Obiicitur nobis quidpiam quod velle, quod nolle, vel omittere possumus: itaque hinc est velle, inde nolle: quam in partem vehementiùs incubuerimus, in eam ferimur, si fluctuantes, incerti, dubij; cessamus, necdum volentes, necdum nolentes, in vtriusque confinio: cùm autem vel appetitu, vel ratione vincente, alteram in partem tota incubuerit voluntas, dicetur id velle, ei parti consentire, illi acquiescere, illa delectari; si quidem delectatio est appetitus quies, cumque voluntas sit appetitus (vt vocant) intellectiuus, quotiescunque aliquid vult, appetitioni eius rei acquiescit, & in ista sua voluntate conquiescens delectatur: semperque cùm aliquid vo-

lumus, volumus quia voluntas in eam partem delata conquiescit, atque adeò delectatur. Quod ipsum clariùs demonstratur, tantilla mutatione verborum, si dixerimus: Quidquid volumus placet. id certè nemo negauerit; nam & iam olim Placere, decernere, & Placita dicta sunt, decreta sapientum: & hodie in rescriptis principum & aliorum, placendi verbo, firma voluntas exprimitur. Quod ergo volumus, quà volumus, placet; & quod nolumus, quà nolumus, displicet. quod placet, delectat: quod displicet, ingratum est. Iungamus hæc, & nemo dissitebitur; quod volumus, quà volumus, placet, delectat ergo; quod nolumus, quà nolumus, displicet, contristat ergo, & molestiam infert.

At sæpè difficile est, id diiudicare, vulgo maximè, qui è sensu omnia metitur: fitque obscurius, quoties plura, & inolita, & blanda meliori nouæ voluntati repugnant, sed & sæpè infirmi, nutantes, metuentes, incertique diffidimus, quo fit vt voluntas vires haud exerat, pugnaque inter sensum atque rationem adhuc vigente, nequeat pacis & tranquillitatis fructus, qui est in delectatione, sentiri. Vt enim cùm in seditione populari, ad manus venitur, & exardescit pugna, altera parte vincente, & secuta pace, non statim è pace voluptas efflorescit, sed priùs abstergendus est dolor, & pacandum quod turbulentius fuerat. Ita in homine, cupiditatem vel diu roboratam, vel recèns inflammatam, edomante; turbatur nescio quid, quod momento componi, & ad delectationis tranquillitatem perduci non continuò potest; nisi largifluo diuinæ gratiæ torrente, bonus Deus, terræ nostræ ariditatem, impluens molliat.

Attamen quantumcunque in contrarium nos affici sensserimus, aut planè nullum, in id quod volumus, affectum sensserimus, est ex voluntatis consensu in partem alteram delectatio mentis ibi iudicanda esse, vbi consensus tribuitur. Exemplis ostendo: Est qui temperantiæ assuetus, moderatissimus est in potu, mensuramque sibi positam transilire, non sine palati amarore, ac stomachi conuulsione possit; hic si in helluones inciderit, qui precibus, & importunè instando, à temperantia inuitum, dolentem, & cum amarore potantem abducant, dicemusne ad hanc perpotationem delectatione duci? Alterum quoque statuamus, qui iam olim pergræcari assuetus, maxima ducitur auiditate comportandi, vixque, cùm à poculis recesserit, videtur illi vita vitalis: serò tandem ipse se respiciat, diuinoque inspirationum sanctarum monitu permotus, temperantiùs agere decernat, conuiuio interfit, vim sibi inferat, ardentisque sitim gutturis imperante ratione patiatur; putas, quanta pugna, quantus dolor, quàm recalcitrans erit sensus? ergòne, si in proposito perseueret, erit etiam in tam ardua molestaque voluntate delectatio?

Erit sanè, sed non sensus, at mentis; in hoc postremo bona, in illo priore mala delectatio. Qui se, malo assuetus, vincit, & bonum facit, fortiter vult bonum, fortiter bono adhæresci, fortiter acquiescit, fortiter ei placet bonum, cumque voluntate acquiescat, eique placeat, in eo re ipsa & verè plus delectatur, plus adhæ-

adhæreſcere vult quàm in eo quod cõtrarium & ſenſui deliciarium eſt: facit autem praua ſenſus corruptela, vel imperfectio ad ſublimiorum guſtationem non aſſurgens, vt delectari nequeat, ſed magis contriſtari ſenſus: qui tamen cùm vincatur, cùm à ratione ſuperetur, fiatque non id in quod ipſe propendet, ſed quod iubet ratio, hæc eſt cuius delectatio, delectationis aduerſæ victrix dicenda eſt. At in priore exemplo ſuccubuit: cùm enim ille alter, dolens licet & gemens, aliorum inuitationi ceſſit, & temperantiam intemperãtia mutauit; quamuis verbis & mentis optatione temperantiam præferret, quamuis inuitus in deteriora raperetur, ſe tamen ipſa voluntas flexit, maluitque alienæ prauæ voluntati acquieſcere, quàm recto ſuo iudicio vtendo fortiter contrà ire, atque ita re ipſa magis ei placuit alienis prauis deſideriis quàm rectis ſuis, & renitentibus iudiciis conſentire: fuitque mentis mala delectatio, qua malè ſuperari ſe paſſus eſt, quantumuis ſenſus, & melior mentis delectatio repugnaret. Sed quid facias? ea voluntatis vis eſt, vt delectationibus pluribus oblatis, etiam deteriorem, ſi volet, eligat: quam autem elegerit, hac duci, ex hac vel bona vel mala eſſe cenſebitur.

Intelligo, inquis, quid velis: tota iſta tua victrix delectatio, non aliùd erit quàm ad recta rationique conſentanea, mentis aſſenſus: tandemque iſta tua pollicitatione myſtica, nihil niſi rem vulgatiſſimam aſſequemur. Non ita eſt, inquam, ſed delectatio quidem, (vt de victrice tantillum taceam) in conſenſu ſemper eſt, at non eſt ipſa conſenſus; quiddam eſt quod ciet, quod comitatur, conſeruat roboratque conſenſum. Vt enim palato ſi cibus gratus adhibeatur ipſamet cibi applicatio, non eſt delectatio, ſed cum applicatione eſt delectatio, & propter delectationem fit applicatio: ita cùm aliquid volumus, illa ipſa voluntatis adiunctio qua volumus, non eſt delectatio, ſed cum delectatione eſt, & à delectatione eſt, & incrementum capit: propterea quippe voluntas in aliquam partem potiùs fertur, quia ibi denique, licet aliorſum alliciant plurima, plus ſibi quietis & boni futurum putat, & id amplectitur, quod bonum cùm habet, re ipſa lætatur niſi mutetur, & antequam habeat, ſpe delectatur: atque ita delectatione ad conſenſum mouetur: eſt enim appetitus proprium, vt in ſuum bonum feratur, ſuoque bono delectetur, aſpernetur & fugiat contraria; cumque voluntas ſit appetitus, ferturin bonum, nec amare aut velle cum cognitione poteſt, niſi quòniam bonum eſt & ſibi delectabile; aliud ſi fuerit, refugiet, auerſabitur, nec induci poterit vt velit, niſi inducatur vt aliqua ratione id bonum putet.

Quæres, cur nomine delectationis, potiùs quàm quietis aut ſimili vtar, cùm perſæpè nulla delectatio ſentiatur? Ideo eſt, vt (quod antè monui) à delectatione cogitanda in morem ſenſuum deſueſcamus, mentiſque puriorem inquiramus: ſed maximè, quia re vera delectatio, ſed mentis eſt, quæque ſola ſæpè mente percipitur, dum intima quadam tranquillitate animi, etiam repugnante

& impugnante sensu, ei firmiter adhæresitur: ac denique vt delectationis nomine doceamur quàm iucunda sit virtutis & sanctimoniæ via, videamusque ad id esse contendendum, vt nullo nostro vitio, improbaúe consuetudine, vel deuio errore iniucunda non fiat, imò potiùs ad id conemur, vt in dies lætiùs ametur, cupidiùs retineatur, exerceatur auidiùs: ita est, res diuinæ & sanctæ, quo familiariùs, quo crebriùs vsurpantur, eo cognoscuntur & delectant pleniùs.

Cùm igitur ad consensum voluntas delectatione ducatur; illa est delectatio victrix cuius initium atque desiderium à Deo tam aprè insinuatur & obiicitur voluntati, vt voluntas hinc allecta, bonum quod suadet velit, malum quod dissuadet nolit, & in quamuis partem sequatur, quia trahit sua quemque voluptas. Voluptas, inquam, quæ sit obfirmata quies in bono quod velle, quod amare decreuit, non autem semper leniter & voluptariè sensum corporis afficiens. Sic tamen etiam interdum fit, totáque victricis delectationis esse gradus possunt, quot delectationis esse dixi paulò antè: nempe Prima, vt tanta sit in virtute delectatio, vt nihil illi præponatur: Secunda, vt virtutis causa ceteræ delectent ac amentur: Tertia, vt etiam pro virtute, dolorifera subeantur & appetantur. Itemque tam potest delectatio victrix, esse specie multiplex, quàm ipsam delectationem diximus; Liquidissimam & purissimam vnam: Suauem & fortem alteram: Tertiam fortem & vincentem tantùm, at non sine sudore vincentem, suauitate sensifica carentem. Quæ quidem ex dictis intelligi possunt: at cur, & quibus, & quomodo ista diuersitas accidat, non huius est temporis, nec tam ad institutum facit quàm prolixum foret. Postremum addamus.

CAPVT V.

Ad victricem delectationem quædam conducentia.

DElectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui, monet psalmus, & concors est Sanctorum adhortatio, vt rebus bonis delectemur; sic enim feruentiùs & constantiùs illis adhærebimus. Eam delectationem, nonnulli lætitiam spiritus dixere, esseque tentationum omnium remedium, & virtutum incentiuum. Nec dissimili diligentia à tristitia sunt dehortati, de qua vt aliquid dicam, quo pleniùs deinde ad lætitiam redeam,

Grad 5. Graue est, & in primis notandum illud Climaci, qui de pœnitentia, quæ amarior videri meritò potest, differens ait, *Quicunque lapsi sumus, ante omnia spiritui mœrori resistamus*: quasi si in omnibus mœror impediret. Et D. Chrysostomus egregiè admodum docet, desperationis, & seipsum præfocandi desiderii, *Lib. 2. de prouid.*

&

& impulsus; non tam instinctore dæmone, quàm incitante mœrore progigni, dæmonemque cæcæ illi & anxiferæ nocti non secùs ac furem se inserere, fugarique luce lætitiæ; at verò à mœrore recedi, si à multitudinis iudicio recedentes, sola superna & æterna sapiamus. Iterumque alio loco, *Omni*, inquit, *actione diabolica potentior est ad nocendum, mœroris magnitudo.* Sed copiosiùs & significanter B. Nilus, è quo nonnulla decerpam. Concisè loquitur, & varia indiscriminatim profert. *Spiritus voluptatem ignorat Monachus, qui se tristitiæ dat. Animi vermis tristitia est, qui parentem exedit. Doloribus afficitur mater dum filium parit, sed posteaquam peperit non dolet amplius: tristitia verò & in ipso partu dolorem affert, & posteaquam nata est vehementer excruciat. Vt ille qui febri magna laborat, mellis dulcedinem non sentit, sic Monachus qui se tristitia finit opprimi, est spirituum consolationis expers. Monachus tristis non excitat animum ad contemplandum, nec puras vnquam effundit preces. Omnibus enim rebus bonis tristitia est impedimento. Vt vincula pedes à cursu prohibent, sic tristitia mentem auocat à contemplatione. Qui capiuntur à barbaris, ferreis compedibus vinciuntur; & qui superantur à cupiditatibus, tristitiæ vinculis coërcentur. Nihil roboris habet tristitia, nisi reliquæ adsint perturbationes. Qui tristitia obstrictus est, is victus est à perturbationibus, & tristitiæ vincula circumfert, tanquam indicia calamitatis suæ: tunc enim præsto est tristitia, cùm id quod appetebat caro consequi non potuit. Qui vicit appetitum, is perturbationes superauit: & qui perturbationum est victor, is tristitiæ non succumbet. Qui verò succubuit voluptati, is tristitiæ vincula non effugiet. Qui tristatur assiduè, seq; à perturbationibus liberum simulat, similis est ægrotanti qui valere se fingit: quemadmodum enim ex colore ager, sic ille agnoscitur ex tristitia. Oculorum aciem hebetant tenebræ, & contemplatricem animi vim obtundit tristitia. Verùm, qui mundi voluptates aspernatur, is à tristitia non opprimetur.* Lib. 3. Orat. de trist.

Ista illi de tristitia, quæ est ob aduersum & displicens quiddam, animi mœror atque deiectio, cui aptè noctis & tenebrarum nomen imposuit D. Chrysostomus. Addam id obiter, mirum esse, perpetuaque experientia contestatum, quàm subitò blasphemis, impuris, desperationis cogitationibus illi obruantur, qui ad eas propensiores sunt, illicò vt vndecunque mœstius quippiam in mentem inciderit. Hoc animaduertant qui conscientiis regendis præsunt, ac persæpè vel lepida narratione, vel ludicra exercitatione dissipabunt, id cui sanctis exercitiis, seriisque remediis vis potiùs & robur accedebat. Atque hinc intelligetur, quanta cognatione coniuncta sint, mutuoque sibi deseruiant, naturales & supernaturales affectus & virtutes, vtpote quæ vnius & eiusdem animi complexu fouentur, viribus & facultatibus iisdem, nempe voluntatis & intellectus, exercentur: quod qui penitiùs obseruasset, nunquam equidem, licet modestissimè, refutare conatus esset R. P. Ioannem Crombecium, in libro de Studio perfectionis docentem, naturæ temperamentum etiam perfectioni conducere. quod tam perspicuum est, vt non vnus, sed omnes magnam Deo debeant gratiam, si animam sortuti bonam, si pertu; batio-

turbationibus non obnoxij, si dociles & ad bona faciles nati sunt: Deoque suam sanctissimam prouidentiam rerum naturis accommodante, easque non destruente, sed flectente, ac in melius vtente, nónne fermè videmus in Sanctis eos virtute simplicitatis, prudentiæ, fortitudinis præcelluisse, qui etiam virtutum earum naturale priùs dederant specimen. Sed ad lætitiam redeamus: inuitus cuiquam repugno.

Orat. 14. Sæpè dixi delectationem mentis, esse mentis pacem: eoque etiam nomine vtitur Nazianzenus, eam definiens, εἰρήνη, τὸ τῷ καθ' ἕκαστον αἱρετόν: *Pax, id est quod priuatim quisque expetit.* ita rectè Billius, vertique pariter eodem sensu, sed verbis ad ea quæ dixi magis accedentibus, *pax, id est quod cuique placet, imperiumq;*

In spec. sic enim pergit, *in turbulentas animi permotiones.* Est (ex Dacriano Abbate) libertas, puritas, æqualitas, pacifici & imperturbati cordis iugiter coram Deo perseuerans. Quietem, quod idem est, vocat D. Anselmus, de qua hæc habet veré

Epist. 7. aurea, *Amice mi & frater dilectissime, totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet, callidi hostis insidias circumspicere, vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc verò monachus qui in monasterio conuersatur, pertingere nullatenus valet, sine constantia & mansuetudine, quæ mansuetudo indissolubilis est comes patientiæ: & nisi monasterij sui instituta, (quæ diuinis non prohibentur mandatis) etiam si rationem eorum non peruiderit, vt religiosa studuerit obseruare.* En quid vir ille sanctus ad delectationem in Religiosa vita exigat, & verissimè, constantiam, mansuetudinem, patientiam, legum & rerum præscriptarum obseruationem sedulam.

Sed præterea cauenda quædam, quædam etiam curanda breuiter proponam, vt constantior & firmior in eo quod rectum est delectatio perdurare possit. Primò & sedulò ab iis omnibus abstinendum, quæ mœrorem & animi dejectionem pariunt, etiamsi boni specie offerantur, vt est peccatorum præteritorum, & (quantum bona fide credimus) in confessione detectorum, humilitatis

Homil. 11. in Cant. obtentu recordatio. *Suadeo vobis, amicis meis,* amicissimè dicit Bernardus, *reflectere pedem à molesta & anxia recordatione viarum vestrarum, & euadere in itinera planiora, serenioris memoriæ beneficiorum Dei: — misceatur absinthio mel. — Maior est Dei pietas, quàm quæuis iniquitas. Ideo iustus non continuè, sed tantùm in principio sermonis accusator est sui.* Quare grauiter errant, nec ad planiora perfectionis iuga conscendent, qui peccatorum recogitandis sordibus perpetuò adhærescunt, fermeque ex nimio sui amore, suæ diligentiæ fiducia, & de diuina bonitate diffidentia oritur.

Homil. 63. in Cant. Secundò, tepor inflammandus, quem delectationi ac perseuerantiæ contrarium describit quodam loco D. Bernardus: quare incitandus ad alacritatem est animus, nobisque vis est inferenda, vt magnos ad opera singula & alacres conatus afferamus. Ita est in rebus omnibus, leuiùs, iucundiùs, perfectiùs fit, quidquid erecta mente perficitur; quo lentior, tardior, tepidior fueris, eo magis molestiæ increscent. Iam verò incitandæ in Deum alacritatis, teporisque vitandi, infinitæ & vbique descriptæ rationes exstant.

Tertiò,

Tertiò, & ad eam quam in ſtatu perfectiore delectationem atque perſeuerantiam commendo, maximè facit, ſi prauas & vanas huius vitæ delectationes, mundiq́ue blandimenta contemnimus, ſtatimq́ue vt eorum aliquid in animum inſerpere ſenſerimus, cum odio & execratione depellimus. *Cuius ad alias consolationes mens inhiat, & penitus in caducis & transitoriis non renuit consolari, ipse sibi profectò cælestis subtrahit gratiam consolationis: quam si digna deuotione, pleno affectu, desiderio vehementi, petere, quærere, pulsare satageret: sine dubio petens acciperet, quærens inueniret, pulsanti aperiretur.* Sed ad id quod volumus mirum quàm grauiter, quàm accommodatè D. Gregorius, diuuſque Baſilius, Magni vterque: & hic quidem, his verbis; *Repentini, & qui præter ſpem eueniunt rerum caſus, ii ſunt qui perturbationem hominum mentibus ſolent afferre. Quem autem praua affectio prorſus nulla obturbat, hunc ſine dubio ritè & vt par eſt, lætari exiſtimandum eſt, eiuſq; lætitiam, immutabilem eſſe atque ſempiternam; quando lætitia, virtutis atque bonitatis eſt aſſectatrix, vt eſt apud Prophetam, Lætabitur Dominus in operibus ſuis. Animus igitur, qui ſe peruigilem, & in actionibus rectis aßiduè occupatum detinuerit, — huiuſmodi exercitatione & conſuetudine, mores ſuos ad æquitatem, iuſtitiam modeſtiamq́; ac tranquillitatem componet atque perpoliet.* Et poſt alia plura, *Si animus naturales corporis motus rectè temperet, præterquam quòd corpus incolume conſeruat, hoc etiam accedit, quòd ipſe à periculis permanet liber.* Si verò remiſerit & ſe ignauiæ dediderit, & corpus & animus in perniciem ruunt. Et D. Chryſoſt. *Nihil ita tranquillitatem & ſedationem animorum ingenerat, atque hæc religionis noſtræ inſtituta; res præſentes deſpicere, futuris inhiare, nihil humanum ſtabile iudicare, non diuitias, non potentiam, non honores, non clientelas.* Magnus verò Gregorius: *Magna eſt ſecuritas cordis, nil concupiſcentia habere ſæcularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum tranquillumq; eſſe nullatenus poteſt: quia aut non habita concupiſcit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa, huc illucq; quaſi quibuſdam fluctibus voluitur, ac per modos varios, rerum alternantium mutabilitate verſatur. Si verò ſemel in appetitione ſupernæ patriæ forti ſtabilitate animus figitur, minùs rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus, eandem intentionem ſuam, quaſi quendam ſecretißimum receſſum petit: ibiq; incommutabiliter inhærens, & mutabilia cuncta tranſcendens, ipſa iam tranquillitate quietis ſuæ, in mundo, extra mundum eſt. Excedit profectò ima omnia intentione ſummorum: & cunctis rebus quas non appetit, libertate quadam ſe ſupereſſe ſentit, nec tempeſtatem rerum temporalium intus ſuſtinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia, quæ concupita opprimere mentem poterant, deſpecta ſubteriacent. Tamen,* mox inquit, *quia ſanctus vir quantalibet virtute profecerit, eum in hac vita poſitum, adhuc extrinſecus carnis infirmitas premit, vt ſcriptum eſt, Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur: plerumque agitur vt & turbetur exteriùs, & imperturbabilis duret interiùs: & quod vanè conturbari poteſt, de infirmitate carnis ſit, quamuis in imagine Dei ambulet de virtute mentis: quatenus & roboretur intus diuino adiutorio, & tamen adhuc foris ſarcina prematur humana.* Enigitur, quàm &

In dæclam.

Conflit. mon. c. 3.

De Deo, iſta, ſed à Deo in homines traduntur.

Orat. in Calend.

l. 22. Mor. c. 10. vel 14.

Pſal. 38.

mundi omnia contemnenda, & omnis animi perturbatio cauenda, & rebus omnibus exstare oporteat, vt firma tranquillitas, vt perennis in virtute, in Religiosi status professione delectatio retineatur. Renue, cum Rege sancto, consolari in rebus creatis, & summus te creator complectetur, in eoque delectaberis: sine delectatione non est anima, aut summas habet, aut infimas: infimas contemne, summis vt fruaris.

Quartò, si copiosior, & quæ etiam sentiatur, delectatio percipitur in bono, ac etiam in sui instituti professione; cauendum ne id sibi quisquam, sed omnino Deo tribuat. Apud S. Bernar. lego, *Nonnunquam, quasi nescientem, gratia præuenit, & genus seruorum recipitur in mensa filiorum, cùm rudis & incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro præmio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cùm fit, agitur vt vel in iudicium suum, non liceat scire negligenti quod negligat, vel vt prouocatio caritatis, amorem vltro se offerentis accendat.* Pergitque seipsum talentis, sibique tribuentis quantus sit error ostendere. Audiendum Diadochi monitum, neque nimiùm in desolatione dolendum, ne ad diffidentiam; neque nimis in consolatione lætandum, ne ad superbiam deflectamus. Quid medium intercedat, vt scire possis; addit, inter illuminationem & derelictionem, esse experientiam; quando scilicet neque clara luce resplendet aut accendit gratia, neque se totam negat, sed obscuriore & latentiore auxilio diligentiæ & soliciti amoris nostri periculum facit; est etiam, inquit, spes media inter dolorem & lætitiam: quod perspicuum est. Omninoque curandum, vt, cùm minor in mente suauitas ad recta sentitur, tum diligentiùs nobis attendamus, vim inferamus, sursumque nitamur. Qua de re legendus D. Bernard. hom. 21. in Cantica.

Lib de vit. solit.

Cap. 69.

Quintò, plurimùm iuuat, è rebus omnibus aliquid pietatis haurire, in Deum ferri, & desideria sancta succendere: in Religiosorum singulis Deum contemplari, eorumque se consortio beatum prædicare: in lætiorem partem, inque melius interpretari singula; à nemine offendi posse, neminem offendere. quæ singula & natura iucundissima, & in Religione sunt frequentissima.

Sextò, de bono status Religiosi, deque suæ vocationis beneficiis sæpè meditandum, sæpè agendæ Deo gratiæ, sæpè renouandum, & ne veterascat instaurandum seriò, & cum animi plurimo sensu, Religiosæ vitæ ex perfectione traducendæ propositum. Quarum rerum peragendarum, tanta est in minima Societate Iesu, argumentorum, librorum, temporis & loci copia, vt grauissimas iudici Deo pœnas meritissimò daturi sint, si qui minùs quàm oportuisset vruntur, indeque vel miserè labuntur, vel tepidiùs repunt.

Septimò, suiipsius, tranquillitatisque atque pacis animi præ ceteris omnibus habenda cura: ideoque quantum præscripta maiorum, & instituti ratio ferent, non aggredienda plura quàm commodè possis, ingeniumque & vires ferant: mediocritate oportet esse contentum, suoque modulo prudenter & humiliter viuere: nec rerum euentu vllo turbari.

Denique

Denique diuina maximè prouidentia niti oportet, &, quod Sanctis omnibus solenne fuit, coram Deo humilis mentis perpetua veneratione adstare: eiusque præsentiam ad amorem, ad spem, ad alacritatem, iucundumque solatium flectere. Quæ singula, vel hîc, vel aliis locis diffusiùs dicta, indicando commendasse sit satis, vt veræ sanctæque delectationis tot deprehensis fontibus, iucundum & facile sit ad finem vsque decurrere, & ad perseuerantiæ immarcescibilem coronam, duce, comite, defensore Deo peruenire. Dicit quadam epistola D. Augustinus, se, si multa repetere posset, vnum tamen & sæpiùs esse dicturum, A curis vanis abstinete, Veras suscipite curas. Bene quidem, sed & eius imitatione quidni & hoc postremò & instar omnium commendauero? quidni in his paucis vniuersa quæ ad perseuerantiam in Religione susceptæ faciant, concluso? Nempe, Humilis esto, Deo præsens adsta, & perseueras. Quisquámne sub oculis tantæ maiestatis impingat?

Habes, mi carissime frater, quæ pro negotiorum & temporis opportunitate, ad tuam fratrumque meorum, (dicam & meam) vtilitatem scripsi. Nonnulla initio posueram quasi secutura, quæ non hîc reperies: dabit, si voluerit, bonus Deus, & horum expoliendorum, & reliquorum addendorum facultatem. Interimque tum tuis, tum aliorum precibus impetra, vt quæ hîc, vt quæ tota reliqua vita & multoties, & grauissimè peccaui, purissimo Iesu Christi Domini mei sanguine diluantur, gratiæque & fauori diuino redditus, in Societate Iesu non corpore tantùm, sed non indigna mente ad extremum vsque spiritum perseuerem. O mortem, tum verè vitalem! ô horam, præ horis omnibus expetendam! Qui nolentem vocasti, & volentem fecisti, bone Deus, volentem confirma, & ne corruat protege. Per eundem omnis gratiæ fontem Iesum Dominum, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis laus in æternum. Amen.

LIBER VNDECIMVS,

Obedientiam propugnans.

PErseueraturum Christi militem, beneuole lector, præsidiis quibusdam, quasi armis, atque necessario commeatu, superioribus libris instruere sum conatus: restat vt impressionum fraudumque hostilium vim, quomodo elidi possit, ostendam. Ab obedientia cœpi, quæ in vita Religiosa, & ab alieno nutu pendente, primas obtinet, cuncta moderatur, perque omnes virtutum omnium, omniumque muniorum functiones peruagatur. Sed nihil minùs quàm de eius natura & proprietatibus disputo, id vnum specto, vt præcipua quæ in eius exercitio minari, & molestiam creare putarentur, radicitus euellam, & nihil inde iusti timoris imminere demonstrem. Quod ipsum & in aliis, quæ perseueraturum impugnant, & vulgò minùs explicatè dicuntur, perlibenter si suppeteret otium, elaborarem. Quid faciam? ex eorum numero non sum, qui multa & simul possunt: secessum & vacuam curis mentem, scripturus postulo. Si tamen, quæ iam scripsi, & specimen aliorum præbere possunt, tibi grata erunt, diuinaque gloriæ si inseruient, spero fore, vt qui dedit incipere, occasionem perficiendi donet: quam si breui obuenturam credidissem, sustinuissem vtique, atque interim hæc ipsa diligentiùs elimassem donec simul omnia prodirent. at cum admodum sit incertum, consultis & probantibus viris grauibus, id quod certius erat elegi, nempe vt saltem tentarem, an hinc aliqua ad alios vtilitas, & ad diuinam gloriam accessio futura videretur. Vtere igitur & fruere vt libet.

CAPVT I.

Quæ sint quæ obedienti plus negotij faceſſant.

ET quidem, vt ne fictè dissimulanterque videamur acturi, sed bonitati causæ veritatique præfidamus; conferamus in pauca, primoque statim in aditu recenseamus, quæ sint illa, quæ cum obedientia maximè pugnare videantur: nec enim diffitendum est, esse nonnulla obedientiæ inimica, quæ humanorum ingeniorum vel peruersitati, vel corruptelæ sic penitus insedere, vt vix ac ne vix quidem, nisi per ampla Dei gratia, multoque sudore nostro, funditus euelli queant. Ea igitur enumeramus, vt constet in quos hostes depræliari conueniat, sitque hæc prima recensio, speciosis quidem illis, at perniciosis admodum sophismatis,

phismatis,instar tetri stigmatis,& nigri theta, quo prima illorum frons inusta turpetur,& latentis fraudis indicium præferat.

Ergo, impatiens freni, peruicaxque natura obmurmurat, iudiciique sui nimiùm retinens,& alieno duci recusans ferociter exclamat;nequaquam esse rationi consentaneum,vt sine disquisitione rationum pareatur, cùm ideo præditi ratione simus, vt ea in omnibus duce ac magistra vtamur; bonumque & honestum esse non possit,id quidquid à ratione discedit, vel etiam rationis tentamenta non sustinet:ergóne sine iussionum diiudicatione parebitur? & verò cui bono id fuerit? imò cui non malo præbebitur occasio? annon enim constat,multa per Præpositos perperam,imprudenter multa, multa quinetiam iuberi malè? quod nisi esset, quî fieri posset, vt eorum qui malè præfuerunt acta, cùm eis successum fuerit, vel quamuis successum non fuerit, à maiore tamen potestate,multa cum laude rescindantur? Quid? quòd quotidianum istud est, vt vno aliquo viro gnauo & prudente ad rei communis gubernacula præsidente,prosperè fluant omnia,pax,concordia,disciplina domestica,publicæ priuatæque res, bonorum quoque externorum copia affatim abundet: illo verò de medio sublato, vel suscepti muneris curam in alium imperitiorem transferente,retrorsum fluant omnia,& res longis annis alterius industria firmatas,derepentè paucis mensibus successoris ignauia labefactet, perturbet & subruat? vt iam olim de domibus,at non de domibus tantùm, sed & de quibusuis politiis exclamare fuerit,O domus antiqua quàm dispari domino dominaris! Lege,si lubet,veteres Israëlitici populi historias; quàm fide dignas, tam subitas rerum conuersiones reperies: easque hoc vno fonte profluxisse, quòd sanctis regibus sancta omnia,propitioque Deo, fausta cetera atque felicia sortirentur: at verò rege impio,in impietatem, malè obsequentes animi verterentur, infestoque sceleratis Deo,meritò malè omnia malis cederent.

Iam autem quis neget interdum ignoranter, perturbatè nonnunquam, neque suo loco,neque suo tempore, & minùs recto affectu, obliquataque ratione non rarò imperari? etiámne iussis eiusmodi sine disquisitione parendum erit?Quid verò de iis dixerimus,qui non pastores,sed lupi rapaces, sed leones efferati videntur,adeò exemplo,imperio, rectissimorum institutorum euersione perdunt eos,quorum propugnatores esse debuerant, ita lætari, pessimeque videntur triumphare,si suam non pro ouibus,sed contra oues animam ponant? Itáne videlicet,etiam ad horum approbationem iudicium subiici, & diris omnibus execranda malitia, in Deum optimum referri, & quasi quæ fide traduntur, ita mentis cæcitate laudari debent? quis bonus & prudens id possit?

Atque, hæc fermè potissima sunt,quæ vel ab obedientia deterrent, vel tentationi si quæ inciderit,fomitem ministrant,vel nonnunquam bene procedentibus negotia facessunt:eoque nocentiora sunt,quòd falsis vera miscendo,speciem veri præferre conantur, naturæque nostræ blandiendo, in mentis vitalia

caurè inſerpunt. Erunt ergo radicitus euellenda, noſtraque hac ſcriptione ita confutanda, vt planiſſimum cuiuis fiat, nihil probabilitatis in eis reſtare, nihil quod quemquam meritò mouere poſſit: ſed hoc ſenſim pedetentimque faciemus, id ordinatè perſequentes quod ad obedientiam conducere cenſebimus. Adſpirabit cœptis illa pia & miſericors Dei mater Maria, cuius è pauciſſimis verbis, illud digniſſimum habemus, *Quodcunque dixerit vobis facite.* Da, ſancta Mater, vt cordi meo loquatur tuus filius. & quod dixerit ſcribam, atque ita ab eius dictis ſcribendo non recedam, vt etiam à ſcriptis, viuendo & agendo non diſſentiam.

CAPVT II.

De primo & maximè neceſſario obedientiæ fundamento; nempe vt obediens, Deum in Superiore adſpectet.

HOc præceptum exertè & grauiter, non tantùm commendauit, ſed & B. Apoſtoli Pauli, & Ieſu Chriſti Domini noſtri verbis comprobauit B. Ignatius, & quid ex eo ſequatur oſtendit apud Ribad. lib. v. cap. de Obed. vt nulla dictorum repetitione ſit opus.

§. 1. *Difficile, ſed neceſſarium, in bonis & malis Præpoſitis, Deum agnoſcere.*

At arduum eſt nonnullis Chriſtum Dominum in quouis Superiore intueri: vbi maximè in aliquem inciderint, durum, moroſum, difficilem, æmulum, auctoritatis tenacem, perturbationibus expoſitum. Quid enim huic cum Chriſto Domino commune eſt, quem, vt aliàs è D. Bernardo retuli, quando cogitamus, *hominem nobis proponimus, mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum,* cuius placida vox non auditur in plateis, qui linum fumigans non exſtinguit, calamum quaſſatum non conterit; ſed quod confractum eſt alligat, perditam quærit ouem, peccatorem ad pœnitentiam vocat, vultuſque & oculorum maieſtatem amabilitate mira condit. Iam ſi hos vtroſque inter ſe compoſueris, & ſpeciem intuearis externam, quid diuerſius, & aduerſa fronte magis repugnans reperiri poteſt?

Ita planè eſt, ſi, vt dictum eſt, ſpeciem intuemur externam, nec vltrà tendimus: at ſi penitiùs, vt homines decet, non ſolis ſenſibus abducamur, ſed quæ ſunt potiora & retruſiora ſcrutemur; hæc inter ſe ita conſpirare fatebimur, vt facile ſit agnoſcere eandem vitioſam imperfectamque rem, rei ſanctiſſimæ perfectiſſimæque imaginem præ ſe ferre poſſe; non quidem qua ratione vitioſa eſt; ſed qua poteſt aliunde aliquid rei perfectioris ad ſe traductum habere.

Quod

Quod vt in hac materia dilucidè confirmemus, præoculis est habenda lex à sanctis Apostolis in omnes Christianos lata, dicente S.Paulo, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Vbi perpendendum, quàm certò asserat, potestatem esse à Deo, & Dei donum, Deoque resisti cùm potestati hominis, & quidem Ethnici, quales erant qui tum præerant, à subditis resistitur: eodemque modo regibus & iudicibus datam à Domino potestatem Sapiens asserit. Sed vt in ore duorum testium, imò duorum legislatorum, stet hoc potens verbum, audiamus & D.Petrum qui sic loquitur; *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, — quia sic est voluntas Dei.* Et mox: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* En gratiam, en consolationem sanctam, si quis improbis pareat, multaque potiùs pati sit paratus, quàm vt in Dei potestatem rebellet, & conscientiam peccando inficiat. Hinc igitur, sed & Conciliorum sanctorum auctoritate constat, imperfectione, vitio, vel peccato solo, sua potestate non excidere Superiores: non potest autem hæc illis integra manere, quin deruetur & perpetuetur à Deo; à quo omnis perpetim & ingiter potestas pendet in cælo & in terra.

Rom.13. *Sap.6.* *Epist.1.c.2.*

Cùm autem in parendo & se alteri subdendo, non bonitatis aut perfectionis, at potestatis & auctoritatis à Deo necessariò profluentis ratio habeatur, nec minorem improbis, quàm probis obedientiam debeamus: profectò id argumento est, potestatem in vtrisque esse parem, nec eiusdem hominis, in Magistratu locati, subitoque à virtute in vitia delapsi, potestatem esse imminutam. Iam verò, cùm ratione potestatis vicarium Dei locum subeant Præpositi, si bonorum & malorum pares est potestas, firmissimè quoque nobis tenendum est, eos qui imperfectionum næuis nondum carent, non minùs Dei vicarios esse, nec minùs eius personam gerere, quàm qui omnibus virtutum numeris perfecti excellunt. Quemadmodum igitur probitate inæqualibus, at æqualiter auctoritatem potestatemque regiam repræsentantibus, & honor æqualis & obedientia deferri solet, ipsumque adeò regem æqualiter referre creduntur: ita planè quemcunque æqua auctoritate tibi Præpositum nactus fueris, in huius potestatem si intentos mentis oculos defixeris, æquali in eo diuinæ potestati parebis, æqualem vicariam Dei auctoritatem veneraberis: & veluti in iis quæ sunt, Deum esse; in iis quæ intelligunt, intelligere; sic in iis qui imperant, Deum imperare spectandum est.

§. 2. *E diuino & humano esse aliquid mixtum.*

Verùm ex eo quòd Præpositis vicariam Dei auctoritatem inesse dicimus, apertè datur intelligi, mixtum aliquid ex diuino & humano in eis exstare, non ita tamen vt istud vtrumque in vnum aliud quod sit imperfectius coalescat & compingatur; sed ita vt quod diuinum est, diuinum perseuerer; humanum, quod humanum.

Hominis igitur, & vt in homine, esse existimandum est id omne, quod natura sua, & perpetua quadam connexione, in eo qui præest, quà præest, non reperitur: si enim quà præest id non habet, aliunde ergo quàm à potestate præsidendi id habet, & potest in eo non esse etiamsi re ipsa præsit: quare non est perennis & indiuisa eorum qui præsunt proprietas, sed aliundè arcessitur; tale est prudentia, modestia, benignitas, comitas, discretio, liberalitas, affabilitas, æquanimitas, zelus, caritas, fortitudo, & eiusmodi quæcunque, quæ licet à Deo, & verè diuina dona sint, eius tamen hominis sunt, cui donata sunt, & donati illi sunt vt homini virtute prædito; atque hinc dicuntur esse dona hominis. At verò diuina, & vt in vicariis Dei insunt, quæ sic Præpositis omnibus, & semper insunt, vt subiectis inesse non possint, qualis in primis est illa singularis ad præcipiendum auctoritas, tum benignus quidam ad gubernationis protectionem diuinæ prouidentiæ oculus, inuigilans vt Superior quæ ad commune bonum faciunt præuideat, quòd si minùs præuiderit, optandos nihilominus exitus negotia sortiantur.

Hæc igitur sunt quæ in iis qui præsunt, distincta permanere adeò cuiuis clarum est, vt nemo vsque eò benignus alienæ indolis sit æstimator, qui illicò sei, quem virtute & scientia eminere videt, ad quæuis imperata subiungat, vel eum putet cui in alios potestas deferatur, protinus ex imprudenti prudentem, ex intemperante castum, liberalem ex auaro, ex imperfecto virtute cumulatum fieri. Quinimmò hinc procliuis in errorem via aperitur: cùm enim plerorumque ea sit imbecillitas, vt non minùs, imò sæpè multò acriùs, illis quæ humanitus insita, quàm illis quæ sunt diuinitus largita capiantur; nam & sola comitas (quod in Absalone & aliis probatum est) transuersos agit, vt omnis iustitiæ timorisque diuini repagula perfringant: cumque in hominibus rari perfecti, plurimi sint imperfecti, humanam verò gubernationem, eam esse conueniat, quæ, non paucis quibusdam qui minùs egeant, sed passim omnibus conuenientior sit; cùm animaduertuntur humana ista tam necessaria præsidia deesse, neque comitate, prudentia, affabilitate, ceteriscque eiusmodi ornamentis auctoritatem fulciri, non animos ad venerationem simul & amorem inflecti, perfacile est vt de summa illa, quam erga Superiores illibatam conseruari decet, reuerentia non parum deteratur.

Eundum

Eundum ergo obuiàm, neque obsistendi ignauia committendum, vt Præsidibus debitus honor pessum eat: faciendumque nobis est vt, quemadmodum natura sensus nostros coërcuit, ne alter in alterius munia inuoler; oculus colores, & non sonos; naris odores, & non sapores diiudicet; ita prudens & vera obedientia sensus animi condocefaciat, nihilque in Præpositis nostris, nisi quod Præpositorum est proprium, considerare patiatur: ideoque humanis diuina ne in deterius flectat; portentosum enim id, & simile monstri, diuersis è naturis conflati foret. Quod quidem accuratissimè tum obseruari oportet, cùm ea quæ sunt hominis, repugnant, parumque diuinæ auctoritati decora sunt: nam si quando præclaris etiam dotibus prudentiæ, gratiæ, sanctitatis, exornatur is qui præest, nihil vetat, quin ea moderatione de qua postea disseremus, etiam hinc, suæ in Præsides obseruantiæ additamentum, curare possit verus obediens. At humanam omnem, quæ naturæ, quæque hominis est, imperfectionem aut vitium, à memoria & cogitatione depellere, sedulò conuenit, efficereque vt solius simus auctoritatis diuinæ, in Superiore relucentis memores, & reuerenter obsequentes: ac quemadmodum in Christo Domino duas non confusas naturas, ita in eius vicariis duas quoque distinctas* personas contemplemur, diuinam vnam, humanam alteram, quarum vtram liber gerere, ponere, ipsi quidem varia occasione possint, & eos posse sciamus, (id enim in quibusdam euentis vtile scitu, quæ dicenda sunt docebunt) præstantiorem autem ab eis poni, viliorem indui, ne facilè credamus. Quin potiùs (quod Regibus factitamus, quos non vt Comites aut Duces, licet eiusmodi sint, sed solùm vt Reges compellamus ac intuemur) ab eo quod in eis infimum est, oculos mentis auertamus; in id verò quod diuinum & summum est, nempe in eam quam participant Dei repræsentationem, continuatione & contentione magna, in humilitate animi intendamus. Quod si secùs quàm par esset imperari, vel ab illis multa fieri videntur: illud idem nobis de plurimis quæ à Deo fiunt, videri agnoscamus, ac proinde in vtrisque temeritatem nostri iudicij compescamus.

Personã hic dico quam προσωπον, non quam ὑπόστασιν Græci vocãt.

§. 3. *Exactius aliquid quæritur: & cur id quærendum sit.*

Sic igitur constitutum, satisque videtur esse firmatum, elucere quouis in Superiore Deum, non secùs quàm in quouis iudice potestas regia & auctoritas; quique Præpositum vel eius iussa contempserit, vel in illa temerarius insurrexerit, non secùs diuinæ maiestatis damnari, quàm regiæ soleant, qui in inferiores magistratus violenti insurrexerint. Verùm explicatius adhuc aliquid non immeritò postulari potest, vt percipiatur clarè quid peculiare sit & proprium Præpositorum: nam & in quouis homine virtute prædito, multa Dei dona elucent, & omnis quæ illi fit iniuria, imò omne omnino peccatum, Deum ipsum vel stultitia, vel malitia, eatenus petit, quatenus leges eius sanctissimas & æter-

nas temerando, à præscripto æternæ diuinæque rationis exorbitat.

Sed, vt varia sunt iudicia hominum, & sunt qui eiusmodi disquisitionibus non pascuntur; obiiciet hîc nonnemo, huic quæ potissimùm ad effectum, &, vt loquimur, spiritũ dirigitur scriptioni, videri omnes has subtiliores dissertiunculas esse superuacuas; quandoquidem qui ad hæc legenda & reuoluenda accedunt, ea bonitate mentis esse solent, vt sibi facienda præcipi, non autem speculanda describi ament. Fateor eiusmodi reperiri è vulgo plures, nonnullos etiam, qui ad prima minùs vulgatæ doctrinæ verba exhorrent, lectionemque & librum de manibus ponunt. adeò illis & nouum & insuetum est, intellectum excolere. Fallor tamen si non admodum sibi ipsis detrimentosi sint & iniurij, & hoc ipso inscitiæ se ac perpetuæ imprudentiæ damnent: etenim cùm primam sui originem, natura virtutis à ratione trahat, nec vera virtus esse possit, nisi quæ recta ratione nitatur, rectæ rationi consentiat, & à ratione perpetuò dirigatur, adeò vt virtus esse desinat, vbicunque rationis vis & energia esse desinit: nónne vt de virtute ritè diiudices, necesse est vt qua ratione virtus stabiliatur, quæ sit eius natura, cognoscas? quam si ignoraueris, quomodo, quid illi aptum fuerit, aut conueniens, quid contrarium & repugnans, quibus viis vel comparari, vel perdi possit animaduertes? quòd si, vt fermè multi, gnomas quasdam & placita, quæ res agendas asserant, non inutili quidem illo, sed tamen ad virtutis summam insufficienti labore conferseris, aliud si nihil habes, planè mediis in rebus frequenter necesse fuerit hæreas, cespites, impingas, offendas; vbicunque videlicet nouus emergens nodus, nouam dubitationum caliginem ignoranti offundet, quam, eiusmodi assueueratè affirmata assertio, discutere non valebit: valerent autem virtutis, vel rerum agendarum intellectæ perspectæque notiones, ex his enim ad omnem euentum, rectæ diiudicationis norma sumenda est. Hinc planè mihi contrà persuasi, simplicem in virtute sectanda, in iisque quæ ad mores spectant credulitatem, ab illis quidem qui incipiunt necessariò esse præstandam: at eos qui iam aliquousque progressi sunt, conari maximè debere, vt non tantùm virtutis, sed eorum omnium quæ ad rectè agendum spectanda sunt, antecessiones, ortum, progressum, naturam, vim, interitiones & occasum, consentanea quoque & dissentanea, affinia, similia, dissimilia, sedula cogitatione rimentur: credantque sine his omnem virtutis adeptionem nutare. quid enim firmum, quid stabile, quid magnopere videatur æstimandum, in eo quod ametur quidem, at cognitioni subductum, & nequeat æstimari, & excoli nequeat, & nequeat tutum ab insidiis protegi?

Quæ autem dixi non sunt cuiquam sine obseruatione transmittenda; sed singula contentiùs virtutis consecutioni admouenda: habet enim vnaquæque suas nonnullas antecessiones, quæ sunt vel præsensiones quædam, vel prænotiones, indicationes, propensiones, & denique aliquid venturæ mox virtuti proludens: vbi autem hæc indoles animaduersa fuerit, prudenter videndum

quibus

quibus foueri & ali debeat. In ortu verò & progressu, subtiliter obseruandum, quis & qualis cum anima nostra nexus intercedat, vt sic, vt quando, vt quomodo in eam insinuetur, inserpat, & implectatur intelligas: quomodo Spiritus vbi vult spirat, & interdum vnde veniat, quò vadat nescis; interdum ad tui & aliorum eruditionem, non eum tantùm, sed omnem eius præmonitum, aditum, progressum, motum, exitum, animo percipis. Sed ne longiùs diuager, sentiet quisque quod volet, mihi eiusmodi quæstiones, iucunditatis plurimum, at vtilitatis non minus videntur afferre.

§. 4. *Priuatæ auctoritatis à publica discrimen.*

Quapropter ad rem nostram redeo, vt inuestigem, qua alia ratione in Præpositis atque in priuatis viris bonis, spectetur Deus. neque est cur nos diutiùs ea res moretur, si in vtrorumque propria dona, & cur in eis spectetur Deus, intendimus. In priuatis ergo Deum agnoscimus, vel ratione naturæ, per quam Dei imago est; quod nunc missum facimus: vel ratione donorum & gratiarum, si quando virtute, scientia, prudentia, vel qua alia laude ceteros antecellunt; istaque ratione Deum quodammodo virtutes eas in ipsis elaborantem cernimus: vel etiam eos intuemur, vt qui fulgidissimæ & diuinitatem repræsentantis virtutis, radios, humana imbecillitate temperatos, conspectibus nostris ingerant; vel si vtrumque permisceas, tam viri boni nobis proferunt Deum, quàm in illis videtur Deus. Ista verò priuatorum dona, quemadmodum illis priua, hoc est propria sunt, & ad alios (nisi fortè exemplo, vel vtilitate foras traducantur) nihil attinent, ita priuatam quandam & voluntariam erga eos nobis ingenerant obseruantiam.

At in Præpositis donum auctoritatis & potestatis in eos collatæ agnoscimus, ratione cuius eis, vt Dei vicariis, obedimus, resistere formidamus, ne Dei ordinationi resistamus: estque hinc non voluntaria, sed debita obseruantia, qua non solùm honorē, sed etiam obsequium & obedientiā à nobis deferri oportet.

Sed hoc ipsum percipietur euidentiùs agnoscendo quàm multiplex, & quid sit auctoritas: & hæc quidem ab auctore dicitur, qui is esse intelligitur, cuius (in meliorem partem loquendo) ea est nominis, consilij, virium, industriæue dignitas, vt præclaro alicui facinori, rei, inuento, scriptioni initium & progressum dare potuerit. indeque consequens est, vt eam, cuius auctor fuerit, rem non minùs habeat sibi obnoxiam, nec minore sibi iure vendicet, quàm alumnus & parens filium. Hinc verò perspicitur auctoritatem, nihil coactum & violentum sonare, (ideoque libentiùs hoc quàm potestatis nomine vtor) sed aliquid sponte, ordine atque ratione enascens, ac venerationem, & interim potestatē etiam, vni in alterum tribuens. Potestque in viris etiam priuatis reperiri: parens enim filio iure imperat & huius auctoritati illa conueniunt quæ de publica dicentur, paucis demptis; in quibus non est hærendum.

Est autem duplex auctoritas, Acquisita vna, alia Indita, (nam de diuina, nullus hîc mihi est sermo.) Acquisitam intelligo quam quisque sibi conciliare, virtute, ætate, experientia, scientia, præclareque factis potest: quæ verò vel nobilitatis vel diuitiarum sit, potiùs existimationis, vel vtilitatis vim obtinere, quàm auctoritatis putem. Inditam verò, quæ necessariò forinsecùs aduenit, & aliunde datur vt sit legitima, qualis est illa omnis qua homini auctoritas imperandi datur in hominem; cùm enim sola origine naturæ, non sit homini imperium in hominem, aliunde id accedat oportet: neque verò virtus, aut prudentia, aut ingenium id per se præstant, nam & insipientioribus sapientiores plurimi, & vitiosioribus viri sanctissimi iure parẽt. sin autem nec virtus, nec ingenium, quibus maximè excellit homo, id efficere possunt, certè multò minùs vires corporis, aut etiam diuitiæ, & quæ ita sunt extra corpus vt tamen hominis sint, multò inquam minùs hæc sola hanc auctoritatem cuiquam conciliare credendum est. Altiùs ergo tota res arcessenda, & mox paulatim eò pertingemus.

Tria sunt, quorum vnum, vel etiam plura sibi deferri, iure suo postulat auctoritas; fidem scilicet, venerationem & obsequium: fidem exigit auctoritas, quæ est eiusmodi, vt illi meritò credi debeat, vt veraci homini rem gestam vidisse se affirmanti, vt etiam vnicuique in sua arte bene perito. Venerationem porro meretur auctoritas, quam virtus, quam ætas senilis, quam res præclarè gestæ conciliauerunt. At obsequium, illa sola suo iure sibi vendicat, qua vni in alterum potestas est imperandi. Estque hæc duabus aliis longè mirabilior atque sublimior, quantumuis illæ ipsimet homini vtiliores & perfectiores existant. Et sanè istiusmodi plura sunt in nobis: virtus enim & pietas qua Deo grati reddimur, & ipso quasi iure in cælestia transcribimur, nobis ipsis quouis alio dono melior, potior est & vtilior; mirabiliora tamen sunt prophetiæ, miraculorum & similium extra ordinem portentosa dona: ita planè, auctoritas qua fidem, qua venerationem meremur, alicui quod nobis insit bono, & quo laudabiliores reddimur innititur; at illa cui debetur obsequium, neque laudabiliores efficat, nec spectat nisi aliquid quod est homini extrinsecus immissum.

§. 5. *Auctoritatis imperantis quanta sit dignitas.*

Sed hoc ipsum tantum est, tamque diuinum munus, vt eorum quæ homini in homines diuinitus dari possunt, vix fortassis maius aliud dignius ue reperiatur. Sic enim ipsi nobiscum ratiocinari debemus, cùm huius mundi descriptionem, conuersionem, varios effectus, & quidquid in eo est, diuina prouidentia mutari, fingi, refingi, conseruari atque perennari videmus, maxima quidem esse illa, & eiusmodi quibus notitiam sui hominibus contestatam passim voluit Deus: quandoquidem nonnisi summa ratione, & præsidente, ac in suos fines dirigente omnia, sublimiore quadam mente, tam certa & ordinata serie, tot tes

diuersæ,

diuersæ, in vnum conspirare, ordinatissimeque deuolui possunt. Estque sanè illustre documentum, quo diuinæ, in id omne quod oculis cerni potest, gubernationis probatur auctoritas. At vt corporatis incorporata, & iis quæ videntur, ea quæ non videntur, natura & dignitate antecellunt, ita necesse est vt in horum quoque gubernatione eminentiorem aliquam, seu auctoritatem, seu potestatem resplendere, & illustres diuinitatis radios emicare deprehendamus.

Itaque hîc maximè est obseruare aliquid Deo dignum, illique soli conueniens: vt scilicet per se solum animos gubernet, regat, & quò velit impellat; subeat, subintret, insinuet ipse seipsum, vt lubet, vbi lubet, quantum lubet in animos, quos quaquauersum supremus ipse Spiritus, & spirituum omnium dominator & rector, αὐθεντίᾳ καὶ αὐτοκρατορίᾳ sua, pro potestate, quocunque, mouet & inflectit. Et quidem, cùm in homine præstantissima sit pars illa animi, quam mentem supremamque intelligentiam dicimus; illa quoque sit, quam in annulo aureo gemmam nobilissimam Bernardus vocat; Græci non specioso minùs quàm significante vocabulo αὐτεξούσιον καὶ αὐτοκύριον, nos verò, à libera censendi & arbitrandi facultate, Liberum arbitrium nuncupamus; in has vtrasque merum & summum imperium, sibi reseruauit Deus, ita vt solus illis ipsis insidere & præsidere, nulla penitus creatura adminiculante possit; possit, si quando libuerit, ipse per se suam nostræ menti doctrinam, suas nostræ voluntati motiones, iussiones, leges promulgare, efficereque, vt sic nobis illa proponantur, vt sine flagitio imperium detrectare non possimus. Cùm igitur hæc facultas, ita potenter animum humanum subeundi, omni sit creaturæ denegata, Deo conueniat, quà auctor & creator est spirituum, summusque ipse spiritus; iam satis patet eius eminentia, facileque consequens fuerit, vt omnis eius participatio, esse nobilissima censeatur.

Id est, sua ipsius auctoritate suprema, supremoq; imperij iure nõ aliunde deriuato, nec alia vllare spectante.

Dat verò huius potestatis participationem Præpositis omnibus Deus, & homini in voluntatem hominis (quo quid excelsius esse potest?) auctoritatem tribuit, quam nisi tribueret, nulla vi, arte, industria posset quisquam eò attingere; quis enim nisi Deus, potestatem in alterius animum faciet? Est autem sanè permira & permagna imperantis potestas, qua fiat vt alter imperata debeat velle exequi, & vel solo eiusmodi obsequio denegato, in æternum damnari possit: potéstne magis inuiolabili nexu tradi quisquam? Et quidem quàm latè hoc ipsum patet? qui enim potestatem & auctoritatem tribuit in voluntatem, ea pariter omnia in quæ voluntati est imperium, alterius ditioni subiicit. atqui reperietúrne in homine aliquid quod non illico voluntati ad nutum pareat? sic ergo cùm vnius alteri ad imperata subditur voluntas, non tantùm id quod optimum, & dominatus auidissimum, sed omnino totus homo homini subditur.

Vidésne ergo, vt hominem tibi præpositum, iam debes quasi quendam auctoritate

ctoritate Deum spectare, qui à Deo, supremum illud in animas dominij ius, in se, participatione quadam transfusum deriuatumque possideat? qui auctoritate ista ceteris eminens, & à vulgo segregatus, ipsis etiam animis, excelsior immineat? tantoque, si auctoritas illa spiritualis est, venerabilior & augustior perseuerat, quanto propriè regendis & perficiendis, quod planè diuinum est, animis est præpositus? quin etiam hoc ipso valdè assimilis est Deo, quòd vt Deus, ad aliorum animos, legis vinculis obligandos, aliena & emendicata confessione non indiget, sed se solo in consilium adhibito, quod voluerit, vult autem semper quod optimum, id imperare, iubere, & acceptandum potest vigere; ita qui præest, potest quod iudicauerit, quodque intra limites auctoritatis à Deo summo deriuatæ iustum & æquum fuerit, non consultis, repugnantibus, inuitis subditis, ita præcipere, vt nemo sit eorum qui sine graui peccato possit obsistere; atque adeò omnium planè illorum, nulla excepta, quod sanè mirabile est, voluntates singulas, possit vnus ipse, (quod non sua vi dæmones, non possunt angeli) sibi triumphatas sub iugum mittere. Subit hîc animum admirari quidem mirabilitatem in humana natura tantam, at magis obsecrare quo possum affectu subditos, vt ne vnquam in suis eam Præpositis amare veneriq; desistant; ipsos verò Præpositos, vt dignitatis suæ memores, ne committant, vt tanto tamque diuino dono, in extremo iudicij die, abusi esse comprobentur: heu quale fuerit, tantæ rei, tam nobile detrimentum! Domine mi Deus, animarum gubernator, per sacratissima Filij tui vulnera obsecro te, vt in Superioribus omnibus spiritum principalem confirmes Deus! Scio Domine, terribilis es, & aufers spiritum principum propter peccata subditorum; sed fac bone Deus, vt in sanctitate & iustitia, in timore & tremore, seruiamus eis tanquam tibi, non ad oculum, sed corde perfecto tibi placere cupientes, donec omnes in statum perfectum, vbi nos vnus regas, vnus possideas, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, læti insimul occurramus.

Nec verò inopportunum fuerit, tum ex humanæ naturæ conditione, tum ex multiplici fructu qui ex gubernationis auctoritate in res omnes variè deriuatur; tenerrimum quemdã in Superiores omnes amorem incitare, vt in eos, quorum munere vita nostra quietè, ordinatè ornateque traducitur, belluina planè futura, rapinis & latrociniis ac fœdissimis quibusque flagitiis execranda, vitiorumque densa caligine obuoluenda, si abs illa politiam, siue gubernandi auctoritatem, quasi è mundo solem, sustuleris. Quæ sint ea & quàm magna commoda, nec recenseo ne longior sim, & sunt in medio posita, vt quiuis ea videre, si modò velit, possit.

Sic autem firmas hic amor radices agat, tam latè patulas, totque vtilitatum maximarum fibris, tam validè obuolutas & implexas, vt quantouis emergente incommodo, tentari vel nutare non possit. Improbi sanè ciuis & perduellis esset, ob rem aliquam priuato nonnemini secùs accidentem, rempublicam euerti,

euerti, magistratum omnem abrogari velle. vitia quædam gubernationis proferuntur, at vitium summum omnium constat esse, si nulla sit: vitiosè deflectit monarchia in tyrannidem, aristocratia in oligarchiam, democratia in ochlocratiam; at pessimum est anarchia, cùm nemine ad rei communis gubernacula præsidente, vis & libido potentiorum, vel fraudulentorum astus pudore posito, nullius auctoritate coërcente dominatur: meliùs ergo semper est aliquam, quàm nullam esse rempublicam; non potest autem esse respublica, non communitas, vbi priuata omnia sunt, nec est ius aliquod commune supereminens quo priuatorum seiunctiones reuinciantur quodammodo inter sese, possitque si cuiusquam improbitate violatur aut discinditur, illud ius, sua se auctoritate tueri atque iusta vindicatione reparare; hæc autem auctoritas, quia per omnes vagari dispersa non potest, necesse est vt sit penes aliquos, qui ceterorum, quasi membrorum, vnius in commune corporis, capita sint, & illi (cuiuscunque demum generis sit) in vnum congregatæ hominum societati præsint.

§. 6. *Quomodo imperandi potestas à Deo deriuetur.*

Ita quidem hæc se habent, at restat vnum, Quomodo à Deo in homines auctoritas illa dimanet? de quo ideò pauca, quòd etiam hinc reuerentiæ in Superiores, cum fiducia coniunctæ, leges amplior existit. Meminisse igitur debemus, affirmatè admodum vniuersèque dixisse S. Paulum, Non esse potestatem, nisi à Deo, hoc est, omnem omnino potestatem esse à Deo, nec aliter esse posse nisi ab eo: hoc autem dixisse tam de magistratibus & prouinciarum Præsidibus, aliisque etiam infimorum subselliorum Præpositis, quàm de ipso, à cuius nutu pendebant, Imperatore Romano; neque verò de illo solo qui tum temporis viueret, sed de aliis quoque deinceps futuris id voluisse intelligi, ac eapropter Christianos fuisse semper illis, quamuis impiissimis & persecutoribus, obsequentissimos: quod nisi fuisset, quàm facilè fulminatrices illæ legiones, fortissimique Thebæi, & tot innumeri, deliberata morte fortiores, Christiani, in impietatis assertores rebellare potuissent? Potuissent sanè, at sapientiùs noluerunt, ne quà emicantis in Imperatore diuinæ maiestatis, auctoritatem læderent. ita sensisse, ita fecisse constat; obscurum tamen esse possit, qua ratione id fieret, cùm Romanos Imperatores, vel violenter rempublicam oppressisse, vel factione suffragioque militari, maiorem partem emersisse memoriæ prodant. Hîc ergo tantisper hæreamus: non est illi solirei, sed multis aliis hic nodus molestus vt dissoluatur.

Amantissimus est hominum, idemque sapientissimus & prouidentissimus Deus noster, qui cùm *omnia in mensura, in numero, in pondere* disponat, illud maximum suæ bonitatis qua velit, sapientiæ qua norit, potestatis qua possit, argumentum ostentat, quòd omnia quæ ab eo sunt licet diuersissima sint, ordinatissima *Sap. 11.*

Psal. 118. sima tamen sunt; ideoque bene significanterque dicitur, *Fundasti terram, & permanet; ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Ad conseruationem autem ordinis quàm maximè facit, vt certas in partes id omne distribuatur, & aliis aptè subiungatur, quod confusionem perturbationemque diuturnam pariturum videtur: itidemque ad prouidentiæ sapientiam pertinet, vt si cubi causarum inferiorum peruersitas, in rebus apprimè necessariis à destinato aberrare videatur, cursum inhibeat, & (quod leniſſimè ac inobseruabili motu præstare solet Deus) id omne in meliora conuertat, efficiatque, vt eorum quæ adesse oportuerant, nihil desit. Sic ergo, si quando in re aliqua publica, ea inualescere tempora patitur, quibus aliquamdiu parum ordinatæ sint leges, regnet ambitio, potentiamque vsurpata comitetur auctoritas; quæ frequenter non bonis, peruersis etiam nonnumquam, atque violentis artibus extorta videatur; fit sanè, vt in primo illo motu, dum durat vis ea, quæ comparandæ in ceteros auctoritati subseruit, ægrè possit agnosci, cui, & an omnino alicui, illo temporis articulo sit iure parendum: & verò ad breue tempus in anarchiam, vel in anarchiæ imaginem deuolui, deque imperij iure non satis constare, non est cur à ratione censeatur alienum. At quia nullum violentum solet esse diuturnum, perpetuaque ista dissociatio animorum, & voluntatum auctoritate æquatarum inæqualissima dissensio, humanæ omnis (cuius conseruandæ solemus esse auidissimi) societatis est inimica capitalissima: solent plurimorum animi, leui momento ad concordiæ bonum aspirare, & quam exhorruere potentiam, non potuerunt autem excutere, fauentioribus animis prosequi, agnoscere, ac interdum vtrimque mutatis animis ardentiùs adamare. nempe, Vertumnus est homo, cuius non vultus tantùm, sed animi etiam facies, non in dies, at in horas, sexcenties emutetur. At quanto hîc suo bono? quid enim opus est, vt quorum initia sunt non bona, mali progressus, mali quoque sint exitus? quoties dominandi regnandiúe cupiditas transuersos primùm egit nonnullos, qui tamen cetera boni & rebus gerendis apti, cùm optatos honores essent consecuti, eos prudenter, moderatè, sapienter, & ex publica vtilitate gessere? sed neque quiuis qui in adeundo obtinendoque magistratu error admittitur, auctoritatem ita vitiat & eneruat, vt illi non sit parendum: quidamque interdum, loci & hominum moribus, viget auctoritatis ineundæ modus, non satis ipse quidem legitimus, & rationi congruus, verùm quia passim vsurpatus, quia melior alius in vsu non est, quia communi consensu admittitur, neque ius atque rationem penitus euertit, propterea ad rerum grauiorem perturbationem cauendam, etiam sic auctoritatem tradi patitur Deus. Qua in re humano generi benignissimè consulit bonus Dominus, nequaquam ferens vt quod vitæ nostræ rationibus est præ ceteris necessarium, id conuelli, in dubiumque reuocari possit à quoquam: sit néne vir bonus, prudens, sapiens qui præest; fauoréne eblandito, pecunia, variis artibus, an suis meritis, in id fastigij sit euectus, obedienti nihil attinet:

attinet: auctoritati datæ, non modo quo data est, obedientia defertur: eique qui *supra cathedram Moysi sedet*, quia inde præsidet, non quia eam certa ratione conscendit, adhibetur fides. Sic igitur quoties accidebat vt fauore legionum, & acclamatione militari Romanus crearetur Imperator, quando primùm vi & armis, vel Iulius, vel Augustus, rempublicam oppresserunt, dum illa bellorum ciuilium tempestas caliginosa, discissis in diuersa animis, desæuiebat, meritò minùs dilucidè cerni potuit, quibus potissimè obsequium esset deferendum: at verò tranquillatis animis, bellique tenebris pacis luce discussis, tum sanè alia rerum omnium & ordinatior facies clariùs elucebat, vt pateret, quis ille esset cui communi consensu pareretur. Non quòd vis illata, quòd reipublicæ oppressio, ius facerent, sed quòd hominum aggressionibus non optimis, in finem suum sic vsa sit diuina prouidentia, vt quia vel ad tanti regimen imperij, vel ad disseminandum mox futurum Euangelium, non erat democratia opportuna, violentus quidem vnus ceteros oppressurus insurgeret, tyrannidique initium daret, at paulò pòst in communem concordiam inclinatis animis, communique ἀμνηστίᾳ seu præteritorum obliuione inducta, vltroneum susciperetur imperium, tyrannis mutaretur in monarchiam, ac vtrimque, affectu & cura pari, tum Imperatorem veneraretur populus, tum populi salutem tueretur Imperator. Certè qui regna *transfert de gente in gentem*; rerum maximarum subitas mutationes leni flexu perficit; potentissimeque se insinuat, occulta quadam vi omnia in melius prouehens, & quemadmodum supremus omnium moderator huic semper orbi præsidet, ita summus confusionis osor, vicariam semper sui inter homines potestatem, siue in ciuilibus, siue in sacris, clarè & apertè vigere, ad humanæ societatis bonum prouidentissimè decernit. *Eccl.* 10.

Sed hæc dicta sufficiant, vt communem auctoritatis vim, Deo semper esse commendatissimam agnoscamus; nihil enim anfractuosum, nihil controuersum habet sacra illa auctoritas, qua Religiosi suis Prælatis obediunt. Constat enim à supremo Dei in terris Vicario Romano Pontifice, vnicuique Religiosæ familiæ eam dari potestatem, vt singularum legibus obseruatis, possint Superiores eligi, qui bono communi inuigilent, Religioni Religiosisque præsint; vnde consequens est, vt potestatem ab Iesu Christo D.N. per Vicarium eius, & Religionis placita deriuatam, possidere clarissimè comprobentur. Quòd autem fortassis interdum in quæstionem vocaretur, hic an ille ritè electus esset, controuersiam de re gesta continet; quæ discussis factis diiudicanda est.

§. 7. *Summa veneratione dignos, qui potestate imperandi præditi sunt.*

Iam igitur denique concludamus hanc auctoritatem, summum esse donum, quo diuina bonitas, hominis indigentiæ, humanæque societatis conseruationi consulere volens, dignissimam quandam, sed certo limite comprehensam, su-

premæ ſuæ in animas auctoritatis, participationem homini in homines largitur, donatéque vt alios imperio flectere, premere & regere poſſit: qui verò eiuſmodi eſt, ceteris omnibus celſior emineat alienarum actionum moderator & arbiter; ſuarum verò ita dominus, vt earum rationem repetere, nemo ſibi ſubditorum poſſit, ſeueriſſimam tamen exacturus ſit Deus; cuius ita perſonam auctoritate ſuſtinet, vt vitio ſuo non deperdat, cùm non virtuti, vel bonitati, vel conſilio, vel prudentiæ, ſed perſonæ publicæ detur: quæ quamdiu intemerata manet, tamdiu illi ſua reuerentia, obſeruantia, obſequiorum præſtatio aſſueta debetur.

Et quoniam tam neceſſarium tamque dignum id eſt, quàm diximus, propterea diuina prouidentia quàm maximam hominibus omnibus, efferatis licet & barbaris, erga ſuos reges, magiſtratus, ſacrorum antiſtites, venerationem indidit, vt pænè hominem rationemque omnem exuiſſe, & infra pecudum videantur abiiſſe naturam, ſi qui pauci fortè reperiuntur, qui palantes ſine rege, ſine lege, nullaque poteſtate coërciti viuant. At cùm numero, tum imperio rebuſque florentiſſimis, & præclarè geſtis longè plures atque potiores, fuere ſemper, hodieque ſunt illi, qui monarchiis, qui principibus præpoſitiſque magiſtratibus, vt rerum ſuarum iuriſque legitimi arbitris, obnoxiè parent. Fermeque optimo loco illorum reſpublica verſatur, apud quos purior & integrior diuinæ auctoritatis intemerata imago viget: quod in monarchico ſtatu verum eſt; in quo omnis in vnum collecta auctoritas, vnum ſummum gubernatorem Deum expreſſiùs refert, tantoque perfectior & ordinatior eſt, quanto plenius & ſummo iure, ſuæ poteſtati ſubiecta omnia, pro voluntate moderatur.

Atque hinc id ſecutum videmus, vt ſummis (quocunque nomine vocarentur) magiſtratibus is etiam honor haberetur ſummus exteriùs, qui ſummam, quæ illis ex animo deberetur, venerationem teſtatam faceret; cultuſque eſſet quidam illis proprius, inſignia honoris quædam, quæ abs alio nemine vſurpari fas eſſet; multæque id obſeruent nationes, vt reges ſuos nonniſi de genu ſoleant alloqui. nec ſanè immeritò hunc Deo exhiberi ſolitum honorem ei tribuunt, qui Dei auctoritatem præ ceteris viciniùs & perfectiùs ſibi vindicat.

Inde etiam eſt quòd eorum ſemper auctoritatem ſua prouidentia ſanxerit Deus, grauiſſimis pœnis ad ceterorum exemplum temeratores principum afficiens. Lege, vel memoria recole, ſi voles, quàm acer vltor fuerit eorum omnium, qui ſe Caij Cæſaris (cuius tamen dubium ius diximus) cæde ſordidarant. Sed illuſtriora ſunt quæ à ſacris Litteris ſuppeditantur, ſeu Dauidis, vnctum Domini tantopere ſuſpicientis, cæſumque vindicantis; ſeu Dei, obmurmurantes Moyſi, tam acriter punientis; cumque in Samuelem aliquando etiam obloqueretur populus, *Non te*, inquientis, *abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper*
Exod. 22. *eos*: præceperat enim aliquando, & obſeruari volebat, *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* An facto temerari patietur, quos ne verbo quidem tan-

tam

tari vult? quos Deorum quoque nomine dignatur? Iterumque aliàs sæpiùs eodem loquendi genere vtitur, & maximè dum ait, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat:* hoc est, inuisibili sua maiestate semper præsens adest Deus, dum reges & iudices consilia decernunt; at simul, omnia cernente oculo, quàm recta illa sint iudicia diiudicant. Hinc vt & suæ dignitatis, & rationis reddendæ sint memores, siue iuxta D. Benedicti salutare præceptum, non tantùm quid vocentur, sed etiam quid sint, præ oculis habeant, *Ego*, inquit, *dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes*: deos ego vos dixi, ceteris inquam hominibus, iis regendis quasi deos impositos, deos non quidem natura, sed selectione Excelsi, cuius peculiares quidam filij estis, cuiusque præclarissimo ceteris prouidendi munere fungimini. At in honore positi, intelligite, apprehendite disciplinam, & aliquando sapite: quid enim? *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis*. idemque vos manet interitus, qui præcedentium quemlibet excepit; tum verò *potentes potenter tormenta patientur, & iudicium sine misericordia, his qui sine misericordia fuerint, fiet.* Psal. 81.

Sed hæc tristiora, & à cogitatione priuatorum aliena mittamus, dum autem Reges & Præpositi sunt, imò dū sunt dij nostri, videamus quàm iustū sit vt quos tantopere præ ceteris euexit Deus, eos nos quoque omni honore, sinceraque animi veneratione, propter Deum, & Deum in eis intuendo prosequamur. Sic tamen vt è dictis iam satis intelligamus, quàm diuersa hæc duo sint, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: &, *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* In priore quippe, alteri factum, sibi reputat Deus, qua ratione, omnis rectè facti est liberalis compensator, singularumque virtutum auctor, exemplar & finis: acceditque aliquid magis proprium, si etiam eius intuitu id fuerit patratum. atque hinc fortassis etiam dicitur, *Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Quibus verbis non idem dici videtur, cùm asseritur, *Qui recipit vos, me recipit*; atque cùm dicitur, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* hîc enim sensus esse potest, qui prophetam, qui iustum in tantæ virtutis amorem recipit, eam recipiet mercedem, quam illa virtutis veneratio meretur. At *qui recipit vos, me recipit*, plus aliquid sonat: *vos* enim ille, id est non has aut illas virtutes, sed eam quam ex me geritis auctoritatis personam intuens recipit, quæ persona quia mea est, suamque à me dignitatem continuò, quasi radius à Sole mutuatur, dum vos recipit, me recipit, mihi honorem præbet. Et certè quidquid de hoc sit, illius tamen alterius loci ille planè sensus est: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Vt enim aliquando dixit Dominus, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*: eodem sensu dici potest, Vestra, ô Apostoli, ô Pontifices, ô Reges & Præsides, auctoritas, non est vestra, sed eius qui eam dedit summi Dei; vos ergo ex auctoritate concessa iubentes qui audit, Dei auctoritatem, Deumque loquentem Matth. 25. c. 10. Ioan. 7.

audit; qui verò spernit, is maiestatis diuinæ reus perduellionisque damnandus est. Atque vt spretæ vel etiam affectatæ auctoritatis regiæ est sensus acerrimus, & crimen odiosissimum, (quippe nihil est quod cum illo supremo dominandi iure in comparationem veniat) ita spretæ seu in ipsomet, seu in Dei vicariis, auctoritatis diuinæ, nullum aliud fingi nefandius crimen potest. Et ne vanè id me dixisse putes, en quàm disertè sanctus idemque placidissimus propheta, solito
1 Reg. 15. acriùs exardescens affirmet. *Quasi*, inquit, *peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* quid enim? idololatra verum non adorat Deum, & deos sibi fingit, qui non sunt dij. quid tu, rebellis & Præpositorum contemptor, nunquid non Deos, quos Deos tibi fecit Deus, & Dij tui sunt, contemnis? & Deum qui in eis loquitur spernis? ipseque à te ipso, te regendi auctoritatem tibi vendicans, tibi impiè diuinum numen arrogas? & quando eodem temeritatis impetu, à vero & solo futuri præsagitore Deo per suos gubernante discedis, quando tuis artibus, consiliis tuis, tua tibi prouidentia consulis, nunquid non istud ariolari est, sibi in futurum meliora prouidere, & (quod sacræ Literæ
Deut. 18. loquuntur) *per tumorem animi* se prophetam, se sibi videntem fingere? Videsne in quod improbitatis barathrum, superbia & inobedientia præcipitem hominem detrudat?

Et quidem quæ de eminentissima Præpositorum dignitate dicta sunt, vt verissima ita certissima sunt habenda. Id vnum iterum commendandum habeo, illos qui regendis, & ad æterna dirigendis hominibus præpositi sunt, tanto diuinam illam dignitatem participare nobiliùs, quanto anima corpori, temporariis æterna præstant, quantoque magis proprium Deo soli est, animos, quàm corpora mouere: hinc igitur iis eos intueamur oculis, quibus par est æternitatis duc. 21. const. mon. ces, beatitudinis conciliatores, animarum custodes intueri. *Superior* enim, inquit S. Basil. *nihil aliud est, quàm qui personam Saluatoris obtinet, & mediator Dei & hominum factus est, & qui salutem obedientium, ipsi sacrificat.* Hanc autem reuerentiam, moderato timore conditam, si diligenter auxerimus, eique humilitatem comitem iunxerimus, tum proculdubio id consequemur quod initio commendabam, vt mentis oculis, tanta splendentis auctoritatis luce completis, non sit quod humanæ naturæ næuos curiosiùs videre possimus.

CAPVT III.

Quid bene vel malè iubeatur à Præpositis.

EXpositum est superiore capite, præcipuum illud obedientiæ fundamẽtum, quo in Præpositis Deum intuemur: proximũ est, vt etiam inquiramus an & quomodo in eorum factis & iussis diuina eluceat auctoritas, illustretur sapientia,

tia, prouidiq́ue Dei bonitas erumpat: quippe non aliunde, quàm ob aliqua vel non satis probè facta, vel non commodè iussa, vel in peius maligna interpretatione detorta, de Præpositorum amore & auctoritate solet detrahi: nec aliunde, in Deum ista referre arduum est, quàm quia summâ illâ & perfectissimâ optimi naturâ, esse videntur indigna. Difficilem, sed perutilem quæstionem ingredimur, sancti Spiritus afflatu confisi: in qua prius id esse debet, Quid bene, quid malè iubeatur: quippe vniuersè loquendo, fieri interdum, vt aliquid secùs quàm oportuisset imperetur; satis rebus ipsis videtur esse contestatum, & ex dictis euincitur: cùm in Præpositis ita insit diuina auctoritas, vt tamen humanæ naturæ propensiones, si quæ vitiosæ fuerint, nihilo imminutæ, ne dicam, (ob maiorem in agendo libertatem) aliquanto etiam roboratæ sint.

Cum autem tum in quorumuis, at præcipuè in Præpositorum actionibus iudicandis, cauenda sit temeritas: vt ne in eam incidamus, erunt quæ mox dicemus perpendenda singula, quorum causa malè aliquid iubetur: sunt autem vel res, vel modus, vel circumstantia, vel finis.

Ratione rei malè iubetur, quando res quæ iubetur mala est: quod quatuor potissimè modis accidit: Primò, si res per se naturaq́ue sua mala iubeatur; vt mendacium, simulatio, furtum, inobedientia, & quoduis vel leuissimum peccatum. Secundò, quando res non est per se quidem mala, sed alicunde tamẽ fit, vt mihi, in eo vitæ statu degenti, mala sit; quale est id omne, quod solis Religionis regulis, vel Superiorum aliorum ordinatione est prohibitum. Tertiò, quando recta ratio docet, id quod nunc iubetur dedecere personam, & conditionem vitæ, vt si Religiosum sacerdotem indecoro quodam vestitu concionari iusseris. Quartò, si res illa communem vsitatumq́ue in Religione morem excedit, vel eneruat: vt si insueta longeq́ue grauiore, quàm loci moribus receptum sit, seueritate vitia puniantur; vel remissiore indulgentia delabi, quæ à maioribus rectè instituta fuerant, sinantur: quippe Religionum Præpositi, aliiq́ue fermè magistratus, non Religionum aut rerum publicarum conditores, at conditarum, in iure singulis proprio, conseruatores esse debent.

Quamquam autem hæc ita se habeant; tria postrema certis locis, & temporibus rationibusq́ue, interdum vsurpari possunt; cùm nequaquam ita mala sint, quin aliquando bene, vel saltem non malè, fieri possint, vt probant illorum qui nonnumquam eadem patrauere, exempla Sanctorum: quæ cùm plurima sint, nec res hæc reuocetur in dubium, non est cur in recensendis immoremur. Quòd si quando iussionem non dissimilem instare videamus, animaduertendum an frequenter, an rarò, an semel tantùm ista iubeantur: etenim si rarò, si semel tantùm, si extra ordinem, certaq́ue ratione imperentur aut permittantur, cauendum ne temerè damnentur: procliuius foret, si frequenter, si passim, si quauis occasione, ista sinerentur. Et quidem de tribus postremis hæc dicuntur; peccatum enim, quod primò positum est, nunquam iuberi vlla de causa potest.

Sed profectò vel tenuissimè cogitanti patere solet, quid rebus ipsis insit, & cuiusmodi sint. At eorum, quibus quis in imperando vtitur, modorum animaduersione & impulsu, longè frequentiùs accidit vt nos iussa perturbent, eaque in deterius interpretemur, Præpositisque, propè magis quomodo, quàm quid iubeant, sit videndum. quippe ista plerique viuimus mollitudine naturæ, vt non tantùm rebus minimis, sed vel sola imaginaria quadam specie lædamur, offendamur, externemur: sed & Superiorum nonnullis, quædam interdum, ad ingratos imperandi modos, vitiosæ propensiones insunt: quippe reperias, qui ceteros vel vultu, vel sola vocis asperitate exterreant; qui imperioso gestu, alios à se, ostentatione fastus, arcere videantur; qui denique inferiorum abalienent animos, & se tamen credant lenissimos, credant amabilissimos. adeò ipsa sibi adulatrix est potestas. Neque verò vt medearis, id sufficit, vt se asperos & inamabiles esse intelligant, sed fido & prudente monitore opus est, à quo sæpiùs audiant, in quo & quatenus sit modus ille vitiosus, & qui non tantùm doceat, quo contrario modo sit ille corrigendus, sed ad correctionem quasi manuducat. Neque id multò secùs contingit, quàm in tono & pronunciatione sermonis, vbi si quid peccatur, & dixeris, Acutiorem esse, vel stridulum, vel subsultantem; monuisti quidem verè, at vix erit qui ideo se corrigat: vix enim est qui suæ sibi pronunciationis censor, aut tenuissimarum vocis inflexionum accuratus obseruator esse possit. at si eam vocis dissonantiam ad viuum primò expresseris; tum ex qua oris vel faucium dilatatione, elisu, contractione, id oriatur docueris; ac denique tuam ipse vocem in gratiorem sonum efformaueris; tum certè, nisi penitus indocilis alter fuerit, emendationi viam perfacilem demonstrasti. Cùm autem difficile sit reperire qui possit, qui velit, qui audeat, alterius, & maximè Superioris, defectus illi ipsi indicare, ad plenum exponere, moduméque corrigendi præire: misera profectò conditione Præpositi viuunt, quibus propè pro humana infirmitate necesse est, iisdem in defectibus immori, in quibus sua eos deprehendit dignitas. Est tamen, est, quod isti mederi malo possit, iugis videlicet oratio, sincera cordis humilitas, plurima sui ipsius disquisitio, & acris omnium animi corporisque motuum diiudicatio, nunquam in socordiam soluta, nunquam diuinorum iudiciorum immemor. At quis est hic, qui hæc perpetim adhibeat, & laudabimus eum?

Verùm vnà cum modis, etiam circumstantiæ, vt loci, temporis, personarum, attendendæ, curandumque, vt benignè, vt beneuolè, vt ad naturam & vires cuiusque attemperatè imperent: sanè nihil est, quod amabilitate auctoritati adminiculante, impetrare non possint. Quæ sint autem quæ vel modo, vel circumstantiis vitiosa sint, vel mediocris prudentia docebit: si maximè alterius, cui imperandum est, vicem subeuntes, humanæque, quam illi inesse sciunt Præpositi, infirmitatis modulum sibi repræsentantes, potiùs infra, quàm supra vires imperent, nihil nimis vrgeant, præcipitent nihil, ac præ ceteris omnis sapien-

tiæ

tiæ bonæque gubernationis fontem Deum consulant. Verè & piè, suo more, Magnus ille Pastor Gregorius obseruauit, propterea subditos minùs pacatè discreteque admoneri à Præpositis; quia Præpositi, amori solius creatoris minùs intenti, & in multa sparsi, non possunt subitò se cum Deo ad discretionis culmen erigere: at ex hac nimia animi dispersione & familiaritatis diuinæ penuria, non hic solus error scatet, sed alij etiam plurimi: videndum igitur, vt quo magis necessarium est, tanto illi medeamur accuratiùs. 2. p. Past. c. 11.

Iam finis, vt in iis omnibus quæ ab hominibus fiunt, potest plurimum, lateque diffunditur; ita maiorem admittit varietatem, & intentiorem considerationem meretur. Ac primò considerari potest, quo fine, seu qua intentione, bona an mala, virtutis an vitij, sit aliquid imperatum? sunt enim qui interdum id fieri putent, ex inuidia, æmulatione, abalienatione animi, alterius fraudulento instinctu & impulsu, aut etiam quia Superiorem propria sua commoda, existimationem, vltionem suam, vel aliud nescio quid, cupidè ambire sibi fingunt. in quam iudiciorum, sanè temerariorum, voraginem qui semel prolapsi fuerint, non facile dictu est, quot se imperfectionibus, angoribus, perturbationibus inuoluant, & quàm sit arduum, inanissimarum suspicionum vmbras, veritatis luce dissipare. Sunt qui sibi, leuissimis ducti coniecturis, persuadeant Præpositos, vel durę cuiusdam asperitatis rigidos esse amatores, vel perplacendi hominibus cupidos, blanda & emolliente lenitate adulari: horumque singulos, suis istis rationibus aptum finem sibi præfigere, & vt eum consequantur, duriùs, molliùs, vbi visum fuerit iubere: quorum tamen vtrumque (vniuersè loquendo) vitio quàm virtuti propius est, potestque non tantùm ad finem, sed etiam ad illaudabilem modum referri. Sunt quoque alij, qui se in aliorum vita acutum cernere credentes, de vitiorum virtutumúe, quas sibi Superiores proponant & adament, electione prudenti, vel imprudenti, liberrimè sententiam proferunt; has nimiùm, illas parum, indecenter, importunè, secùs quàm oporteret obseruari: sic, vt illi, quorum sacrosancta vigere deberet auctoritas, illi sint qui præ ceteris maximè, iudiciis hominum expositi degant. Sed hæc ad personas potissimè referuntur, dicamus quæ ipsis iustis magis inhærent.

Solent enim, animaduerso fine, malè iusta dici, quæ ad finem propositum minùs apta sunt, vulgoque vitiosa natura nostra propendet, vt id etiam condemnet, quod finem suum, quacunque occasione, non fuerit cõsecutum. Finem alij aliter, nos quod in rem nostram faciat intuentes, in quadruplicem diuidimus: est enim finis rei, finis hominis, finis Religionis, & finis Dei. Finis rei, est finis in quem natura & vis alicuius rei tendit, vt architecturæ, habitatio; sermocinationis, sensuum animi explicatio. Finis hominis est, quem sibi homo proponit; vt si architectus, architecturæ finem sibi faciat lucrum; sermocinationis verò sibi quispiam finem ponat delectationem. Finis Religionis est, quem ipsa sibi Religio præscribit; vt si architecturam, ad vitandum otium, ad hospitalitatem exercendam,

cendam, ad laudem Dei in sacris ædibus amplificandam exerceat; si sermocinationem, & mutua colloquia ad caritatis fraternæ conseruationem, vel spiritus feruorem excitandum, vel consilium petendum, vel multiplicem doctrinam refert, aut semper, aut quodam suo tempore. Denique finis Dei, imprimis est Deus ipse, in cuius honorem & gloriam, vt in primum & vltimum finem omnium, redeunt omnia: ac præterea, propinquiores quidam Dei fines, hoc est isti rei vel actioni præstituti à Deo fines dici possunt, quædam quæ Deus ex vno quodam euentu elicere vult miris quibusdam viis & rationibus, quæ cùm omnino contrariæ humanitus coniectando videantur, euentus qui inde consequitur est prorsus nobis inexspectatus, & antequam contigerit inobseruabilis, humanoque intellectu impenetrabilis; ideoque in diuinæ gubernationis atque prouidentiæ vim se nostris casibus implectentem, & rectius dirigentem merito referri solent. Quod euentuum genus elucet maximè in iis quæ à Deo permittuntur, & ab hominibus malè, sine ratione, cautione, prouisione fiunt, vnde tamen magna de improuiso bona erumpunt. Quando vnde opprimitur, inde exsurgit vegetior virtus: quando peccati illecebra, fit incētiuum caritatis: quando conuersa rerum facie, quam summam nobisque formidabilem putabamus esse tempestatem, eam rebus nostris promouendis videmus fuisse secundissimam, exituque nobis optatissimo desisse: nónne id omne accipiendum est à benigne admirabili Dei sapientia, quæ ludens in orbe terrarum, eiusmodi interdum sui specimine, & quasi scintillis, pronas hominum mentes sursum erigit, & ad altiora diuinaque contemplanda, mirabilitate inopina prouocat?

Iam, quoties agitur, vt rationibus ab fine ipso petitis, de cuiusquam rei iussione iudicetur, tunc arcessenda, simulque prudenter & accuratè componenda sunt, quæ ad rem, ad personam, ad modum & circumstantias propius pertinent, vt inde, quàm rectè fini quadrent, videri queat. sed & in variis illis finibus, sunt quæ inter se pugnare, sunt quæ luci caliginem, perspicuitati tenebras offundere putantur: interdum enim finis consentit fini, interdum & repugnat, quodque ratione vnius finis (puta rei) bene iussum videtur; hoc ratione finis alterius (puta hominis) malè iniunctum putatur: suntque perspicaciùs, tum vtriusque rationes explorandæ, tum inquirendum quis præcipuus & potissimus sit finis, ad cuius assecutionem reliqui dirigi debeant.

Sed hæc doctrina exemplis clarior erit & vtilior: fuerunt tamen ista notanda, vt ex quo fonte dicenda scaturirent obseruaretur, notisque principiis, pronum esset ad varios euentus, quasi varias areolas, humilis prudentiæ aquæductus inde deriuare, natiuamque nostram, ad iussa Superiorum approbanda, duritiem & aspredinem emollire. Faciamus ergo, cuidam colendi horti curam esse commissam, eumque totum isti muneri addictum: at ecce cùm horti colendi tempus opportunum aduenit, Superior hortulanum aliò amandat, vel agricolationis imperitus iubet quædam semina eis committi locis, vbi minùs feliciter proue-

prouentura sunt. Eundem Præpositum ad scholas adire videamus, & quia sic opinatur, ac olim ita fuit habitus, velit omnia ad Orbilianos & plagosos antiquæ seueritatis mores exquiri: discipulorum plurimi diffluant, in reliquis & pudor & amor perire, malus virtutum, sed simulationis solers artifex, timor solus vigere reputetur: sua tamen in sententia perstet, iussionem seruari vrgeat Superior. Inde ad alias versus curas, vetet confessariis ne nonnisi certo tempore, breuiter, festinè, & quasi curriculo confessiones audiant, neminem sæpiùs, neminem diutiùs, quàm ceteros omnes: inde offendatur passim populus, alienetur à nobis, succumbant tentationibus, anxietatibus implicentur illi qui eis obnoxij sunt. Quid hîc faciet subditus? recténe an malè iuberi iudicabit.

Non immeritò in eiusmodi rebus, dubius hæreat animus: dicamus ergo quid sentiendum, & ex his pateat, quomodo nos in omni euentu simili gerere possimus. Vbi de iudicio subiiciendo, & opinionum varietate agemus, nonnulla quę huic etiam loco conueniant reperientur: nunc autem argumenta ex diuerso fine ducamus, hîc enim varius apparet: quippe in eis quæ de hortulano dicta sunt, finis rei seu culturæ horti, cùm natura sua sit fructuum feracitas, docet iussionem illam Superioris ineptam fuisse: at Superior, potuit finem illum, vt minoris æstimandum, contempsisse, & potiorem alium aliquem spectasse, qualis esset vrgens vtilitas proximi de salute periclitantis, & in eius opem emittendus esset hortulanus; fortassis etiam id facit ad periclitationem virtutis hortulani, quem mortificare. vt quid enim id verbum refugiemus, cuius in significatu cõsequendo, perfectionis nostræ summa consistit? sed & sua sunt vnicuique arti vocabula, vt Superiorum, Inferiorum, Confessariorum & similium, quæ latinitatis causa refugere putidum sit, & necessariæ (quæ prima orationis est virtus) perspicuitati aduersum: quam acerrimi vir iudicij Augustinus tanti fecit, vt Ossum potiùs quàm Os, amphibologiæ vitandæ causa dici mallet: quanto ergo magis spiritualia spiritualibus scribentes, leuiculârum obseruationum securos esse decet? sed vnde abij, eò redeo. Potuit ergo Superior hortulani mortificationem spectare, eumque in iudicij proprij abnegatione exercere velle. qui fines & fini Religionis & Dei fini consentiunt: cumque Superioris iussio illis consentiat, non potest habita ratione finis meritò improbari.

At, inquies, turbatur ea iussione hortulanus, qui cùm apertè videat à fine rei aberrari, & horti culturam minùs commodè cedere, istas verò remotiores & natura sua occultiores rationes non prospiciat, non potest ex ignotis iussionem approbare; sin autem ex iis quæ nouit, eam improbet, quis id meritò temeritatis accuset? Sed leuicula hæc est, parumque probabilis excusatio. Inferioris enim est, Superiorum consilia non scrutari, non exquirere, non diiudicare, sed obedire, & vbi apertum confessumque peccatum palàm non est, omnia pro bonis æstimare; iudicia nulla, rationibus à natura & sensu ductis, firmare: has enim affectari Religiosum haud decet, sed se totum ab infimis recipere, & ad

superiora traducere; credereque tantum Superiori, sibi tam parum prouidentiæ inesse, vt nihil ipse, Superior verò, quiduis bene commodeque prouideat: cumque in rebus humanis commoda sint mixta incommodis, si quid incommodi in rebus iussis videat, credat thesaurum quendam commodorum latere intus absconditum, eumque solis obedientiæ simplicis exercitiis eruendum. Præterea cùm Religiosus, mundo renuncians, omnium rerum contemptum profiteri, virtutem solam, solam perfectionem adamare videatur: damnumne reputabit, si ob Superioris iussum, minus olerum, minus fabarum legatur, si lædatur valetudo, si pecuniæ aliquantum, si lis, si ius externum perdatur; interim verò quod crumenæ, quod corpori perit, accrescat animo, virtutes acquirantur, perfectio augescat? O vtinam bone Iesu, tanta esset Religiosis omnibus internarum virtutum, quanta bonorum externorum, (quæ flocci feciſſe) suique, quod perdomuisse debuerant) corporis cura! Verùm vt ne longiùs abeam, hinc nobis commendatum esse oportet, vt quoniam Superiores Religionum, non adeò rerum vsum, & naturalia commoda, sed progressum in absoluta virtutum perfectione, & diuini honoris incrementis, vbique spectare debent: horũ autem curandorum diuersissimæ, nobisq; propè incogitabiles viæ sunt, non assuescamus disquirendo in iussis fini rerum, vel habilitati aut opportunitati ad id quod optatur consequendum: persuasissimum sit potiùs, eos qui præsunt celsiorem finem aliquem sibi ob oculos ponere, illisque vt maiore Dei lumine præditis, multa, quæ obtusam nostram aciem fugiant, facilè adspectabilia reddi.

Atque ex his, quid ad illa de scholis & de confessionibus exempla, respondendum sit videmus; nempe, in eo ipso quod nobis detrimentosum videtur, maiorem aliquam vtilitatem latere, & finem celsiorem à Superiore spectari. Quis enim nouit, quæ vera sit vtilitas, quis profectus animorum? fortè præstat pauciores ita contineri, & Deo cum Superioris voluntate cooperante, firmas in virtute radices agere, tandemq; saluos in æternum regnare, quàm multos liberiùs agentes, virtutum specie ac ostentato flore blandiri, sed exarescente bono semine sterilescere, & à voluptatibus inescatos perire. Quoties, quæso, vidimus eos, qui solo timore vrgeri videbantur, qui solutis moribus, qui ad vitium erant cerei, à quibus denique nihil boni sperabatur, in optimã frugem rediisse, multa & præclara in Dei laudem præstitisse, dum vitiis & otio marcerent illi, quos ob adolescentiæ indolem, gratamque morum comitatem, & ingenuam cum amabilitate venustatẽ, reipublicæ Christianæ columina olim futuros gratulabamur? Ergo cogitationem eò referamus, cumq; non id quod præsens, sed quod æternum est quæramus, nobiscum ipsi statuamus, in tanta ignoratione futurorum, non posse nos ex rerum præsentium adspectu, (virtute vitioque exceptis) verè certoq; definire, quid ad æternitatem reipsa aut profuturum aut obfuturum sit. In rebus igitur tam incertis, tamque ab omni sensu nostro remotis, vt quid non in meliorem partem interpretamur omnia?

Præ-

Præterea (quod confessionum magis est proprium) quamuis benignitas ab aliis vsurpata laudabilis exstiterit; tamen quia creata omnia, sponte sua in deterius, & in interitum dilabuntur, illisque ventilatio quædam & agitatio, ad situm detergendum opportuna est; meritò potuit, primo in aditu, Superior nouus extimere, ne benignitas in laxamentum; caritas in vitiosam familiaritatem; confessio in otiosam confabulationem degeneraret aliquando: & quantumuis proximorum vtilitati, commodis quoque domesticis aliquid ideò prænideat decessurum, dum scilicet offensi mutatione nonnulli, nostras operas refugient, & suam nobis opem subtrahent; nihilominus alia sibi respectanda putat, & præ omnibus cauendum ne quid detrimenti Religiosa disciplina patiatur: illique, qui rem integram conseruare, vel restituere velit, non ponendos rumores ante salutem: quinetiam, omnia illa quæ nunc videntur detrimenta, paulò pòst abundè & cum fœnore resarcienda confidit, quando primæ tempestatis agitatione posita, ob murmurationum fluctus siluerint, & Religionis splendor enitescet. Quid quòd hoc ipsum, vt obiter indicaui, conseruationi rerum expedit, estque diuinæ gubernationis, vicissitudines amantis, & imitatio & effectus? vt enim hiems æstati, fertilitati sterilitas, paci bellum, diei nox, vitæ mors, & fermè contraria contrariis alterna vice succedunt, idque & ad ornatum vniuersi, & ad rerum conseruationem facit; ita Superiorum in gubernando varietas, naturæ diuersæ & aduersæ nonnumquam, sententiæ compugnantes, modi discrepantes, qui tamen in vnum diuinæ gloriæ finem conspirent, probationem, ipsaque rerum varietate magis exercitam reddunt inferiorum virtutem; vimque diuinæ prouidentiæ, nulla cuiusquam mutabilitate nutantis admodum illustrant.

Sed hæc de fine, eiusque varia consideratione dicta sufficiant: addamus etiam nonnihil de illa quæ nonnumquam in peculiaribus iussis intercedit inconsiderantia, vnde fiat vt id iubeant quod aliàs nunquam iussuri erant. Et quidem præstat inconsiderantiam nullam interessisse, sed occultiore & nobis ignoto fine, permotos credere, deque illorum prudentia sentire quàm optimè: eiusmodi tamen casus incidunt, vt id apertè deprehendatur, nonnumquam etiam eò confugiendum sit, quinetiam id ipsimet vltro profiteantur. Quare, vt nihil de nostra erga Præpositos obseruantia decedat, Notandum nobis est;

Incogitantiam, seu non cogitationẽ, siue non prouisionẽ alicuius rei accidere variè posse, nempe vel in rebus apertis & vnicuiq; ob oculos expositis, vel in dubiis atq; obscuris, ad quas præuidendas sagaci mentis intuitu sit opus. Præterea, humanũ, ideoq; à nemine alienũ est, vt subinde peregrinetur mens nostra, & in rebus notis & obuiis quasi retrusis & remotis erret, nec semper ad quęcũq; potest aduertat, aliquãdo fatigatione, aliquando distractione, aliquando eo solo quòd cogitatio eius rei non incurrat; quippe etiã in potestate hominis non est, quibus primis, & quo vsq; tãgatur. quoties, quæso, accidit vt ipsi nos miremur, qui fieri

potuerit, vt aliqua non fecerimus, aut dixerimus? nempe causæ nihil fuit, nisi quòd mentem nostram nulla eius rei faciendæ dicendæúe cogitatio incesserit. Quamuis si philosophari sanctiùs, & christianè sapere volumus, altiore principio, à Deo ortam, & in Deum referendam omnem hanc varietatem agnoscemus: de qua plura dixi c. 12. Cynosuræ Christianæ. ipse enim est qui vel suis vel angelorum sanctorum inspirationibus, vel rerum obiectarum, & vt obiicerentur destinatarum occasionibus vtens, salubres in nobis cogitationes excitat; nisi si interdum vel iusto iudicio, vel prouida benignitate, ne quidem illas excitat, & ne excitentur inuigilat: nam & nostra indignitate id promereri possumus, variæúe vtilitates inde possunt emergere, nec absonum est si interdum iusta de causa, bonum aliquod omittendum iudicetur.

Iam igitur duplici ex capite, cauendum nobis est, ne quæ Superior ex inconsiderantia iussit, in malè iussis & reprehensione dignis reponamus: Primùm, quia non debet vitio verti, vel certè veniabile admodum est, id quod humanæ omnis industriæ modum excedit: & re vera supra hominem est, semper & vbique, in omnibus ad omnia sic attendere, vt nihil te effugiat, quod humanitus valeat perspici. Si ergo ita semper rebus intendere, supra hominem est, vt quid hoc à Superiore rigidè postulas, & non potiùs muneri & negotiorum multitudini, in varia animum diuidenti, aliquid indulges? Secundò, cùm vel noluerit, vel non permiserit Deus, mentem Superioris ad illa præuidenda vigilare, & hinc infortunatius aliquid aut nobis aduersius euenerit; verius longè esset, vt crederemus, vel peccata nostra meruisse, vt prudentiam à prudente tolleret Deus, vel etiam sua bonitate, præstantissimaque sapientia facturum, vt qui nobis videtur error, errorum verissimorum corrector, maximorum malorum depulsor, bonorumúe conciliator existat. Ad hunc eundem modum, si aliqua, sed non satis perfecta consideratio intercesserit; excusari potiùs quàm accusari debet, essequé commendatissimum, vt qui tam benignos actionum nostrarum interpretes optamus alios, ipsi Superioribus nostris ne adeò seueri censores simus.

Cùm igitur ex eis quæ adhuc diximus constet, malè aliquid imperari, vel ratione rei, vel modi, vel circumstantiarum, vel finis, vel incogitantiæ: in his autem esse perobscura multa, multa vtrimque probabilia & incerta, multa quæ humanæ mentis aciem frequenter & inculpatè effugiant: quandónam fiet vt (Prepositis mediocri probitate iudicioque præditis) aliquid quasi malè imperatum, possit subditus arguere? quòd si vix vnquam, vel etiam omnino nunquam sic apertè redargui potest, eritne cur diuinam auctoritatem in eiusmodi iussis intercessisse denegemus? sed iam propiùs ad rem ipsam veniendum est, & penitiùs id scrutandum.

CAPVT

CAPVT IV.

Quomodo, quouis in euentu, mentis oculos in Deum, eiusque sanctam prouidentiam conuertere possimus.

MVlta omnino sunt quæ viri acutissimo ingenio præditi, in Theologia, quam Scholasticam vocant, disputant & exquisitissimè rimantur, solentque certa esse quæcunque ab illis passim sine controuersia probantur: reperiuntur autem interdum in eorum disputationibus nonnulla, quæ remorentur aliquos in perfectionis acquirendæ via, ex eo quòd repugnare videantur iis quæ in sancta & simplici asceticorum librorum arte traduntur: quod potissimè illis accidit, qui præceptorum asceticorum speciem solam & verba, non sensum, nō vim rationemque scrutantes, impingunt & resiliunt, vbi aliquid, ab iis quæ audierant & crediderant, diuersum sonet. Sed pro comperto illis esse debet, non tantùm diuersarum rerum diuersa esse nomina, sed iisdem quoque de rebus diuersos esse loquendi modos, in diuersos fines quando tenditur; tunc autem, si suis momentis expenduntur, non tantùm in idem cōspirare omnia, sed etiam multiplicem variæ cognitionis vtilitatem deprehendent importari. Id autem mihi nunc incumbit, vt doceam, vtrorumque consentientem esse doctrinam, omninoque vnum in scopum tendentem, in eo quod vtrique de diuina prouidentia, rebusque quasi à Deo excipiendis philosophantur: sed passim plurimos reperiri, qui vtrorumque præceptiones, secùs quàm oporteat, intelligentes hallucinantur: quare distinctè partiteque, non disceptantis, sed exponentis in morem, qua methodo id fiat, dilucidè mihi erit explicandum. Et ne quid in dicendis obscurum lateat, primò ponam:

§ 1 *Quid sit Prouidentia.*

Debate tota vide Theolog. 1. p. q. 22.

Sunt enim qui hoc nomine pressiùs, sunt qui latiùs vtantur. Latiùs vti debent illi omnes (quorum in numero Ascetici censentur) qui solius diuinæ prouidentiæ vim contemplantes, cùm id ad finem sibi propositum sit satis, alias naturæ diuinæ perfectiones simul inuestigandas sibi non sumunt. Quibus quia necesse est vt consentiam, prouidentiam diuinam intelligo eam esse, qua Deus accuratissimè, rerum omnium, & causarum, & occasionum, & circumstantiarum connexiones, ordinem, efficaciam, antecedentia & consequentia præuidens, ita sapienter omnia ordinat in finem aliquem bonum, quem semper èrebus & euentibus omnibus elicit, vt quid quid vel amat fieri, vel fieri permittit, id totum ob sanctissimas aliquas, & vt plurimum suæ soli maiestati notas rationes, iubeat, aut optet, aut fieri permittat. Deum enim omnes agnoscunt scire omnia, & de omnibus sanissimè iudicare: cumque voluntatem habeat rectissimam

Ita Mol. in 1 p. 1 & Suar. 1. 3. c. 10. & 11. 2. l. 1. c. 18.

mam qua velit bonum, malum oderit; poteſtatem infinitam, cui ſubſint omnia, quæ ſuſtentet omnia, & ſine qua nihil poſſit effici; profectò conſequens eſt vt nihil ſit, quod gubernationis prudentiſſimæ & potentiſſimæ vim poſſit effugere; quòd ſi nihil eam effugit, ergo illi ſubſunt omnia, omnia ab ea reguntur, & ceſſos quoſdam in fines diriguntur. Atque hinc agnoſcitur, diuinam prouidentiam duplici quaſi vi perfungi, cognitione videlicet rerum ſingularum ac vniuerſarum, eorumque quæ ſingulis, quæque vniuerſis conueniunt: & præterea, apta connexione, & in fines tum ſingulis, tum vniuerſis conuenientes prouida diſpoſitione.

Cùm autem id omne quod in Deo eſt, perfectiſſimum ſit, neceſſe eſt vt quàm perfectiſſima ſit diuina prouidentia, nihilque illi deſit eorum, quæ ad res in finem laudabilem dirigendas, opportuna ſunt: nihil etiam ſit, quod illius prouidentiæ vim eneruare, & irritam reddere valeat. Hoc autem vtrumque aſſequitur, certiſſimè veriſſimeque prouidendo, quid ex quaque re ſecuturum ſit, ſi adhibeatur: vnde fit, vt ſi quid adhibet ad aliquem finem conſequendum, nec fruſtra, nec in incertum adhibeat, cùm ſciat quid inde ſit ſecuturum: atque hinc, ſi quid omnino fieri vult, videtque; ex eiuſmodi concurrentium rerum implexu, id minimè futurum; facillimum illi eſt, vel ne iſto modo conſpirent impedire, vel admouere illis aliud quidpiam, quo admoto, certa præuidet conuectione cauſarum, id fore quod decernit. Eſtque hoc nobis memori mente recondendum; nec enim parum valet ad fiduciam in Deum excindam. Non ita nobiſcũ agitur, nec eiuſmodi ſunt humanæ prouidentiæ, fallaces, incertæ, vanæ, imbecilles, & ſæpiùs inanes. vnde Sapiens meritò dixit, *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ.* cap. 9. Quoties dum pro votis fluunt omnia, iamque quaſi ſuperatis aduerſis triumphatur, exortus repentè turbo ſpem in deſperationem, gaudia vertit in lactymas? nempe & quid ſit intercurſurum ignoramus, &, ſi maximè ſciuerimus, neque illud ipſum auertere, neque præſentiore vllo remedio inflectere aliò poſſumus. & ſuperbimus adhuc, tam anguſtis, tam futuri incertis limitibus circumſepti?

§. 2. *Qui ſint diuinæ prouidentiæ fines, & an omnia æquè ſibi proponat.*

Ex hoc vno quàm multa pendeant, in decurſu dicendorum ſatis patebit, quamque huius rei explanatio, ſi non huic ſoli commentationi propria, at certè perneceſſaria ſit. Sed præſtat rem aggredi: ſic tamen vt profitear nequaquam meæ mentis eſſe, ſubtiliſſimis, at minùs ad rem noſtrã facientibus, de ordine & ratione rerum præuiſarum quæſtionibus, me inſerere: quare, ſi vnum prius alio recenſuero, non alia ratione (niſi fortè id explicatè aſſererem) id feciſſe ſum putandus, quàm quia ſimul omnia non potui, vnumque priùs alio dicendum fuit.

Vltimus igitur & ſupremus, primuſque diuinæ prouidentiæ finis, in quem denique omnia referantur, eſt Deus ipſe: vnde Sapiens ait, *Vniuerſa propter ſemetipſum* Prou. 16.

ipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem iræ. Cumque sit instar infiniti cuiusdam Oceani, à cuius inexhausta bonitate omnia bonorum flumina procreata decurrunt; iustissimum est, & ratio exigit, imò necaliter esse potest, quàm vt inuigilante diuina prouidentia, certissimè denique, eôdem in eius honorem & gloriam, omnia recurrant. Itaque per eam vel maximè, iustitia, sanctitas, bonitas, immensitas, potentia, sapientia, ceteræque Dei perfectiones, omnibus ratione & intelligentia præditis demonstrantur: tamque aptè res, causæ, voluntatesque omnes disponuntur, iis circumsepiuntur legibus & limitibus, vt effugere ad extremum non possint, quin diuinæ maiestatis amori vel timori, iustitiæ vel clementiæ, potestati vel benignitati, aut alteri eiusmodi laudi illustrandæ, velint, nolint, necesse sit inseruire. Beatos eos prudentesque, qui se vltro benignitati subiungere, quàm à potestate subiugari malunt.

Iam hoc primo certoque fine posito, ceteri quoque multi sunt vel generales, vel singulares, vel accommodati ad naturam, vel supra quàm natura deposcat exquisitiores, qui supernaturales vocantur: & ex horum complexu vario, variæ sunt ad finem destinationes, ordinationes & conuenientiæ; variæ item videntur hominibus aberrationes, defectiones & discrepantiæ; inde casus, monstra, fortunam dicimus, quæ aliquando voluisse, semper autem, saltem præuidisse dicēdus est Deus, cui nihil casu, nihil improuisò & fortuitò accidit. Cùm igitur & perfectissimè videat, quid è rebus singulis, quomodo possit euenire, & potestati eius nihil possit obsistere, nihil sapientiam summam fallere; facillimum illi est efficere, vt fini illi primo & summo, quem iam diximus, fines ceteri omnes communi conspiratione consentiant; nec est arduum, accuratiùs eorum vim excutientibus, animaduertere, quàm sensim & commodè, in vnius Dei gloriam desinant & aptentur. Quippe in hunc finē & angelos & homines, à Deo bono conditos videmus, eosque omnibus rebus instructos, quæ ad illos eò perducendos forent opus. Hinc quoniam homo non animo solo, sed corpore quoque constans multis, vel ad indigentiam, vel ad solatium, corporatarum & adspectabilium rerum subsidiis indigebat, hunc totum ei mundum quasi quoddam quod inhabitaret palatium, ita sapienter apteque distinxit, vt ex eius pulcritudine & ordine fabricatorem Deum agnosceret, ipsa autem rerum plurimarum copia, variè, vel in bonum, vel in malum, vti posset: decebat enim in stadio & loco certaminis, certandi præberi materiam, tantique & æterni præmij, quantus est ipse Deus, adeptionem esse voluntariam.

Vt verò bonitatis diuinæ liberalitas pateret, & quàm eius perfecta sint opera, ideo etiam nihil ad humanæ vitæ oblectationem, nihil ad eruditionem, nihil ad correptionem deesse huic mundo voluit, quo videlicet humanæ naturæ teneritudo alliceretur, doceretur ignorantia, instabilitas firmaretur, præstoque esset, si ad deteriora deflecterer; vnde ab ærumnis, doloribus & aduersis, in gyrum rationis reduci posset, vnde rerum omnium perpetuò pereuntium caduca condi-

conditione notata, saniùs amorem ad æterna conuerteret. Et quoniam ne fieri quidem futurum erat, vt omnes à peccando sibi temperarent, ita quædam sapientissimè, summoque iudicio, statuit mala permittere, vt simul ex eis plura & maiora bona prouidè curaret erumpere, & ea ipsa in bonorum vsum conuerti. Sed de his loco suo.

At verò vt tanto pluris ista dona faciamus, puriusque de illis iudicemus; certa fide tenendum est, nihil à Deo fieri, quod non summa ratione fiat: ac nihilominus tria nobis præterea perpendenda, Deum scilicet tam in rerum & causarum naturalium connexu, (de quo postea meliùs) quàm in aliorum donorum & gratiarum largitione esse liberrimum, esse liberalissimum, nonnullis tamen occulta de causa liberaliorem. Quia liberrimus, quando vult & cui vult donat, aut non donat, & verò *quis respondebit ei? vel quis dicere potest, Cur ita facis.* obmurmuranti quia minus habet, an non intonabit quod cuidam, *Tolle quod tuum est, & vade: an oculus tuus nequam est, quia ego bonus? aut non licet mihi quod volo facere? Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo cuius miserebor. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Ita est, at quia optimus est & liberalissimus, latissimè ac munificentissimè, diuitias liberalitatis suæ, in omnes vndique diffundit: hinc cæli omnibus gentibus enarrant gloriam eius, & Solem suùm omnibus oriri iubet, & bona omnia, propè magis impiis, quàm piis geminat, & infinitis propemodum aliis argumentis bonitatis suæ immensitatem contestatur. Hæc tamen omnia, sed maximè dona gratiæ, quia certis debent limitibus obsepiri, nec eadem singulis dispertienda sunt, largissimè nonnullis, temperatiùs aliis, paucis quibusdam anguste, at singulis, quod ad Deum attinet, & spectatis quæ bene agentibus præstò forent subsidiis, ea copia dantur quæ illis ad æternam gloriam comparandam sit satis.

Iob 9. Matth. 20. Rom. 9.

Qui igitur omnia fecit, eorumque quæ fecit nihil odit Deus, omnia curat, omnia gubernat, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Cumque & æquissimus & prouidentissimus sit omnium parens, meritò idem Sapiens exclamat, *Quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti? Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium.— Cùm ergo sis iustus, iustè omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute. Virtus enim tua, iustitiæ initium est: & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. — Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi cùm volueris posse.* Ita ille, verè de Domino in bonitate sentiens, misericordiamq; illi & iudicium insimul decantãs. Misericordia in omnes quidem & iudicium pariter elaceat: at quòd illi sit quorundam peculiaris cura, quòd eorum gratia ceteris indulgeat, quòd sollicitè illis inuigilet, quasi pupillæ oculi, vt ne à quo quã impunè lædantur

Sap. 8. cap. 12.

dantur, quòd omnia illis obsecundare, illorũ profectibus inseruire faciat, quòd ad magna, vera, certa, æterna, & sola cælestis gloriæ bona eos absque errore perducat; id verò eximiæ est misericordiæ cum admirabili & adamando diuino iudicio coniunctæ; id profectò singularis est & vigilantissimæ in eos homines diuinæ prouidentiæ, facientis vt eiusmodi electis omnia cooperentur in bonum, & finem illum præstantissimum, in quem destinati sunt, certissimè consequantur. Hinc autem illud conficimus, nostro huic argumento conuenientissimum, vt quando libertimè, liberalissimus Dominus, hunc mundum omnem creauit & gubernat, oculi autem eius in iustos, & aures in deprecationem eorum, nihil sit in totius orbis parte vlla quod præ suis dilectissimis filijs magni faciat Deus: si quid eis aduersum, vereque damnosum exstiterit, inflectet, euertet, immutabit, donec eis aut non aduersetur, aut prosit. O magnam, his qui se filios Dei probabili coniectura possunt credere, in quauis rerum conuersione fiduciam!

Plus dicam, & quantum existimo, verissimè dicam, illi sunt, quorum causa sunt omnia, quibus est terra stabilita, quibus ornati cæli, quibus temporum & sæculorum momenta decurrunt & aptantur. Vnde sapientissimè S. Apostolus, *Nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei.* 1. Cor. 3. Eos alloquitur, quos filios Dei, non in præsens tantùm esse, sed in æternum futuros confidit, eorumque animos & à rebus & ab hominibus erigens: Quid, inquit, res hasce infimas, & mortales homines, respectatis? vestris ecce commodis, vestræ saluti cuncta subseruiunt: non vos vel Pauli, vel Apollo, vel Cephæ, vel mundi, vel vitæ, vel mortis, vel præsentium, vel mox futurorum causa facti estis, vt inde gloriemini: at vobis ista cuncta famulantur, vobis illa prouidit, in vestram æternam salutem ista fecit Deus, & ad vestra commoda conceduntur: vos verò solius estis Christi, Christus Dei, hunc spectate, hunc vestri boni, vestrique desiderij, solum arbitrum, gloriam finemque præfigite. Celebre quoque est illud D. Augustini quo docet, ideò malos viuere, vt corrigantur & boni euadant, vel vt per eos boni exerceantur, & meliores fiant: quod profectò non est aliud, quàm asserere ipsos quoq; peruersos homines, in bonorum hominum gratiam vel tolerari, vel esse conditos. Hoc autem qui fatebitur, non ægrè cetera quoque, vel rationis, vel sensus expertia, sanctis viris, & propter eos maximè à bono Deo facta esse concedet: vnde consequens fuerit, vt quemadmodum in eorum gratiam facta sunt, ita etiam disponantur, gubernentur, perseuerent, & ad nutum, vbi opus fuerit, electis inseruiant. *in psal. 54.* *Vide eund. l. 17. de Ciuit. c. 11. 15. 17. & 18. & de Genesi ad lit. l. 11. c. 20. & 22.*

Sed hîc ex occasione dictorum, duo quæri possunt, eaq; ad id quod sequetur admodum opportuna. Primũ, an singularum rerum, vel vniuersarum vnus tantùm, vel ex vno plures apti fines fuerint? Alterum, in tam varia rerum distributione, quæ maiora & potiora Dei dona censenda sint?

Quod ad primum attinet, immensitatem diuinæ scientiæ omnia simul intelligentis atque componentis æstimans, itemque quàm prouidè atque sapienter in vnum omnia conspirare faciat, sic tamen vt neque bona singularia vniuerso bono, neque vniuersum singularibus officiat, inseruiat potiùs: mihi persuadeo, sapientissimum prouidentissimumque Dominum totam hanc rerum complexionem in seriem ordinatissimam redegisse, non tantùm vniuersæ quasi machinæ, sed singulis quoque rebus, ijsque maximè quas à se maximè diligendas videbat, prospiciendo sollicitiùs, ideoq; hunc potiùs quàm illum causarum nexum, vel permittendo, vel etiam de industria innectendo, quia sic vtilius, iucundius, & ad finem suis electis propositum accommodatius futurum erat. De his quidem nihil ambigo, sed facit diuinæ sapientiæ & bonitatis eadem immensitas, vt id ipsum longiùs ad cetera, saltemque ad homines probos & improbos pertraham, vnde perpetuũ, ac semper oculis obuersans diuinæ largitatis, ac fecundissimi amoris argumentum læti reuoluamus. Quid enim? si pomum comedo, si sub fronde patula vmbras capto; verè cogitare possum, ab æterno, id commodi mihi prouidisse Deum, meaque causa primam eius generis arborem procreasse, indeque longa, sed certa, sed præuisa, sed in hanc vsque diem mihi ordinata serie, id commodi mihi voluisse: adeò vt mihi tot sæcula, tot renouateque ab initio propagationes floruerint: neque secùs existimare possum, quando vel ex animantum indole & robore, vel fluminum fluxione, feracitate soli, amœnitate montium, Solis, cæli, & quarumcunque rerum insita virtute, vtilitatem decerpo, ea singula, ea tota mihi fecisse, mihi præparasse Deum: & quamuis ceteris communia sint, non minùs meæ vtilitati deseruiunt, nec minùs mea causa sunt, planeque mihi credibile, & diuinæ bonitati, summæque (cui quasi nihil ista sunt, quæ nos miramur) potestati consentaneum est, vt mea solius causa futura essent, si ceteris inutilia fuissent, vel etiam omnino si ceterorum nemo vnquam exstitisset. Nihil enim prohibet, rem eandem ita plurium gratia fieri, vt singulorum tamen causa futura esset: idque tum maximè, cùm illi in quorum gratiam id efficitur, adeò diliguntur singuli, vel adeò liberalis est qui id efficit, vt idem singulis quod vniuersis, putetur meritò præstiturus. Probarem hæc latiùs, nisi instituti mei argumentique propositi memorem deceret esse: cui hæc satis esse debent, vt hinc tantò grauiùs & certiùs moneamur, in rebus & casibus omnibus, esse nobis sursum oculos & mentem, ad Deum nostrum attollendam.

Iam autem vt de magnitudine donorũ agamus, indeq; agnoscamus, quanta sint quæ plurima donat Deus, neque temerè hæc aut illa minora dona esse iudicemus, vnde versis in deiectionem animis, insolabiliter ipsi nos, velut ab hominibus duriùs abiectos, à Deo despretos lugeamus; quædam sunt nobis obseruanda.

Dantis igitur, & eius cui datur, longè magis quàm naturæ & conditionis rerum datarũ, hîc est nobis habenda ratio; vt videbimus. In eo verò qui dat, quem

Deum

Deum esse dicimus, id solum nunc specto, quod liberè, certaque ratione ac fine proposito, dona sua impertit: vnde maius erit donum illud, habito ad Deum respectu, quod ipse Deus sciens & volens, in præstantiorem finem, efficaciùs & magis accommodatè dirigit: quandoquidem hæc ipsa, hoc tempore, sic efficaciter & accommodatè facta donatio, ex præuidentis, ideoque illam eligentis voluntate perfecta est: non secùs, ac si ex certa scientia medicus ægroto viliorem cibum, sed illi tempori opportuniorem præbeat, quem deinde optimè natura cõcoquit, alium præstantiorem reiectura; maius beneficium ægroto confert, quàm si cibum alium porrexisset, quamuis deinceps vi caloris natiui alatur corpus: ipsum enim à præsciente futura profectum beneficium, quod futuri boni sit occasio, censetur à volente & sic donante proficisci ex amore & desiderio boni, quod per eum qui beneficium accepit fieri debet.

De homine verò in quem donũ aliquod confertur, ita est habendum, ea esse homini & potissima & vtilissima, quæ hominem quàm maximè perficiunt, ad eumq; ad quem creatus est, nobilissimum finem, accommodissimè, plenissimè certissimeq; perducunt: ex hoc ceterorum omnium iudicium esse sumendum. Hinc igitur cùm homo sit æternitati natus, eique hæc misera & peccans vita instar carceris, aut exilij, aut peregrinationis, aut breuissimi traiectus videri debeat, potestne vllum huius solius vitæ donum illi meritò magnum videri? annon lõgè est æquius, vt beatæ immortalitatis cupidus assectator, ea sola quæ ad illã ducunt pro magnis habeat; quæ ad illam non conferunt, aut contemnat, aut si eam in discrimen adducunt, exhorreat? Hinc ergo mihi velim æstimes, quæ & quanta sint dona, seu diuinitus, seu etiam humanitus accepta.

Et quidem si rerum datarum vim naturamq; spectamus; nemini dubium esse possit, quin vt mentis & animi, ita donorũ quæ ad mentem pertinent, in reliqua sit principatus: proxima sunt illis, quæ ad vitæ, corporis, sensuum nostrorum cõseruationem necessariam, inde quæ ad honorem, oblectationem & commoda faciunt. Atque his fermè terminis vniuersa donorum ad hanc vitam concessorum copia circumscribitur. At quoniam non ad hanc, sed ad beatiorem aliam vitam procreati sumus, vt hæc vita tota in illam, sic hæ res omnes in eam etiam referendæ, eiusque comparatione sunt æstimandæ.

Sed quoniam neque latiùs neque in incertũ fluctuando hæc à me tractantur, argumento nostro quantum conuenit aptemus: quò videlicet ex his intelligamus, non esse nobis illa præ ceteris curanda vel amanda, quæ sunt hominum existimatione & laude potiora, imò nec ea quæ solent apta esse instrumenta virtutis, vt eruditio, vt scientia: sed ea sola, quæ verè & reipsa in celsiore beatitatis æternæ gradu nos collocatura sunt. Quare licet copia inopiæ, nobilitas ignobilitati, ignominiæ gloria, infirmitati sanitas, scientia ignorantiæ præstare passim iudicetur; non ita tamen est, sed tum tantùm, quando re ipsa ad virtutem, & beatitudinem, Deique amorem magis conferunt: sin

autem inopia, ignobilitas, infirmitas, magis perfectioni nostræ conducunt, verè optabiliores putandæ sunt. Cúmque si æquis animis excipiantur, longè soleant feraciores esse meritorum, eaque vitæ conditione, & naturæ mollitudine viuamus, vt prosperis, elatis, iucundis, & ad libitum fluentibus enerue-
mur, Deique & æqui ac rectinos capiat obliuio: propterea nobis, vt debemus, æterna respectantibus, & ex illis præsentia æstimantibus, longè facienda sunt pluris, & instar thesauri absconditi, hæc abiectiora, contemtiora, duriora, eaque omnia quæ copiosiorem gloriæ futuræ segetem præparant. Certè post flagella-
Act.5. tionem *ibant gaudentes* Apostoli, annon & gloriantes? *quòd digni essent habiti, pro nomine Iesu contumeliam pati*? Et quasi singulare, planeque eximium donum
Philip.1. de nonnullis recensetur, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Quid? ille mundo crucifixus, ille, non quæ ab ho-
minibus, sed quæ à solo Deo est, gloriam quærens, nónne in infirmitatibus, in
Rom.5. tribulationibus gloriatur; omnesque docet, esse gloriandum *in spe gloriæ filiorum Dei*? Sed & ipsa Veritas, quid à nobis verè magni fieri, quid pro ingenti bono & dono haberi, & ex cuius adeptione magnopere lætari debeamus docens,
Luc.10. cùm aliquando potestate in dæmones accepta discipuli gaudio efferrentur, *Verumtamen*, inquit, *in hoc nolite gaudere: — gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et alio loco; *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in*
Matt.5. *cælis.* Verè magna & recondita hæc est tua, Domine Iesu, sapientia, quam non è terra, sed è cælis, & ore tuo sanctissimo haurimus, eamque magna & alta spiran-
Luc.10. tibus abscondis, reuelas autem paruulis. Ita Domine: sic enim tibi perplacet, cui semper humilitas & simplicitas placet, à superbis autem, & vana diligenti-
bus procul abscedis. Da mihi, Iesu optime, sensum istum, vt nihil magni faciam, nisi te; nisi quod ad te, Deum meum, deducit. Illum sua nobilitas, alium diuitiæ, doctrina, eloquentia, gratia, maiestas, potentia, robur extollat, at mihi tu solus sincerè sapias, & præ ceteris id sapiat solum, vt in tua tibi minimus valeam So-
cietate famulari, despectare præsentia, æterna suspirare. O vtinam, tu quisquis ista legis, Religiose, vtinam digna æstimatione perpendas, quanta immerenti tibi dona, diuinitùs obtigerunt: à mundo, in cælum; à perituris, ad æterna; ab hu-
manis, ad diuina, singulari Dei vocatione, electione, destinatione translatus es! nónne sceptris & tiaris, regnis & imperijs tanto ista digniora, quo sanctiora, certiora, diuturniora sunt atque diuiniora? Disce ergo, & mente memori recon-
de, quo sanctuarij pondere, qua æquitatis lance, te rerum æstimationem libra-
re conueniat.

§. 3.

§.3. *Quid sit mentis oculos in quouis euentu ad Deum conuertere, & quasi ab illo sic eum excipere.*

Verbo dicam; non aliud hoc est, quàm mentem gerere in Deum suspensam, & de rebus alijs, hominumque voluntate tam parùm sollicitam, vt nihil nisi solum Deum cogitet, cetera omnia contemtui habeat: indeque qui eiusmodi est, in quouis, & quantumuis aduerso, improuiso, infando rerum casu, despectis creatis causis, nullaque vel iustitiæ illarum, vel iniustitiæ ratione habita, vniuersum mentis cogitatum, pio impetu transfert in Deum, eoque in euentu, nec aliud, nec aliter vult, quàm voluerit & velit Deus; quem quoniam omnia, & iustissimè, & sanctissimè velle nouit, sibi quoque placere debere cognoscit, id quodcumque voluisse Deum, vel permisisse videt. Scit verè & subtiliter dixisse S. Augustinum, *Non fieret* malum, *nisi fineret* Deus, *nec vtique nolens sinit, sed volens: nec fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Ergo seu volentem, seu permittentem, semper autem benè volentem, benè permittentem, & ex omnibus elicientem bona multa, Deum intuetur, suamque voluntatem & cupiditatem, illius decretis & rationibus adiungens, eique humillimè obsecundans, ab eo suscipit æquissimis animis omnia, in eius denique honorem sanctissimè refert omnia. *Enchirid. c.101.*

Neque verò in hac sic intellecta doctrina, quidquam est quod nos meritò remoretur, si tamen quid apparet, discutietur in progressu. Id verò magis arduum est, qua via ad tantam animi è solo Deo apti celsitatem tranquillitatemque veniatur. Sequamur igitur quod tutissimum certissimumque esse necesse est, vestigia Sanctorum: cùm enim eò pertigisse plurimos eorum constet, eadem si constanter via pergimus, eundem nos quoque perfectionis apicem attingemus.

§.4. *Sanctos omnia velut à Deo excepisse.*

Ne quid eorum quæ dicenda supersunt, meritò reuocetur in dubium, antequàm aggrediamur ad explanandum, quomodo Sancti, & quibus ducti rationibus, id exercuerint, priùs firmandum est, eos re ipsa tamquam à Deo omnia suscepisse. Et ne per plures in infinitum vagemur, duorum illustrium, quique omnium instar sint, commemoratione rem concludam.

Primus occurrat nobis magnus ille Iob, patientiæ & innocentiæ eximium exemplar. Hic, cùm certis nuntijs accepisset, à Chaldæis & Sabæis bona sibi direpta esse; igne cælitus fulminato, quod reliqui fuerat absumtum; repentina domus ruina filias & filios, miserando leti exitu, obtritos iacere; an succensuit

Chaldæis,an in Sabæos exarſit, an Satanam incuſauit, an quemquam imprecationibus diriſq; deuouit?quinimmò,ô patientiæ,ô humilitatis, & adhæreſcentis Deo mentis exemplar! *Corruens in terram* non deiectione, non deſperatione, ſed placida ſummiſſione mentis *corruens adorauit,& dixit:Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ,& nudus reuertar illuc: Dominus dedit,Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit,ita factum eſt:ſit nomen Domini benedictum.* Itáne verò,beate Iob,Dominus abſtulit, quod Chaldæi & latrocinia abſtulerunt? Domino placuit,quod Satanas, quod calũniator,quod inſidiator ſubdolè fecit? putaſne,non ad inſipientiã verbum hoc tibi recenſebitur?non ſanè. nam audi quid Spiritus S. loquatur & iudicet:*In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis,neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.* Sed & iterum ab eodem Satana percuſſus vlcere peſſimo,à planta pedis vſq; ad verticem capitis,*Si bona,* inquit,*ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* ergóne de manu Dei ſuſcipis,quod tibi venit de manu diaboli?ita planè ſuſcipis: nos autem quod de Superiorũ manu prouenit, ſi paulò durius eſt, ſi à voluntate noſtra diſcrepat,de manu Dei non ſuſcipimus,alia omnia nobis fingimus. Atqui S. Iobo atteſtatur S. Scriptura,*In omnibus his nõ peccauit Iob labijs ſuis.* Nõ peccauit ita loquens,tu ergo quid putas?aduerſa,illiq; pugnantia cùm loqueris, cùm alia omnia & ſentis & facis,an peccato immunis,& quaſi innoxius euades? Sed vt mireris magis,mirandoq; imitari coneris,audi quanto ſermonis & ſenſus pondere,

c.27. iterũ ille idem,tantò pòſt,hoc ipſum aſſeueret dicens: *Viuit Deus, qui abſtulit iudicium meum, & Omnipotens,qui ad amaritudinem adduxit animam meam:quia donec ſupereſt halitus in me,& ſpiritus Dei in naribus meis,non loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur mendaciũ.* Quàm certus eſt, iniquitatem ſe non loqui,dum loquitur,ſibi à Deo amaritudinẽ proueniſſe! quàm fortia,patientis & à Deo pẽdentis verba ſunt,comprobata factis! Quæ vt penitiùs penetres,accipe quideo-

l.18.Mor. c.3. dẽ ſpiritu plenus, Magnus ille Gregorius, in hæc ipſa ſcribat: *Iſta quæ patitur,non caſu ſe perpeti,ſed Deo omnia diſponẽte teſtatur,nec tentatori ſuo,amaritudinis ſuæ poteſtatem tribuit,ſed auctori. Scit namque quia diabolus,licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat;tamen ſi ab auctore noſtro poteſtatem non accipit, ad tentationis articulũ nullatenus ualeſcit. Vnde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt,& tamen, permittente Deo, omnis poteſtas iuſta. Ex ſe enim tentare quoſlibet iniuſtè appetit,ſed eos,qui tentandi ſunt, prout tentandi ſunt,nonniſi tentari Deus iuſtè permittit. Vnde etiam in libris Regum de diabolo ſcriptum eſt,* 1.*Reg 18.* *Quia ſpiritus Domini malus irruebat in Saul. Vbi iuſtè quæritur; ſi Domini, cur malus? & ſi malus,cur Domini dicatur? Sed duobus verbis comprehenſa eſt,poteſtas iuſta a diabolo,& voluntas iniuſta. Nam & ipſe dicitur ſpiritus malus, per nequiſſimam voluntatem:& idem ſpiritus Domini, per acceptam iuſtiſſimam poteſtatem. Benè ergo dicitur, Viuit Deus,qui abſtulit iudicium meum,& Omnipotens,qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia etſi hoſtis ſæuit, qui ferire appetit,Creator tamen eſt qui eum ad aliquod*

l.5.de Ciu. c.10. *præualere permittit.* Sic ille Magnus,at è magno, vt videtur, hæc ipſa hauſit Auguſtino, qui cùm Dei poteſtatẽ eſſe dixiſſet, inde hæc animaduerſione digniſſima ſub-

subnectit, *Vnde quidquid præter suã volũtatẽ patitur homo, nõ debet tribuere humanis, vel angelicis, vel cuiusquã creati spiritus voluntatibus, sed eius potiùs qui dat potestatẽ volẽtibus.*

Sed à B. Iob ad S. Dauidẽ, aduersis multis eruditũ regem transeamus. nónne planè idem sensus eius fuit? filiũ rebellẽ, maximo in angore, fugiebat parẽs; prodit Semei, abiecto, & ad extrema redacto insultat, pessimis maledictis incessit, indignationẽ iritando prouocat: vlciscí erat procliue, erat regi licitum, accendebant irã nepotes regij, vix manus à maledico cõtinebant, vnicaq; vibratione gladij caput impiũ demessuissent; solus regius nutus deerat: quid ergo? *Vadã*, inquit Abisai, *& amputabo caput eius. Et ait rex, Quid mihi & vobis est filij Saruiæ? dimittite eũ vt maledicat. Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* & iterũ, *Dimittite eũ, vt maledicat iuxta præceptũ Domini; si fortè respiciat Dominus afflictionẽ meam, & reddat mihi Dominus bonũ pro maledictione hac hodierna.* Videsne, quibus verbis, quàm expressim, à re pessima in Deũ totus abeat? idq; quia in re pessima, aliquid optimũ, peccatiq; sui pœnã, & amplioris gratiæ recuperandæ spem, solerti mente considerat? Sed S. Bernardũ mellifluè hæc ipsa tractantẽ audiamus: quod dũ facimus, Sanctos Sanctis addimus, nouosq; antiquis, vna eademq; opera, consentire demõstramus. Ita igitur ille: *Parum est*, inquit, *cùm per seipsum nos humiliat Deus, si tunc libenter accipimus; nisi, quando & per aliũ hoc facit, sapiamus similiter. Quãobrem accipite huius rei mirabile documentũ de S. Dauid. aliquando maledictum est ei & a seruo: at ille nec cumulatam iniuriã sensit, quia præsensit gratiam. Quid mihi, ait, & vobis filij Saruiæ? O verè hominem secundũ cor Dei, qui se vlciscenti, potiùs quàm exprobranti, succensendũ putauit! Vnde & securæ cõscientia loquebatur, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis. Vetuit ergo prohiberi maledicũ conuiciantem, quæstum æstimans maledicta. Et addidit, Dominus misit illum ad maledicendũ Dauid. Prorsus secundùm cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiã. Sæuiebat lingua maledica, & ille intẽdebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicẽtis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionẽ. Nunquid in ore blasphemi Deus? absit: sed eo vsus est ad humiliandum Dauid. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauerat Deus, & ideò dicit, Bonũ mihi quia humiliasti me, vt discã iustificationes tuas.* Hactenus Bernardus: atq; vtinam sic ad extremum vsq; patientes, sic humiles, nostris peccatis aduersa omnia prouocari, à benigno Deo clementissimè immitti crederemus! tum sanè, iustificationes Domini disceremus, & benedictionem copiosam pro breui maledictione sentiremus; nunc autem dum nostram iustitiam statuere volumus, eam quæ à Deo est, perdimus.

2. Reg 16.

hom. 34. in Cant.

De hoc loco vide Dorot. doctr. 7.

Qui S. Iobo, qui S. Dauidi, ille idem Sanctis omnibus fuit sensus, idẽ fermè loquendi modus: nunquã illi quasi lapidem mordentes, de tortoribus, de tyrãnis, de iniusta cuiusquam proditione questi: sed altiùs intuentes, de se tantùm & suis peccatis lamentantes, omnia sibi à Deo iustè infligi testati sunt: & quo sensu dixit S. Dauid, *Tibi soli peccaui*; eodẽ, aduersa quæq; soli Deo accepta retulerũt: ita sanctus ille patriarcha Ioseph, ita Ieremias, Nehemias, Daniel, Machabæi, & veterũ, recen-

recentiorumque Sanctorum chorus omnis. *Patres, & Seniores nostros inuenimus,*
doctr.7. ait Doroth. *huiusce virtutis fuisse studiosissimos, & minima quæque ac vilia, in Deū semper retulisse: quare in pace, otio, & quiete semper exstitisse.* Ita quendam refert, virum annos per plures omni virtutum genere exercitatissimum, cùm ei aliquando ægrotanti in cibum pro melle amurca infusa esset, aliquid tacitum comedisse, cetera reddidisse, cumque is cuius errore id acciderat, re cognita non mediocriter commotus, veniam, ad pedes accidens, postularet, blandissimè respondisse: *Noli turbari, fili, si me Deus mel comedere voluisset, mel infudisses: quod Domino placuit, hoc factum est.* Ecce, quod nos impatientes vocamus casum, damnamus errorem, (& re vera casus, & error est, illi qui sic agit proximè) hoc vir sanctus qui Deum ferebat in oculis, qui à Deo sua regi omnia, illi se curæ esse credebat, Dei voluntatem nuncupabat. & sanè ita fuit: quippe si in mentem famulantis immisisset Deus, vt attentiùs exploraret, amurcane esset, an mel, nónne lōgè fecisset minus, quàm cùm istius virtutis ea documenta posteris reliquit? Et verò existimandum est, decere & necessarium esse, vt quemadmodum in diuinam potentiam, ita diuinam prouidentiam, minima quæque referantur: idque quo maiore fiducia fit, eo magis diuinæ bonitatis amor, vt nobis inuigilet, prouocatur: Oculi enim Domini in iustos, & aures eius in preces eorum. Quis sperauit in eo, & confusus
Cass col.9. c.32. est? quis cogitatum suum in eum iactauit, & enutritus non est? *Tantum quis exaudiri & obtinere merebitur*, ait B. Isaac, *quantum vel inspici se à Deo, vel Deum credidere posse præstare.* Iustumque est vt pro modo spei nostræ, modus quoque sit prouidentiæ: tuque qui mihi permissiones, qui errores crepas, permissionibus erroribusque relinquaris. Sed de his paulò pòst:

At quia durus videtur sancti Dauidis quem laudauimus sermo, quo dicit Dominum præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi, iteratoque repetit vt sinatur maledicere, iuxta præceptum Domini, quasi si maledictum & peccatum præcipere, aut posset, aut vellet bonus Deus; ne quis in errorem abducatur, & quoniam semper expedit, vt virtuti comes eat veritas; quis eorum verborum sit sensus edisseram.

in 2 Reg. c.16.q.11. Primus & verus intellectus est, quem Abulensis in hunc locum tradit: Ideò dici viderique Deum præcipere & facere malum, quia nullo modo fieret, nisi id faciendi occasionem offerret Deus: occasiones enim rerum agendarum, vel præbere, vel tollere, Dei potissimum est; illas verò non in malum, neque propter malum, sed in bonum, & propter bonum & rectum præbet; eiusmodi tamen è quibus (cùm in vtrumque flecti possint) à malis hominibus mala perpetrentur. Atque ita, occasionem mali peragendi, non vt peragatur, sed vt ei obsistatur, cauetur, & expugnetur dante Deo; certaminis & victoriæ materiam, in ruinæ & cladis offensionem, humana immutat infirmitas, & vnde victrix coronari debuerat, inde malitiæ illecebris inescata, æternæ damnationi fit obnoxia. Certè, non quia victa est, pugnare non debuit; sed quia vincere, quia coronari, quia beari

beari decuit, pugnare debuit: at, si in pugna cecidit, num idcircò agonothetam, vel stadium certamini ponentem, incusas?

Alter verborum antè relatorum sensus est, vt dicatur Deus facere, vel præcipere, quod facultas aliqua creata facit aut præcipit. Cùm enim nulla sit potestas nisi à Deo; si aliqua potestate aliquid fit, fit potestate quæ à Deo est, & ita fieri videtur à Deo: id enim ab aliquo fieri solet dici, quod fit ab eius potestate, ipso sciente, permittente, & nolente impedire cùm possit. neque tamen ideo culpæ (si qua intercedit) fit affinis: tunc enim solùm, in eum qui non impedit, redundat culpa, quando etiam debet impedire; hîc autem nequaquam debet Deus, sed creaturas ordini posito, & suæ libertati relinquens, iustissimis & præstantissimis de causis, occasiones & potestatem variam sufficit, iudexque vel ad pœnas malorum, vel ad præmia bonorum inuigilat. Inde factum vt in eiusdem rei de eodem Dauide narratione, scribatur; *Addidit furor Domini iraſci cõtra Iſraël, commouitq; Dauid in eis*: quasi si ipse Deus iratus id mouisset, cùm potestatem tantùm fecerit mouendi & perliciendi Dauidis per malignum spiritum; nam alio loco res eadem aliis planè verbis describitur, *Conſurrexit Satan contra Iſraël, & concitauit Dauid vt numeraret Iſraël*. Ecce quod ibi Dominus, hîc Satan fecisse dicitur, nempe quia iniusta sua voluntate, aliena iusta potestate abusus est. 2. Reg. 24. 1. Paral. 21.

Consentiunt hi duo intellectus & veri sunt, ijsque locis adaptandi, qui narrando, vel asserendo loqui videtur, vt cùm dicitur excæcare vel obdurare Deus. At, cùm illius ipsius qui mala inflicta patitur, verba referuntur,

Tertius est quem potiorem, & in hoc Dauidis, alioque simili quouis facto veriorem puto: nempe sanctum illum, veriq; pœnitentis exemplar regem, in sua illa angoris & mœstitiæ plenissima fuga, peccati cuius pœnas lueret apprimè memorem, omnẽ cogitationis vim in sui peccatoris detestationem quasi exhausisse; se reum, se homicidam, se maledictis, diris, & quibusuis pœnis esse dignissimum, contrito clamasse corde: dumq; sic totus sui odio exardesceret, prodeunte maledico Semei, nihil aliud nisi iusta, nisi suis peccatis debita, ipsum loqui credidit, & in beneficio reputans quòd hoc pati daretur, se virum Belial, se præuaricatorem legis, se virum sanguinum affirmabat: O Nathan, Nathan, inquiebar, quàm verè prædixisti: En mihi reddit Dominus in oculis solis huius, quod in absconditò peccaram. Mea illa peccatoris hora fuerat: nunc tua, Domine, iudicis est hora: in illa peccatum sponte admisi; in hac nónne peccati pœnam spõte susciam? Iustus es, Deus meus, & iusta iudicia tua, iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris: maledicant homines, & tu benedices; persequantur illi, & tu in pace me susciпies. Amplius, Domine, ab iniquitate mea laua me, à peccato munda cor meum: En peccatum meum contra me est semper, à cogitatione non recedit, præ illius amaritie dulcescunt cetera. Miseremini mei vos saltem amici mei, & exulceratum cor nouo dolore ne lancinate! Filij Saruiæ, quàm mihi crudeles estis! dolor meus, peccatum meũ est; gemitus meus, homicidium

est à me perpetratum. Et etiamnum à me hominem occidi postulatis? in eandem iterum me dolorum voraginem præcipitatis? Ita ego in flagella paratus sum? ita iusta flagella excutiam? non ita, non ita, mi Deus, sed dorsum meum ad plagas incuruabo, patebunt aures ad conuicia: iucundum erit, quidquid expurgando peccato deseruiet: erit hæc mihi consolatio, si affligens me non parcas, donec vt peto, vt spero, omnes iniquitates meas deleas, aterrimumque peccatum meum super niuem dealbetur. Itaque cùm sanctus ille rex nihil de peccato Semei ne quidem suspicando cogitaret, at in suo detestando, in luenda pœna, in maculis abluendis totus esset, quid mirum si maledicta quasi iustè dicta, & meritissimo illata, ipsumque Semei quasi diuinæ iustitiæ administrum intuens, idque vnum animaduertens, hunc instar eius habeat qui summi iudicis mandata exequatur, iusteque iunctam sceleris pœnam reposcat?

Quin, vt ab hoc, ad alios quoque progrediamur longiùs, videtur necessariò fatendum, similem Sanctorum omnium esse mentem, quandocumque Christi Domini nostri nomine, supplicia, pœnas, infamiam, crucem, martyrium & mortem exoptant: hæc enim, prout cum peccato inferuntur, optari nequeunt: sed nihil de aliorum peccato cogitantes, patiendi verò desiderio, & diuinæ gloriæ zelo incensi, vel ea si absint concupiscunt, vel si inferantur & quando inferuntur, non vt peccata & Dei offensam cogitant (sic enim & resipuerent & dolerent;) sed cum ingenti gaudio, vt cœlestium coronarum materiam, vt quandam afflictissimi Domini sui societatis tesseram, summi beneficij loco excipiunt, indeque quantas possunt, ob tantum donum, Deo gratias agunt. Sic enim aliquando se probè norunt edoctos, Non esse seruos maiores Domino suo. Si de mundo fuissent, amaturum vtique mundum quod suum esset: gauderent & exultarent quotiescumque persecutionem paterentur, omneque in eos contumeliarum genus mentiendo iactaretur: gauderet verò, non quia peccaretur, at quòd merces copiosa esset illis reposita in cælis. Verùm, quid Sanctos memorare est opus? ipse etiam Iesus Christus Dominus noster, qui ad hoc in mundum venit, ne peccatum regnaret in nobis, cùm sciret & præsciret, quanto cum Iudæorum flagitio esset illi mors inferenda, nónne tamen illius desiderio flagrauit? traditori alacriter iuit obuiàm? traditus est, quia ipse voluit? vixque aliquid vnum æquè commendauit, atque dolores & mortem à se fuisse voluntate susceptam, non autem necessitate toleratam? an sic pati voluit, sic elegit, vt illi peccarent? absit: sed vt ipse patiendo, peccata mundi, immaculatus Agnus, tolleret. numquid sine peccato aliorum? nequaquam: cur enim, vel bonum fuisse traditori si non nasceretur, vel minus Pilati quàm tradẽtis peccatum assereret, vel crucifigentibus à Patre ignoscipostularet? at mortem & cruces exoptando, solam patientiæ materiam, peccati euersionem, hominum salutem, diuinæ gloriæ inde amplificandæ maxima incrementa, ardentissima caritate sitiebat: & licet non absque multorum grauissimo peccato id futurum præuideret, grauissimas & iustissimas eos ibi

bi relinquendi, eaque peccata, quæ ex aliorum improbitate veniebant, permittendi rationes habuit: exemplumque nobis præbuit, vt quemadmodum ipse fecit, ita faciamus & nos; si patientiæ, fortitudinis, virtutumque Christianarum exercendarum occasio sese offert: qua ceterorum mente id fiat, nihil pensi sit nobis, id verò nos quàm sollicitos habeat, qua mentis æquitate, quo veræ perfectionis ardore perferamus.

Sed hunc locum grauissimis concludo verbis B. Ignatij, quæ nos doceant quanta moderatione prudentiæ sit vtendum, vt neq; vitandi peccati specie, dura fugiamus; neque nimia auiditate patiendi, peccandi occasionem alijs porrigamus. sic igitur B. Pater; *Qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, indui eadem veste & insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reuerentia: adeò vt si sine offensione vlla diuinæ maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiúsque vestibus & insignibus indui, quandoquidem illa ipse propter maiorem nostrum profectum spiritualem induit: nobísque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia adspirante, eum imitari & sequi, cùm vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Ipsissima hæc sunt viri sancti verba, quæ vtinam penitiùs animo infixa teneamus.

§. 5. *Quid Sanctos in ea mente confirmarit.*

Plura sunt quæ nobis persuadeant, sic esse animum in rebus aduersis componendum, vt diximus: leuiora omitto, & subinde in huius commentarij transcursu obiter nonnulla notabuntur: pauciora & efficaciora quædam ex professo explanare conabor. Ac primum,

Quomodo rerum naturam contemplarentur.

Solent viri sancti, animi oculum in Deum defigendo, omnem eam quæ occurrerit, euentuum & rerum complexionem cum physicis causis & connexis, magna mentis æquitate intueri, persuasum illud habentes, nihil vnquam euenturum, nisi quod diuinæ prouidentiæ benignissima caritas prouiderit in maius ipsorum bonum cessurum, & in diuinæ gloriæ amplificationem futurum, dummodo diuinis iudicijs suæ voluntatis desideria subiugare conentur, tantaque animi demissione cuncta excipere, quãta ipse consilij perfectione permittit. Hoc autem vt faciant, totam mentis aciem in Deum intendunt; illum solum, solam eius vim & potentiam, solum quem sibi ex tali re præfixit, finem assequendum cogitationi obijciunt.

Huic autem suo proposito, eo firmiùs adhæresc unt, quòd totius naturæ cursum, & diuinarum permissionum vim, longè aliter, quàm vulgus hominum cõtemplentur. Cùm enim passim naturæ, ordini, efficaciæque causarum tribuatur plurimùm, & re vera si eas in se ipsis perspicimus, mirabilis in illis energia resplendet: viri sancti, qui res nullas solitarias adspectare, sed in Deum omnia referre consueuerunt, parui admodum eas ducunt: etenim *tamquam momentum stateræ, sicest ante Deum orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Quare istis despretis, ad rerum omnium auctorem, ordinis institutorem, efficaciæque datorem Deum oculos conuertunt, videntque tantam ab initio fuisse diuinæ mentis perspicaciam, vt non humano more indiderit rebus vim quandam, vel causas causis ita implicuerit, vt ex eis suo deinceps impetu sese voluentibus, non præuisus effectus emergeret: sed cùm omnis ordinis, totiusque causarum colligationis vim pariter & effecta complexa esset, finem sibi præstantissimum posuerit, eumque sic, vt eò non ad extremum tantùm, percursis illis causis, longaque rerum serie exhausta pertingeret, sed ita vt in singulis, quæ intermedio in cursu labuntur, nihil aberrans, nihil vanum, nihil à dignitate sua, ab vtilitate nostra esset alienum. Hæc autem pro certo sumunt, sic ab illo constituta esse, vt nihilominus omnia semper eius potestati perfectè subsint, eius nutibus vis omnis creata famuletur, absque eo neque esse neque operari valeant, prima, sit & nobilissima, & efficacissima rerum omnium causa, cui aliquid volenti ceteræ obsecundent omnes: vt non sit de Deo dicere, Legem sibi posuit, qua tenetur, & non præteribit; quasi si magnum, aut arduum illi foret à consuetis recedere. Hoc ipsum experientia testatur multiplex: nónne vbi libuit Sanctorum causa feras mitigauit? vrsos & leones asinorum more famulari iussit? draconum & aspidum virus innoxium reddidit? nónne aquis, velut igne, ligna succendit? vndas, ne fluerent, instar crystalli durauit, vel (quod maius est) nec duratas, & fluentes, Sanctorum vestigijs calcandas præbuit? quid? quòd ad preces hominum, defunctos quinetiam reuocauit ad vitam? verbo dicam, nónne totius naturalis machinæ, vel mutauit, vel vertit ordinem, quando vt Israëlis hostes internecione delerèt, vt sanitatem Ezechiæ (in quo quid magnie st, nisi quia libuit? & nisi factum testarentur sacri codices, quanto consensu, nos prudentuli homines, id tantum, tam leui causa factum, negaremus?) sed nónne etiam vt sanitatem Ezechiæ reddendam testaretur, cælorum ipsorum cursum vel præcipitantem inhibuit, vel prouectum ad transacta reuocauit? quid ergo ad rerum naturas expauescimus, & non toti à Dei nostri potestate pendemus?

Sap. 11.

Ad hæc cùm totus hic naturæ ordo, & quidquid in hoc rerum ordine euenturum est, secuturæ æternitatis comparatione, vix, licet sæcula plura complectatur, breuissimi momenti instar sit, sitque periturum aliquando, & in meliorem statum transmutandum, cumque omnium quæ hoc mundo, hac vita nostra continentur, nihil propter se factum, nec propter se, sed propter diuinã & æternam

nam gloriam sit expetendum; hinc planè, & ex ijs quæ dicta sunt, efficiunt Sancti, vt quando omnia quæ in natura & à natura sunt, ordinatione, subiectione, destinatione, in singulis, & per momenta singula à diuina manu liberè pendent, diriguntur, mutantur, aut perseuerant, naturæ rerum, causæque proximæ neglectui habendæ sint; in eum verò qui auctor & gubernator supremus omnium est, tota spes nostra, vel expectatio, vel consolatio conferenda est. En igitur quàm sanctiore & sapientiore oculo Deum, non quidem sublatis, at contemtis rerum naturis, perpetuò intuentur Sancti.

Aliud etiam est, quod minùs obseruatum reperio, & ijs quæ dicta sunt inhæret: posse videlicet eum qui Deo fidit, piè ac sanctè existimare, se singulariter in spe constitutum, regi se à Domino, nihilque ipsi in rebus naturalibus, longeque minùs in alijs, defore: sæpeque ac sæpiùs bonum Deum, vermiculi minimi, inutilissimi homuncionis causa, multa in cursu rerum consueto mira, sed inobseruabilia patrare; vnde illi tanto maiore gratia obstringatur, quanto crebriùs & liberaliùs, tot beneficia, non agnoscenti conferuntur. At quæris quæ ista mira sint? ea intelligo, quibus benignus Dominus naturaliter lenissimeque, nulla vi illata, instantem ordinem auertit & immutat ne fortè aliquid noceat. Et quoties credendum est ista euenire? quum D. Augustino viæ dux aberrauit, eoque errore, insidias inimicorum, quibus oppressus fuisset, effugit: annon à Deo fuisse credendum est? quoties, in mentem eæ cogitationes non incidunt, quæ nocerent? ea consilia non sequimur, quæ periculo videantur carere, & tamen corpori animoque pernicioſa essent? quod volebamus & poteramus non agimus, idque bono nostro cessisse deprehendimus? quoties vel celeritate, vel tarditate sola, vel improuiso quodam casu, casus graues, & grandia pericula euadimus? numquid non optimi Dei nostri sanctissimæ prouidentiæ, id totum acceptò ferri debet? Et hæc quidem, quia interdum apertè notamus, frequentissima esse, credere meritò possumus. Exempli gratia, quid me vetat, si domi mansero, id existimare curasse Deum, ne in furiosum, ebriosum hominem, sternacem equum, saxi cadentis ruinam, vel peiorem casum inciderem? si domo abiuero, quid prohibet, id putare factum, ne domi desidens, in iram, in graues tentationes, in peccatum aliquod laberer? si datur, si negatur aliquid, si memores aut immemores alicuius sumus, si valemus, aut non valemus, denique quidquid accidat, quàm facile, quàm iucundum est, ex aliqua boni specie, in Deum suum se promtissimè suauissimeque conferre? Certè vniuersa hæc totius mundi machina, & omnigenarum rerum atque causarum implexus, permagni & ordinatissimi cuiusdam horologij mihi speciem præbet, cui sapientissimus, idemque optimus moderator Deus præsidet, potestate, sapientia, arte tanta, vt nihil ordinem debitum exire patiatur: possit autem, ordine communi nequaquam perturbato, occultæ cuiusdam in ista machina causæ, quasi rotæ, leni & inaspecta conuersione efficere, vt quod ipse voluerit, (& aliter futu-

futurum non erat) non quasi ab ipso, sed quasi sponte ab ipsis rebus emerge. Cumq; & singula illa præuideat, & semper in manibus habeat, & sit illi facillimum: qui omnia vnius electi causa fecit, vt diximus, omniaque illi famulari vult, is etiam illi vbi opus fuerit, vbi etiam vtilius, aut iucundius; eiusmodi plurimas nobis incogitatas rerum & causarum conuersiones progignere credendus est, eoque plures, quo magis & pleniùs, se totum, resque suas omnes, diuinæ prouidentiæ, quæ suorum sollicita curatrix est, regendas commiserit. Ideò tam frequenter, tam multa præter spem & opinionem accidunt, vt agnoscamus aliquam superiorem rebus omnibus inuigilantem, & præsidentem; ideò multa temerè admodum suscepta sortiuntur felicissimos exitus; multa quæ disiecta & desperata videbantur, derepentè eriguntur, firmantur atque stabiliuntur.

Id autem beneficentiæ & prouidentiæ genus, gratissima nobis mente prosequendũ esse censeo: non solùm quia crebrum, quia maximè necessarium, quid enim miseris nobis fieret, si quasuis aduersus nos inimicas potestates, suis viribus, occasionibus abuti pateretur Deus? quàm ægrè nostra tanta, vel ad efficiendum infirmitas, vel ad prouidendum cæcitas, etiam nemine oppugnante, Deo tantùm non singulariter opitulante, consequeretur oprata. Verùm nõ hoc solo nomine illa beneficia maximi facio, sed illis ipsis quæ miracula dicimus, quadam ratione maiora puto: quippe mirandis ipsis eo mirabiliora sunt, quo leniore sapientia, addam & difficiliore peraguntur. Etenim nemo est qui non libenter, & prolixè id sit daturus, quòd licet omnia Deo facilia sint, pro nostro tamen intelligendi captu & modo, id illi facilius facto videtur, quod ipse solus solo verbo facit; quàm quod alterius repugnantis, vel ad id non propensæ, suauiter tamen inclinandæ causæ, quasi adminiculo faciat; est enim hîc, & ipsa causa altera flectenda, & sic flectenda, vt non coactè, sed sponte, in eam partem deuergat. Itaque si egestati tuæ, pecunia subitò creata subueniat Deus, vel si auari diuitis in mentem immittat, vt de suo sit in te liberalis: itemque si ægrotante, omnem momento inualetudinem depellat, vel sumta minùs conueniente potione te sanet; quis negare audeat, hoc postremum beneficium, aut alteri nihil concedere, aut quadantenus illustrius videri, non quidem quod insuetum est, sed quod verè & recta ratione dignum est æstimantibus. Sin autem hæc tanti quanti merentur fecerimus, erit cur incredibilem, erga beneficentissimũ Deum, ingratitudinem nostram lugeamus: plurima enim sunt, quæ ab illo in nos, ista via creberrimè profluunt, & iam vel assiduitate viluerunt, vel mentis nostræ nimia ignoratione nesciuntur. Gratiam à liberalissimo Domino flagitemus, qua ipsius beneficia perfectiùs agnoscamus, debitumque bonitati tantæ obsequium, ardenter & perseueranter exhibere possimus.

Vniuersam itaque rerum naturam, causarumque implexum quando contemplantur Sancti, magna in Deum fiducia, magno eius amore succenduntur, totis

totis viribus connituntur, vt quouis in rerum euẽtu, nihil penitùs nisi se Deumque suum cogitent: à sollicita verò virtutis cura, qua maximè tanguntur, alienum putant animaduertere, qui sint qui malum inferant, qua voluntate vel modo illud inferant; quibus à cogitatis omnis perturbatio exoriri solet. De seipsis autem cogitantes, duo quædam inabruptè & perpetuò reuoluunt: Primum, vilitatem & indignitatem suam, ob peccata, imperfectiones & socordiam, quæ diuinam maiestatem proritant, & ob quæ flagellis irruẽtibus pauca se luere, plura commeritos profitentur, deq; manu paterna salubrem correctionem, cũ gratiarum actione suscipiunt. Alterum, quod menti Sanctorũ insider, est exercitij virtutum, perfectionisque desiderium, spes & amor ad æterna translatus & inhiãs, temporaria contemnens, lucra & damna eodem vtraque loco ponens, id solum magni faciens, quod ad æternam beatitudinem conducere videtur: ad hanc, & ad Deum suum, se ipsos, sua omnia, euentus omnes referunt. Deum autem respiciunt, vt sibi præsentem, fauentem, prouidentem, & in fines optimos, ea omnia quæ ipsius voluntate vel permissu fiant dirigentem. Atque ita ex hisce tribus, nempe æternitatis, Dei, & sui, cogitatis summa in animo tranquillitas permanet, nihilque quacumque in re, seu bona, seu mala, nisi sui expiationem, perfectionem, exercitationem, æternitatis lucra, Dei iudicia, Deique gloriam, bonitatem voluntatemque speculantur. sic ergo naturam totam contemplantur Sancti. At quo permissiones loco habeant, superest vt dicamus.

§. 6. *Quid sit permissio, & an aliqua permittat Deus.*

Deum aliqua permittere ita notum est & certum, vt neque ratione, neque fide Christiana negari possit: execrandæ quippe blasphemiæ est, quamque piæ aures exhorreant, Deum, ita malorum vt bonorum, facere auctorem: quod quando dicere ausus es Caluine, quis tibi tantum audacissimi furoris inspirauit? itane verò, vt tu vilis & nihili homuncio, Deo summo bellum inferas? è cælis detractum humi affligas? pro Deo caco-dæmonem facias? tu verò cum tuis istis blasphemis vocibus in malam rem abito, & cum auctore mendacij, patre peccati, malorum auctore, quantum voles, imò quantum noles, permaneto. Viderint interim doctrinæ tuæ, cetera sectatores, hoc vno tamen dissentientes, quàm mẽdace, quàm blasphemo, patre te glorientur: quanto verius crederent, si ex eodem ore spiritum mendacij, & spiritum veritatis prodire non posse crederent! Nos verò cum sancta Ecclesia, docente sancto Spiritu, cõstanter asserimus, quoniam Domine *non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus*: nec summam bonitatem vllo pacto peccato affinem esse conuenit. Permittis igitur, at nequaquam committis peccata.

Vulgus quidem hominum, penitiùs in rerum intima ire nõ assueti, permissiones diuinas leuissimè transilire, & vt vox ipsa idem cum humanis permissionibus sonat,

sonat, ita eodem modo interpretari videntur, habereque instar humanæ permissionis, quæ otiosa nihil agit, agere volentem non vult impedire, & quia non impedit cùm possit, propterea dicitur permittere. Ex hac verò opinatione, obmurmurationes, impatientiæ, odia, vindictæ, execrationes, plurimæque perturbationes, in eos qui alicui aduersæ rei causam dederunt, excitantur, nihilque est quod turbatam mentem componat, cùm omnis illa irarum debacchatio & sæuities, nihil ad Deum spectare, in solam creaturam liberè profundi creditur. Atqui id totum quod isto permissionis verbo complectimur, non esse otiosum, multa quæ diximus probant, & nunc demonstrabitur plenius.

Quotiescumque diuinitùs aliquid permissum dicimus, quatuor sunt quæ datur distinctè animaduertere: Primũ, voluntatem permittendi. Secundũ, causam permissionis, seu cur velit permittere, quæ semper complectitur rei permissæ destinationem in certum finem. Tertiũ, cooperationem diuinam cum creaturæ actione quam permisit. Quartum, quod ad Deum non attinet, est in rebus naturaliter agentibus, error; in ijs autem quæ cum culpa fiunt, prauitas à recto aberrans. Hæc singula obseruare quiuis potest in passione, & sacratissima Iesu Christi Domini nostri morte: iustissimè enim & sanctissimè illam permittere voluit Deus. Secundò, rem eam permissam, in humani generis redemtionem, diuinæque gloriæ maximam illustrationem ordinauit Deus. Tertiò, vt prima causa cooperatus est secundis; cùm flagellaretur, crucifigeretur, sanguis effluereret, vitæ fomenta deficerent: ô incredibilem in peccantes & errantes amorem, tanti vt eos redemtum iret Iat, quod postremum est, eos dolores omnes, & percerba vulnera, atrocissimi Iudæi Creatori & Redemtori suo, per summum scelus infligebant. Percurre permissiones ceteras, idem facilè per singulas obseruabis. Atenim resumenda sunt nobis hæc, & distinctiùs euoluenda.

Ac primo pro certo sumendum, duo esse rerum malarum genera: earum vnum, quæ ideo malæ dicuntur, quia molestiam, dolorem, iacturam, infamiam aliquam inferunt, vt morbi, vt mors, vt quæcumque aduersa, quæ tamen recto sapientium iudicio, neutiquam mali nomen sortirentur, sed amaræ potiùs ac saluberrimæ medicinæ, quam nobis amica Dei manus, arte magna miscuisset. Huius autem generis malorum, nemini dubium est, quin auctor esse possit Deus, quandoquidem illa nihil habent quod non eius iustitiam, bonitatem, clementiam maximè deceat: quare de malis eiusmodi loquens Propheta inquit, *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?* Ideoque historicorum, atque adeò omnium hominum is esse solet sensus, vt omnem impietatis iustam & terrificam pœnam, Deo iustitiæ vindici tribuant. *Amos 3.*

Alterum genus malorum est, quæ culpa & peccato inficiuntur, ideoque verissimè & præ ceteris mala dicuntur, & ab optimo Deo quàm longissimè submouentur: adeò vt, ne quidem actiones cum peccato coniunctas, peccatiq; lepra sordidatas voluisse Deũ dicamus. Quare fortiter & apertè loquitur D. Augustin. art. 10,

art.10.de falsò sibi impositis: *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum, cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis, credit auctorem, cuius prædestinatio nusquam extra bonitatem, nusquam extra iustitiam est: vniuersæ enim viæ Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum, non instruere nouit sancta diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium, prædestinatio Dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit: sed planè prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Et omnis homo, quem discretio diuinæ sententiæ in sinistra collocauerit parte, damnabitur, quòd non Dei, sed suam executus est voluntatem.* Et præclarè art.13. *Nefas est Deo adscribere causas talium ruinarum. Quia etsi æterna scientia præcognitum habet, quid vniuscuiusque meritis retributurum sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus, neque in tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos, ne laberentur, detentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos.* Et cuius vsque adeò erunt aures impiæ, vt audire sustineant, actionem impiam & peruersam à Deo fieri?

Est tamen in his ipsis actionibus discrimen obseruandum: sunt enim quædam natura sua eiusmodi, vt numquam ab intelligente & volente fieri aut suscipi sine peccato possint, quin penitùs rationi repugnent, vt odium Dei, vt mendacium, vt percussio innocentis, & cædes Martyrum: hisce actionibus, numquam vt fiant, sed potiùs vt contrariæ, occasionem præbet Deus, at homines abutuntur & occasionem in peruersa detorquent: aduersa immittit Deus, vt vel sic eruditi, à creatis ad increatum Deum amorem transferamus: at nos peruicaces, in indignationem, in odium Patris flagellantis erumpimus: vndenam id peccati nisi nostra ex malignitate prouenit? ita nonnumquam viros sanctos excitat Deus, vt in vitia acriùs inuehantur, idque ad auditorum correctionem; at illi iras concipiunt, torquent, necant Sanctos, actionem eam detestatur Deus, & vt plurimũ grauissimas in hac ipsa vita pœnas vltrices reposcit: permittit tamen, vt sit tanto illustrior mors Martyrum, quam aliorum scelere illatam, & exosam, at patientissimorum virtute decoratam, vult, amat, diligit Deus, in conspectu cuius eo pretiosior est, quo maiore fuerit fortitudine & mentis alacritate tolerata. Præter has actiones, aliæ sunt quæ natura & genere suo bonæ sunt, at in eas foris alicunde, & extrinsecùs quædam ab æterna lege aberratio illabitur, ob quam solam vitiosæ sunt; ad has autem actiones, quales prima specie videntur, & natura sua solent esse, dicendum est nos à Deo incitari, & in eum illas, non tamen vt peccato contaminatas, meritò referri oportere. Huius generis sit, quando Iudicem ad iustam latroni pœnam infligendam incitat Deus, & re vera infligit, at ex priuata vindicta; nihil vetat quin pœnam illam,

qua iusta est,in Deum,vt ab eo iustè profectam iure referamus, licet vindictæ & peccati actum illum,nullatenus in eum referre valeamus; nec videtur difficile,licet vtrumque re ipsa sit coniunctum,vnum ab altero cogitatione separare;siquidem planè forinsecùs,iustissimo scelerati supplicio, illicita vindictæ cupiditas dehonestamento fuit. Hoc autem in ijs agnoscere procliuius est, quæ ex adiuncto non penitus in vitium abeunt,qualia multa,bona mixta malis,confertim perpetrantur:datur eleëmosyna, ieiunatur, oratur, at vana gloria subintrat, rarius est vt propterea illud opus omne vitietur; quod bonum est, à bono Deo est,& quia totum bonum est,totum à Deo est. nihilne ergo mali est, inquis? est planè,at extrinsecum illud est,foris̃que adplicitum,& peccãtis voluntati,potiùs quàm rei naturæ adhæresc̃ens. Verùm hæc alijs disceptanda relinquamus: ad eam,quæ in permissionibus est Dei voluntatem commonstrandam transeamus.

Et quidem cùm ea omnia quæ verè sunt,verè velit Deus,cuius voluntate sunt omnia,& sine cuius voluntate nihil est,solum autem peccatum(quod impropriè dicitur existere)velle non possit;permissiones verò nullatenus peccata sint;non est dubium quin permissiones,si quæ sunt,& quomodo sunt, velle possit Deus. At quomodo vult?ex comparatione humanarum dicam.

Permittere aliquid dicimur, quando id euenturum prævidentes, aut (si non certò præsentimus)timentes, non tamen impedimus cùm possimus: nequaquã autẽ impedimus, vel quia expressim volumus non impedire: vel quia animaduertentes posse nos id impedire,negligimus tamen, nihilq̃ue quod obstet adhibemus. Adeò vt in omni permissione tria sint.Primum,vt præuideatur,quid futurum.Secundum,vt possit impediri.Tertium,vt non impediatur. Iam,certissimũ est Deum præuidere perfectissimè omnia quæ sint futura: itemq̃; posse quæ voluerit facillimè impedire: ac denique plurima non impedire, quæ autem non impediturus est,& futura sunt,ab æterno præuidisse. At non est,cur solummodo dicamus Deum negligere impedire, sed cùm nequaquam æternus prouidentiæ oculus incertùm fluctuet, necesse est asserere,eum ab æterno, cùm præuidit, id olim instare momenti quo res futura esset,nisi impediret, etiam sua iusta voluntate summa ratione statuisse,permissurus esset,necne?simulq̃ue,vel voluisse,vel noluisse permittere; vnde antea è D. Augustino retulimus, Deum, non vtique nolentem,sed volentem,sinere vt aliquid fiat. Multa verò à nobis permitti quæ tamen nolumus,docet experientia,& posteà dicemus.

§.7. *Cur aliqua permittat Deus.*

Tanta est summi Dei bonitas,adeoq̃ue illam decet peccatum omne auersari, exterminare malitiam, vt omnes pro confesso habeant, numquam illum mala permissurum nisi vt maiora inde bona eliceret:atque ita sensit D. August.ita consentiunt Theologi.Neq; hîc est cur quidquam controuertamus. At quæsit præcipua

Enchirid.c. 11. & aliàs sæpè.

cipua permissionis causa, quæ si non esset, non etiam permitteret Deus, non est adeò omnibus perspicuũ: maximè quia recentiores nonnulli ita loqui videntur, ac si permissionum præcipua vis & ratio ad libertatem conseruandam esset, propterea quæ homo sit permittendus, & permittatur peccare quia liber est. Quam sententiam quia moribus, quia perfectioni, quia obedientiæ admodum noxiam video, nec fieri posse credo, vt earum, quæ ad Deum spectant, rerum veritas, virtuti repugnet, vel incommodet, omnino à scholis, & doctissimorum virorum disceptationibus explodi exopto.

Ac Primò, quidem similius vero videtur, etiam in illis quæ natura, & vi causarũ cognitione carentiũ fiunt, quædam à Deo permitti, vt monstra & defectus nonnullos: cùm autem harum permissionum causa nequaquam sit libertas, hinc saltem videas minimè esse necessarium, vt permissio ex ratione libertatis oriatur.

Secundò, verũ etiã est, neque posse sine libertate peccari, neque sine permissione posse liberè peccari: quare omnẽ peccati permissionẽ naturę libertate præditæ concedi, & quando conceditur, concedi libertati. At nequaquã propter libertatem concedi, sed ex aliqua alia ratione libertati concedi assero: existimoq; non tantùm certissimum, sed & apertissimum esse, manente hominibus integerrima sua libertate, posse Deum nullum omnino peccatum permittere, quam in rem sexcentæ illi viæ præstò sunt: posset enim singulos virtutis amore succendere, affluentis gratiæ copioso torrente omnia tentatoris tela restinguere; præmunire, præuenire, mentisque partes omnes ita insidere, vt in Deum perpetuò, & volens tota raperetur. Sanè, a non liberrimè, imò & propenso voluntatis impetu, tot viri sancti plures annos, vel etiam vitam totam letifero peccato immunem traduxerunt? tuque præ ceteris, puritatis diuinæ exemplar mundissimum Virgo Mater, quàm libera & incensa voluntate, ab omni peccati contagione, te semotam, diuina gratia opitulante seruasti! Nihil ergo libertati officit, si peccata non fiant: & quàm sæpe, & quàm multa peccata nostra impedit, vel non permittit bonus Deus, libertate tamen illæsa: quod nisi faceret, Deus bone! quanta scelerum colluuies omnia permisceret! si impiorum non retardarentur impetus, si peccatoribus habenæ laxarentur, si illecebris ad peccatum non imponeretur modus, quis non omni flagitiorum genere spurcaretur?

Statutum igitur sit permitti quidem rebus liberis aliqua, at non propterea solùm quia liberæ sunt; sic enim essent omnia permittẽda, neque permissio peccati libertati est necessaria: præterea à diuina bonitate videtur alienum, vt ideò solùm vel præcipuè peccatum permittat, quia peccans peccare potest, vel vt ostẽdat peccantem peccare potuisse, multoq; minùs vt ideo permittat peccarum, vt ipsum peccatum existat, vel vt puniendi iustam causam habeat: hæc enim sanctissimam & diuinam rationem omnino dedecent.

Cùm verò quædam permittat, quædã non permittat Deus, cur hęc potiùs quã illa permittat quærenti, implexa & enodatu difficillima quæstio est: non solùm

quia occultissima & abditissima sapientiæ diuinæ arcana vestigat, sed quòd etiam plurima sunt, quæ non intelligimus, an impediat permittatue Deus. Sic tamen bonus est, & sic suam bonitatem nobis contestaram esse voluit, vt quamuis ipsarum permissionum initio causæ lateant, fermè tamen in progressu rerum, vel saltem post omnia peracta, aut omnes, aut nonnullæ præcipuæ permissionis rationes patescant. Hoc in Iosephi, Dauidis, Danielis, Christi Domini, Sanctorum, & Ecclesiæ rebus aduersis videas: Quæ singula, & eiusmodi plura dicendo perquirere & assectari non est meum: meum autem vel maximè est, vt quis vniuersè sit præcipuus permissionum finis ostendam.

In quo certè nequaquam audio dicentes; propterea maximè Deum permittere, vt singula suæ naturæ, ordini constituto, & concessæ libertati relinquat: licet enim quando permittit aliquid, res ordini suo, naturæ & libertati relinquat, non est tamen hæc permittendi causa; esset quidem, si Deus naturaliter & non voluntariè, vel si voluntariè at ex præscripto, aut cum difficultate, & ex infirmitate, vt nos, & laborioso molimine impediret, quæ permittere non decreuit. At cùm sit summus rerum omnium Dominus, cùm naturis quasi deunctus obsecundare non debeat, cùm quemcumque rerum ordinem sine perturbatione possit in alium flectere, cùm libertati voluntatis non officiat si peccatum non permittatur, cùm summa ipse libertate, summaque ratione cuncta faciat, in peccato verò summũ insit malum, summeq; diuinę bonitati, honori, maiestati repugnet, quis prudentissimum, potentissimum, optimum Deum, tam grande malum, tam leuibus, & euitatu facillimis causis permissurum ausit opinari? Itane verò? erit aliquod tam ferreum os vt sustineat dicere, vnigeniti Dei filij mortem, doloris & infamiæ plenam, ideo maximè vel præcipuè à sanctissimo Deo permissam, vt Iudæi suæ libertati relinquerentur? quis id causæ, non dico in præcipuis, sed propè in minimis, tanta in re afferri, æquo animo ferat? istane est Deo Patre digna causa, vt nequissimorum hominum voluntati torquendum exponat dilectissimum filium? quoties, vt mox dixi, vel feræ mansuenerunt, vel aquæ solidatæ sunt, vel ignis elanguit, vel cæli cursus inhibitus, vel natura rerum immutata est, Dei Sanctorumque gloria sic exigente? Apagesis ergo istam, pænè dixerim, blasphemiam; malum istud infinitum, tam leui ratiuncula, quasi præcipua, permittendum vt existimes. Digniora sunt, & illustriora, diuinęque sapientiæ ac bonitati consonantiora, consilia suspectanda.

Hoc autem diligenter animaduertisse, ad id quod vrgeo, valet plurimùm, quippe hinc fit, vt cùm permissorum euentuum causam, non à natura, & liberæ voluntatis quasi prærogatiua, sed à diuinis iudicijs, ipsoque creatore arcessere consueueris, omnis quiritandi materia sit sublata, certusque reddaris, iustissimas permissioni grauissimasque subesse causas, ac propositum esse iustum maximique momenti finem, cui nos non refragari, sed suffragari conueniat. Sic videas, è permissione peccatorum, quæ in Christum Dominum admissa, quæque

aliàs perpetrata sunt, magna diuinæ gloriæ incrementa, humano generi emolumenta prouenire: nam bonitas, pietas, misericordia, liberalitas, potentia, clementia, sapientia, iustitia diuina, prouidentia, dilectio hominum, cognitioque Dei multiplex clariùs elucet: perficitur iustorum virtus, exacuitur fortitudo, coronæ augentur, martyrij stadium curritur: ac non rarò è singulis quæ permittuntur, vtilitates & mirabilitates variæ & plurimæ existunt; quarum nonnullas piè docteque D. Damascenus enumerans, ait: *Sinit frequenter iustum incidere in calamitates, vt virtutem quæ in eo latebat, alijs apertam manifestámque faciat, vt in Iob. Aliquando sinit aliquid absurdum fieri, vt per operationem quæ absurda videtur, magnum aliquid & admirabile, dirigat & operetur, vt per crucem, salutem hominum. Et alio etiam modo sinit sanctum malè affici, vt ex recta conscientia non excidat, aut ex indulta ei virtute gratiæ, in superbiam non extollatur, vt in Paulo. Interdum deseritur quis in malis, ad vitam aliorum in melius commutandam, vt alij videntes quod in illo est, emendentur; vt in Lazaro, & diuite. Naturaliter enim ipsi, videntes alios patientes, corripimur. Relinquitur & quis ad alterius gloriam, non per proprium aut parentum peccatum, vt cæcus à natiuitate, ad gloriam filij hominis. Rursus sinitur quis pati in alterius zelum, vt gloria patientis magnificata, impiger alijs stimulis incitetur spe gloriæ futuræ, & futurorum desiderio bonorum, vt in Martyribus. Permittitur & quis quandoque in turpem incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Verbi gratia, quis est elatus in virtutibus, & rectè factis suis, hunc sinit Deus in adulterium prolabi, vt per casum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino.* Hactenus ille: vbi videsne, quàm numquam, vt permissorum rationem, conseruationem libertatis, verùm aliquem alium bonum & adamandum finem proferat? vidit enim vir sapiens, ab eo qui ex cognitione, certoque fine proposito operetur, excelsius aliquid esse postulandum. *l. 2. de Fide c. 29.*

Sed & mirabiliorem se videtur diuina prouidentia præbere, in ijs quæ permissione tantùm, quàm quæ sua mera voluntate facit: quid enim magni est, secundo vento, firma naui, peritissimo remige, pacato mari, portum cognitum, & in conspectu positum subire? at furentibus in aduersa ventis, lacera naui, imperito remige, insidiantibus piratis, per cæcæ noctis tenebras, optatum portum occupare, id demum facinus est præstanti gubernatore dignissimum. Eius quod agimus ipsissima hæc est imago. quis enim id magnum duxerit, quis altiùs cogitatum extulerit, quando leniter arridentibus omnibus, & consilijs humana prudentia rectis, id quod benè cœptum, beneque curatum est, benè cesserit? at verò quis non Dei digitum agnoscat, cùm per res eas, quæ penitùs contrariæ videbantur, optatus sequitur exitus, cùm astutia contrà nitentium in commodum oppugnati cedit, cùm vis & potentia impugnantium lacessito robur addit, indeque vnde deprimendum credebamus, emergit? Quis non videt Ioseph vincula & carceres, viquadam altiore & fortiore quàm humana, illi ad regiam dignitatem gradum fecisse? quod fortassis agnosceret nemo, si sensim, si

arte, si rebus præclarè & fortiter gestis, si munerum & honorum alterna vicissitudine, gradatim ad summa conscendisset. Quare, id etiam dicere posse mihi videor; Si nulla permitteret, & permissa non ordinaret, & ordinando, quodammodo sua non faceret Deus, Deum vix agnosceremus, vixque vllum in humanis euentis Deo vindice dignum nodum videremus, & vix altiùs quàm ad humana consilia mentis oculos attolleremus: at verò cùm non solum è bonis mala fieri, sed ex ipsis istis malis bona instaurari videmus, sublimiorem diuinæ prouidentiæ modum fateri cogimur, quæ sic à bono excidere nonnullos patitur, vt nihil tamen ab optimo fine sibi proposito, ad extremum aberrare patiatur. Et quid magni est si è bono bonum? at maximum est, si è malo bonum feceris.

Igitur quantumcumque humanæ nos artes vel impugnare vel etiam expugnare videantur, firmè nitamur Deo; nil permittet, nisi in maius bonum; quod bonum si diligimus, nostrum est: quidquid æstu, quidquid viribus conentur inimici, conspiret infernus totus, non possunt nos extra diuinæ prouidentiæ ordinationem collocare, non possunt potentissimi clypei vel penetrare munimen, vel cautum tegumen fallere: imò verò maligni aliorum conatus, non tantùm Dei benignitatem aliorsum auersam non auocabunt, sed ad nos potiùs euocabunt; tum quia Optimum maximum decet, afflictis & oppressis adesse, tum quia iustissimo & sapientissimo conuenit efficere, vt illa alterius malitia, sit ei qui iniustè affligitur, vera & directa occasio ac via, per quam Deus conferat ei bona maxima, quæ numquam aliàs daturus fuisset. sic illa Iosephi venditio, & à carissimo parente separatio, effecit, vt derelicti, &, vel inuidia, vel calumnijs circumuenti patrocinium, maiore beneuolentia susceperit Deus; imò etiam à vero abesse non videtur, tot res aduersas, tam fortiter ab innocente perlatas, viam fuisse vnicam qua seruitutem & vincula cum regni libertate & maiestate mutare mereretur. Quapropter, huic exemplo consentaneè, si in me calumniæ insurgunt, si iniustè iniurijs impetor, quidni eo animo id excipiam, quasi si Deus meus pro sua in me beneuolentia, nouam quandam, qua mihi benefaciat, occasionem offerat, ex qua clariùs agnoscam, quantopere mihi inuigilet, dum ipse inde me eriget, vnde deijcere; inde decorabit, vnde malè infamare, alij quidem nitentur, & mea peccata merebuntur, at non sinet bonus Dominus, qui conatibus interueniet, & ex aduersis secunda procreabit? quidni meipsum his verbis & affari & consolari possim? Ecce Deus tuus, ô anima mea, qui peccatum omne, fraudem omnem, & quidquid non rectum est, summoperè abominatur; en, eousque te diligit, vt ad maius bonum tuum æternum, etiam ferat & permittat malum aliquod, etiam leges suas, honoremque suum patiatur infringi, vel hac via tibi suæ volens gratiæ, suique amoris pignus ostendere, & occulta sapientiæ bonitatisque summæ reuelare. ô benignitatem, ô sapientiam, ô prouidentiam plurimùm adamandam! in eam tranquillè sollicitudinem deponam, in

in ea semper securissimè conquiescam. mala mihi velint, qui volent; malà non sinet, nisi qui inde bona faciet bonus Deus; malos despiciam, respiciam bonum.

Sed hæc de voluntate, deque permissionum ratione (quæ duo prima posuëramus) dicta sufficiant, vt cùm vtramque iustissimam perfectissimamq; cognouerimus, vtriq; placidissima mente consentiamus. In cooperatione verò, quam tertio loco recensueram, nihil est cur hæream, parum quippe ad virtutis informationem facit subtilior de ea disceptatio: notum est, & hoc sufficit, sine primæ causæ cooperatione & influxu, nihil posse existere, eamque operandi vim à Deo dari, in id omne quòd physicæ existentiæ est particeps: quale non est peccatum, de quo tamen paulò pòst.

Ex ijs autem quæ hactenus dicta sunt, iam patet cur viri sancti ad permissiones confugere non sint soliti, sed res omnes, quasi agente Deo sibi euenire persuasum habuerint: mentis enim oculos à peccati alieni cogitatione vel seuocabant, vel saltem illi quàm minimum, aut etiam nihil virium tribuebant, permissiones verò Dei, quasi actuosas & effectrices contemplabantur; cùm & voluntas permittendi, & permissæ rei in certum finem destinatio, & cooperatio cum creatura sint actuosæ & efficiendi vi præditæ, sintq; eiusmodi vt & prouidentissimũ Deum deceant, & sapientiam ac bonitatem eius doceant, & ab eo solo in eum modũ possint emanare, & tam illustres sæpenumerò producant effectus, vt insignitè iniurius Deo sit futurus, qui rerum admirandarum conuersiones, è rebus malis erumpentes, arcanis diuinæ maiestatis consilijs, acceptò ferre nolit. Subtilissimè se nostris erroribus & peccatis insinuat Deus, non vt approbator, aut particeps, sed vt auersator & corrector, & ex malis bona plura quasi ignem ex aqua educit; inuigilat ad omnia ille oculus prouidens, nihil est quod potestate non attingat, quod ratione non ordinet: illius est, alterius odisse & punire peccatum, si quod est; tuum verò qui iudicis vicem non fungeris, ad illum potiùs, quàm ad creaturam animum aduertere, gaudereque sanctis fructibus, quos tibi copiosiùs sub amariore cortice recondit.

Multorum quidem, vt hîc iterum ad sancti & Magni Gregorij loquendi modum reuertar, iniustas in rebus agendis voluntates esse dignoscemus: sunt enim qui odio, inuidia, superbia, libidine, & improba cupiditate rapiuntur; at nulla, nisi iusta, est potestas: cùm potestas omnis à Deo; vel apertâ, vel occultâ, sed tamen iustâ semper aliquâ ratione tradatur. Vnde pereleganter D. August. *Est in malorum potestate peccare: vt autem peccando, hoc vel illud illa malitia faciant, non est in illorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Iam ergo quum de aliqua illata molestia quereris, satisne quid agas intelligis? de voluntate, an de inferẽtis potestate conquereris? si de voluntate, miserari potiùs, quàm quiritari debueras: quippe praua voluntas, ipsa sibi soli mala, sibi quoque soli nocet, suaque se prauitate malam & miseram facit, & extra se aliud nihil facit. Legisti fortè quod *de praedest. Sanct. l. 1. c. 16.*

scriptum

scriptum est, Omnis potestas à Deo est: & scribi benè potuit, verum enim est: at numquid & hoc legisti, Omnis voluntas à Deo est? absit: falsum enim est, nec scribi à spiritu vero, à Lutheri tamen & Caluini spiritu potuit. Et quàm prouidè cauit Deus, ne id omne in hominis esset potestate, quod in voluntate foret? Verùm quod nunc, tibi nocere volens, id potuerit quereris, atque ita de potestate conquereris: at quomodo id potes, cùm ipsa iusta sit? Deum intuere à quo est, cuius est, per quem est, qui illam ordinat, & iustam fateberis. At vrges: Mihi fit iniuria. quæ, inquam, iniuria? peccata tua punit Deus, exercet patientiã, æternitati coronas apparat, & tibi fit iniuria? Homo est, ais, qui praua sua voluntate mihi iniuriam infert, hinc indignor. Ad hominem tu me semper vocas, ego te ad Deum euoco. humana ista voluntas, quid potuit, quid fecit? non ob eius voluntatem doles, qui peccato eius non condoles; sed doles quòd aliquid potuerit: at quod potuit, vnde potuit, cur potuit? nónne potestate, concessione, ratione diuina? si diuina, numquid non iusta, sancta, laudabili? in hanc ergo vel tua se querelæ erigant, vel conticescas necesse est. At instas, diuinam cooperationem illi promissam; In malum meum, mala sua voluntate detorsit, tantæque potestatis telum in me deflexum vibrauit. Ego verò eiusmodi cooperationem promissam nego: asseroque constantissimè, nunquam futurum, vt id nisi iusto iudicio fieri sineret Deus: horúmne verborum vim capis? dicam clariùs, numquam malæ alterius voluntati in malum tuum, nisi (si volueris) in bonum tuum cooperabitur Deus. Nondum sat perspicuũ? iterùm fusiùs; non permittet vllis te aduersis rebus iactari Deus, nisi quia tu ipse illa commeruisti, & plura; quia in eum parum speras, creaturis confidis, & creaturis puniris, quia tibi vel ad cauenda maiora mala, vel ad firmanda bona veriora vtile est, & denique vndecumq; & quacumque altiore ratione permittatur, non permittitur, nisi quia summo bono, qui Deus est, & in quo omne tuum verum bonum est, ita visum est melius fore. Hinc ergo, hinc permissionis, hinc cooperationis præcipua est petenda causa: non quia praua voluntas id voluerit, sed quia cùm prauè voluntas id vellet, iustè, imò iustiùs & meliùs fore iudicauerit Deus, si id permitteretur: permiserit, non quia malus id volebat, sed quia id malo permitti iustius & melius fore videbat. En consequendæ tranquillitatis animi præclaram certissimamque rationem: si nempe non hominem, aut humanam vllam voluntatem, non creatam, & proximè effectricem causam intueris: quid enim ad te attinet, qua voluntate, bona an mala sit quisquam præditus? forsitan quam malam putas, illa mala non est voluntas: sed sit mala, quid ad te? illam iudicabit Deus. Et verò si mala ista voluntas tibi honorem, tibi commoda præberet; non ægrè tibi faceret. Gausum ferunt quendam Telephum, quòd accepto ab Achille vulnere, interno & latenti apostematis vlcere sit liberatus. O quàm multa conscientiæ apostemata, vel sanat latentia, vel cognita expurgat molestia rerum aduersarum! Deum ergo intuere, tranquilla animum, hominem dimitte, ad Sanctorum imitationem pro-

prouola, numquam illi (vt dictum est) vel quis inferret, vel qua voluntate, vel quomodo cogitabant, hinc nullam sibi iniuriam, sed omnia beneficia esse censebant, maledicentibus benedicebant, persequentes amabant, illi sunt (aiebat quidam) qui nos beatos faciunt, at qui beatos prædicant, illi nos decipiunt: itaque omnia, oculis in Deum semper intentis, quasi diuinitùs expectabant. Ad quos accedens Saluianus, prudenter tamen intelligendus, ait: *Quàm longè quæso est à iubente permittens? qui enim finit nos ista ferre, & prohibere potest ne perferamus, probat absque dubio debere perferre, & quæcumque patimur sustinere.* Et numquid non ita nos erigere voluit S. Spiritus, cùm sacræ Scripturæ, ex qua modum de Deo sentiendi haurire debemus, eum tribuit loquendi modum, qui non permissionem, sed semper actionem sonet, vt semper in omnibus à Deo pendere, à Deo ex omni re bonum expectare consuescamus? *l. 8. de Prouid.*

Neque verò propterea cuiquam in mentem veniat, hac ratione aliquid peccato, de sui grauitate ac detestatione decedere, quasi vel non sit, vel saltem minùs dolendum puniendúmue sit, quia maiori bono occasionem præbet: occasionem enim solùm, & non causam præbet, & quidem occasionem non ex se, sed ex diuinæ bonitatis quasi nimietate. Quid enim? si pauperis humilem & stramineam casam, odio flagrans inimicus incendat: qui verò damnum passus & ad extremam egestatem redactus est, patienter, & æquo animo ferat, atque inde fiat vt tantę virtutis exemplo ad regem delato, iubeat præclaram firmamque domum, fundis & opibus adiectis afflicto dari: lætabitur quidem hic pauper pellus, & cum quodam dicet, Perieram, si non perijssem: & non ægrè condonabit iniuriam: at, num propterea vel peccauit minùs, vel minùs puniendus est incendiarius? quis homo sanus id sentiat? nisi fortè contrà tantò magis, quo in meliorem hominem, meliore rege peccauit? nempe cùm de iudicando & puniendo agitur, non est de vitio rei, ab euentu non suo, iudicandum, sed agentis, & bonum malúmue cognoscentis voluntas expendenda, & læsa magni Dei in spretis legibus auctoritas. Hæc & plura alia consideramus, cùm vel nostrorum, vel alienorum peccatorum iudices sedemus. At quando gerenda esset persona patientis, ab isto munere vniuscuiusque mentem auoco, hoc inutile, hoc periculosum asserò: at horror vt vnicam istam alienæ malitiæ labem, quæ, si volumus, multum nobis prodesse, nihil nocere potest, contemnentes, oculos mentis aliò in secuturorum effectuum seriem optimam, & in diuinæ prouidentiæ bonitatem irretortos defigamus: & quamuis recenti & præsenti molestia, adhuc futuri incerti simus, nihil tamen indubitemus, confirmati exemplo Sanctorum, sacrarum Litterarum testimonijs, & experientia satis testata.

§. 8. *Quomodo peccata ad diuinam prouidentiam pertineant.*

Pauca hac de re, & quæ in rem nostram faciant, dicam, Theologis ceteras relinquam. Et quidem certum est peccata non posse sic ad diuinam prouidentiam spectare, quasi sint effectus quos diuina prouidentia fieri voluerit, eos promouerit, aut ad eos incitarit: hoc enim ab optimo Deo quàm longissimè abesse debet. At quia non dedecuit, imò iustissimæ fuerunt rationes cur deceret, peccata permitti; si aliquando permittenda erant, necesse fuit vt ab omnium futurorum præscio Deo præuiderentur, tum verò vt de præuisis melius aliquid prouideret, nec ea penitus prouidentiæ suæ sapientissimam ordinationem subterfugere sineret: quin potiùs corruptricem malitiæ vim compescendo, malæ permissionem, ad boni augmentum flecteret, interdum quidem in ipsorum & peccantium correctionem, interdum in aliorum commodum, interdum vt ea occasione thesauros misericordiæ liberalitatisque suæ largiùs effunderet, seque ipsum manifestaret illustriùs. Quam in rem doctissimi Molinæ verba digna sunt relatu, quibus ait, *Adeò bonus est Deus, vt nulla ratione permitteret mala, nisi inde elicere intenderet maiora bona. Nec est auctor peccatorum, sed præuisor, permissor & prouisor, qui ea sua ineffabili atque infinita sapientia & prouidentia, in optimos fines ordinat ac permittit.*

ex concord. q 14. a. 13. d. 33.

Præterea sæpissimè videmus diuinam prouidentiam in arcendis peccatis elucere, cùm impedit ne fiant, cùm tamen futura fuisse ni impediuisset, aliunde deprehendamus: frequentissimè tamen plurima submouet Deus, quæ nescimus; tantorumque beneficiorum, quæ nos latent, nullus est sensus. At quando peccatum perpetratur, diuina quoque in eo prouidentia cernitur, non solùm quòd in melius ordinatur, de quo sæpè diximus, sed etiam quòd frequenter, vel non tanto impetu, vel frustrato malitiæ effectu, vel adiuncta molestia, vel quodam alio modo sic fiat, vt comite peccati dolore, inamabile reddatur, facilèque sit ad meliorem frugem redire. Sed hæc, licet vt plurimùm, non tamen semper, nec in omni peccato fiunt: At in omni peccato quod perpetratur, Deus ob finem optimum, peccatori concursum, (vt cum Theologis loquar) generalem suum præbet, vt eo pro suæ naturæ libertate, vel ad bonum, vel ad malum vtatur, manens id quod bonum; at prouidè, iustaque ex causa, relinquens id liberum, vnde si peccator in deterius deflectit, causæ generalis bonitate, ad particulare peccatum abutitur. quare, cùm iustè præbeat Deus, vnde bonum fiat, indè autem alter iniustè malum faciat; non, benè præbentis; sed, malè vtentis est, si quod est peccatum: diuinæque, quæ non in rem hanc malam, sed generatim in rem aliquam fertur, efficientiæ radius à sorde peccati mundus est. Multa sunt quæ horum occasione de diuina ista efficientia desideraret fortasse nonnemo: at nostrum

strum id minimè est. Satis nobis sit agnoscere ipsa quoque peccata, qua peccata sunt, diuinæ prouidentiæ subesse, & ex ijs velle, posse & solere Deum multa bona extundere: quod nostrâ causâ, profectò efficiet, si in peccatis non peccata, sed optimum illum prouidentissimumque Deum spectamus, vt sint oculi nostri semper ad Dominum: *& quis nocebit nobis si boni æmulatores fuerimus?* quamquam vt quid peccatis, prauaque aliorum in nos voluntate, quasi mormolycijs exterreri? peccatum ipsum, nónne physica omni caret existentia? ergo quod non existit, hoc formidas, hoc rerum grauium causam putas? absonum hoc, & ratione vacuum est: peccatum sterile est, & efficaciæ omnis expers: nemini alteri, nisi soli peccanti nocet; cui tenebræ, cui prauitas, cui mors est animæ; at mortuus, cassus viribus iacet; sibi putrescit, in alios haud insilit, sola contagione lædit; securus es, si tantùm procul effugeris. 1. Pet 3.

Ad extremum, hoc vnum moneo, vt, quoniam quæ nos cruciant, perturbant, deque mentis æquitate deturbant, ea solent esse quæ iniustè, aut certè nullo iusto nomine, grauia toleratu inferuntur, veluti si bonis euertimur, patria pellimur, falsi criminis incusamur: obseruemus, eos à quibus id nobis infertur, quibusque succensemus, duplicem fungi vicem, duplicemque quasi sustinere personam: suam quidem malè volentium & peccantium vnam, qua sola (vt sæpè diximus) nihil quod nocere posset efficerent, cùm neque humana voluntas, neque peccatum, se ipsis efficaciam vllam sortiatur; alteram, licet ignari, personam peragunt, qua illud omne possunt, & diuinæ iustitiæ generatim affligentis sunt instrumentum. sic Attila se flagellum Dei nuncupauit, sic Africanorum vltor scelerum rex Wandalus sibi paulò ante mortem flagellum vidit eripi, sic ipse Deus Nabuchodonosorem seruum suum vocat, à se mittendum, vt Prophetas neglectos, verbumque Dei non auditum vlciscatur. *Greg. l. 3. dial. c. 1. Ierem. 25. & 27.*

Iam verò, hoc dato, neminem credo fore, qui se adeò iustum, & semper exstitisse, & nunc putet existere, nihil vt in se esse credat quod diuinæ iustitiæ pœnis aut expiandum, aut expurgandum, aut perfruendum superfit: sin autem superesse plurimum, & ne diuino iudicio corripiatur, timere debet vnusquisque; annon æquissimum est, vt neque iustæ pœnæ, neque iusti iudicis administro irascamur? nec enim fore credo vt vsque eò delipiamus, vt à Deo quidem, at solo, & nullius creaturæ ministerio vtente, puniri velimus: quis hominum id à iudice petijt, vt reos ipse sua manu truncaret? quod autem minùs homini decorum iudicamus, id à Deo scilicet expetemus? Atqui, inquis, administro vtatur volo, at iusto, vt ipse iustus sit. tu verò, quis es, ô homo, qui legem ponas Deo? vtetur quibus volet, quando & quoties volet: vbi gentium auditum vnquam, reus vt iudici, quo iustitiæ ministro vtatur, statuat? fateor, si priuatim torror inimicus, solet id inuitis aliquid molestiæ creare: at inuitis, at iniquis, & peccata præterita neque punientibus, & puniri ægrè ferentibus; nondumque credentibus, malum malorum omnium maximum, esse peccatum, cu-

ius quicumque à nobis vestigia eraserit, is vel maximè nobis bene facit. Sed nónne longè verius est, Iudicis iustitiam publicam, efficacemque potestatem, quàm carnificis (ab ipso denique Iudice puniendi) malitiam intueri: quid autem, si & tuum ipsius peccatum, alterius peccato puniri commeritum est: quid, si ad tuæ virtutis exercitationem, sic vtilius est? quomodo enim aptiùs noster in Deum ingratus animus, quàm alterius in nos ingrato animo punietur? nónne & frequenter qui iniustè alium peremit, iniusto alterius gladio, iusto Dei vindice, iustè perit? & quando æquo animo alterius voluntas infensa toleratur, nónne magis arduum, magisque laudabile, adeoque tum expiandis malis, tum virtuti perficiendæ longè est efficacius?

Sed ecce iam permulta diximus, & quæ ad id quod propositum erat, comprobandum sufficiant, verùm quia tanti momenti res est, tamque natura queruli, & ad impatientiam proni sumus, vt quantumuis generatim multa dicantur quæ ad animos componendos valeant, subitò cùm in rem ventum fuerit, excutiantur illa de manibus, ipsique in animum inducamus nostrum, iustè nunc nos irasci, iustè in res nobis infestas excandescere: minutiora multa proximo capite exquisitiùs persequar.

CAPVT V.

Quomodo quæ à Superioribus proficiscuntur, non sint secùs quàm à Deo recipienda.

PLurima omninò sunt & maximè varia, quæ à Præpositis ad subditos facto, dicto, iussu deriuantur, sunt que vel in priuatione, vel in perpessione, vel in actione posita: hoc est eiusmodi, vt propterea vel priuari aliquo, vel aliquid pati, vel agere debeant subditi: vt quando dignitate vel officio priuantur, cùm ieiunium aut flagella illis iniunguntur, cùm habenda concio lectióue præcipitur; in primo priuatio, in secundo perpessio, in tertio actio notatur. Sin autem plura simul præcipiuntur, tum singula sunt ad suum genus reuocanda, & ex eo prudenter censenda. Sunt & quædam è duplici genere permista, vt flagellatio, quæ actione & perpessione constat, vt officiorum locorúmue mutationes, in quibus discessio fit ab vno, & ad aliud accessio. quoties autem contingit vt ex vtroque misceantur, ad id genus referenda sunt singula, quod grauius est, & potissimè Superioris voluntate spectatur: quare flagellatio, non ad actionem, sed ad perpessionem pertinet: mutatio verò loci vel officij, si in pœnam, & in id quod grauius est fiat, priuatio dicenda; si verò in laudem, vel commodum, vt si in salubriorem locum, vel officium honoratius transferatur, tum in actionibus potiùs computanda est.

§. 1.

§. 1. *De ijs quæ perferenda contingunt.*

Et quidem ex ijs quæ de S. Iobo, S. Dauide, ceterorumq; Sanctorum exemplis vidimus, nullus videtur dubitationi relictus locus, quin ea omnia quę in priuatione & perpessione posita sunt, iustè permittente Deo infligi credi possint, & ingenti cum summissione & humilitate animi excipi debeant. Atque vtinam, rerum aduersarum, & quarumcumque non pro voto cedentium, veram causam vel intueri, vel exquirere niteremur! ô quantum, ex aduersis fructum summa animi æquitate caperemus! Hoc tu, Domine Deus, in alijs, etiam aliquando perfectioribus, videre nos facis: da, vt euitemus, & quod scire docuisti, re ipsa exhibere dona. quid iuuat videre præcipitia, si volens & videns in eadem relabor? Vix erit vt nocentissimũ hunc errorem verbis valeam exequi, nedum dignè summa eius dãna lamentari: adeò passim viget, perque omnes, & per omnia peruagando non tantùm vix à quoquam cauetur, sed in eo sibi quisq; blanditur, & hisce labyrinthorũ mæandris inuolui affectat. Sed purulentã eius radicẽ proferamus, exẽplis illustremus, si fortè vel sic vulpeculæ huius astũ euoluere ac enudare possimus.

Blanda, heu nimiũ est, nimiumq; sui adulatrix natura nostra: hinc vitij, imprudentiæ, erroris, doloris, exitus aduersi, maliq; cuiusuis causam à se libentissimè semper amolitur, in alios q; deriuat. En tibi radicẽ vnam, & quoniam grande malũ est, accipe & alteram: Sensu ducimur, præsentia, & sub oculos posita respectamus, plurimum nostræ prouidentiæ, nostris consilijs plurimũ, plurimum rebus creatis, imò omnia istis tribuimus; animi nostri latebras, & quid à Deo mereamur obliti, consilia diuina non scrutamur, non inquirimus vnde, & cur ista? alioque quàm par erat deflectentes: adeò non proficimus, vt etiam deficiamus aduersis, errorique error carenata serie implectatur. Quare cuiusuis ingrati euentus causam à nobis longiùs amouemus, & quæuis alia quæ primò occurrerint, nihil altiùs respectando, culpamus.

Sed quod generatim obscurius est, exẽplis eluciderur. Quoties quæso in matrimonijs videmus, vt grauissimis querelis perstrepatur, maritus in vxorẽ, vxor in maritũ inuehatur, &, vt verè dicam, in vtriusq; mala causa, meritò vterque reus peragi debeat? vel quamuis paribus animis, concordiq; voluntate idem iugũ vterq; subeat, quoties vel liberorũ immatura morte, vel improuisæ luis intolerabili sumtu, vel cognatorũ dissensionibus vita acerbior redditur: & vndiq; de his, de illis, querimoniæ multæ geminãtur? at ô homo, ô mulier, meminisse debueras nõ ab his aut illis; sed à vobis ipsis, id mali prouenisse: quippe vel ad aliud vitę genus, vel ad istud quidẽ, sed nec eo fine, nec ita præpropere à Deo vocati, id estis planè cõmeriti, vt vobis tãdiu omnia pessimè cedãt, quamdiu illaudata primordia, iustę pœnę tolerãtia, vitaq; iustiore nõ expiaueritis. Nũc autẽ sic ab ista cogitatione estis alieni, vt impatientiã, obmurmurationẽ, ignorationẽ vestri, veterũ

piaculorum cumulo addentes, maiorum quinetiam irarum dignos vos in posterum reddatis, peccatoque perdurante pœna cessare non debeat. Mercator est, vir solers, industrius, & ad rem attentus probè, at quidquid desudet, nusquam proficit, improuisis casibus, iacturis, foro cessionibus, latrocinijs, naufragijs, ad extremam paulatim egestatem agitur: hinc auidior habendi, laborem & vigilias auget, lucri rationes nouas excogitat, dandique parcior, nihil se pauperibus, nihil Deo largiri posse credit. At non videt imprudens, ideo malè sibi omnia cessisse, quòd suæ nimis fiderit industriæ, quòd benignitate in pauperes, primitijs decimisque lucri, Deo non consecratis, diuinum suis conatis fauorem non impetrarit: futurumque vt malè illi cedant omnia donec eleëmosynæ pietatisque exercitijs, auxiliatorem industriæ suæ sibi Deum propitietur. Est qui naturæ præclaris dotibus ornatus, qui maiorum, familiæ, amicorum fultus ope, ad maximos honores prona videt omnia; eos captat; & ecce, iam iamque prensandi, è manibus euanescunt: hinc dolor; at quo fructu? hos, vel illos, existimationi suæ minùs fauisse credit; propterea spe deiectum se fuisse, quòd minùs hominibus gratus, & minoris ab eis factus fuerit: quòd cùm aliquod munus administraret, seuerior & recti obseruantior fuerit: hinc cedit in plurimis, laxior & liberior euadit, quacumque ratione alios sibi demereri conatur, totus est in hominum aucupanda gratia. at certo certiùs, repulsas iterùm grauiores turpioresque patietur: quid enim? istæc ipsa repulsarum causa fuerat, in qua iterum pergitur. quippe bonus & iustus Deus, noluit naturæ donis, hominum fauori tantum tribui, sed à se solo ista expectari, animum nostrum voluit ad humilitatem flectere: quare mutata velificatione, contemnenda hominum iudicia, honores pro nihilo ducendi, virtutis & solius Dei amor sanctè incendendus est, & sic felicius hic fluent omnia, atque ad gloriosam æternitatem nobis aditum apparabimus.

Iste, iste planè est grauissimus error hominum, vt vnde abs errore dimoueri debuimus, inde in illo acriùs confirmemur. Decipiente fallaci affectu aliquid statuo: impellente nimio, quo Titium prosequor, amore, id illi munus demando, quo nequit probè defungi: alicuius æmulus, eum deprimo, ipseque aliunde ingrata multa in me irruere video: si in alios culpam conijcio, si multa in eos cõminiscor, si varia quasi pro remedio, & meliore rerum facie restituenda tento, quid facio nisi quod passim propè optimus quisque? & tamen nihil facio, securim ad verã radicem non appono, sed contrà, superfluis stolonibus relictis, vtiles ramos amputo, vel eos turpiter vellico. Vuulç morbo, stomachi olim languore laborauit S. ille Macarius: nunquid more nostro, vel noctiũ frigora, vel cerebri defluuia, & non potiùs remotiora spectando, suam in iudicandis alijs rementatem causatus est? & quotusquisque nostrûm est qui cùm in morbum, cùm in aduersa inciderit, idcirco id sibi accidisse credat, quòd in alios durior exstitit? quin potiùs postquam vel naturæ bonitate, vel Dei benignitate faciliùs è morbo conualuerit, eandem facilitatem, celeritatem, morbiq; neglectũ alijs imbecillioribus

bus adhiberi volet. adeò diuinis, quæ secùs quàm par esset accipimus, flagellis parum emendamur. O quoties, Deus meus, conatus meos, hoc vitio laborasse, & vidi, licet aliquando seriùs, & dolui! At verò, & vidisse, & doluisse, tuum planè donum fuit: tantique illud æstimo, vt inter maxima reponam, & de hoc si solum fuerit dicere non verear, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Incerta, tibi non confidentibus; occulta, tuo lumine non collustratis. Tu verò pro tua bonitate, ô benigne animarũ illustrator Deus, nos quoque doceas, vt de his sedulò meditantes, id à te contẽtiùs expetamus. Scio enim neque satis dilucidè, neq; satis dignè, à me explanatum quod hîc latet: dixi tamen quod nunc dedisti, plura dicturus, cùm plura dederis. Quibus tamen hæc non sunt satis, & meritò non erunt satis, en habent te Deum meum, lumen summum, & fontem luminum ad quem accedant & illuminentur: sin autem ad te accedere pigritantur, nihil est cur à meis tenebris lumen emendicent.

Hinc tamen id quod propositæ quæstioni maximè propriũ est concludamus: scilicet, satis exemplo Sanctorũ firmatum esse, nihil tam esse toleratu arduũ, vel à ratione, veritate, æquitate tam alienum, quod ab alijs in nos illatum non possimus, quin & debeamus æquissimis animis excipere, indeq; patiẽtiæ, tolerantiæ, mansuetudinis, plurimarumq; virtutum cultu animum exornare, eorumq; causam non ab aliena voluntate, sed occultiore aliquo peccato nostro reposcere. At solet esse graue, quodq; infirmiorum mẽtes à tolerantię proposito dimoueat, si quando innocenti quasi ob crimen pœna publica iniungitur: verentur enim ne, si eam sine sui purgatione quasi meriti subeant, participes esse criminis, & offensionis aut scandali iustam causam præbere videantur; eamque in sententiam, mulieris septies ictæ historiam referunt, cuius in falso crimine pernegando constantiam, sibi gratam, tali portento testari voluit Deus.

Verùm qui sic loquuntur aut sentiunt, à veritate & perfectione Christiana lõgiùs aberrant, vt sensim comprobabo. Accidit quidem interdũ vt innoxijs quasi noxijs pœna iniungatur, ipsique, illius cuius accusantur noxiæ, rei tam aperta ratione teneãtur, vt suæ innocentiæ veritatẽ affirmare, sit impudẽtiæ: ita in hac misera vita viuitur, vix vt aliquid certò nobis cõster, sæpeq; innocẽtia crimini, & veritas falsitati propior, quàm crimen ipsum, quàm falsitas ipsa censeatur. Hoc verò, licet rariùs, quando tamẽ accidit, non tantùm iniunctas pœnas subire possumus, sed & debemus, aliàs inobediẽtiæ & peruicacitatis exẽpla præbituri, & verè tũ alijs futuri scandalo. Id autem temporis, decet omnia nostra, diuinæ prouidentiæ, magna cũ animi fiducia committi: fietque, vt si Domini nostri Iesu Christi causa, in famæ & commodorũ iactura iniqua, mentis æquitatem tenuerimus, centuplum in hac vita, magna cum spiritus dulcedine, & vitam æternam recipiamus. Sanctus ille Paphnutius (nota est historia, nec meum est enarrare, lege si vis Cassianum) sed ille sanctus, furti accusatus, & sic delatoris arte conuictus; vt innocentiæ tuendæ, nisi se nocentiorem facere voluisset, nullum suppeteret argu- *coll. 18. c. 15.*

argumentum; quia magna humilitate se furem haberi, se vt furem puniri, vt sacrilegum cõmunione ceterorum priuari passus est; nónne & plurimis gratijs diuinitus ornatus, & cum ingenti, quem respuebat, honore, calũnia liberatus est? Quid? ille, Veronensium gloria, S. Petrus Martyr, quàm admirabili Dei iudicio, pœnis, opprobrijs, falsaque, sed probabilissima, criminatione vexatus est: S. Catharina, S. Agnes, S. Cæcilia, beatæ virgines, illi adesse visæ, cũ eo in cubiculo loqui auditæ; visæ, auditæ, forma, cultu, sono vocis velut mortales, hinc mortales existimatæ sunt: indeq; vt qui mulieres in claustrum, inque cubiculum, clausas induxisset, accusatus, condemnatus, carceri mancipatus est. Nunquid non iustè, innocenter, mirabiliter? iustè quidem, quis enim homo visis auditisque non credat? quis prudens aliter iudicet? Innocens tamen damnatur, quid enim fieret aliud? & iudicio acquiescit, nec famæ, nec scandali à se non dati, nec alia vllius rei cura, de patientia dimouetur. At quàm nouum, quàm præter ordinem id totum fuit? vt ipsæ beatæ mentes, eo tempore, istic loci, sic videri, sic audiri, mortales haberi se scirent, vellent; nihil ibi nisi cælitùs gereretur, & sic gereretur, vt inde & innocens calumniator oriretur, & damnaretur innoxiè qui calumniam patiebatur innoxius. Quid enim viri sancti accusator ille fecisset? audierat, viderat, tempore locoque illicito, cubiculo inclusas, viro soli, Religioso, adstare formosas & ornatas puellas, comiter alloqui, arridere, blandè compellare. Taceret? atenim Regulæ & Religionis obseruantia reclamabant. loqueretur? sed quid loqueretur aliud, quàm quod auribus, quod oculis hauserat? hoc autem eloquens, numerum sexumque personarum, habitum, locum, tempus, non inaniter coniectando, sed omni asseueratione affirmando proferebat. His angustijs deprehensus vir sanctus, quò se verteret? negaret? quæ visu percepta sunt, ea negare impudentis videtur esse peruicaciæ. excusaret? at apertè Regula legesque Religiosæ reum pronunciant. veritatem proderet? at neque fortasse crederetur, & prodesset quod ipsæ Beatæ celauerant, quodque prodere, humilitatis amor dissuadebat. ergo restabat vnum, vt Dominisui exemplo quod non rapuerat, exsoluere paratus esset: quid enim Præpositum his auditis decernere par fuit? publicè obijciebatur crimen haud vulgare, tacebat reus, obiecta non diluebat, & grauiter probabatur: puniendus igitur erat is qui diuino iudicio innocens, humanis argumentis, nolens, volens, tenebatur: ergo aliò amandatus, & in carcerem ideò detrusus est, quòd cælitus ignominiæ occasio in eum arrepta esset. Memorabile sanè sæculis venturis exemplum, vnde iudiciorum temerè procursantium libertatem resecare, admirari Deum arte tanta certaminis materiam suis apparantem, & in quibusuis obtrectationibus, insuperabilem ad extremum vsque patientiam seruare discamus.

vide Ribaden in eius vita.

En igitur quomodo Sancti, quam necessitas inusserat infamiæ notam, animo forti & egregia virtute deleuerunt. Eiusdẽ te animi præbeas, si forsan id obijcitur

quod

quod facilè posses eluere. Animos addat Marina, meritò Marinus dicta, fortitudine supra virilem prædita, quæ plures annos, ad vsque vitæ diem extremũ, incestuosus (quippe vir putabatur) maluit audire quàm virgo: sed quanto id honore compensatum sit, sciunt qui legerunt. Nempe hoc in Sanctis imitãdi Christi amor ardens efficit; non abhorrent, at sitiunt cruces & opprobria, quæ sicũ de illis obtingunt, illicò ea vt desideratissima amplexantur, non declinare, sed potiùs ire obuiàm parati. Certè id iudicandum est esse perfectius, quod ab amore proprio alienius, ad edomandos naturæ impetus aptius, ad seuocandos à contagione terrenorum animos efficacius, ad peccata eluenda, virtutemque comparandam accommodatius, ad humilitatem, patientiam, nostriq; ipsorum contemtum opportunius, quod denique Sanctorum illustriorum, Christique Domini nostri vitæ conformius. ad hæc autem singula longè magis accedit, sui ipsius humilis accusatio; vel alijs accusantibus, nihil se excusans demissio, eandẽ animi modestiam tranquillitatemq; seruans, quam sollicita sui honoris per exquisitas argumẽtationes defensatio, cui comites adiungi solẽt perturbationes, alienationes, suspiciones, & aliæ plurimæ agitatę mentis inquietudines, cuiusuis virtutis & perfectionis inimicæ. Ex hoc verò etiã istud est consequens, vt, quoniam nullus verus & solidus honor ab ea re potest efflorescere, quæ solidæ veræque perfectioni repugnet, toties falsa honoris imagine deludamur, quoties quasi tuendæ existimationis nostræ causa, à vera perfectione, & patientiæ laude discedimus; verum autem honorem, si non confestim, saltem aliquanto pòst, verè consequimur, cùm falsas vulgi opiniones aspernati, ad id quod perfectius est, per patientiam, per crucem, magnis passibus tendimus.

Ex his ergo patet quòd siue facilè, siue difficilè refutabilis calumnia sit, possimusq; id quod perferendum imminebat, arte aliqua declinare, longè tamen sit præstantius pati quàm refutare, idq; quod à Superiore quasi ob crimen iniungitur, laudabiliter perpeti, haud secùs ac si nobis exercendæ virtutis materiam præbuisset misericors, & nobis beneuolus Deus: à quo profectò id immitti, eo credibilius est, quòd per eum qui animæ nostræ pater, gubernator, vicarius Dei est, perque eius iussionem id nobis iniungi animaduertimus.

Duo tamen cauenda sunt: Primum est, vt ne vmquam affirmatè aliquid efferamus quod falsum sit; ideoq; quod nobis imponitur falsum crimen possumus non refellere, pœnas quæ ob illud iniunguntur, possumus etiam subire, at facinoris eius, cuius conscij non sumus, reos nos fateri, aut profiteri non possumus: qua in re & peccauit adolescens qui cum muliere septies icta cæsus est, & ipsa se constantem, vt ne mentiretur, præbuit. possumus quoque de crimine interrogati tergiuersari, & prudenter ea dicere vel facere, quæ neque crimen à nobis amouent, neque etiam agnoscunt, vnde si reos nos iudicari contingat, patientiæ sit exercitium: quamquam Superiore interrogante, omnino faciendum est, vt simplicis veritatis candore, id quod est respondeamus.

Alterum est, vt circumspiciamus prudenter, ne nobis crimen adscriptum in alios innocentes redunder, eisque sit iniurium, vel etiam toti Religioni incommodet. Peccabat hoc nomine adolescens ille, cuius expressa timore confessio, erat euidens innocentis damnatio, & alienam vitam in apertum discrimen adducebat. Quare fateor eos casus existere, vbi crimen falsum repellendum sit: de quo si dubium inciderit, prudentum consilio vtendum, & quod suaserint amplectendum est.

Fateor etiam, ad prudentiæ, siue discretionis virtutem spectare, vt quæ sit virium nostrarum mediocritas agnoscamus, neque vel id onus in humeros adnocemus, vel vltrò illi supponamus humeros, præ quo fatiscentes, illi ferendo non simus: excelso, & ad æterna erecto animo est opus, vt patientiæ turrim ædifices, sumtus priùs computandi, ne si consummare non valeas, rideatis, vt maiora temerè exorsus. quod ego illos monitos velim, qui aduersa in se vltrò aduocant, irritant, & ansam oppugnantibus præbent: non autem eos qui è diuinæ prouidentiæ nutu ac moderatione pendentes, æquis animis excipiunt, quæ infligunt; non irruunt quidem, sed irruentia sustinent, & sustinendo profligant: qui non suis viribus, sed diuino auxilio nixi, nihil dubitant, quin Deus & Dominus noster, qui semper suis prouidet, ipsis quoque, si forti & vegeto eos animo esse viderit, tantum occasionis ad depugnandum, quantum virium ad expugnandi sit largiturus, semperque, pro sua benignitate, certaminis materiam, infrà virium modulum cohibiturus. Hoc nobis à bono Domino petendum, hoc forti prece impetrandum, vt neque desides absque pugna otio marcere permittat, neque grauioribus pugnis implicitos, hostili incursione pauefactos perire patiatur.

Sed neque hoc mihi omittendum, vt si quando in ea incidero tempora, vt mihi à Superiore, vel aliunde ab aliqua Religiosæ vitæ conditione, id inferatur quod honorem minuere, aut aliqua ex parte lædere videtur: nec enim in Religione id insolens aut nouum videri cuiquam debet, vbi multis multa credenda, multa in commune sunt cauenda, nec ad liquidum explorari possunt omnia, nec magnum censeri debet si in eo vitæ genere quod crucis perferendæ gratia susceptum est, potiùs vnus aliquis, rebus non admodum arduis perferendis exponatur, quàm vt toti illi Societati, vel bono eius nomini, vel maiori eius firmitati, periculum aliquod creari possit. Sed si vnquam is me necessitatis articulus deprehenderit, iustissimum sanè est vt à memoria mea non recedat, quantæ sint honori meo, per ipsammet Religionem, immerenti mihi, factæ accessiones. Seruus peccati, vanitatis mancipium, Deo & Sanctis eius eram opprobrium; & ecce per eam in numerum filiorum Dei cooptatus, in sortem Sanctorum vocatus, & peculiari illorum familiæ adscriptus, nónne de stercore erexit pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi Dei? vllane mea industria, vel quantocumque labore ad tantum dignitatis fastigium essem ausus aspirare: & ecce nunc, si leuioris alicuius dehonestamenti aliquid incurrero, prom-

nùs animo concidam, in vocationem meam, in Superiores impatiens excandescam, nec videbo de mea constantia periculum fieri, me humilitatem experimento doceri, & quantumuis de mea, quæ fuerat apud alios, aliquid opinione decesserit, longè plura à Religione mihi data superesse, quàm quæ auferri possint, quamdiu boni Religiosi officio fungar? quid ergo conqueror? denarium si reposcor, decem millibus talentorum donatus?

Sed quamuis ita se vnusquisque, & ad perfectiora concitare, & in aduersis solari possit, & debeat: est tamen quòd ceteri, iudiciorum suorum temeritatem expaueant, tantoque magis expaueant, quo æquiore mente tolerantur: erit enim aliquando, vt in iudicium exurgat Deus, & Sanctorum suorum iniurias vindicet. O quàm latus hîc se mihi dicendi campus aperitur! sed præstat in alia tempora reseruare: duo solummodo moneo: Primum est, vt, si quando arrepta, vnde vnde, occasione quæ legitima videatur, malè de quopiam sensimus, aut etiam locuti sumus, ne vmquam opinionis præceptæ, vel prolati sermonis, vel incusationis à nobis profectæ, pertinaces defensores esse pergamus; quasi pudeat falsi alicuius assertores exstitisse, pigeatque à malè semel admisso, benè resilire: quin immò humanæ infirmitatis, cuius proprium est labi & decipi, conscij, gaudeamus aliunde nobis diluxisse veritatem, atque vt verè & sincerè fratrum nostrorum amantes, id præ ceteris gratissimum sit nobis, si comprobatam fratrum innocentiam, si probabiles mali coniecturas, certioribus argumentis reuictas disiectasque comperimus. Et hoc ipsum profiteri non pigeat, animique nostri lætitiam non magis dissimulemus, quàm pater, quàm frater, qui filij, qui fratris dilectissimi, in grauissimi criminis inuidiam, probabili & periculoso indicio vocati, animum culpa vacuum, certa demonstratione deprehendisset. Alterum est, vt Præpositi tantò sint ad credendum tardiores, quo eorum, vel facta, vel verba, plus habent ponderis, longeque indecentius atque damnosius sit patrem, quàm quemuis alium, de filio temerè iudicare, loqui, decernere. Plura in hanc rem non addam, plura ipsimet peruidere possunt, semperque meminisse, quòd *Deus stetit in synagoga Sanctorum, in medio autem Deos diiudicat:* hoc est, ita quidem illis iudicare, statuere, quadrata rotundis mutare dedit, vt in medio tamen inspectorem omnium Deum adesse norint, eorumque sententias aliquando dijudicaturum, si *super egenum & pauperem intellexerint, beati erunt: at si parauerint sagittas suas, vt sagittent in occulto rectos corde; exurget aliquando Dominus Deus, & exaltabitur manus eius, & patientia pauperum non peribit in finem.* Verùm de iis quæ à Superioribus, vel etiam aliunde patienda occurrerent, hæc dicta sufficiant. *Psal.* 81.

§. 2. *De iis quæ agenda perperam iubentur.*

Epist. 7. Benè S. Bernardus animaduertit, tria esse rerum genera; bona quædam, vt fides, spes, caritas, virtutes, & virtutum exercitia; mala quædam, vt quidquid est peccatum: & denique media, *quæ*, vt loquitur, *per se, nec bona esse noscuntur, nec mala; possunt tamen indifferenter, & benè pariter, & malè, vel prohiberi, vel iuberi, sed malè nullatenus in his, à subdito obediri. Ex his sunt, vt exempli gratia ponam, ieiunare, vigilare, legere, & quæque talia. Sciendum verò, quia media quædam in plurorum plerumque bonorum, & malorum transeunt rationem*: etenim, vt mox ait, *propria possidere, sæculari quidem homini medium est, quoniam & non possidere luctu; monacho verò, quia possidere non licet, purum malum est.* ita S. Bernardus, qui idem paulò antè, *Valdè peruersum est*, inquiebat, *profiteri te obedientem, in quo noscris superiorem propter inferiorem, id est diuinam propter humanam, soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem surdus Deo? non sic Apostoli, clamant quippe dicentes, Melius est obedire Deo quàm hominibus.* & iterum: *In mediis lex posita est obedientiæ, tamquam in ligno scientiæ boni & mali, quod erat in medio paradisi. In his profectò fas non est sensum nostrum sensui præscribere magistrorum. In his omnino Prælatorum nec iussio, nec prohibitio contemnenda.*

Vide Basil. q. 118. compend.

Act. 5.

Lib. 35. Mor. c. 10. seu 13. Sanctus verò Gregorius, breui compendio, multa complexus est cùm dixit, *Numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam, bonum quod agitur intermitti.* Clarius igitur est, quàm vt probando immoremur, Superiorem nullum posse iniungere, vt id agamus quod malum est, illudque malum non posse in prohibentem Deum referri. An autem verè sit malum, iudicandum relinquimus ex iis quæ suprà cap. 3. dicta sunt, & ex naturæ, Dei, Ecclesiæ, Religionisque præceptis ac legibus, conditione personæ, atque circumstantiis. Quibus omnibus consideratis, si contingat vt probabili ratione ductus Superior, aliquid vrgeat agendum, de quo subditus dubitat an liceat; subditi est, dubitationis quidem suæ momenta expendenda exponere, & Superiore in eadem opinione perseuerante, suum illius iudicio subiugare, omnemque, in qua de peccato non constet, Superioris iussionem, quasi Dei mandatum, sedulò & reuerenter implere. Certè frequenter affectus, frequenter error obrepit, falsaque persuasione ducti, mali speciem bonis rebus affingimus: & quid rarius, quàm vt aliquid mali imperetur? sed de hoc etiam in sequentibus ex occasione plura dicentur.

At officiorum locorumq; mutationes, non solùm solent esse permolestæ, sed etiam opinione nostra, publicè priuatimque, nostro, aliorumque magno malo fieri, planè temerè iudicantur: harum causa multæ in nostris, multæ in aliorum animis perturbationes, alienationes, auersationes, factiones, ac interim latentes, & Religiosæ vitæ penitus indecoræ simultates, nonnullos inter progignuntur:

mur: vixque tantum vllum malum est, pernicies vllaram est execranda, vt nō reperiatur qui in eam, fugiendarum harumce mutationum cupidine, incurrerit. Inde seditiones, discessiones, rebelliones, ac interdum detestando scelere vel à toto Religiosæ vitæ instituto, vel ab ipsa etiam Christiana fide defectiones vel legimus, vel audiuimus, vel in posterum accidere posse præuidemus. Adeò immoderatus in priuata commoda affectus, procreare potens est tragicos exitus. Longum esset, acriùs in hoc vitium inuehi: sed abunde est, cur ab eo quàm longissimè nos diuellamus: cùm enim rerum futurarum inopinatissimos euentus esse constet, & frequentissimè vsueniat, vt principiorum tristium læti, & lætiorum tristissimi sui exitus: cùm sæpissimè, post eius rei, ad quam totiardebamus, adeptionem, conatuum nostrorum nos fastidiosè pœniteat, vtorumque nostrorum (vt quondam Theseum in Hippolyti morte fabulantur) felicitatem ipsi damnemus: cùm iucunditatem, & permanentem ex aliqua re creata vtilitatem nobis prouenturam, nulla (ob omnium mutabilitatem) probabili coniectura affirmare possimus: sciamus verò Deum nostrum, vt supremum omnium Dominum & sapientissimum gubernatorem, rerum quarumcumque sortem pro sua voluntate temperare; posse ea vera, & non pœnitenda bona largiri quæ nobis non inamarescant, posse denique & illa quibus vtimur, & nos qui illis vtamur, eo in vigore & corporis & animi conseruare, vt diutissimè è singulis vtilitatem solidam cum iucunditate capiamus; nónne nobis longè consultissimum est, vt toti à diuina prouidentia pendeamus, & qui totam vitam Patri cælesti semel consecrauimus, eius quoque vitæ partes omnes, in eius arbitrio ita relinquamus, vt quidquid mutationum in gradu, officio, loco, habitatione nostra, aut re alia fit à Superioribus, id totum à diuinæ prouidentiæ vigilantia profectum credamus? nihilque vel de rationibus humanis, vel cuiusquam machinis cogitantes, tota mentis tranquillitate & simplicitate, nos penitus Deo committamus, illique acquiescamus? certi numquam fore vt cuiusquam consilia aut fraudes, consilio præualere possint Altissimi; suauiter quidem, at fortiter, attinget à fine vsque ad finem, & vt eius sapiens bonitas decreuerit, ita omnia disponet. Fidamus illi, & benè nobis erit.

Est autem hæc fiducia, & omnium euentuum velut à Deo expectatio, præcipuum & maximè necessarium ad obedientiam fundamentum, quo non firmè constabilito, cetera nutant omnia, ad artes & humanas calliditates confugimus, opiniones & humanas amicitias consectamur, ac ambitiosis prensationibus, nos desideriorum nostrorū summam consequi posse præfidimus. Iustus verò & bonus Deus, si tum etiam misericors in nos esse voluerit, hæc subuerter omnia, vtq; animū nostrum ad sanctiora conuertere, locoque meliore spem suam collocare doceat, nequaquā fraudes nostras nobis pro voto cedere patietur. Quanto salutarius à nobis esset creditū, Deum quouis maximè aduerso in casu, solaillius spe subnixis propitium affuturum, &, non dico mutaturū tempestatem in serenum,

sed facturum, ipsa vt procella sit tranquillitas, ipsa vt ardentissima fornax (quod Babylone contigit) leni roris vento refrigeret. Et verò quamdiu hoc fiduciæ in Deum fundamentum non ponimus; ne hilum quidem in vita spirituali proficimus, & sanctæ obedientiæ adyta nondum vel ab ipso limine salutamus. Exundet ergo in nobis, & exundet cousque, vt ad demergendas quodammodo, & absorbendas Superiorum imperfectiones omnes redundet: ceteroquin qui diuinæ prouidentiæ in omnibus firmissimè non adhæserit, annon admodum proclive est vt humanas prouidentias omnes multiplici dubitatione, & prudentula cautione conuellat? Non aliò respexisse videtur S. Bernardus cùm dixit, *Vnde scandala, vnde turbatio, nisi quòd propriam sequimur voluntatem, & temerè, quod volumus, in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat aut impediri; continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti: & qui nobis casus videtur, sermo quidam Dei est suam nobis indicans voluntatem?* Audisne quomodo vir sanctus, ea quæ nos creaturis & hominibus affixi, permissiones, errores, casus, æmulationes, inuidiam dicimus, sermonem Dei asserit, Dei voluntatem indicantem? cur autem ita perperàm loquamur, cur in impatientiâ, obmurmurationem, & scandala impingamus, verissimam profert causam, quia nostram de nobis opinationẽ, iudicium, voluntatem prę figentes, rerum, locorũ, munerũ variis affectibus adhæremus, temerè de nobis aut rebus nostris aliquid statuimus, aut optamus: vnde cùm diuinæ voluntatis verax interpres Præpositus, à nostra volũtate dissentit, alia omnia statuit, & quod Deo in consilium non adhibito volueramus euertit; hinc totius mali labes, & Religiosæ obseruantiæ euersio, cuius damna tanto semper in deterius procedũt, quo minùs persuasum est fore, vt peculiari boni Dei ope cuncta denique in maius bonum nostrum cedant. Cetera quæ hîc desiderarentur, è mox dicendis peti possunt.

Serm 26. de diu.

§. 3. *De Præpositis quos malos esse constat.*

Adeò nonnumquam euidens est, Præpositorum quosdam malos esse, & pessimè viuere, vt etiam malorum multorum causa sint, vel etiam (quod tamen est) ea perpetrari præcipiant: qualem ergo inferior se ipsum præstare debeat dicendum est, vt si fortè Religiosam disciplinam dissoluat Præpositus, si fornicationi, ebrietati, manifestisque criminibus addictus notetur, si in eadem vitia vel exemplo, vel auctoritate suos pertrahat, si monasterij bona dilapidet, ordinem benè semper obseruatum funditus euertat: tunc enim vel ab animi perturbatione sibi cauere, vel consuetam Præposito obseruantiam deferre, non est cuiusuis, sed eius qui forti beneque præsenti sit animo.

Ergo in eam rem, quatuor nobis obseruanda sunt, persona, personæ facta, gubernatio, iussa peculiaria & ad singula quædam directa.

Quod

Quod igitur ad personam attinet, extra controuersiam est, illi obedientiam & reuerentiam eam præstandam esse, quam officij dignitas exigit: quippe quantiscumq; criminibus malè scateat, nisi à magistratu, vel iusta auctoritate, excidat, numquam ideò licet obedientiæ iugum detrectare; imò verò reuerentia & obedientia auctoritati debentur æquales, quoties auctoritas perseuerat æqualis; vnde, vt cap. 2. comprobatum est, nequissimo Superiori non minor quàm optimo cuique reuerentia & obedientia debentur: crediderimque, eam quæ malo, quàm eam quæ bono exhibetur, maioris esse meriti, cùm in illa nihil humanæ rationis aut illecebræ intercedat, purissimeque superatis quæ in contrariũ essent argumentis, vicario Dei, quà vicariam eius auctoritatem gerit, deferatur. Quod vt constanter præstare possimus, diligenter, omniq; conatu curãdum quod ibidem tantopere cõmendauimus, Deum vt in Superioribus respectemus, omnesque hominis imperfectiones adeò procul à nostra cogitatione ablegemus, vt iis obliteratis, ea sola in iis cõtemplemur, quæ diuinitus accepta, venerandos, suspiciendos, amandos, nobisq; sacrosanctos eos faciunt. Arduum quidẽ; sed exempla tantæ virtutis legimus, & verò, quæ Deo laus, vidimus. Imperfectiorum tamen maior est numerus, multiq́ue vitam potiùs quàm munus intuentur: propterea Superiorum est, acerrimè in vitam moresque suos inquirere; nam quo pluribus expositi sunt, eo plura & grauiora scandala præbent, tantoque in grauiorem damnationem incident, quòd animarum depeculatores latronesque fuerint, qui earum defensores & saluatores destinati fuerant.

In factis quæ Præpositorum, qua ratione sunt homines, ita propria sunt, vt naturâ suâ in alios minimè deriuentur, eiq; soli qui ea perpetrat noceant; vt luxuries, ebrietas, illaque peccata, quæ licet exemplo serpant, & scandalo ceteros offendant, per se tamen publicum bonum non euertunt. certum est, illa, quando tam apertè rectæ rationi, diuinisque legibus aduersantur, approbari non posse: facilius foret media quædam, (quæ in eiusmodi personæ dignitate vitæque conditione indecora & mala essent) vt scurrilitatem, comtiorem ornatum, & eiusmodi leuiora excusare. Quamuis tamen grauiora illa peccata approbari non possint, possumus ab illis improbandis abstinere, nostramque ab istis ad alia cogitationem conuertere: vt quid enim de ijs qui extra nostrã curam, extra nostram potestatem sunt, quorum neque reprehensioni, neq; emendationi, neque punitioni instare nostrum est, vt quid frustra solicito cogitatu inuolui? qui ad nos non spectant, quorum medela in nobis non est, illi quoq; nos nec tangant, nec angant, nec moueant: nisi si caritatis miseratione laudabili, diuinæ maiestati pro eorum peccatis supplices preces offerimus, idq; ita pacatè, ita imperturbatè, ac si eas pro quouis ignotissimo peccatore funderemus. Vbi quanta moderatione sit vtendũ, præclarissimũ, & numeris omnibus absolutissimum in Dauide erga Saulem exemplum habemus, de quo præstat vt D. Gregorium, virum in moribus instruendis admirabilem audiamus: quippe quæ in rem hanc

mirè

mirè faciant; his verbis præclarè scribit: *Admonendi sunt subditi, ne Præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident: ne vnde*
Pastor. cura p. 3. c. 5. *mala rectè redarguũt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne, cùm culpas Præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed si qua valdè sunt eorum praua, ac apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod melius ostendimus si Dauid fa-*
1. Reg. 24. *ctum ad medium deducamus: Saül quippe persecutor, cùm ad purgandum ventrem spelunca suisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat, cumq; eum viri sui ad feriendum Saül accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberent; qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saül nisi mali rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designantur? Saül igitur ventrem purgare est, prauos Præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseriæ extendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo, monstrare: quem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ subditorum mentes, ab omni se pestè obtrectationis abstinentes, Præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cùm de imperfectione reprehendunt: qui & si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, vt extrema quædam atque exteriora Præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt, quia videlicet, dum Prælatæ dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seq; vehementissimè vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt: vnde benè & illic scriptum est, Posthæc Dauid percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saül. Facta quippe Præpositorum, oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, vt per afflictionem pœnitentiæ, cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cùm Præpositæ potestatis deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælata est, perhorrescat: nam cùm in Præpositis delinquimus, eius ordinationi qui eos nobis prætulit, obuiamus: Vnde Moyses quoque,*
Exodi 16. *cùm contra se & Aaron conqueri populum agnouisset, ait: Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Hæc est nobis & reliqua Dauidis
1. Reg. 26. modestia diligenter imitanda, fidendum Domino, præcipitandum nihil, manus, & dies Domini expectanda: *quis enim, vt idem loquitur, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?*

Sed de gubernatione aliquid dicamus: si enim manifestè peruersa est, si apertè alios corrumpit, si hæreses & errores in fide disseminat, si florentem olim disciplinam relaxat, si mores prauos inducit, si bona pessumdat, humana pariter & diuina confundit, longè minùs posse negligi videtur. quid enim? possumne, qui ista video, qui decorem domus Domini diligo, qui totius Religiosi corporis ruinam intueor, meq́ue vnum de membris eius agnosco, possumne non condolere, non conqueri, non etiam aliquos suscitare qui se Superiori, non pastorem sed lupum agenti, fortiter opponant?

Grauis

Grauis profectò tentatio: in qua tamen quo iustior videtur esse dolor, eo magis vt ne modus excedatur cauendū est, quippe nulla vitia periculosiora sunt ijs, quibus virtutis species habenas laxat. Vbi ergo qui cōseruator esse debuerat, ille vastator est Ordinis, videndum est vt verè vastatorem esse constet: sunt enim qui consuetudinum leuiorum, cerimoniarum, earumque quas *obseruantias* vocant, vel alicuius externæ rei supra modum æmulatores, euersorem omnium Superiorem inclamant, in inuidiam, & in odium vocāt, si quid istorum aut neglexerit, aut immutarit. Sed hac falsitate reiecta, cùm verè constat euersorem esse, profectò licet dolere, imò probi Religiosi officio non fungeretur, qui Religionis tanto malo non doleret.

At verò apud quem conqueratur videndum: nam, si apud alium Religiosum simplicem, pacatum, doli nihil suspicantem, malisque medicandis ineptum; vt quid illum imprudēti & inutili narratione de sua pace deturbare? hoc sanè animaduertēdum seriò est, ne peccatum peccato aggeramus, & medelæ simulatione insanabile vulnus infligamus. Execrabilem hanc perniciem in rebus longè naturâ leuioribus, at vsu valdè damnificis, vigere interdum videas; est qui se nasutiorem credit, simpliciori ea suggerit quibus eius oculos in malam calliditatem aperiat, & à sincera simplicitate abducat: Nō vides, inquit, quòd tibi, eadē in causa, vel etiam tua ex parte meliori, iniuncta sit pœna, & non isti? vexat censura columbas: ouem lupus rapit, clamosos dentatosq; canes formidat. nō vides quos tibi conciliare, quibus artibus vti debeas, vt quæcumq; voles impetres? Hi sunt, subdoli serpentis susurri venenati: hi, quos è latebris suis educere, omniq; industria & seueritate vehementer coërcere Superiores debent. Ah quoties, sanctè in conspectu Dei ambulauêre non pauci, cùm ecce se insinuauerūt hæ pestes, & qui spiritu caritatis cœperant, æmulationis, inuidiæ, suspicionum, & de Præpositis diffidētiæ liuore consumti intabuerunt! Sed eò, vnde me abduxerat indignatio, redeamus. Videndū ergo, ne apud eos cōqueramur, quibus querelæ nostrę sine fructu damnū inferūt, sed apud eos qui nullo suo malo multum nobis prosunt; & rem inclinatam, vel consilio, vel ope sustentare possunt. Cauendum etiam ne querelæ nostræ animos exacerbent, dissensiones ac rebelliones subditorum foueant: vt enim conquerendi iusta causa esse possit, at nulla rebellandi, vel imperia licita detrectandi. quare id aptissimum videtur, vt apud alterum Superiorem qui euersori illi imperare, eumque coërcere potest, nostræ querelæ deponātur: quod si minùs fieri possit, tū certè id præstemus quod paulò pòst subiūgam.

Postremum supererat, de iussis peculiaribus ad singula quædam nominatim diserteque prolatis: quæ si apertum planè peccatum iubeant, ex dictis, & iudicio naturæ notum est, esse omnino refutanda. Verùm in Religiosis illis familijs, in quibus diuinæ legis viget obseruantia, & necdum Dei timor omnis depositus est, ibi in sermonem inferre, sitne Superiori peccata iubenti obtemperandum, hominum videtur esse peruicacitati patrocinia quærentium, & suæ in

Superiores irreuerentiæ, alicunde ſpeciem honeſti prætexere conantium. Conſtat enim eiuſmodi iuſſa, vſqueadeò non vſurpari, vt quando Præſidibus obſiſtitur, rarò id fiat quia peccato habenas laxant, ſed vt plurimum quia vel auſteriora, vel perfectiora præcipiunt: de quorum zelo, moderatione & fortitudine multa ſunt quæ dici poſſent, at à noſtro inſtituto nunc temporis aliena. Quòd ſi fortè in Præpoſitos eos incideris, qui à caritate Dei exciderunt, multa paſſim perperam iuberi neceſſe eſt: cui enim ſit bonus, qui ſibi nequam eſt? & qui in grauiſſimo diuiniſſimoque gubernandi munere à Deo receſſerunt, eritne vel hominis, vel regulæ, vel rei vllius ratio, quæ tales in officio contineat? hinc temerè, & imprudenter, quin & impudenter, vt affectus, vt perturbatio, vt libido impulerit, multa iubent; viris bonis graues ſunt, nulloque loco pacatos conſiſtere patiuntur, improbis verò & ſui ſimilibus blandi, illis ad omnem cupiditatis explendæ libidinem patrocinantur.

Si igitur in eiuſmodi, (quod ſemper à nobis auertat Deus) ſed ſi quando in eiuſmodi exundationem nequitiæ inciderimus, quam iure nuncupare poſſimus *abominationem deſolationis, in loco ſancto ſtantem*: quid enim aliud, quàm locum illum ſanctum in quo præſidet, execratione ſua deſolat & deuaſtat? tum ſanè pro anima noſtra viriliter decertemus, & non ſolùm aliena improbitas nihil nobis oberit, ſed etiam proderit plurimùm: non enim inter probos, ſed inter improbos, probum eſſe præclarum eſt. Hoc autem vt præſtemus, cauendum eſt *ne æmulemur in malignantibus, & ne facientes iniquitatem zelemur, inſtar floris foni decident, & velociter areſcent, & malitiæ iuſtas pœnas luent.* Lætentur, & vitam in voluptate traducant, at turpiſſimo fine claudentur, electi *in tenebras exteriores, vbi fletus, & præ dolore ſtridor dentium*, vigebit æternùm. Hæc de improbis cogitanda, vt ſortem ipſorum lugeamus potiùs quàm concupiſcamus.

At verò, tu quiſquis in medio eiuſmodi, olim quidem Ieruſalem, nûc autem Babylonis es poſitus; cane canticum Domino, nec melioris & cæleſtis Ieruſalem matris tuæ te capiat obliuio; in ea aliquando extra ſcandala, victurum te ſpera: gratias age Deo quòd ex aliorum improbitate triſtaris: putaq; hoc ipſum tibi cælitus affulſiſſe, hoc vnum tibi reſtare quærendum, animam vt tuam ſalues: nec res, nec perſonæ vllæ ipſi nocuerint, ſi eam lucrifeceris. Variæ ſunt in cæleſtem gloriam penetrandi viæ: hanc ipſe tibi poſitam puta, puta tibi ea conditione venale cælum, ſi alienos errores, & mala publici lugeas. Paupertate alij, alij mititate, alij miſericordia, caſtitate, perſecutione, martyrio ſint beati, nec inuideas: tu in tuo beatitudinis oblato talento ſis fidelis, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*: ſimpliciterque ac humiliter credas, tibi prouidiſſe Deum, vt qui bonis propriis vigere non poteras, alienis ſaltem malis lugendis & ferendis, æternam claritatem mercari poſſis. Propter ſcelera populi ſui, & propter Regum multiplicem impietatem, olim in Iudæos, ſelectum Dei populum, exarſit vindicta diuina, decreuitque eos Nabuchodonoſor

sori tradere, terram vastare, gentem in varias oras dira seruitute dispergere: seueram hanc sententiam, Propheræ Ieremiæ ore prolatam descripsit Baruch, qui populi sui miseratione, grauissimæque temporum calamitatis horrore perculsus, lamentando dixit, *Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.* Huic eius querelæ ex misericordia ortæ, quid misericors & miserator Dominus responderit attende: sic enim per Ieremiam illi responderi voluit: *Ecce quos ædificaui, ego destruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adduco malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis ad quæcumque perrexeris.* O egregiam operæ præstitæ compensationem! sed similiter qui in medio Religionis præuaricatores, & iam non Religionis habitat, & neglectos Dei honores luget, sibi à Domino dici existimet; Ecce propter negligentiam & torporem præteritum; quia non cognouerunt in die sua patres vestri quæ ad salutem ipsorum erant; quia Præpositos illos, qui ad meliora hortabantur, obseratis auribus non audierunt; iniqui & ingrati ipsorum animi clamor in cælum vsque peruenit; regnare facio hypocritam; quos ædificaui, ego destruo; quos plantaui, ego euello; & vniuersam domum hanc, quam è domo orationis & humilitatis, in speluncam ganeonum, auarorum, murmuratorum, ingratorum, superborúmque mutarũt, domum inquam, & olim dilectam hereditatem euerto: Et tu nunc, quid quæris tibi? attamen, quia non te, sed me quæris, & honoris mei zelo duceris, *dabo tibi animam tuam in salutem*, confortare, & esto constans, consumam ceteros, *te verò non consumam, sed castigabo in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.* Habes etiamnum quod eluas; & quod communium cladium in te redundabit, hoc tuis peccatis te commeruisse existima. *Ierem. 45.* *Ierem. 46.*

Certè enim hæc est ad iræ diuinæ placationem, & ad sanctitatem veram via certissima, si quis ea omnia tum suis, tum suorum maiorum apertis vel occultis peccatis ac negligentijs accepta ferat, & iustitiæ diuinæ in vindictam exardescentis flagella, tanta demissione & humilitate excipiat, vt pater ille misericors, qui *cor contritum & humiliatum non despicit*, quique ideo punit quia misereri vult, in melius conuertat omnia, sublatisque è medio omnibus qui Religionis honestatem impugnabant, pristino illam decori restituat. Quod quia facilè potest, ideo numquam desperandum; interim verò gemendum, orandum, in cordis contritione, & verecundo pudore, vt veteres Prophetas legimus, perseuerandum, donec *exurgat Deus & dissipentur inimici eius, iusti autem roborentur, & exultent in lætitia.*

Tanta enim est diuinæ bonitatis abundantia, magnis vt è malis magna bona exoriri faciat, & vbi multiplex viguit iniquitas, ibi multiplex erumpat caritas: quare in rebus istis perditissimis, se ipsum spe meliorum potest vnusquisque solari, sibique persuadere, numquam ea permissurum Deum fuisse, nisi

nisi maiora quædam bona suo tempore inde esset educturus. Quod ipsum quia S. Bernardus in propriis peccatis consulit, quanto magis in alienis id non dedecere credendum est? sic enim epistola quadam, vnumquemque, peccato perpetrato, se ipsum alloqui oportere scribit; *Malè quidem egi; sed factum est, & iam non potest non fieri. Quis scit si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit? malum ergo puniat quod ego feci; bonum autem maneat, quod ipse prouidit. Nostris quippe mordinatis, seu voluntatibus, seu actionibus, nouit bonitas Dei vti, semper quidem rectè in sui ordinis pulcritudinem: sæpè etiam piè in nostram vtilitatem. O clementissima in filios Adam, diuinæ bonitatis recordatio, quæ sua non desinit largiri beneficia, non solùm vbi nullum inuenit meritum, sed plerumque etiam vbi totum inuenit contrarium!* ita ille, subtiliter euentum à voluntate secernens; praua est voluntas, vituperetur, corrigatur; euentus bonus est, expectetur, & vt à Deo laudetur, nec ei noceat voluntatis aliena peruersitas: radiantis auri fulgorem, non faciunt fodinarum tenebræ aspernabilem. Citò decidunt & flaccescunt, quæ citò & facilè maturescunt, ideoque non rarò accidit, vt aliquod ad tempus malum, sit apprime necessarium, vt bonum præsens augeatur, pluris fiat, & maiore diligentia conseruetur: humanis mentibus, vbi non exercentur, tepor & socordia surrepunt; assiduitate, & facilitate vilescit virtus: Religiosæque disciplinæ splendor non ferit oculos, ad eum nimia consuetudine non intentos. hinc fit interdum, diuino maximè fauore adspirante, vt quemadmodum in corporibus humanis quoddam aliquando profluuium, est sanitati confirmandæ opportunum, vel instantes morbos propellit, ita in Religioso & homine & corpore, quædam à Religionis rigore laxitas aberrans, versis in solicitudinem animis, stabiliendæ firmiùs Religiosæ disciplinæ, & remissioni ab omni aditu prohibendæ plurimùm conferat. En ergo quomodo oculi nostri semper ad Dominum, semper in eo, etiam contra spem, sperandum, & sic omnis à nobis perturbatio in perpetuum exulabit.

Epist. 87.

CAPVT VI.

An opinionum diuersarum diuersi sensus obedientiæ repugnent.

HÆc ideò nobis necessariò sunt euoluenda, quia constat opinionum diuersitatem, iudiciorum fouere diuersitatem, vnde voluntatum dissensus oriatur; cùm tamen Præpositorum, & priuatorum, idem iudicium, voluntas esse eadem debeat. Hoc autem in humanæ vitæ rationibus & actionibus, tanta rationum inter se compugnantium probabilitate & obscuritate constantibus,

bus, quomodo possit perfici, non satis videtur explicari posse. Multa quippe sunt in quibus à Præfectis dissentire sine piaculo potest subditus, tantumque illum opinionum omnium consensum, nemo vmquam Religiosæ familiæ auctor lege lata videtur exegisse: necesse etiam est, in ijs Religiosis institutis quæ habent proximos & intermedios, quos notiore & hodie vsitatiore vocabulo dicunt immediatos & mediatos Præpositos, necesse inquam est, vt à subditis, Præpositorum proximorum mores, vitia, virtutesque ad intermedios deferantur; quod profectò absque aliqua iudicandi, animaduertendi, diuersa censendi libertate, non posse fieri videtur, nec etiam ab humana infirmitate amplius aliquid desiderandum esse. Sed &, tanto illi per omnia consensui, aduersum admodum videtur, quòd S. Gregorius interdum quoque à subditis Præpositos reprehendi posse concedit: quis autem sanæ mentis homo id à se reprehendi profiteatur, quod ita fieri debuisse opinetur, aut iudicet? reprehendimus, quod improbamus; quod probamus, id laudamus. Ergo laborandum nobis est, vt quæ opinionum varietas cum obedientia conciliari possit ostendamus. *Lib 25. Mor. c. 14. seu 21. & p. 2. Pastor. c. 8.*

Quò vt pertingere possimus, animaduertendum est, varias esse opiniones, varias res, varias personas, varios agendi modos, quæ singula si probè dignoscãtur, magnum lumen præferent, docebuntque quousque dissentire sine vitio possimus, & quàm sollicitè à subtilissimo proprij iudicij insidiatore nobis cauere, quamque non sit dubium, quin longè præstet (vbicumque peccatum non cernitur) nusquam à Superiore dissentire. Sed ad singula, quæ posuimus, aggrediamur; sic tamen vt leue ac tenue omne id quod intulero lumen agnoscam, præ eo quod à largitate & liberalitate sancti Spiritus nobis exposcendum, & multa prece impetrandum erit.

Opinionum igitur aliæ sunt practicæ, aliæ speculatiuę, de eadem vel de diuersa re. Practicas intelligo quæ faciunt, & mouent ad actionem aliquam, hoc loco, hoc tempore, certo quodam modo, vel dirigendam, vel efficiendam, vel euitandam. Speculatiuas verò quæ ad nullam rem destinatò agendam spectant, sed ad solam veritatis existimatæ declarationem vel affirmationem conferunt, aut etiam interdum de nulla quidem re nunc agenda, sed de iis quæ forsan agenda occurrerent generatim præcipiunt; quales multæ à Philosophis, multæ à Theologis disputantur: & in eundem numerum eas refero quæ generatim loquuntur, vt caritatem & virtutem esse quærendam, mansuetudinem esse laudabilem: quamquam has inter, sua est quoque diuersitas, at minùs id nostrum est. In ijs autem quæ speculatiuæ sunt, non solet tam rigidè vrgeri, vt inferior cum Superiore consentiat, cùm in ea re momenti multum inesse non putetur, fierique non possit quin intellectuum (qui naturæ vim sequuntur) varietas varietatem gignat opinionum: vnde hactenus inuentus est nemo, qui præceptoris sui, vel alterius placitis, ad fidem diuinam certò non spectantibus, per omnia prorsus adhæ-

reſceret. Expedit tamen, vt ne quidem in ſpeculatiuis, nimia ſit ad euagandum, cenſendum, diſſentiendumque libertas: ferè quippe noſtras opiniones, eoſque qui nobiſcum ſentiunt arctiùs complectimur, laudamus, commendamus, cum eis familiariùs loquimur & verſamur, ſæpè etiam contrà ſentientes auerſamur, & deprimimus, minoris eſſe iudicij, non ſatis in res ipſas penetrare, pertinaciùs credimus: quæ omnia nequaquam eſt dubium, quin feruentiſſimæ caritatis beneuolentiæ contraria ſint, fraternitati Religioſæ repugnent, & ſint boni communis inimica. Quare quibus in Religioſis familijs crebræ ſunt de eiuſmodi ſubtilioribus rebus tractationes, opinionum varietati modum adhiberi neceſſe eſt; nouitati tamen præ omnibus: hæc enim ſolet eſſe maximè exoſa, vt etiam id omne quod eximium ac ſingulare præ reliquis videtur eminere, & iactabundum aliquid præferre: eſt enim vitiorum omnium odioſiſſima ſuperbia, & rari reperiuntur eò vſque perfecti, vt ſui ſuorúmve rerum contemtum æquo animo ferant; iſta verò ſegrex nouitas ſpeciem præbet, quaſi ſi plus nimio velit ſapere, & mediocritatem ceterorum, receptarúmque ſententiarum auctoritatem aſpernetur, at ſuo ipſius ingenio præfidat, ſe ſolam magni faciat, ſibi ſoli adblandiri dignetur.

Nihilominùs quamdiu à rebus fide diuina comprehenſis, & ſentiendi libertatem non patientibus abſtinetur, ex hac ſpeculatiuarum opinionum diuerſitate minor quàm ex practicarum, offenſio & diſſenſio animorum oritur, vt ſatis docet experientia. Ortum verò ducit ex eo, quòd practicæ opiniones ſunt de rebus certa ratione peragendis, ipſas autem res affectu magno ſæpè complectimur, atque acri deſiderio vt hoc vel illud fiat inflammamur, longè etiã pluris facimus vt prudentes, quàm vt ſubtilis ingenij habeamur; multoſq; reperies qui ingenuè ad ſubtilitates iſtas minùs ſe natos eſſe fateantur; at neſcio, an vel vnum aliquem, qui ſibi prudentiam non vendicet. Cùm autem de rebus agẽdis diſceptatur, tunc propriè prudentum eſt conſilia definire, cumq; vna pars eligitur, apertè, & re ipſa, quod ad rem præſentem attinet, altera improbatur, & reijcienda monſtratur. At in ſpeculatiuis, licet vnicuique gratum eſſe ſoleat vt ingenij acumine pollere videatur, ſi tamen contrà, in cuiuſpiam rei diſceptatione, ſentitur & non ceditur, non ideò diuersè opinantes iritantur: quia ſententiarum diſſenſionem ſolent multa lenire, & ne animorum diuiſionem parit impedire: tantam enim rerum & cauſarum obſcuritatẽ eſſe agnoſcunt omnes, vt ingenioſiſſimi quique ſibi plurima incerta & ignota fateantur: id etiã de quo agitur eiuſmodi eſt, vt affectum noſtrum ad ſe nullatenus pelliciat; & quamuis aliqui vni parti vehementiùs aſſentiantur & faueant, ſimul tamen ſolent probabilitatem alterius agnoſcere, quod eſt non parum alteri opinioni deferre; ſciunt quippe, ni id fecerint, eamque pro probabili habuerint, multum de ſuo ipſorum honore deceſſurum: ingeniorum enim admodum mediocrium indicium eſt, ita vnius ſententiæ angustijs clauſum teneri, vt ad alterius probabilitatem

tatem intuendam non possit animi acies explicari. Quæ igitur dicemus, ad practicas opiniones potissimè dirigentur.

Verùm in speculatiuis opinionibus obseruandum, redundéntne in practicas, annon? si enim redundant, diligentior est illis cautio adhibenda. Non redundant autē in practicas; vel quando sunt de materia diuersa, quod vt perspicuum omitto; vel etiam quādo est eadē de re, sed ita vt in speculatione diuersa, praxim eandem esse debere sit in confesso. quod contingit ex eo, quòd adiungitur quædam circumstantia eo modo, vt tunc satis constet sic agendum: veluti si generatim iudico, non esse vitam magno periculo exponendam, en opinionem speculatiuam, vti intelligendum dixi; alius autem iudicat, sibi cùm in Angliam ad hæreticos, in Indiam ad paganos mittitur, vitam omnibus periculis exponendam esse; en practicam, quæ à diuersa speculatiua non dissentit: satis enim intelligitur vitam periculo non exponendam, temerè scilicet, nullaq; iusta causa; at diuini honoris amplificandi causa, iustissimè exponi. Cùm autem eiusmodi plura, sed non ita plana, incidant, diligenter intuendum, quàm aptè, propriè & propinquè, id quod contemplationi subest, actioni coniungatur: cauendumque ne continuò idem de vtrisque iudicium feramus, ne putemus eos vel à seipsis vel ab alijs discrepare, qui speculatiuam opinionem à practica diuersam fouent: rationes vtriusque quærendæ, quas vbi liquidò deprehenderimus, non erit arduum vnam alteri conciliare veritatem.

Quam etiam in rem non parum conferet, animaduertisse quàm sit frequēs, vt eadem actio generatim improbata, particulariter probetur; vel etiā particulariter improbata, generatim approbetur: nam vel personæ, vel tempora, vel occasiones, vel circumstantiæ, sæpè laudabiles, sæpè & illaudabiles actiones reddunt. exempli gratia, reprehensio acris & vehemens, frequentiusque repetita, quæ modum videatur excedere, vulgò vituperanda est; est tamen vbi iustissima & necessaria sit: quare si Superior alicui eam adhibeat, mihi verò generatim cogitanti, dura videatur, sic tamen vt existimem, Superiorem iusta aliqua ratione permotum, vel puniendi, vel alterius exercendi causa, meritò seueriorem se præbuisse; si iudico periculi plenam istam actionem fuisse, magnas in aliis parua de re tentationes excitatas, non ita consentaneum benignitati Religiosæ modum illum: verumtamen hanc istis iudicijs moderationem adhibeo, vt in particulari ex causis mihi ignotis, id benè & prudenter factum existimem, Deumq; omnia in melius versurum, nec esse angustè pertimescendum ne tentetur, qui victoriam relaturus creditur; sed & quamuis animo conciderit, numquid propterea ab occasione patiendi iustè danda cessandum fuerat? certè dum sic iudicia iudicijs, cogitationes cogitationibus, vel corrigo, vel immisceo, nusquam à me Superioris honor læditur.

Hæc est ratio vna expeditissima, qua Religiosus in aliorum actiones animum prudenter possit aduertere, & interim eum à iudicio ferendo, & ab omni assensus

sensus temeritate prohibere; possit quod est prudentiæ seruare, neque longius à simplicitate discedere; Superiori proximo humiliter obedire, & interme-dium de ijs quæ geruntur reddere fideliter certiorem. Cùm enim plurima sint, quæ iudicio naturæ, præceptionum consensione vel dissensione, & rerum experientia edocti, diiudicare possumus recténe an malè fiant, si quando contigerit vt præter exactam prudentiæ legem, præter exempla consueta maiorum, præter instituti peculiaris formam, præter receptos probatosque mores, aut alia quapiam specie non bona, fieri nonnulla videamus; hoc ipsum (vbi res grauitas id videtur postulare) ad Superiorem mediatum deferre debemus. Vt autem & moderatio & reuerentia debita seruetur, faciendum vt factorum simplici & nuda narratione contenti simus, nec nostras amplificationes, necnostrum iudicium interponamus; quin, de totius facti vel æquitate, vel iniquitate, non aliud nobis liquére asseramus, quàm quòd, pro reuerentia quæ nobis erga Superiorem est, iustiore & nobis ignotiore causa permotum credimus: an autem ita sit, nec ne, neque nostrum esse perquirere, & apud Superioris aures tutiùs deponi.

Hîc tamen primò cauendum est, ne ad generales eiusmodi factorum alienorum improbationes, proniores nos faciat, illis quasi licitis assuescere. rariùs tantùm vtamur, & tunc sólùm quando facti euidentia & perspicuitas tanta est, vt cuiusuis animum ad se conuertat. Secundò, fortiter est nostra ad sinistras interpretationes cohibenda procliuitas: quod ni fecerimus, facilè accidet vt eadem praua propensione indesinenter sollicitante, quæ generatim minùs probamus, ea quoque singillatim improbemus, sensimque progredientes longiùs, de ijs etiam sermone detractemus, à personis animo abalienemur, iudicioque isti prauo quasi certissimo adhærescamus pertinaciter: sic enim semper grauior efficitur in deteriora prolapsio. Vt autem id euitemus, conferet plurimùm, si exercitatione frequente conemur, vt earum rerum quæ passim ab æqualibus nostris fiunt, & aliquam fortè mali speciem præferunt, excusationes multæ practicæ animo occurrant, laudandis probabili aliqua ratione factis alienis incumbamus, & eiusmodi laudationibus insuescamus; suspiciones omnes, sinistras interpretationes, vel benè ac laudabiliter gestorum eleuationes horreamus: certè enim non fucatæ & verè magnanimæ mentis indicium est, aliena vituperatione tristari, aliena laude delectari. Quam in rem meminisse oportet, profundis omnino latebris humana omnia homini contegi, voluntates ignotas, fines incertos, ratiocinationes dubias, vt incomparabiliter tutius sit iudicandis alienis abstinere, aut etiam in meliorem partem detorquere.

Iam verò diuersissimæ sunt res, de quibus agendis alternante opinione tractatur: sunt enim aliquæ leuis admodum momenti, de quibus diuersa sentire imprudentis esse puto, cùm longè potius sit iudicium suum alterius iudicio conformare, quàm leuissima in re contentiosum esse. Omnis autem

cum

cum æqualibus rixandi, contendendi, diuersa sentiendi, sibiq́ue in argutationibus placendi assuetudo, periculosa est: iudicium enim asperat, pronum ad contentiones, ad consensionem difficile reddit, fieriq́ue nequit vt qui æqualibus asper & intractabilis est, is Præsidibus constanter & perseueranter lenem se ac morigerum præbeat: timore quidem interdum coërcebitur, at virtutis radice non firmata, non poterit vel simulatio, vel violentia esse diuturna; illa morum asperitas erumpet aliquando, tandemq́ue quasi obice rupto, iudicij sui pertinaciam in ipsos Præpositos obstinata contorquebit. Hæc de rebus leuioribus; sin autem maioris momenti sunt, ea de re vel certa est, vel incerta, vel probabilis opinio quam sequendam Superior deligit: si certior quædam est, eam tamen missam faciens, incertam opinionem sequendam Superior amplectitur, partim ad ea quæ de malè iussis & factis dicta sunt recurrendum, partim eo ipso condemnari non debet quòd incertam sequitur, & fortasse aliquid quod ignoras habet, quo certiorem eam reddat: sed & incertum certò condemnare non est æquum; quòd si certò damnandus non est, præstat vt qui nocens euidenter non probatur, existimetur innocens. At si probabilis est ea pars, in quam Superior flectitur, quantumuis aliud subdito probabilius videatur, non potest non esse æquissimum, vt inferior, id quod probabile est, & à Superiore probatur, id, inquam, ipse quoque toto mentis adnisu probet, & vt ad felicem exitum perducatur incumbat. Illud idem in rebus dubijs præstandum esse, & à Superioris partibus esse standū patet, quare pluribus nō est opus.

Personarum quoque ingenium, & varia conditio efficit vt aliter atque aliter de varietate opinionum sit sentiendum: etenim si Superior is fuerit, qui plurium annorum experientia, & singulari virtute probatus est, inferior autem iuuenis, aut nondum in Religionis palæstra diu multumq́ue exercitus: profectò præfidens hic sit & superbus, si curiosiùs in Superioris iussa inquirere, si simplicem omni cum approbatione obedientiam illi denegare audeat. Quòd si & experientia & Religiosæ perfectionis obseruatione Præposito sit æqualis, videatur autem alicubi Præpositus ab eo quod rectius est aberrare: præstandum primò est, vt omnis in iudicando temeritas procul ablegetur, & in Præpositi partes ac sententiam non propendeatur, sed pedibus etiam & manibus eatur. quo conatu adhibito, si de Superioris facto generalis dubitatio perseuerat, & stimulat; scrutandus nobis est affectus noster, ne illum æmulatio, vel amor, vel timor, vel aliquid minùs rectum inficiat: sin autem post eiusmodi inquisitionem videmur meritò moueri, tum certè præstat id totum Deo committere, nostramq́ue in silentio & spe fortitudinem ponere; vel, si res exigit, post imploratam diuini Spiritus gratiam, ad Superiorem accedamus, quid cogitationi obuersetur depromamus, non vt alieni facti, sed vt nostræ in iudicando tenuitatis accusatores, ac nullatenus dubitantes quin Superior huius fluctuationis causam omnem sit sublaturus. Cùm autem ita dixeri-

mus, rationesq́ue cur contrà sentiamus protulerimus, de cetero nostri erit officij, vt siue nostras in oppositum rationes Superior dissoluerit, siue nulla dignatos responsione dimiserit, nihil nos à tranquillitate dimoueat, sed si argumenta nostra intellexit, & in eadem sententia perseuerat, planè credamus iustas eiusmodi facto subesse rationes, esseq́ue tota mentis humilitate id comprobandum. At verò si Superior is fuerit qui aut iunior sit, aut inexpertus, aut in ijs quæ ad sui status cognitionem faciunt, ignorans & incurius; subditus verò eiusmodi sit vt auctoritate, experientia, instituti sui cognitione, ardentiq́ue amore præfulgeat, videat autem secùs fieri & præcipi quàm bonum commune, & vsitata instituti atque approbata ratio postulet: primò quidem videndum vt euidentissimè constet Superiorem quidem meritò videri errare; deinde, reuerentiam erga illum inuiolatam & illibatam seruet; tum, prudenter & sollicitè, nec sine multa prece dispiciat, quæ via videatur aptior, vt Superiori meliora omnia persuadeantur, quam vbi repererit, constanter teneat. Vt autem reperiat, consultissimum fuerit, audire quid super eo confessarius, quid vir aliquis prudens sentiat: si enim vspiam, hîc certè cauendum in primis, ne suo ipsius iudicio nimiùm credat quisquam. At verò si ne sic quidem, vlla meliorum rerum spes affulget, fitq́ue interdum vt inemendabiles quorumdam ad gubernationem ineptorum sint mores incommodi, vt asperitas, incuria, credendi vel suspicandi facilitas, timiditas, aut præfidentia, & alia plura; quid restat, quàm vt eiusmodi res deploratæ diuinæ prouidentiæ committantur, ab illaq́ue tempora expectentur, quibus meliore spiritu & amplioribus gratiis ornare Superiorem, & in melius omnia reformare decreuit? interim ex omnibus fructum patientiæ, humilitatis, deuotionis, obedientiæ & virtutum solidarum plurimarúmque decerpat. Pro comperto etiam habeat, non tantum sibi scientiæ, discretionísve, vel in Religionis rebus experientiæ esse, quin aliquando falli possit, & re ipsa fallatur: quin aliquando etiam à iuniore (& præsertim Superiore, cui propior adest Deus) melius aliquid perspici possit: quæ verissima cogitatio, si seriò & ex animo suscipitur, spiritus altiores comprimet, efficietq́ue vt consideratiorem in iudicando, & se in agendo moderatiorem subditus præbeat.

In eandem rem iuuabit, eorum quæ sequuntur, sæpiùs pertractatam vim atque veritatem, quasi præsentem animo, semperq́ue oculis obuersantem circumferre: nempe, Superior quidem quà homo est, errare potest, idq́ue vel bona fide, vel dolo malo: at quod fieri potest non propterea fit, & hominem ab homine, multoq́ue magis Præpositum à subdito de errore vel dolo damnari intutum est, & peccato expositum: contraq́ue virtutis est, & bonæ mentis, de se alios æstimare, aliorumq́ue quorum correctio nobis non incumbit, peccata non videre vel speciosæ excusationis velo contegere. Quare Climacus ait, Iudicare, *est impudens direptio diuinæ dignitatis: condemnare autem, animæ propriæ interitus.*

Grad. 10.

teritus. Et mox; *Neque si oculis tuis peccatum videris condemnes, neque illis credas: sæpiùs enim falluntur & ipsi.* Et D. Hieronymus, *Benè facis, quòd ex tua mente, etiam malos bonos putas. Periculosum quippe est, de seruo alterius iudicare: & non facilis venia, praua dixisse de rectis.* Hæc de alijs: de me verò, mihi certum & hoc esse debet: Homo quoque sum, & à me humani nihil alienum puto: errare possum, peccare possum, idque vtrumque, vel bona pariter fide, vel dolo malo; & quāuis doli mali mihi non videar conscius, nō tamen idcircò diuino iudicio iustus sum, me amor meus fortassis excæcat, & me latenter perimunt tenebricoso affectu obuoluta peccata, interimq; malè prudēs alienas & incertas perscrutor cicatrices, interna propriæ mentis vulnera incognita & insanata dimittens: quo ipso quid absurdius dici potest? Item, & hoc perpende; A Superiore Deus exiget vt dirigar, à me vt dirigar; non quidem exiget à me quomodo dirigar, sed an quà dirigor tendam, & me dirigi sinam: Superior, vt sine errore dirigar, à Deo adiuuatur; sed licet imprudentia, vel malitia sua malè regeret, quid ad me? ipse viderit: ego si simpliciter subijcior, sine errore dirigor; obedienti enim omnia cooperantur in bonum, & feliciter cedunt. quod si quando non benè cesserit, necesse est vt aliqua inobedientia, de Deo diffidentia, nimia sui iudicij existimatio, de sua prudentia superba confisio, vel eiusmodi næuus aliquis intercesserit. quid ergo mihi melius, quàm simplici mente, vbi peccatum non est, parere: & ex alterius peccato, si quod esset, sed neque esse scio, neque scire cupio, virtutis mihi materiam creare? Præterea, sunt etiam certa quæ sequuntur; Superior, membrum, sed eximium, Religionis est, custosque regularum, vnde illas conseruare debet, non immutare vel infringere; & quia instar capitis est, qui caueat, videat, sentiat, imò præcaueat, præuideat, præsentiat ceteris; illius est prouidè efficere vt subiecta sibi membra, non tantùm viuant, sed vegeta quoque sint & robusta, hoc est longè & feliciter in arrepti instituti perfectione procedant. Ego verò, qui subditus sum, Religionis eiusdem membrum sum, non tamen in eadem arce & specula positum; meum proinde est, Religionis bonum, diserte & pro mea virili æmulari; in hoc autem maximè, vt officij mihi demandati partes probè exequar, ducique & imperatori meo ad verba solicitiùs obediam: quia tamen vterque vnius & eiusdem corporis membrum sumus; alter alterius bono consulere, malis occurrere, & vicissim commodare debemus. possum igitur pro gradu, pro loco, pro ætate, & experientia mea Superiorem iuuare, & interdum admonere; quis scit an per me id fieri velit Deus, qui aliquos nonnumquam aliquibus corrigendis, & ad meliora traducendis destinat? Quod tamen quo pacto sit aggrediendum, prudentiæ sagacitas doceat. Epist. 99.

Et quidem hæc singula permagna vi pollent, & sua luce res has obscurissimas non parum illustrant: addam tamen, quid coniunctim ex omnibus ad hæc euoluenda conducat. sic enim ratiocinari quisque debet: Superior, quia vice Dei

præsidet, magisque propriè *in manu Dei est cor regis*, magis à Deo mouetur, & minùs est erroribus obnoxius: erret tamen; errores eius singulares, meliore fine, & occultis vijs, bonus & prouidens Dominus ad meliora conuerteret: & opinioni Superioris longè plus quàm meæ debeo deferre. Quòd si alicubi magis apertè errare videbitur; iudicare possum, videri errare, fieri posse vt erret; idque vel in re ipsa particulari, vel vniuersè tantùm, & specie actionis non bona: vtrùm autem re vera, & an ex ignorantia, inconsiderantia, malitia, incuria, obstinatione animi, particulariter, an vniuersè erret, non iudico: quia tamen probabiliter apparet error, fierique potest vt subsit verus error, cauere possum; & vt caueam, possum illimet, possum alterius eius Superiori, veram, quantum existimo, rerum gestarum seriem, causasque meæ dubitationis aperire. Hanc autem dubitandi moderationem, & ad Superiorem seu mediatum, seu immediatum recurrendi viam tenere quisque potest: quamuis consultius est, vt magna ad interpretandum benignitate vtamur, & quidquid ab immediatis fit, rectè fieri arbitremur, nisi si regulæ & ratio aperta reclamauerit. quam in Præpositos benignitatem vt præstare possimus, eandem æqualibus, imò omnibus exhibere consuescamus. Longè verò satius est, in approbando quàm in improbando esse nimium. qui Superioris actiones censorio notat oculo, numquam pacatus, numquam perfectus euadet: qui sincerè & fauorabiliter eas intuetur, gratia discretionis ornabitur, fietque vt in eius animo, neque discretio simplicitatem obedientiæ, nec obedientiæ simplicitas vim discretionis impediat. Sed hæc de personis.

E modo verò quo Præpositus vtitur, cùm de rebus agit, fit vt varia obseruare possimus. Interdum enim fieri potest, vt rem vnam aliquam & solam Superior præcipiat sic agendam, vt huic soli id conuenire existimare possim, in alijs verò similibus actionibus aliam aliquam agendi rationem esse meliorem. qua in re nihil de bona Superioris existimatione deteritur: namque nihil indicarat vnde in ceteris idem iudicandum esse censeretur; & frequenter accidit, vt qui agendi modus in particulari vna re cõuenit, is in alijs omninò sit incommodus. Ipsa etiam quibus nobis aliquid indicat verba, sæpè satis docent, nobisne libera sit super ea re opinatio relicta, annon? si enim sic rem agendam explicat, vt declaret certum suum ea de re sensum, quem vult sequamur, manifestum est omnem nobis aliter sentiendi libertatem recidi: si verò propensionem nostram inquirit, ineptũ est ac modestum tergiuersari, nihil indicare, celare se, & perfectissimam indifferentiam simulare cùm deest. sin autem aliquid in medium profert consultandi causa, vt varijs super ea sententijs auditis amplectendam vnam seligat, nobis est opinio nostra seruato decoro magna cum libertate dicenda, cũeo tamen vt non nimis sensui nostro adhærescamus, paratique simus eam amplecti partem, quam Superior omnibus auditis sequẽdam iudicauerit: interim autem etiamsi suam, in alterã partem, propensionem indicet, si sic indicat vt rationum

tamen

tamen nostrarum vim penitiùs intelligere velle videatur; modestè illas explanare, ac melioribus argumentis confirmare, atque contraria diluere possumus. quamdiu enim sententiam certam neutra in parte quasi defixit, licet se propensum in vnam aliquam ostendat, nihilominus inquirit adhuc, & propensiorem eum iudicare debeo, ad meliora & veriora quærenda, quæsita & inuenta sectanda: quare si quid mihi melius & verius occurrit, id à me illi proponi par est proferriq́ue, vt an ita sit, & quanta illa sit veritas inquiri possit: nec enim insolens est, vt quæ verissima putabamus, ea falsitatis plena deprehendantur, contraq́ue ibi veritatem reperisse gaudeamus, vbi nihil nisi merissimam falsitatem esse posse credebamus. quare, humanæ infirmitatis conscium, & prudentum est, numquam aliorum aliter sentientium opinioni & rationibus aures obserare, animumq́ue in oppositum obfirmare; sed omni præiudicio posito, magna puritate & sinceritate contueri, quid cuique sit consequens, quàm firmo, quàm probabili fundamento nitatur aduersa sententia: vt si rectior est, eam sequantur; sin minùs, in suscepta meliore perseuerent. Igitur in his & pluribus, obseruandus est modus, sed ratione & modo obseruandus.

Verùm vt hoc caput aliquando claudamus, nodiq́ue initio positi dissoluantur: patet ex dictis, posse inferiorem à Superiore dissentire, quando Superior facit aut iubet, quæ Dei, vel Religionis ac maiorum legibus clarè repugnant.

Præterea opinionum expedire esse consensionem quàm maximam, optandam quidem in omnibus, sed quæ in practicis exigatur; in ceteris, à nimia dissensione caueatur. Posse verò iudicari de re quapiam, generatim quidem videri non rectè factam, simulq́ue nominatim vel à iudicando abstineri, vel etiam iudicari rectè ex aliqua occulta ratione potuisse fieri: hanc autem esse facillimam ad Superiores mediatos recurrẽdi viam: ad quam tamen pronum esse non expedit. Adhæc nonnullos, in religionis & discretionis virtute vsqueadeò esse perfectos, vt Præpositorum facta & opiniones facilè discernere, & obedientia nulla ex parte læsa dijudicare possint: suaq́ue nihilominus fragilitatis memores, numquam alta sapiant, numquam dissensionem à Præpositis fouere, numquam diuersas partes auctoritate sua excitare, sustentare, roborare, quin potiùs euellere, infringere, toto conatu impugnare videantur, & re ipsa euellant & repugnent.

CAPVT VII.

De diuersis rationibus quibus Superiores & inferiores mouentur.

QVemadmodum Prępositorum & subditorum diuersa sunt munia, ita curæ, fines, & agendi rationes diuersæ: vnde fit vt nemini mirum videri debeat, si in diuersa spectantium, nonnumquam diuersa, imò & contraria iudicia videantur; videantur, inquam, at re vera non sint, si consiliorum radicem, & non solam factorum speciem spectamus: etenim vt diuersa proximè spectant, perq; diuersas vias tendunt, at vnum denique & eundem boni communis finē propositum habent; ita peculiaria quidem singulorum facta & conatus, ad diuersa quædam singularia respectant, sed in vnum denique bonum vtrisque exoptandum in cōmune conspirant. Estque id non Religioni proprium, sed omni reipublicæ commune, imò verò ex ipsa singulorum natura & maioris boni appetitione ductum: quis enim nescit priuatorum commoda publicis esse postponenda, & membra vel detruncari, vel gladijs ferienda obijci, vt illæsa capitis, vel totius hominis vita perseueret?

Hanc igitur primam, & quæ ceterarum causa sit, officij, & finis proximi varietatē possumus ponere, cùm Superioris sit, primò & maximè, ac pro ea, qua præ ceteris poller, auctoritate, bonum cōmune curare: priuati autem, bonum quidē illud cōmune diligere, idq; quod sibi peculiariter commissum est promouere, non tamen cōmunis boni in commune, quasi pro potestate, curam gerere, sed suæ tantùm perfectioni, & virtutibus cumulandis insistere, eorum verò, quæ sibi demandata non sunt, cogitationem omnem & sollicitudinem missam facere. Quippe priuatum priuatis, at personam publicam publicis inuigilare, ex officio oportet. Inde videas, non ægrè posse contingere, communis vt boni ratio exigat, alicui à Superiore id officium imponi, eam iniungi actionem, id pœnæ genus infligi, quod priuatus, sui solius commodi, vel boni spiritualis ratione permotus, non immeritò detrectaret; sed boni communis ratione perspecta, recusare nullatenus debet. Hoc autem si quando re vera existat, ac simul etiam accidat, vt eiusdem communis boni ratio exigat, vt iussionis causa silentio obueletur; en occasionem vnde inferior, qui suas priuatas rationes perspectas habet, publicas ignorat, quasi iusto boni sui obtentu remurmuret, vel Superiorem minùs benè sibi affectum duriorémve suspicetur. Procliue admodum est, vt idem contingat, quando Præpositus aliquem vel officio, vel occupatione grata priuat, vel in commune id statuit, quod singulis priuatis minùs arridet. Sciunt, qui vel extremis digitis rei communis gubernacula attigerunt, quàm sint in administratione publica, eiusmodi occasiones frequentes; quapropter etiam

etiam, bonorum & consideratiorum, ac de suis Præpositis benè sentientium subditorum esset, eorum consilia non exquirendo, credere, iustissimis semper illos rationibus ad omnia & singula moueri.

Aliæ quoque Superioris, aliæ sunt inferioris virtutes, alia perfectio: diuersasque exercentibus, consiliorum & actionum diuersitas exoritur: parēdi enim & imperandi, munus & officia, admodum disparia sunt. Superioris est, prudentia, discretio, intrepidus & solers animus, magnanimitas, prouidentia, suorum caritas, & quæcumque illum gratum, ac bono communi promouendo magis aptum reddunt. At inferiori, vt eiusmodi est, satis est, si benè & constanter parere possit, si se regi sinat, si quietè & pacatè degat, si perturbationibus & vitiis edomandis, virtutibus acquirendis insudet, si sui ipsius, & obtemperandi sollicitus, ceterorum sit incurius.

Sic autem Superior publica complectitur, vt singulorū priuata non deserat: communem Religionis disciplinam ita curat, vt illi etiam incumbat subditorū quemuis ad perfectionem promouere: ideoque subinde variis exercitationibus eorum virtutem periclitetur & roboret; multa iubeat quæ præter morem cōmunem, quæ etiam nonnumquam aliquantum præter vires putentur; quæ duriora & factu difficiliora cùm sint, vix tamen ad certum finem vtilem conferre posse videantur in vniuersum, nisi quòd perfectioni singulorum id conuenientius est, indeque id redundat vt singulis partibus perfectioribus, tota ipsa res perfectior sit & solidior. hoc autem Superiorum prudentia & discretione perficitur, vigilando, vt infirmiores nō opprimantur, sed ad excelsiora leni iugo perducantur; fortiores, otio non marcescant, sed sua virtute dignis experimentis ad summa prouehantur. Veterum Anachoretarum historiis hanc in rem plurima permira celebrantur. Hinc autem, id volo ad id quod institui, confici, non esse nobis Superiorum iussa ad æquitatis, aut causæ, aut modi, aut moderationis vbique & in omnibus eiusdem, normam certam vrgenda, non diiudicandum cur isti conceditur, quod mihi negatur, cur in illo dissimulatur quod in me grauiter punitur, quasi si quidquid à nostra ratione dissentit, id à nobis imprudentiæ aut indiscretionis damnari possit; cùm & sola mortificandi subditum causa, cognitæque diuersorum vires & mores dispares, meritò possint ad diuersa imperanda inuitare.

Est item Superioris, non quidem diffidere, sed ita moderatè fidere, vt caueat ne nimium virtuti tribuendo, vitio det locum: meminerit se hominum, crebræ vicissitudini obnoxiorum, curam gerere, optandumque esse, vt omnes malitiæ aditus obstruantur, ne quà possit irrumpere. Hinc efficitur vt multa concedat, neget, vel statuat in futurum, non quasi mali aliquid perpetratum esset, vel perpetrandum crederet, neque tantùm ne mala fiant, sed vt ne vmquam malè faciendi potestas detur: vnde accidit, vt, dum non sola præsentia dispicit, sed futura animo præcauere conatur, necesse sit vt multa præter opi-

opinionem, præterque multorum desideria perficiat: vnde & id consequens est, vt si quando id statuitur, quod durius, molestius, & ab eo quod assueuimus alienius videtur, existimandum nobis sit à Præpositis id fuisse mandatum, vel præcauendi mali in posterum, vel maioris alicuius boni conseruandi aut comparandi causa; ab omnique longè longiùs obmurmuratione, vel in deterius interpretatione recedendum.

Id verò vel maximè, quòd in celsiore dignitate, quasi altiore in specula collocati, lõgè plura vident & audiunt, quàm inferiorũ vllus: nam & ad eos vndique multa referuntur, vt ad quos pertineat cuncta rescire. negotiorum etiam crebra tractatio, cum pluribus collocutio, atque cõuersatio liberior, occasionẽ præbẽt multa cognoscendi, ipsi quoq; subditi sincerè magis & integrè, seq; & sua, imò & quæcumque de alijs norunt, Præpositis aperire malũt: omnino vt sit necesse, quàm plurima illis esse notissima, quæ ceteri prorsus ignorãt, multaq; ab illis ceri, quorũ ratio ceteris constare non possit. Iam verò cùm huic tam variæ cognitioni, experientia, iudicium, officij debitum, diuinæ prouidentiæ illustratio & ordinatio accedat, eritne nobis tota gubernandi ratio ad angustias particularis nostri iudicij coartanda, & non potiùs ampliore quodam & augustiore lumine certò promoueri putanda? Et sanè si multa passim, quibusuis in artibus, ab hominibus industria exquisitiore præditis fieri videmus, quæ populo & imperitis, rationem effectionis non capientibus, incredibilia, magica, præstigiarum plena iudicantur; quid mirum si in negotiorum & animarum obscurissima gubernatione, multa benè & saluberrimè à Superioribus constituuntur, ad quorum rationem atque præstantiam intuendam, lippientes animæ nostræ oculos vix possimus aperire? quæ si non à sancti, sed à praui spiritus fonte, inuidia, æmulatione, vindicta, perturbatione manare iudicamus, præstigias veritati, vitium virtuti affingimus.

Vtinam nos, preteriti saltem agnitiq; errores, cautiores in posterum reddant! estne aliquis nostrũm, vel eousque iudicij sui continens, vel motuum animi tam incurius obseruator, qui se interdum in eam partem, facta Præpositi vel æqualis accepisse non animaduerterit, ob quam cogitata non fuisse, certiùs deinde deprehenderit? & quoties ibi maximè nobis consultum esse, id nobis felicissimè cessisse vidimus, quod primùm ægrè ferebamus, quod à Præpositis aduersus nos fieri temerè suspicabamur, dolebamus, & euersum malè cupiebamus? Alicuius eiusmodi euenti in memoriam redeat, & nunc id ipsum nobis accidere cogitemus, si quando de nobis secùs quàm vellemus statuitur. At memoriam atque iudicium obruit affectus, perturbatio transuersum rapit, diffidimus, suspicamur, auertimur, iudicamus, omniaque in deterius interpretando, hinc inde probabilia opinationi nostræ argumenta mendicamus, vultum, gestum, oculos, verba, silentium, siue blanda, siue fuerint seuera, imaginosæ nostræ suspectionis argumenta facimus, simulationi blanditias,

obsti-

obstinationi seueritatem subseruire fingimus, nostræque nos cogitationes in omnem partem miserè torquent. ô quantæ pacis foret, nil amare, nil odisse, ad humiliora omnia promtum esse, cunctaque à Præpositis vt à diuina prouidentia benignè excipere!

Illud etiam perpendendum nobis est, non ita Præpositos publica curare, vt sua priuata negligant, imò verò diligenter eos adniti debere, vt se mansuetos, benignos, humiles, patientes, non sui iudicij, regularum obseruatores, maioribus obedientes, omnique virtute conspicuos reddant. Quod ipsum in iis Religiosis familiis, quæ vnicum sibi supremum caput præficiunt, tanto verius est, quòd ab illo supremo, ceteri omnes Præpositi, duplicem personam gerunt, nempe Præpositorum erga subditos, & subditorum ergo Præpositum vnum, vel etiam plures: quapropter suis ipsi se Præpositis tales exhibere, tamque obedientes debent, quales sibi suos subditos exoptant: interdumque Præpositi maiores eodem se modo erga hos inferiores gerunt, quo se erga quemcunque subditum gererent. Atque hinc fit, vt quàm diuersas, cur Superiores diuersa sentiant à subditis, causas antè protulimus, totidem & plures afferre possimus, cur Superior quem mediatum diximus, à Superiore immediato dissentiat, facta eius improbet, cœpta euerti & immutari curet, neque tamen propterea sit immediatus improbandus: fieri enim potest, vt ratione circumstantiarum bene tunc in particulari iussum fuerit, quod mutatis illis nunc aliter fieri, vult Superior alius: vel, diuerso fine proposito, nunc aliud quæritur, quàm tunc quærebatur: vel, emersit aliquid quod antea nemo præuiderat: vel, Superioris huius virtutem, humilitatem, obedientiam periclitari vult; vult cedere & compati infirmitati alicuius subditi, & in lege dispensare, qua Superior ille qui minore potestate præditus erat, tenebatur; vult minus aliquod bonum contemnere, vt aliquod aliud multò maius, quod alter ignorabat, possit acquirere; vult, pro potestate, aliquid tentare, quod alteri temerarium fuisset. Denique diuersitatis in iubendo, tot & plures esse, tamque diuersæ causæ possunt, quot hoc ipso & præcedenti capite attigimus: & potest quiuis multò plures sibi enumerare, quædam enim magis obuia percurrimus, cùm ex infinita rerum & temporum varietate, non diuersis tantùm, sed eidem homini, eadem de re, consilia mutanda sint.

Neque verò hinc Superiorum & inferiorum consensus harmonicus læditur; quippe non dissentiunt qui propter diuersa diuersè sentiunt, diuerso tempore, vnoque aliquid vidente, quod si vidisset alter, idem sentiret: etenim si alio fine, alia veritate, alia circumstantia aliud iubeas, eiusdem est, & sibi maximè consentientis rationis argumentum; quippe mutatis rationibus intermediis, ita consilia mutat, vt constanter eundem finem teneat. hanc igitur considerationem si adhibuerimus, non erit difficile iudicatu, quantopere vtrorumque consilia in ista varietate consentiant. At, cùm etiam Superiores mediati immedia-

torum aliquid improbant; tum vel factum, vel mores, vel modum improbant: si modum, aut mores, vt quòd iracundior, præcipitantior, durior, tenaciorue sit visus immediatus, hoc partim referendum est ad ea quæ in Superiore sunt humana, & à quibus cogitandis mentem debet auertere, partim benigna Dei prouidentia nos in id genus hominum incidisse cogitandum est, qui modis durioribus patientiam nostram exercerent, & virtutum exercendarum materiam præberent, facerentque, vt pœnam peccatis debitam hîc exsoluere possemus. At si Superiores mediati, immediatorum factum improbarunt; vel illud, apertè malum & pernicioſum est; quòd si ita est, recurre ad ea quæ de malè iussis dicta sunt: vel non est apertè malum, vt quæ fortè imprudentiùs videntur facta, vel festinantiùs, vel incommodè. quibus in rebus, ita omninò habendum est, benè fecisse inferiores, eatenùs parendo & iudicium subiugando, donec aliter statutum fuerit; Deumque, si in eo perstitum constanter fuisset, in gratiam sanctè obedientium auersurum omnia incommoda fuisse, & in melius conuersurum; nunc autem, post obediẽtiam suorum, quamdiu placuit, probatam, prouidentiæ paternæ vires demonstrare voluisse, immisso qui clariùs videret, eaque quæ adhuc facta fuerant corrigeret. Iudicio verò subiugãdo sufficit credere Superiorem, bona & animæ nostræ, vel Dei gloriæ, pro tempore vtilia iubere, nec opus est, imò nec semper, nec omnibus videtur expedire, vt se adigant ad credendum, ea in perpetuum adeò bona & sancta esse, vt meliora & sanctiora iuberi non possint. Quanquam, si quis diu diligenterque iudicio proprio despoliando incumbat, adhanc quoque credulitatem peruenire, hãc salua discretione quouis euentu conseruare poterit Dei ope inconcussam: quod tamen cogitatione faciliùs coniici, quàm verbis potest exprimi.

Porrò ex his & huiusmodi pluribus quæ vnusquisque non æquè excogitare potest, apparet quàm multiplicia, & propè pugnantia, Superiori sint proposita, quamque omni ingenij solertia, & intellectus acumine, cum diuina gratia coniunctis vtendum sit, vt bene quod sui muneris est, exsequatur. At verò inferioribus longè paratior & expeditior est viuendi ratio; quippe hæc pauca illis Christi Domini verba sufficiunt, *Qui vos audit, me audit*, hæc est illis tota & sola agendi ratio & cessandi; id quærunt solum, vt digni eius imitatione reperiantur, qui Dominus omnium, & Sapientia Patris æterni cùm esset, non venit suam facere voluntatem, valido cordis clamore Patri ingeminans, *Fiat voluntas tua, non sicut ego volo, sed sicut tu: factus tandem obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis.*

Lib. de prec. & disp.

Atque hoc est. Religiosam vitam amplectentium, primum maximumque propositum, vt se Dei causa perfectæ obedientiæ mancipent, eumq; (quod D. Bernardus monet) quem Dei loco habent, tanquam Deum audiant: hæc sit omnis eorum discretio, vt in obediendo nulla sit eis discretio; hæc omnis sapientia, vt in hac parte nulla sit eis sapientia. *Imperfecti cordis, & infirmæ voluntatis indicium est*, inquit, *statuta seniorum studiosiùs discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exi-*

Lib. de vita solit.

gere

gere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit. S. Basilius vult omnia Superioris præcepta magna alacritate, absque omni iudicio suscipi, non secùs quàm diuinæ Scripturæ verba, quæ diuinitùs inspirata, atque adeò indubitata credimus. Olim Tabennesiotæ, illustres illi cœnobitę, vt refert Cassianus, *sic vniuersa complere quæcunque fuissent præcepta, tanquam à Deo essent cælitùs edita, sine vlla discussione festinabant, vt nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide ac deuotione susciperent, vt tota fide ac sine vlla cordis hæsitatione, ea perficere ac consummare niterentur, & nec impossibilitatem quidem præcepti, pro senioris reuerentia, metirentur.* Sed & omni sanctitatis laude illustris Pinufius apud eundem ita præcipit; *Quartum hoc præ omnibus excole, vt stultum te, secundùm Apostoli sententiam, facias in hoc mundo, vt sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint imperata: sed cum omni simplicitate ac fide, obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit.* Sed ecce quàm sensim, & quasi aliud agens, ad obedientiæ cæcæ limites deferor: sequar ergo quò vocor, & breuem quandam de illa dissertationem, ad priora rediturus interseram.

Exerc. 5.

Lib. 4. de instit. c. 10.

Ibid. c. 40.

CAPVT VIII.

De obedientia cæca. Quid sit?

OBedientiam cæcam loquuntur & deprædicant passim omnes, pauci enucleatè explicant: qui verò illam comparare cupiunt, eniti maximè debent, vt eius naturam probè perspectam habeant. Attexam igitur quæ in eum finem potissimè conferre pro mea mihi mediocritate videbuntur. Et quidem hac de re nonnulla scripsi cap. 12. tractatiunculæ de Acquirenda virtute, Gallicè typis excusæ: ibique cæcitatis appellationem non tam virtuti, quàm virtutis certo gradui conuenire demonstraui, possęque alias ab obedientia virtutes, vt castitatem, pœnitentiam, zelum animarum, fortitudinem, iustitiam, & alias plures in gradu quodam cæcas nuncupari: huius tamen appositi agnominis rationem, in obedientia frequentiorem euidentioremque, atque ideò magis esse celebratam.

Est autem obedientia cæca, qua quis Superiori, cæco quodam modo obedit; hoc est, quando, quemadmodum cæcus manuducentem ita sequitur, vt nihil viæ vsurpare possit oculis, ita inferior iussioni sic obedit, vt neque perfectio, neque imperfectio, neque Superioris humana vlla conditio, neque præcepti ratio aut vtilitas, aut bonitas, aut pericula, aut vlla in oppositum obiectio, cogitationi obedientis obuersentur. Illa est, quæ, vt diuinè docuit S. Benedictus, *in*

auditu auris obedit: non in contuitu oculi. Auris est quæ audit, auris quæ sequitur, quæ obsequitur; & obsequendo, sensus cæteros imperiosè regit, vt & ipsi toti ad obsequium contendant, & vnum obsequium tanto nisu præstent, vt in id vnum se totos quasi exhauriant. Itaque in eiusmodi obsequente, intellectus iuberi audit, idque solum quod iuberi audit intelligit: iudicium silet, neque cur, neque quomodo, neque aliud, quàm quod iuberi audit, iudicat: imaginatio, nihil nisi iussionem solam audit, nihil repræsentat aliud: nihil oculus, nihil manus, nihil pedes, nihil totus homo conatu toto ardet, nisi quod audit exequi: ita vt solius auris dominetur auditus, & ad Præpositi vocem, quasi enthea tæ corporis animique vires, mirabili velocitate rapiantur. Olim aquarum vortices arreptum, in præsens exitium, Placidum puerum deuoluebant, cùm idnimo prouidens S. Benedictus ad Maurum; Curre, inquit, & periclitanti Placido succurre. Dixit, & vt Maurus magistri loquentis vocem audiit, Placidum auribus, Placidum oculis, Placidum tota cogitatione vnum ferebat, periculorum vndarumque oblitus, vitæ prodigus, obedientiæ tenax, concitus excurrit, volat potiùs, sanctas obedientia alas affinxit, insçius calcat aquas, perque liquidas vorticosi lacus vndas quasi per solidatam aream, victrice tutus obedientia, & Præpositi voce pondus corpori detrahente progressus, apprehensum effert Placidum, pariqué securitate & celeritate emensum per vndas iter remeitur, nec, nisi post obedientiæ peractæ exitum, aquas se calcare cognoscit: totos in auribus oculos, pedes totos, totum hominem eousque esse diceres, dum obedientiæ iussa compleret. Quid est cæcum esse si id non est? nec enim vel oculus corporis, aquarum rapiditatem, & insidiosam profunditatem; vel animi cogitatio, periculi magnitudinem videbat; hoc videbat, hoc volebat, hoc contendebat vnum, obedire vt imperantis voci posset.

Hoc obedientiæ cæcæ exemplum, latiùs, planeque ad historicæ veritatis normam descripsi, vt ex eo quod omnium propemodum ore celebratur, de natura ceterorum coniecturam capere possimus: in reliquis enim, si ea introspexerimus, eandem inesse vim cognoscemus. Quippe cùm tanta alacritate, constantique perseuerantia, siccum stipitem, aqua procul deportata, plures annos irrigatum: cùm in amoliendo, quod moueri nequibat, saxo tam seriò desudatum: cùm ad fruges demetendas à febre periclitantibus laboratum: cùm, in extrema olei penuria, vnicum qui necessariis vsibus supererat lecythum, in asperas cautes deiectum: cùm in ardentem clibanum alacritate & festinatione magna, velut si in rosas prouolatum: cùm eiusmodi multa Superiore iubente secundis ausibus perfecta legimus, hoc semper & certò comperimus, subditos id spectasse, id vidisse solum quod audiebant, ad cetera cæcos, tardos, sine sensu, sine cogitatione exstitisse; commodumne an incommodum, securitatis an periculi plenum esset, possetne an non posset, quod iubebantur, fieri, nunquam animaduertisse: sed toto animi corporisque nisu contendisse, vt electione & pro-

proposito iam olim à se susceptо, & Religiosa professione firmato, Superioris vox illis esset instar vehementissimi cuiusdam impetus, vi magna omnem obicem dissipantis; vnde efficeretur, vt quando planè nihil esset quod exaduersum insurgeret, consentientibus omnibus animi corporisque viribus, id omne quod in ipsis esset, ad Superioris vocem seriò, simpliciter & perfectè componerent, id vellent, id cuperent, id exquirerent vnicum.

Sed hîc audire mihi videor remurmurantes quosdam, & obiectantes; Si in eo quod dixisti ista cæcitas est sita, vt pericula, incommoda, frustrationes, quæ verè insunt non videat, quid est quòd vsque adeò istud obedientiæ genus Deo gratum esse credamus? annon ipse rationabile obsequium nostrum deposcit, nec videtur laude dignum esse, si quasi lymphati, sine sensu, sine iudicio, sine prouidentia, præcipites ad agendum feramur? nónne longè laudabilius vt palpebræ præcedant gressus, vt scias, & quid agas iudices? quis credat laudis esse vel meriti, cæcum esse, id est, non videre, non iudicare? Plumbeum & molle telum istud est, nulloque negotio obiectionem diluemus, reique penitiùs declarandæ ansam nobis dabit.

Sic enim habendum est, obedientiæ cæcitatem non ex ingenij stupiditate, non ex stoliditate iudicij, vel naturæ tarditate deriuari, non inde fieri quòd vel solertia, vel prudentia obedienti desit; supereſt frequenter, & in rebus peruidendis longissimè ceteros antecellunt, vt in S. Mauro, S. Ioanne Eremita, acerrimo, eodemque obedientissimo iudicio præditis, abundè enituit. Alio igitur & digniore ex fonte oritur obedientiæ cæcitas, ex eo nempe quòd vbi aliquis perfectissimæ obedientiæ amore summo, & flagrantissimo desiderio ardet; cùm in omni vita, sed maximè spirituali, nouerit esse longè tutius alieno, quàm suo iudicio regi; cùm eam imperfectissimã esse obedientiam intellexerit, quæ mandati rationes & modum quærit; cùm didicerit, non obedientis, sed imperantis esse prudentiam; nec obedientiam, præcepti vtilitate aut ratione, sed mandantis auctoritate niti; cùm à Deo mercedem obsequij diligenter & alacriter præstiti expectet; cùm de se suoque iudicio diffisus, sua omnia diuinæ prouidentiæ, quæ illum Superiore administro regit commiserit, securus nihil euenturum quod non ad maiorem Dei, æternamque suam gloriam cooperaturum sit; cùm denique Præpositi vocem vt perpetuam atque clarissimam diuinæ voluntatis interpretem, atque adeò, vt presiùs loquar, veluti verè Dei vocem, omni reuerentia & approbatione, cum sincera animi deuotione excipiat: quid mirum, si quandocunque vox illa insonuerit, & quocunque vocauerit, eius auditu vir obediens, absque vllo repugnantis animi sensu, continuò velocissimè se totum eò conferat? estne aliquid rationi magis consentaneum, quàm vt Deo, cui obedire summa ratio est, obediatur, ratione non aliundè quæsita, quàm vt obediatur? estne quod absurdius dici vel existimari possit, quàm vt asseratur, iubente Deo, rationes iussionis esse quærendas? Prophyriana

fuit ista blasphemia, Apostolos temeritatis accusantis, quòd vocantem Dominum statim relictis omnibus essent secuti. vsque adeò humana sapientia desipit quoties præter Deum aliquid sapere se putat. hæc ergo est summa sapientissimaque ratio, si certo & destinato obediendi proposito, sciamus, absque vllarationum percontatione parendum, vbicunque Præpositi imperantis nota vox audita fuerit. *Quidquid enim vice Dei præcipit homo*, vt benè S. Bernardus, *haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrùm per se, an per suos ministros, siue angelos, siue homines, hominibus* * *innotescat suum placitum Deus.*

Lib. de præc. & disp.

* *Innotescat, hoc est, innotescere faciat.*

Hinc autem clarissimè patet, quantæ dignitatis & meriti sit hic obedientiæ gradus, quàm nihil præcipitet, quàm diuina ratione rationem humanam superet: etenim qui sic obedit, securo quodam sui ipsius neglectu se totum in Deum reclinat, rationi suæ & voluntati non renunciat solùm, sed etiam Deo suo tam perfectè eam mancipio tradit, vt per quemcunque vices Dei certa auctoritate gerentem, diuina fuerit illi voluntas declarata, seu (quod idem esse creditur) fuerit illi aliquid imperatum; illicò in eam partem se totum flectat, nullo vel tenui motu in aduersum insurgente, omnibusque animi corporisque viribus, sensibus, affectibus, in vnum illud efficiendum sanctè & integrè conspirantibus. Quod potest holocaustum esse perfectius? quæ sui ipsius integrior esse victoria? ita enim sensuum & vitium omnium obediens loquitur victorias vndequaque laudatissimas.

CAPVT IX.

Cur iste obedientiæ gradus cæcus nuncupetur.

SEd locus videtur exigere vt huius nuncupationis ratione proferamus: possit enim non immeritò mirari nonnemo, quid sit cur ea obedientia dicatur cæca, quæ in obediendo, id quod debet, & quo optimo modo debet, tam clarè videt. sed is animaduertat oportet, id iure meritissimo factum, &, quantum mihi nunc occurrit, quadruplici de causa.

Quarum vna sit, quòd alicuius virtutis gradus, ex potiore eius laude & commendatione nomen desumere solet & debet: potior verò laus & cõmendatio, ab eo quod difficillimum, & in eo virtutis gradu præstantissimum est, sumitur: atqui in obedientia notissimum & facillimum est, agnoscere subiiciendam esse Deo voluntatem, & Superiori parendum; quare vulgare illud est, ex quo nulli singularis laus oriatur, & vnde non debuit obedientia Videns appellari. at vicariis Dei tanta suam voluntatem, iudicium, sensus omnes alacritate subiungere, vt ad illorum vocem protinùs omnia conticescant, nihilque contrà sentiendo, nihil contrà videndo, in obsequium cuncta conspirent; potissimæ laudis illud est, arduum, perfectum, virorum in virtute exercitatissimorum, ac Dei gratia illustrium. quare, cùm huius laudis ratio ex eo sumatur, quòd eorum quæ con-

tra

tra obedientiam faciunt, nulla videantur, meritò factum vt hinc Cæca nominetur. Qua eadem ratione, castitatem eam quæ motibus inhonestis careat, dici Angelicam videas: est enim istiusmodi castitatis summa laus in eo sita, quòd motibus inhonestis instar angelorum caret.

Altera huius agnominis causa, & quæ ex eadem radice exoritur, tradi potest, quòd par sit virtutem ab eo nominari, quod in ipsa, vel certo eius gradu rarius est: solent autem plerique omnes, quamuis ad mandata perficienda sint promtiores, iudiciorum tamen suorum esse retinentes, videriq́ue velle prouidentes; vnde quando obedientia omne iudicium, omnem prouidentiam abiicit, quod est intellectus oculum occæcare, meritò ex rariore hac perfectione cæcitatis, potiùs quàm ex communi quòd parendum sit agnitione, Cæca nuncupatur.

Tertiò & aptissimè; Si quæ imposititia nomina voluntate & vsu hominum rebus induntur, solent eæ nuncupationes in eam partem vergere & referri, quæ in rebus nuncupandis magis elucet, primaq́ue specie oculos ac mentem ferit: quare si quando inter obediendum, id quod præter rationem communem est, promtè & alacriter, conatuq́ue magno subitur, vt S. Maurus, S. Ioannes eremita fecere, idq́ue aliquis intuetur, menti protinùs occurrit, Illene cæcus est qui præcipiti cursu ad vndas euolat? ille sine iudicio, qui tamdiu aridum stipitem incassum rigat? ergo, illa cæcitas obiicitur, illa notatur prima, & quando bene cedere agnoscitur, primæ illi acclamatur, primas laudes accipit; vnde id etiam consequitur, vt si ab aliorum obedientia eam distinguere velimus, id epitheton seu appositum illi seligamus, quod ea notet quæ sensum perculerunt, ideoq́ue obedientiam eam Cæcam dicimus.

Quartò denique prouidentissimè, & ad nos erudiendos sapientissimè, id nomen à maioribus nostris præcellenti obedientiæ gradui impositum est, vt ex ipsa nominis indicatione moneamur, qua via ad eius adeptionem sit nitendum, obedientiamq́ue non ex intuitu, non ex iudicio (quæ sunt magis nostra) sed ex auditu (qui magis aliunde & à foris mouet) exciendam esse, neque nobis vel subiecta ad visum pericula, vel rationum momenta, vel personarũ discrimina, curioso mentis oculo contuenda, non rationibus ad imperata exquirendis assuescendum, sed auditui in cetera imperium tradendum esse, sic vt sola Præpositorum vox, oculorum nobis, rationis & virium vicem expleat, nihil vt videntes audiamus, audiendo obediamus, obediendo perfecti euadamus.

Hoc igitur statum sit & fixum, auditum, esse in obedientia ducem, eius imperio ita potenter omnia subiici, vt excæcato ad Superioris vocem ipso etiam intellectu & iudicio, nulla vel in animo, vel in corpore, aliò quàm ad imperata intuendi tendendiue facultas esse videatur.

Nulla inquam aliò intuendi facultas: nam vt eôdem cæcus obediens contendat, acutissimè præcepti partes omnes videt, & in omnibus, quæ pro Superioris iussione perfectiùs adimplenda faciunt, oculatissimus est. Primo enim, subti-

subtilissimè ac celerrimè præsentir, quæcunq; etiam leuissimè obedientiæ splendorem infuscarent, & si fortè ex arduitate rei, vel aliorum insusurratione, vel ex humana infirmitate aliquid tentationis insurrexerit, illico in primo ortu scintillam opprimit, nec vllius vel blanditiis, vel terrore, vel astu, suæ peruigili obedientiæ subrepi patitur: non sic vigilem, non sic videntem fabulantur Argum, vt hic ad Superiorem, & obedientiam tuendam vigilat. Præterea oculatissimus quoque est ad vias & rationes reperiendas, quibus obiectas moles, & quasi oppositos aggeres, vnà secum rapere, & ad iussa complenda possit ad extremum vsque pertendere. Illud etiam in eorum qui perfectiores sunt, obedientia eximirabile reperitur, quòd summa simplicitate verbis adhæresçunt, verba vt prolata sunt exsequuntur: & nihilominus magna subtilitate verissimè Præpositorum sensa percipiunt, non aliena, non peregrina, non ab vsu vel ratione remotiora sectantur, vires & conatus suos non aliter quàm pro Superioris voluntate dispensant, dispensant, inquam, non profundunt, sicque non profundunt, vt non propterea tardi timidique hæreant, sed quæ quibus præferenda sint cognitum habeant. Isti sunt qui verè & perfectè quid sibi velit cùm sic loquitur S. Bernardus, intelligunt: *Illum optimum dixerim obedientiæ gradum; cùm eo animo iniunctum opus recipitur, quo & præcipitur. Cùm enim ex voluntate iubentis pendet intentio exsequentis; fit vt nec maius minoribus, nec minus maioribus, confusè (vt assolet) ad implendum quod iniungitur, subiecti studium impendatur: sed moderante animo quæque pro sua dignitate imperia, modum sciat vtrobiq; seruare, tam in obseruando videlicet iussa, quam in cauendo prohibita: non quòd vel minimum horum quæ iubentur, contemnendum putet, etsi tamen minimum quod minimum est reputet: sed minimum est ex comparatione maiorum. Nouit verus humilisque obediens, & minima non contemnere, & maximè curare quæ maxima sunt, intimo quodam deuoti sinceriq; animi sapore discernens, quibus de mandatis, ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum Propheta, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Ita ille: atque hæc de oculis, deque modo cæcitatis, ad obedientiam cæcam dicta sufficiant.

Lib. de Præcep. & disp.

CAPVT X.

Quomodo ad eam obedientiæ perfectionem peruenire possimus.

TRia mihi supersunt, quę ad pleniorem huius rei intellectũ subtexam: primum, & quod maximi momenti sit, est qua via ad tantũ obedientię sanctæ apicem contendendo pertingere possimus: potest autem ad hoc quæsitum magna eorum (quæ hîc non transcribimus) pars transferri, quæ libello de Acquirenda virtute, generatim quidem, sed ad hanc tamen satis accõmodatè scripsimus. Certum verò est duobus hanc virtutem modis acquiri posse. Primò, subitò,

tò, & ab ipso derelictæ vitæ communis exordio, cùm obedientiæ perfectæ desiderio saucia mens, diuinæque gratiæ largitate firmata, munifico isto dono exornatur. quorũ è numero S. Paulus Simplex, sancti item illi Maurus & Ioannes recenseri possunt: hos tamen, nihil cogit; cùm exercitatione & oratione eò peruenisse, credi etiam possint. Et sanè prolixior est hic modus alter, qui exercitatione & longa ad obedientiam assuefactione constat.

Si tamen quisquam ad sublimem illum obedientiæ verticem exercitatione & vsu aspirat, hoc ei animaduertendum est: conatu quidem quanto potest, nitendum ei esse, vt dubitationibus leuioribus, passim aduersus ea quæ mandantur occurrentibus, aures ne præbeat, easque si potest in semine suffocet, & consuetudinem mandatis indubitandi, tanquam pestilentissimum virus exhorreat: quando tamen Præposito aliquid imperante, vltrò in ea iussione vel sensus, vel ratio non vanam peccati speciem ostentat, peccandique timor animum subditi sollicitat; adeò certum est peccatum esse fugiendum, peccatumque nulla cuiusquam auctoritate legitimè imperari posse, vt eiusmodi probabilis dubitatio, non debeat, vel aure surda, vel oculo cæco præteriri, sed aut ab ipso subdito veriore ratione refutanda est, aut Præposito exponenda, eiusque iudicio standum est; donec verò alterutrum horum fiat, ab eius aggressione cessandum: quomodo enim is innoxius esse censebitur, qui id audet perficere, quod peccati ab irrefutata conscientia arguitur? Quod vt in ipso eodem exemplo iam allato laudatoque videamus, profectò si S. Mauri animus vndarum rapiditate perculsus, in dubium reuocasset, an eiusmodi influenta excursio non esset temeraria, annon esset tentare Deum, vitamque suam in apertum discrimen coniicere, cùm præsertim eiusdem obedientiæ clypeo protegendus Placidus à vorticibus raptaretur? quamdiu eiusmodi dubitatio eius animum nulla rectiore ratione occurrente pulsasset, temerarium, & non sine peccato fuisset, facti ambiguum in aquas excurrere: quod ipsum tamen prudentissimæ & maximæ virtutis fuit, quando solius obedientiæ voce concitatus, nihil nisi solam, merissimam & simplicissimam obediendi voluntatem ad opus contulit. Fuit autem id à nobis hîc referendum, ne quisquam dum cæco modo se putat obedire, in laqueum peccati incidat, & quid sibi velit obedientia cæca non intelligat: non enim illa postulat, vt quamuis, quæ aduersus iussa occurrerit, rationem, aut dubitationem, sine ratione repellamus; sed efficit vt præ ardore obediendi, nulla sit in homine dubitatio, quę contra Superioris vocẽ insurgat; quod si quæ insurrexerit, id verò certum signum est, nondũ nos ad illum cæcitatis apicem conscendisse. quare non sunt nobis temere tentanda, quæ virium nostrarũ modum excedant, sed dubitatio per certius aliquod argumentũ amouenda est, interimq; pro nostra tenuitate contendendũ, vt paulatim ad altiora progredi, & perfectiora possimus adipisci. Sin autem constanter & magno animo nitimur, aderit is qui bona volentibus & conãtibus, optatos auctus adspirare solet Deus.

Ex his verò id etiam consequens est, vt obedientia cæca non possit compa-

rari cæcis actibus, qui de industria præuideantur, & ad eam consequendam affectatè cõquirantur, in rebus à ratione alienis, naturæ vim egredientibus, atque cum periculo mali coniunctis: imò verò eiusmodi conatu non tantũ nihil promouetur, quin potiùs ab ea longiùs absceditur. Cuius vtriusq; ratio est, quòd minimè sit in potestate hominis conando efficere, vt ne eius animum hæc aut illa cogitatio incurset, (multa quippe improuisò & importunè se obtrudunt) vnde neque potest efficere vt ne aliqua peculiaris obiectio mentem subeat, si potissimè conditio naturæ in eam partẽ sollicitat: quòd si quasi multa cautione, illam à se arcere velit, ex quadam naturæ proteruia, & faciliore ad timorem adhæsione fiet, vt quem clauum inepto nisu conatur euellere, magis infigat. Sistamur, & allato semel exemplo vtamur, si B. Maurus ita animum ipse suum comparasset, vt sibi diceret, Nolo de periculo aquarum cogitare, nolo trepidare; procul dubio, & cogitasset intentiùs, & trepidasset formidolosiùs, & pauore superatus tardior in futurũ exstitisset. Nec dissimiliter, si quos, quasi pertentando, Nouitios, Pater spiritualis inuitet, adesse rogum, vrentes prunas minari, sitne qui obedientiæ ad vocem, manum sit paratus iniicere? rem facit, opinione mea, parum vtilem, imò ab hoc obedientiæ gradu retardantẽ: eos enim vel ad temeritatem, qua se in aperta præuisaque pericula coniiciant, vel (si ne quidem tentare audent) ad detrectanda Præpositorũ imperia & diudicanda consuefacit: sin autem audaculus quis tentauerit, & (quod imprudentẽ, propriasq; vires excedentem ausum comitari solet) malè multatus abiuerit, tum verò in perpetuum ad omnem iussionem segnis, restitans, & malè promptus reddetur, multumque apud spectatorum animos, de sacrosancta obedientiæ veneratione decedet.

Sunt ergo ij errores notandi, ne imperitè ac intempestiuè properata virtutis affectatione ruamus in vitium, sed meliora ac certiora prudenti progressione sectemur. Quod vt præstemus animaduertendum est: Virtutes quidem virtutum earundem actibus comparari, vt obedientiam obedientiæ, patientiam patientiæ, fortitudinem fortitudinis actibus; sunt enim dispositiones, quæ ad iusdem virtutis patrimonium spectant, ideoque eam animo paulatim firmiũ insculpunt. At virtutis alicuius gradus excellior, quem nondum comparauerit, non solet (licet interdum ex occasione, vel animi magnitudine, vel selectiore Dei gratia id fieri possit) non solet, inquam, acquiri, nisi alterius in eadem virtute gradus inferioris, & paulatim assurgentis adminiculo: quod commodissimè fit, quando in eo in quo consistis gradu hærens, faciliorem aliquam superioris gradus rationem aduocas, & quantum potes inde mutuaris, vt iam mox in hac ipsa virtute ostendo. Quare cùm iam antè docuerim, obedientiam cæcam, non distinctam aliquam virtutem, sed virtutis præcellentẽ vel actum, vel gradum appellari; consequens est, vt obedientiæ cæcæ gradus, non quidem eiusdem gradus actibus, sed alterius quàm maximè vicini & assimilis comparetur: confirmatur quidem pluribus eiusdem gradus actibus, & perficitur, ac comparatur, ad eumque peruenitur, diuersis: quod ipsum ei est cum heroici aliarum

aliarum virtutum gradibus commune, quoties ad eos paulatim tendendo, & non improuisa diuinæ gratiæ largitate conscenditur. Sed hoc totum quomodo re ipsa præstare possimus, iam erit dicendum.

Virtutum igitur gradus non sunt interrupti, sed continui, cohærentes, ac vitali ad maiora augescendi vi præditi: quare si in vno gradu non otiosè consistis, ipse te paulatim sustollit ad alium, & sensim in excelsiore gradu proximo collocat. Si ergo ad obedientiæ cæcæ præstantiam adspiras, & nullum opportuniorem eam consequendi modum noris, aduerte quod consulo:

Primùm omnium conare, vt animum tuum, quanta maxima potueris Præpositi reuerentia compleas, te totum illa possideat, eius vocem, vt à Vicario Dei, tuoque (si ita loqui fas sit) in terris Deo, summo mentis gaudio, infima summissione, expeditissima alacritate suscipias, nihil in iussis diiudices, rationes præcepti ne vnquam exquiras, si quæpiam se contra iussa obtrudit offensio, vel rationis reclamatio, elide si potes in primo sui ortu.

Animum deinde aduertito; ad obedientiam cæcam proximè accedere eam, quæ celer est, & simplex: quippe celeritatis conditio, moram in parendo non patiens, spatium ciendis dubitationibus præcludit; simplicitas verò omnem contrarium motum arcet, & vt iubenti potiùs faueatur facit. quare si celeritatem & simplicitatem seruaueris, teque totum Superiori, quasi summæ, & in infinitum reuerendæ Maiestati diuinæ, ita summiseris, vt eius vocem, quasi tonantis Dei, pauore amico excipias; dubio procul, obedientiæ cæcæ perfectionem, diuina opitulante gratia, hac certa via consequeris.

Sed & ad eam rem vehementer facit, si quod iam pridem mihi persuasi verum est, nec video cur in dubium reuocari debeat; à viris Religiosis longè sæpiùs quàm vulgus putet, obedientiam cæcam exerceri. Cùm enim in eo sita sit obedientiæ cæcitas, vt ne iudicium nostrum, qui est quidam oculus animæ, sequamur, neque aliud in Præpositorum iussione videamus, quàm hoc vnum, parendum esse, optimumque esse parere: nequaquam fingendum nobis est, tum solùm obedientiæ cæcæ exercitionem esse, cùm absona, & à communi vsu remota, atque iudicio passim recepto aduersantia iubentur; sed etiam tum quando multa animaduersione & assuetudine cõdocefacimus animum, vt etiam in rebus maximè rationi consentaneis, non quia rationi iudicioq; nostro consentiunt, sed, omni alia sublata causa, ideo tantùm quia iussæ sunt, obediat, præceptique tota ratio & vnica cogitetur, quòd præceptum est. Quamuis autem notationi & iudicio humano talis obedientiæ excellentia non pareat, at clarissimè diuino paresci: nec dubito quin permultos, mundo quidem ignotos, sed Sanctis & æternitati notissimos, Mauros & Ioannes eiusmodi, cælestis gloria coronet: nobis vt sit omni contentione nitendum, vt huius ad immortalitatem propositæ palmæ viridantes corollas, ne vacors nostra segnities eripiat.

Iam verò vtramque istam perfectæ huius obedientiæ acquirendæ viam demonstrasse S. Maurus sanctusque Ioannes videntur: hunc enim, ad ea quæ pro-

ximè dixi, propiùs accedere, illum videmus sese altiùs efferre, & celeriori volare proripere: etenim id vnde cœptum est, nempe vnica quotidiana sicci stipitis irrigatio, non vsque adeò obedientiam profitenti ardua videtur, quando signatè præcepta est; sed tanta quanta fuit perseuerantia, tanta in toties repetito labore, nihil diiudicantis animi æquitas, tanto tempore, in tot interruptis actibus, inabrupta tranquillitas, iudiciique demissio, permira fuit, & quæ mereretur (si fortè ab ipsis primordiis ad summam obedientiæ perfectionē non fuisset prouectus) eà denique diuino Spiritu largiente donari. At in S. Mauri facinore subito, cùm id esset singulare, & nonnisi solius Dei opt. max. ope illud perpetrare, periculoque liberari potuerit, necesse fuit vt vel hic vnicus actus mirum quantum fiduciam in Deum auxerit, animos addiderit, ac in obedientiæ amore, tutela, veneratione, perfectione firmauerit. Faxit diuina bonitas, vt tam sanctorum exemplorum post tot secula vigente commemoratione permoti; eius quod arripuimus, quodque totum obedientia nititur, Instituti numeros omnes, perfectè obediendo expleamus.

CAPVT XI.

De obedientia ad nutum.

IAM diuina ope quidquid operosius & spinosius erat percurrimus, planiora erunt & faciliora, pauca quæ sequentur. Quorum primū sit, an etiam quando ad Præpositorum nutum obeditur, possit exhiberi cæca obedientia: imò verò an omnino aliqua sit eiusmodi vera obedientia, cùm nulla fuerit iussio, sed vt summum sit iussionis præoccupatio.

At non est reuocandum in dubium, quin ibi obedientia exerceatur, vbi Superioris voluntatem aut desiderium, certo aliquo argumento deprehendimus, aut deprehendere nos meritò credimus; vnde fiat vt ex desiderio conformādi, ac voluntatē nostram Præpositorum voluntati subdendi, conemur id præstare, quod à nobis desiderari putamus. Etenim hoc nobis in virtutibus animaduertendum, & ad crebriorē earum vsurpationem certò habendum, non spectari in eis, nec eas ex eo existimari quod verè in re externa, effectu, obiectóue oculis patente reperitur, sed multò magis ac penè solùm ex facientis animo: hunc enim videt, huius destinata muneratur Deus. Eleëmosynæ misericordiā quam largiris ficto pauperi, in quo vera miseria deest, & cuius nulla miseria subleuatur, non minore quàm si in verum pauperem collata esset, æternæ gloriæ pondere compensabit: quippe affectus est qui spectatur potiùs quàm effectus. Quinetiam nemo non fatebitur, præstantius esse misericordiæ genus, quando instantē alicui indigentiam præuidens, occurris, & ne in eam incidat, præcurrente liberalitate impedis, quàm si in eam incurrere patereris, & iam pressum subleuares: si enim qui citò dat, bis dat, quanto magis qui tam alacriter præuenit, dignissimè subuenit? Atqui quando præuenis, nulla est reipsa cui succurras indigētia, sed sa-

tis

riseſt quòd illam vel animo tibi repræſentas, vel futurã præuides: ita enim humanitus comparati ſumus, vt quæ menti, non ſecùs ac ſi eſſent, penitùs impreſſimus, vel quæ mox futura credimus, eoſdem in nobis motus animorũ, ad ſpem, ad lætitiam, ad terrorem, ad virtutes & vitia excitent, quos excitarent res ipſæ, ſi præſentes eas vſurparemus. Haud ſecùs in hac præuolatrice mandatorũ obedientia contingit: nam & affectus ad obediendũ fertur, quaſi ſi Præpoſiti iuſſus vrgeret, & quemadmodum Maiorum obſecrationẽ in mandatis deputamus, ita Præpoſiti deſiderium, inſtar præcepti ducit, creditque moroſæ tarditatis fore, ſi vbi videt vel facti deſiderium, vel imperij voluntatem, ad verba potiùs quàm ad animum reſpectet. Perfecta enim obedientia legem neſcit, terminis non artatur (vt in ſimili loquitur S. Bernard.) neque contenta iuſſionis anguſtiis, largiore voluntate fertur in latitudinẽ caritatis, & ad omnẽ Superioris nutum ſpontanea, vigore liberalis alacriſque animi, modum non conſiderans, in infinitam libertatẽ excurrit. Hæc eſt illa de qua S. Petrus, *Caſtificantes*, inquit, *corda veſtra in obedientia caritatis*, pulchrè illam per hoc ſequeſtrans ab inerti illa & ſeruili obedientia, caritati non promta, ſed ſoli obnoxia neceſſitati. Vidéſne quanti faciat eum qui ad nutum obedit: alium verò, vt inertem, vt ſeruilem, vt tardum & inofficioſum cõtemnat? quales profectò ſi plures in ſubditis exſtiterint, nonne neceſſe fuerit vt tarda, grauia, modeſta, impedita ſint omnia?

Lib. de præc. & diſp. — *1. epiſt. c. 3.*

Iſtam ergo vt gratiorem, meliorem, accõmodatioremq; ſectemur, & vt ſatis probatum relinquamus, eam veram, maximeque laudabilem obedientiam eſſe quæ ad nutum Præpoſiti præſtatur, vel qua eius voluntatem velut normam nobis proponendo id agimus, quod eſſe ex eius deſiderio credimus. Iam autem, ſi verè hæc eſt obedientia, videtur etiam conſequens eſſe, vt poſſit eſſe cæca, eoque maximè quòd cæcam eam omnem dicimus, quæ nihil niſi parendi ſtudium reſpicit. Fateor tamen non ſatis propriè videri dici poſſe cæcam, niſi admodum euidenter de Præpoſitorum voluntate conſtet: ac præterea in rebus arduis, periculo obnoxiis, & à communi iudicio remotis, longè certioribus opus eſſe argumentis, vt credas velle Præpoſitum ita fieri: quare non tantùm ab imprudenti coniectatione cauendum eſt, ſed plerumque in rebus grauioris momenti, expedit de eius voluntate reddi certiorem, eamque modeſtè exquirere.

CAPVT XII.

Non Religioſorum obedientia, quid à Religioſa diſcrepet.

ET hoc denique ceteris attexamus, Quid inter obedientiam Religioſi & ſæcularis interſit? quæcunque etenim dicta ſunt adhuc, ſeu de Præpoſitorum reuerentia & auctoritate, ſeu de iuſſis eorum, ſeu de diuinæ prouidentiæ vigilantia, ſeu de ſubditis, & iudicij ſubdendi ratione, illa eadem de ſæcularibus, deque eorum gubernandi imperandique ratione dici poſſunt.

Verumtamen inter vtramque obedientiam plurimum interest, idque maximè, ex personarum conditione originem ducit. Sic igitur se res habet, obedientia quæ à sæcularibus (vt vocant) præstatur, minùs est vltronea, minusque voluntaria, certarum quibus teneatur rerum angustiis concluſa, fermeque mercenaria, vt quæ ad lucra, commoda, honores, & fumos vitæ huius adspiret: vnde cùm ad alium finem, & ad alia omnia referatur, nil mirum si se in plurimis discrepantem exhibeat, nempe oculatam, astutam, sui amantem, ad oculum & in speciem placentem, obmurmuratricem, impatientem iugi, asserendæ libertatis occasionibus incubantem, & alijs multis imperfectionibus obnoxiam.

Præterea longè alio, quàm Religiosa, fonte dimanat: est enim vel ex naturali debito, vt patri subditur filius; vel ex auctoritate in commune instituta, vt Regi & magistratui priuatus; vel ex conditione fortunæ, vt multi pauperes dominibus; vel ex quapiam infirmitate, vt magistro discipulus, ægrotus medico; vel et mercedis pacto, vt imperatori miles, domino famulus. sunt & aliæ plures: nam & in pœnã delicti, & belli iure, & aliis casibus quempiam alteri subiugari contingit. quæ causæ omnes non planè vltrò & sponte, nec voluntaria electione, nec ex virtute seliguntur, sed aliunde inuitis obtingũt, vel imponuntur. Itaque hæc obedientia non est virtutis & obsequij diuini causa arcessita, neque voto firmata, neque Religionis honore insignita, neque peculiaribus legibus comprehensa, neque certo statui seu vitæ generi accommodata, neque vllo singulari modo & eximio, sed sola communi ratione ab Ecclesia approbata: quare cùm infirma radice nitatur, cùm paucioribus auxiliis fulciatur, prauis exemplis, multis tentationibus, immortificatis cupiditatibus, grauiter frequenterque quatiatur, nihil mirum si & imperfecta sit admodum, & fauentiore diuinæ prouidentiæ propugnatione non fruatur. Si qui tamen aliquando ea virtutis firmitate reperiretur, qui iuxta S. Apostoli consilium, dominis carnalibus, vt Deo, non ad oculum, sed ex animo, & amore veræ virtutis inseruiret; is procul dubio, exceptis iis quæ Religionis propria sunt, cetera huius virtutis insignia consequi posset, cæco modo & ad nutum obsequi, in omnibus ex diuina prouidentia pendere, non suo, sed Superioris iudicio in imperatis fidere, pace magna, & tranquillitate animi perfrui. Quis est hic? & laudabimus eum. fecit enim mirabilia in vita sua, potuit transgredi, & non est transgressus, in medio laqueorum liber ambulauit, & in propriæ voluntatis regno eam debellauit. Verumtamen, vt non glorietur accinctus, æquè vt discinctus, sed qui gloriatur in Domino glorietur; reperias aliquando tanta mentis innocentia, & affectus puritate idiotas aliquos, quibus aliquid bonæ pietatis accesserit, ita dominis propter Deum inseruientes, vt Religioso sanè timendum sit, ne, si quando cum eis in dei iudicij compositus fuerit, multo rubore pudefiat, & præ illis vix in aliquo numero reponatur.

Sed & hîc non otiosè, verbo monebo Confessarios, vt in Sparta sibi commissa sint fideles: sæpè quippe & facilè, pauperes, famulos, egestate seruientes, docere

docere possunt, vt quam ipsis necessitas personam imposuit, exornet spontanea voluntas: cumque tum isto, tum ignorantiæ pondere oppressi, ad Religiosæ vitæ institutum adspirare non possint, ad eius perfectionem adspirent. Nec deerunt commodæ ad ista persuadenda rationes, dummodo Confessarij id seriò velint & conentur. Et nunquid pro magno habere debent, tantorum æternæ gloriæ incrementorum administros esse? Sed aliis ista relinquamus, ad institutum reuertamur.

CAPVT XIII.

Expediátne imperiorum æquitatem quæsitis argumentis, vt illi assentias, comprobare.

HVius quæstionis occasionem ex eo sumimus, quòd B. Pater Ignatius apud Ribad. lib. 5. c. 4 id commendare sit visus; quod tamen obedientiam sinceram professis periculi plenum vt plurimum, & perfectionem huius virtutis inficere videtur. Quare, vir in Religiosa dignoscenda & describenda perfectione magnus Basilius, consuetudinem de iis quæ præcipiuntur inquirendi, asserit esse excutiendi imperij meditationem ac studium, & P. Claudius Aquauiua, in vitiis virtutibusque discernendis accuratissimus, agens de eo qui defectu obedientiæ laboret, illique medicinam facere volens, ita præcipit; *Deum*, inquit, *in Superiore consulat, nec humanis rationibus & discursibus det locum, quod malum si sensim in animum irrepserit, mirum est quomodo omnem obedientiæ simplicitatem, alacritatem, promtitudinem, denique perfectionem omnem exhauriat. Vnde vigilanter aduertat, vt, quoties tale aliquid suggeritur animo, veluti venenum quàm citissimè expellat.* Ita quidem ille; sed estne credibile virum in Ignatiana disciplina & sensibus percipiendis exercitatissimum, quædam præter B. Ignatij sensum præcepta statuisse? Absit vt id opinemur, videndum ergo, & diligentiùs explicandum quàm vera ratione consentiant. *Exere. 5.* *Induß. 5.*

Et quidem non immeritò viri illi, nos ab anxia rationum conquisitione deterrent; quippe humanæ infirmitatis conscij, id vnicè cauere debemus, ne vnquam habenas ei facultati laxemus, quæ suapte natura minùs freni patiens, si vnquam liberos impetus vsurparit, vix erit vt quantacunque contentione adhibita in officio contineri possit; sic autem constanter & perpetuò frænanda est, vt libertatis ad libitum euagantis illecebras nesciens, lupatis patere, & quocunque ducetur, eò sine mora sequi assuescat. Hoc experiri est, in scrupulis, in pauore, & quauis phantasiæ operatione, cui si paululùm cesseris, mirum, quantum illi accedat, quàm imperiosè dominetur, & inexpugnabilis euadat. Iam verò, si id verum est, vt profectò verissimum est, satis hinc datur intelligi, quantopere iudicij nostri libertas coërcenda sit, & intra obedientiæ limites ita sollicitè concludenda, vt assuefiamus hoc ipso contenti esse quod imperetur; nunquam

quam verò cur imperetur inquiramus; quin imò nunquam vllam de inquirendo cogitationem in animum admittamus. Est enim ingenij humani, ad aliena facta, & præcipuè Superiorum iussa iudicanda, interpretanda, & in dubium reuocanda mira pronitas, & pruriens cupiditas, cui si vnquam vel semel cesserit, importuna deinceps iudicandi auiditas te abreptum, priùs iudicationibus immerget, quàm animaduertendi, vtrùm ad iudicia feraris, otium præbeat. Quare vt sæpenumerò longè facilius est, perturbationes seu passiones, ne excitentur impedire, quàm excitatas compescere; ita facilius est iudicium nostrum, Præpositorum iussis simpliciter subiungere, quàm illi moderari si semel eorum diiudicandorum potestatem ei feceris. Licet enim ad comprobandum, non ad improbandum excurrerit, vtetur ea iudicationis vi quam sibi à natura tributam habet, & quæcunque in vtramuis partem occurrerint ea versabit, & discriminare conabitur, cumque in alienis factis multa nos lateant, pronioresq; ad acculandum, quàm ad excusandũ simus, si quæ in aduersum rationes se obtulerint, has auidiùs penitiusque hauriet, his potiùs obsecundabit. Quare B.P. Ignatius perfectiora commonstrans, ita quodam loco loquitur; *Sancta obedientia, tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, sit in nobis semper omni ex parte perfecta cum magna celeritate, spirituali gaudio & perseuerantia, quidquid nobis iniunctum fuerit obeundo; omnia iusta esse nobis persuadendo; omnem sententiam, ac iudicium nostrum contrarium, cæca quadam obedientia abnegando.*

p.6.c.1. §.1.

Videsne quomodo sententiam & iudicium contrarium, non ratiocinationibus, non emendicatis quaquauersum argumentis, sed velit sola obedientiæ celeritate superari? Hæc est, non solùm tuta, sed vt plurimùm, sola via quaid obtinere possimus. Etenim si quando aliquid Superior iniunxerit cuius ratio nos lateat, videaturq; vel præter vires nostras, vel præter vsitatum morem esse, nobis autem commodis, vel naturæ corruptæ sit inimicum: accedat vt vel nos ipsi animo simus paulò alieniore à Præposito, vel illum à nobis auerso esse credamus, quis tantum sibi de sua virtute poterit arrogare, vt affectu contrà nitente, persuasione iam roborata, rei (vt putat) indignitate iritante, in tanta obscuritate causarum, rationes alias excogitet, quàm eas quæ contra Superiorem facunt? quòd si tamen aliquæ in iussionis fauorem occurrerint, nónne languidæ, debilitatę, & luxatæ, ac protinùs vt fictæ, fallaces, & procul amandandæ repellentur? Sanè quoties acciderit, nos in eiusmodi tempestates incidere, vt & cum affectu, & cum rei asperitate, & cum opinione de Superiore præcepta, eodem tempore sit luctandum; si animæ nostræ vtilitati consultum volumus, ne ratiocinationi nostræ fidamus, sed ea valere iussa, simplicis obedientiæ clypeo nos protegamus, vimque iudicio inferentes, vel potiùs illud opprimentes, id quod nimis sumus, totis viribus amplectamur.

Hæc autem licet ita sint, non dissentiunt ab eo quod B.P. Ignatius commendat hoc præcepto; *Quod Superior mandat aut sentit, defendere semper apud animos nostros studiosè nitamur, improbemus nunquam.* Nec enim vltrò probandæ iussio-

arg-

argumenta conquirenda præscribit, sed id tantùm, non esse eam (quod constat) improbandam, quin potiùs studiosè defendendam. Quare, si vel ipse noster animus, vel alius de Sociorum numero quispiam mandatum aliquod impugnet, tum verò studiosè, & ex animo, non remissè, non fictè, non in speciem tantùm propugnemus: similiter neque disertè, neque obscurè illud improbemus. quod facere mihi videntur illi qui dicunt, Si Superior essem id non facerem; benè est quòd iudicium subiiciendum sit, benè est quòd non propter rationes obediatur. quæ omnes & similes locutiones apertè indicant animum à iubente diuersum, nosque sentire, rem illam à Superiore minimè sic iuberi debuisse.

Commendat etiam B.P.N. vt *fallacibus argumentis quæ contra obedientiam obiiciuntur, prudenter excluſis, ea exquiramus diligenter quæ sunt verissima, & pro Superioris faciunt voluntate.* Quibus præceptionibus non perperam, neque temerè, neque semper vtendum esse, sed ratione & moderatione debita, satis indicat, quòd tunc tantùm illas adhibeat quando impetitur obedientia contrariis, vultque prudenter excludi falsas, & verissimas ratiocinationes inquiri; atqui neque prudenter excluduntur quæ periculoso modo excluduntur, neque verissimæ sunt quæ subinde falsæ comprobantur. Quare vt vel modum huic rei præscribamus, vel etiam obscuræ lumen inferamus:

Tria sunt quæ argumentorum firmamentis menti nostræ persuadenda hîc occurrunt: Primum est, vt optabiliorem nobis reddamus obedientiam: Alterum, vt huic personæ sedulò parere consuescamus: Tertium, vt peculiarem aliquam iussionem doceamus alacriter esse subeundam.

Quod igitur attinet ad conquirenda quibus generatim obedientiam extollamus argumenta, id nonnisi optimum esse potest, & in eum sensum accipi potest, B. Patris postremò recensita præceptio. Conferet ergo si diligentiùs reuoluantur illa obedientiæ præclara præconia quæ sacris Literis continentur, quæ quæ S. Patres exponunt, quę Religiosorum priscorum historiis recensentur, quæ denique magna illa vitæ spiritualis lumina, Patres Platus, & de Paz recentiùs ediderunt. Quæ qui intentiùs introspexerit, qui cogitatione, qui sermone sæpiùs vsurparit, mirabiles in se ipso perfectæ obedientiæ amores excitabit. Cùm autem tanta tamque secura sit huiusce rei vtilitas, vnicuique obedientiæ studioso commendatissimum esse oporteret, vt de ea frequentiùs loqueretur, cogitaret sæpiùs, & semper aliquid ad eam vndecumque conquirens, audiendo, legendo, scribendo, meditando in ea proficere conaretur.

At verò vt animum inducamus ad obedientiam alicui personæ, à qua abhorremus, deferendam: videndum vtrùm aliqua intercedat ab ipso Præposito animi abalienatio, quæ si fuerit, tum ea omnia sunt adhibenda, quæ ad curandam eiusmodi affectus prauitatem, & agglutinandam caritatem commẽdari solent: quòd si vel sola superbia nostra, vel ex minore alterius æstimatione, ab eius obedientia recessum vellemus; hic morbus partim humilitate, & detestatione

superbiæ, partim curabitur sedula meditatione, quæ obedientiam, non homi-
ne, sed niti Deo, diuinæque prouidentiæ securitate demonstret: & magna vir-
tutis vi, id à nobis impetrare deberemus, vt libentiùs & perseuerantiùs, illi qui-
quàm alteri cuicunque pareremus.

Et quando huc prouectus sum, non verebor palàm edicere, quod prima
specie horridius, at si penitiùs pertentetur, humanæ affectioni blandè lenien-
sensim irrepens reperietur, eritque omnibus obedientiæ normam aggredien-
bus vtile vsurpatu. Est autem id, vt qui à Præposito se abhorrere, vel se ad iudi-
cia de rebus iussis proniorem animaduertit, planè exaduersum contraria de-
ctetur; ipse sibi persuadeat, imperet, imò ad id se adigat, vt Dei causa, & se ob-
perandi, virtutisque comparandæ gratia, velit omni cura, sibi erga Præpositum,
Gnathonis & adulatoris cuiusdam, sed alio quàm isti fine, alio animo personam
imponere, eius partes omnes vigilantissimè exequi, negare cum negante, affir-
mare cum affirmante, lætari & dolere, cum lætante pariter & dolente, omnes
Præpositi res laudibus efferre, & denique eius in se affectus voluntatesque ra-
ducendo perinde atque propriis affici. Qua in re si seriò, si constanter, si perse-
ueranter pergitur, diligenterque (vbi peccatum non fuerit) id obseruatur, sen-
tiet qui id præstiterit, quanto id animi fructu exerceatur.

Ad id denique quod postremum & obscurius erat, de iussis Præpositorum
ratione confirmandis accedamus. Hoc igitur fieri potest, argumentis vel à re
ipsa, vel à persona, vel ab obedientia ductis. Si ab obedientia ducuntur pro-
bationes, hoc est, si à natura, conditione, præstantia obedientiæ petuntur ar-
gumenta, potest id probandi genus ad manum esse, & nullo periculo, imò ma-
gno adiumento semper adhiberi: vnde potest de illis intelligi quod à B. Patre
de Superioris iussis affirmandis commendatur. Si autem rationibus à condi-
tione personæ petitis, tibi ipsi vt iussioni obedias persuadere velis: bifariam ra-
tiones eas distinguere possumus, vt sint vel peculiares & propriæ, vel commu-
nes. Communes voco, quæ ex ipsa officij & muneris natura ducerentur, eam-
demque in quemcunque obedientiam persuaderent; cuiusmodi sunt rationes
eæ quæ nobis nostrum obediendi debitum, ipsorumque in nos auctoritatem
Dei vicariam repræsentant: harum autem ratiocinationum, perinde vt prio-
rum, vniuersè loquendo, vtilis & laudabilis est vsus. Quod non ausim ita fi-
denter sentire de iis, quæ ex peculiari personæ conditione sumuntur, vt quid
doctus, quòd probus, quòd negotiorum gerundorum sit experiens: hinc enim
id creari periculi videtur, ne, vbi his permoueri assueueris, si quando illæ defe-
cerint, Superioremque nactus fueris paucioribus ingenij dotibus præditum,
tardior & inuitior ad obediendum accedas: quod vt non accideret, saltem im-
perfectius est his personæ conditionibus permoueri, & obedientiæ, quæ Deum
solum spectare deberet, splendorē infuscari. Nihilominus eiusmodi interdum
incidunt casus vt necessariò adhibendæ sint, vt quando animum à Præposito
alie-

alieniorem velles enumeratione illarum quibus præditus est virtutum ei adiungere, quando vel propter tuam ipsius imperfectionem, vel propter insitum ab eo quod iubetur horrorem, vndequaque quærenda sunt, quæ ruiturum sustentent, & turbarum animum tranquillent. Eandem in rem valent plurimùm mediæ quædam ratiocinationes, quæ suadent ex eo quod aliàs non dissimiliter nobis accidit, v.g. Sic mihi olim accidisse vt Præpositi mandatis derepentè turbarer, eum imprudentiæ vel asperitatis damnarem; at vbi perturbatio resedisset, vel causas intellexissem, valdè omnia comprobarim; idem quoque mox futurum, quare mihi à præcipitatione cauendum, fortiterque vim animo inferendam. Non aliena censebo, si dixero, graue admodum peccatum Superiori fore, si personam hostilem, paternæ quam gerit imponat; imponeret autem, si de industria ad aliquem diuexandum, imperij sui modum, & potestatis licentiam inflecteret. cùm igitur non videatur id de Religioso Præposito probabiliter posse sentiri, omnia bono animo imperari credendum est: iam verò si bono animo imperantur, cur non à me bono quoque animo paretur? cùm enim bono animo ita Superior iudicet, quid est cur non iudicium eius, iudicio meo verius esse credidero? sentio aliter: sed cuius est potior sensus? falli potest: ergóne ego falli non possum? obsequium nunquam fallitur: ferè tamen affectus & sensus proprius fallitur. Huiusmodi verissimorum argumentorũ copiam, sedula nostri nostrarumque rerum animaduersione, nobis comparare, & memoriam illis opplere possumus, adeò vt vltrò non vocata occurrant. His autem crediderim maximè, B.P.N. Ignatium voluisse & consuluisse vt abundaremus.

Sed vnum etiamnum nobis dicendum superest, nempe de mandatis confirmandis per argumenta, quæ ab ipsius demandatæ rei natura, vtilitate, honestate, commodo & circumstantiis deriuantur. De quibus vno verbo videri dico, His inquirendis, magnique faciendis insuescere, periculosum admodum esse, cùm obedientiæ tota & solida ratio, non è rebus, sed ex diuinæ auctoritatis in Superiore radiantis reuerentia peti debeat; aliàs, nutabunda fluctuet, & pro rerum, euentuum, iudiciorumque instabilitate mutetur necesse est. Quinetiàm quicunque rerum iussarum & capessendarum rationes anxiè perquirit, suo potiùs quàm Superioris iudicio se conformare consueuit, nec vsque adeò alieno iussui, quàm suæ rationi obsequi videtur. quod vtrumque alienissimum ab eo esse debet, qui vel tenui, obedientiæ sectandæ, amore teneatur.

Quia tamen hominum plerique imperfectiores sunt, & sunt tamen quoquo modo sustentandi, atque ad quemuis casum variè armandi: quia item aliquibus, quibusdam in mandatis, & modo adhibito, hoc quoque genus argumentorum vtile esse potest, si neque sæpiùs, neque nimis, illi quispiam innitatur, & ad subitum retundendum tentationis impetum facit; propterea iure credi potest, à B.P.N. etiam hic ipse se confirmandi modus, non fuisse generatim reiectus. Eo maximè quòd, quando tam varias & multiplices de obedientia præ-

ceptiones nobis quasi testamento legauit, non est putandus voluisse, vt vel illas cunctas affectarentur singuli, vel vni soli versandæ insenescceret vnus aliquis; sed potiùs vt animaduerso quàm copiosa supellectile instructam obedientiæ domum nobis reliquisset, eas exercendas partes vltrò sumeremus, quæ virium nostrarum modulo, naturali propensioni, ac diuinorum charismatum mensuræ conuenientiores, comparandæque perfectæ obedientiæ accommodatiores viderentur. Quod vtinam intercedente te, ô B.P. Ignati, nobis præster qui obediens vsque ad mortem perstitit Iesus! Beatos quos in sacræ obedientiæ agone legitimè decertantes dies extrema deprehendet! In æternum, eorum voluntatem facies, desideria complebit Deus, qui hîc non suam voluntatem secuti, sui Deo suo desideria consecrarunt.

CAPVT XIV.

Quorumdam quæ cap. primo obiecta fuerant, clarior & expressior confutatio.

PRimo huius Commentarij capite, varia quædam recensueram quæ reuerentiam erga Superiores imminuere, & gubernationis fiduciam labefactare videbantur: quorum refutandorum causa, cùm ea omnia quæ diximus, allata sint, crediderim equidem omnem ex animis dubitationem esse sublatam. Verùm vt ne quis dissimulata potiùs nonnulla, quàm planissimè refutata crimnari possit, quædam intricatiora seligam, paulò explicatiùs euoluenda.

§. 1. *Gubernationis rationem humana sola industria non pendere.*

Primum itaque sit, quî fieri possit, vt tota gubernationis ratio, solius humanæ industriæ vi constare non putetur, quando vnius prudentia & virtus omnia restituit, quæ alterius imprudentia vel ignauia dissipauit?

At hæc obiectio naturam gubernationis obliquat: nec enim eam solo Deo dirigente, nulla industria, nulla humana procuratione constare asserimus; sed se humanæ gubernationi vim diuinam inserere, quasi summam gubernatricem rerum moderatricem, euentuumque dispensatricem prouidentissimam: quæ si quando copiosis misericordiæ fluentis exundare decreuerit, Superiores præclarissimis ingenij dotibus illustres excitat; eadem etiam si quando in iustas ira exarserit, propter peccata populi, vel Religiosorum reporem, vel ignauiam, segnare facit hypocritam, aut virum ad publicæ rei gubernacula ineptum; sicuti men vt intermicantibus diuinæ prouidentiæ radiis, frequenter è tenebris lumen erumpat, non relinquat virgam peccatorum super sortem iustorum, quorum aliquos

aliquos velut semen conseruat, ne sicut Sodoma, & sicut Gomorrha depereant; sæpenumerò quoque conatus impiorum infringit, illisque tandem terminum ponit, vbi tumentes fluctus allidant, tantoque gratior, quanto optatior serenitas consequatur. Sanè qui tempestates ab impiissimis tyrannis in Ecclesiam Dei turbulentissimè concitatas, qui diuturnas & grauissimas virorum sanctorum, summa cum patientiæ laude toleratas calamitates, penitiùs introspexerit, rem aliam nullam reperiet, in qua tantopere diuinæ prouidentiæ splendor benignus eluceat. Hoc igitur sit obiectioni responsum; Humanam industriam Superiori, vt suo officio fungatur, adhibendam, Deumque illi quamdiu quod sui muneris est præstiterit, largè affuturum: at, si non præstiterit, vel contrà etiam fecerit, non sibi tantum, neque nobis defuturum Deum, qui in fines iustos, errantibus licet intermediis, omnia certò diriget, eoque certius, citiùs, nobisque iucundiùs diriget, quo plenius & integriùs nos & nostra omnia eius potestati subdiderimus, fidei commiserimus. At in eo frequenter praua nos cupiditas decipit, quòd omnia tunc restitui credimus, cùm redditus augescunt, cùm omnium rerum copia exundat, cùm negotia pro voto fluunt; nec agnoscimus, non rarò expedire vt bona dilapidentur ad tempus, domique res angustior & perturbatior sit. Quòd si de reparanda disciplina agitur; verum est, eius damna ad gubernationis vitia pertinere, neque negamus malos aliquando Superiores existere, sed asserimus ea quæ singillatim præcipiunt aut statuunt, si modò peccata non sunt, in maius bonum subditis cedere, quando simpliciter & obtemperandi mente paretur: quæ verò generatim destruxêre, iis reparandis diuinam bonitatem suo tempore vigilare, idque eo promtiùs & perfectiùs curaturam, quo malorum causam, non in alios, sed in tua, maiorumque tuorum peccata retuleris, bonorum verò spem & copiam omnem à solo bonorum auctore Deo purè fidenterque speraueris. Quare id nunquam verum est, res à sola industria humana restitui: namque & illa ipsa industria à Deo est, & in id tempus dispensatur, & auctoritatem, vim ac efficaciam, si quam habet (multis enim hæc ipsa denegantur) ab eiusdem diuinæ misericordiæ largitate sortitur.

§. 2. *De erroribus & falsis.*

Sed accedamus ad alterum, quo mouentur nonnulli, vt diuinam vim humanæ gubernationi inesse negent, quia sæpenumerò mendaciis & erroribus nititur; imò verò pœnas veras ob conficta crimina infligit: quod postremum & mendax pariter & iniustum, quapropter à verissimo & iustissimo Dei penitùs alienum est.

Possem quidem ex iis quæ antè dicta sunt, id totum quod prima obiectionis parte quasi certum sumitur, fermè semper insimulare falsitatis: nam aut ad agendum, aut ad puniendum sæpè mouentur Superiores occultis verissimisque

de causis, quibus tamen malunt aliquas leuiores incertioresque prætexere: &, si alterutri parti credendum est, quandonam fiet, vt ab inferiore potiùs, quàm à Superiore, veritatem & æquitatem stare putandum sit? Verùm vt ne contentiosi potiùs quàm veraces & æqui habeamur, demus vltrò quod exposcitur, an propterea non inest gubernationi vis diuina? inest planè, imò verò tanto mirabilior, quòd ad extremum sibi propositum finem, vt diximus, errantibus licet intermedius, alienorum emendatrix errorum, Deo aurigante pertingit, vt cap. 4. & 5. probatum est.

Inueterata & pernicioſissima nos fallit assuetudo nostra, qua in rerum proximarum, & sensui subiectarum consideratione conquiescimus, neque mentem in primæ summæque rerum omnium causæ contemplationem transferimus: indeque consequens est, vt perturbatè, confusè, inconstanter excipiantur omnia, quæ pacatè, ordine, constanter ferrentur, si ab infimis, vbi omnis perturbatio, ad suprema, vbi tranquillitas, nos reciperemus. Quam in rem appositissimè P. Bartholomæus Riccius monet, *bonum esse, assuefacere se, vt quidquid in hac vita nobis contingit referamus in auctorem Deum, vt causam agentem primariam: id enim plerique omnes Sanctorum fecerunt: & magnum robur afferre solet omnibus actionibus nostris.* Atque vt videas, quàm vniuersè id intelligat, probat flagellatione Christi Domini, de qua (licet imperante Pilato facta sit) Propheta dicit, *Propter scelus populi mei percussi eum. Ac noris*, inquit, *quo plus te in hoc meditandi modo exercueris, hoc facilius ac promtiùs te in omnibus negotiis tuis, prosperisq; & aduersis casibus, respecturum in primam causam, cum magno tuo solatio, & animi quiete.* Id ipsum exemplo Ioſephi commendat, qui ea cogitatione in angustiis fortior, & ad condonandum fratribus fuit pronior. Ista Riccius, cuius viri docti, & in spiritualibus exercitatissimi, auctoritatem adhuc propemodum spirantem ideò referre placuit, vt ne putes earum cogitationum vsum antiquatum, & ad veteres eremitas amandandum, & abducaris errore quorundam qui doctrinæ vanæ blanditiis & subtilitatibus irretiti, suis artibus, astutisque consiliis omnia tribuentes, perpetua in perturbatione volutantur, à solius Dei gubernantis potenti manu non pendent, eum solum non respectant: in prosperis, Manus nostra, inquiunt, nobis fecit hæc omnia: in aduersis, errorem, casum, maleuolentiam, inimicitias, fraudes, pleni iratum & indignationis incusant. Sed ea sint à me dicta potissimè de erroribus qui videntur, vel, vt verius loquar, qui videri putantur ab iis, qui se parum vident, & videndo non vident.

Tract. de orat. 4. c. 3.

Isaiæ 53.

Nam quod spectat ad pœnas, quæ aliquando falsum ob crimen imponerentur, clarissimè responsum est vbi de Paphnutio, & S. Petro Martyre dictum fuit. Iis tamen addiderim, præterea id sedulò pensandum esse, fieri quidem posse vt criminis falsò nobis ab hominibus afficti pœnas luamus, & nihilominus veras ac iustas, leuioresque quàm pro meritis luamus. Est id paternæ & amantissimæ benignitatis diuinæ, quæ cùm occulta, & probri plena, ac, si salui futuri sumus, neces-

necessariò punienda multa nostra flagitia norit, huiusque nostri qualiscunque honoris amans, nolit (quod facilè possit) in vulgus ea proferri, sed occulta conseruare; permittit causarum secundarum connexiones varias, & hominum opiniones sic implicari, vt dum falsum, at leuius crimen nobis impingunt, vera nostra & grauiora crimina puniantur, accedente non exiguo ad æquiùs perferendum stimulo, quòd conscientia nullius mali conscia tranquilletur, merceséque ob patientiæ in calumnia meritum cumulatior speretur. Sin obiicis, id abs eo qui infert non spectari; molestus es, & cuias in cerebellum nihil penetret: totiésne eadem oberrandum in chorda, cur potiùs in ferientem hominem, quàm in sanantem Deum oculos coniicis? sempérne tuus te affectus in transuersum, nunquam in directum ratio abducet?

§. 3. *De artibus humanis & intercessionibus.*

Sed est tertio loco quo plures offenduntur: Vt quid enim (nonnemo infrendens obiicit) me & mea Superiorum prouidentiæ committam, quando pænè omnia video humanis affectibus confici? nonne hos & illos ad ampliorem doctrinam comparandam emitti, variis muniis exerceri, dignitate decorari video, quia Superiori blandi, cognati, affines, eadem patria oriundi sunt, quia fautorem aliquem qui auctoritate polleat nacti sunt, quia prosapia nobiliore orti, commendatione maiorum, aut sæculi diuitiis præ reliqua turba sustolluntur?

Ita fortè reperias qui hoc quasi trabale telum aduersus obedientiam totis lacertis intorquent, obmurmurant, exempla denarrant, imperfectiores exterrent, eosque fiducia in Deum, sinceritate in Superiores miserè despoliatos, curis, angoribus, factionibus, suspicionibus, ambiendo humano fauori, incertissimis iudicij sui prouidentiis, & id genus perturbationibus temerè excruciandos tradunt. Quanto facerent consultius, suam si miselli deplorarent cæcitatem, arrogantiam detestarentur, prauitatem corrigerent? Itáne verò? ista etiamnum pro magnis computabit Religiosus, quorum contemnendorum causa ad Religionis castra conuolatur? nonne latere, nesciri, solam Dei voluntatem exquirere, crucem amplexari, nihil in creatis magnum ducere, aspernari quæ vulgus admiratur, fortiter naturæ propensionibus ire obuiàm, nonne Religiosum hoc est, hoc solum Religiosæ ambitioni, vt humilitatis ambitiosa sit, relictum? nonne quantum inde recesseris, tantum tibi de tua perfectione decessisse comprobabis? At, inquis, quis ita se deiici, quis alios ingenio, ætate, ceteris naturæ dotibus inferiores, non sibi coæquari, sed præferri, æqua mente patietur? Quis? quis nisi Religiosus? qui timorem Domini & humilitatem, vt sanctè dixit Sanctus, reciprocante halitu, quasi äërem, respirare & spirare debet. Sed instas, Doctrina & munia quæ auctoritatem conciliant, non parum ad Dei gloriam illustrandam conferunt. Scilicet, hoc erat, quod doleres! nesciebam, tam ardentis zeli homi-

Ab. Passer in vit. SS. PP. lib. de humil.

hominem! excute sodes, animum, & deprehendes superbissimæ mentis saniem specioſi boni ſimulatione latitantem: vnicuſque, ſi ſapis, in Deum tuum crucifixum oculorum coniectus noxium humorem arefaciet, & in humilitatem ſubiectioni Religioſæ decoram bellè contrahet. Noſtin' vbi Dei ingens gloria, tuum ingens bonum lateat? in eo planè eſt, vt quod ſemel Deo obtuliſti de toto holocauſtum, perpetuò integrum illi dedicare pergas; ſin tibi inde aliquid ſubripueris, & curæ tuæ te adſcripſeris, iniuſtus es, rapis alienum, Deo ſacrilegus. quid ergo? qui te, tuaque omnia, doctrinæ, ingenij, naturæ talenta Deo tradidiſti, qui curanda, promenda, recondenda arbitrio Superioris commiſiſti, id ſummum, id præſtantiſſimum reputa, ſi ſcias, neſcias; negotieris, otieris; latens prodeas: vtcunque Superiori, hoc eſt, vtcunque Deo tuo, duci optimo viſum fuerit. ô, ſi te æternitati, non tantùm natum, ſed Religioſum factum eſſe meminiſſes! nónne ea ſola magna & maiora crederes, quæ magis ad æternam faciunt gloriam? ad illam verò magis conferunt, quæcunque digniùs virtutem exercendi occaſionem præbent, Deique gratiam vehementiùs conciliant. Quàm falleris, cùm id doctrina, concionibus, muniorum officiis conſequi credis! non nego; cùm ea nobis diuinitus obtigerũt, maioris æternæ gloriæ ſeges eſſe poſſunt: at quoties etiam damnationis exſtitere! quoties Religioni ſibique pernicioſæ fuere, qui ſi doctrina & auctoritate caruiſſent, intra modeſtiæ limites vixiſſent! Ergóne violentus in ea irrues, quæ te perdant & crucient æternùm? demus tamè vt non perimant, at de altiore gradu gloriæ deiicient: quippe pro certo habeo, vnicum illum doctrinæ, (quam comparare poteras) vel exiſtimationis maioris contemtum, quem propter Deum exerceas, tanti apud Deum eſſe meriti, vt neque doctrinæ, neque auctoritatis, quamlibet multis fructibus, eum vnquam æquare poſſis. Habet hoc honoris, diuitiarum, voluptatum reſectio, vel potiùs integra abdicatio; pluris vt ſola facienda ſit, quàm texcenties in illis adhibitæ moderationes, vſuſue laudabiles. Lege quodam loco apud Raderum, quomodo duorum monachorum alter, theſauri fortuitò oblati ſolo contemtu, longè ſit ſupergreſſus alterum qui eo collecto, prudenter & piè xenodochia bonis legibus inſtituta fundarat. Ergo ſi Superioribus propter Deum acquieſcas, & in hac vita detrimentum ſcientiæ æquo animo feras, ſi nihil honorum, nihil auctoritatis apud homines quæras; crede mihi, frater, magnum tibi ſapientiæ donum, magnus auctoritatis cumulus apparatur à Ieſu Chriſto in cælis. Conſolamini, conſolamini propter Deum ſimplices, doctrinæ auctoritatiſque contemtores. Pater cæleſtis qui videt in abſcondito, ille centuplum eorum in vita æterna reddet.

Parte altera Virid. c. 5. de Styl. Eccleſſ.

Sed quoniam hîc hominum fauores, non Dei ſapientiam præſidere putas: tende quæſo mentis aciem, & in ea quæ à ſenſu remotiora ſunt contuere: Commoueris quòd nonnullos indulgentiùs haberi, ad maiores honorum aut munerum gradus promoueri vides; &, ô humanas fraudes, humanas artes, vbique

que dominari, omnia posse turbulentus exclamas! tranquillare; amabo! quid loquaris perpende. Itáne verò; sine Deo ista fieri autumas? at diuina, inquis, prouidentia humanis artibus detorquetur. Verùm, id non interrogo; hoc respondet qui effugium captat; hoc vnum quæro, istáne sine Deo fieri, istáne diuinæ prouidentiæ perspicaciam latere credis? sed quia id tantum impietatis exhorres, scire velim quid causæ putes, cur ea vel voluerit, (vt plurimùm enim peccata non sunt, & ea voluisse potuit) vel permiserit Deus? dices forsan, tibi esse occultam; sed quæro, an & protinus iniustam? quod quia dici sine blasphemia non potest, iustam fateri necesse est, at, si iusta est, cur non æquis animis excipis? Præterea, nunquámne aliquos vidisti, & fortassis vnus ex illorum numero es, qui humanis artibus & fauore niterentur, vterentur, abuterentur; cumque neminem sibi satis conciliare potuissent, multa in alios exclamarent, illos omnia fauore consecutos criminarentur? non vidisti, quibus nihil ex voto procederet, quorum omnes conatus caderent irriti, quamuis & multos sibi conciliare possent, & ad id quod maximè volebant, multa opportunitate abundarent? adeò videlicet, occultis viis, potentissimè quosdam ne sustollantur arcet Deus. alios etiam non vidisti, qui quò tendebant peruenerunt, at vel breui, vel tanto pòst, grauiore lapsu corruerũt? an ergo bonum tuum est, doctrina sacerdotium, honor, dignitas, & non solus Deus? Iam perpende attentiùs, iustissimas dispositioni & ordinationi rerum subesse causas, Deo soli notas, quibus par sit vt omnis nostra ratio subiugata consentiat: certè non aliunde quàm ex occultis Dei iudiciis oritur, vt hic vel ille in fautores eos incidat, qui illum altiùs prouehant; non aliundè fit, vt causarum connexiones animorumque motiones ita temperentur, vt (quod non ratò miramur) duobus idem bene & industriè agentibus, vnius conatum omnem aduersò, alterius secundissimo fauore prosequamur; huic feliciter cedat omnis, etiam temeraria aggressio, alteri omnia, etiam prudentissimè excogitata, infortunatissimè cedant. Nónne indidem est, quòd quãtumuis gratia & ingenio nonnulli polleant, iacent tamen, neque commodè valent erigi: triumphant alij, & per hominum ora volitant, qui nihil solidæ commendationis habent. Plurimæ quidem rationes probabiliter possunt excogitari, quæ autem vera sit & potissima, diuinæ mentis est nosse hæc semper verissima, Voluisse Deum vt sic doceremur, Vanitatem vanitatum, & omnia vanitatem esse; cumque neque veris meritis, neque solida virtute proueniant, non esse res istas pro magnis & præclaris ducendas.

Sed & cur non magno bono tuo fieri credis, vt illis careas, quæ quia plurimis causam ruinæ præbuerunt, tibi quoque eandem præbere posse, imò præbituras fuisse, ideo debes opinari quòd videas, indulgentissimum, qui te tuasque vtilitates penitus perspectas habet, patrem Deum tuis cupiditatibus obstare? Hinc planè sapienter ille qui Deo gratias agebat, quòd ingenij naturæque dotibus minùs esset instructus, vt sic sua se tenuitate inuoluens, non plus saperet quàm *Thom. à Camp. l. 3. c. 12.*

quàm oportet sapere, sed saperet ad sobrietatem, securusque rationem de pauciorib⁹ redderet, cui fuisset pauciorum cura demandata. Et verò de te quid coniici possit aliud, quàm quòd speciosiore sorte auctus, te ipsum honorum illecebris irretitum, perditum ires? etenim, qui non obtentis obmurmurat: nónne consequens est vt superbiat acceptis? certè, prodit animum ambitiosè ad magna ardentem, doctrinam & honores vt ingentia bona respectantem, seque (quod pessimum est) dignum reputantem, in quem æquè vel etiam magis quàm in alios ista conferantur. Annon igitur, si te sic affectum sentis, & verò sentire debes quoties ista concupiscis, annon, inquam, quòd alij tibi præferantur gaudere, Deoque superbiam tuam sananti gratias agere debes? At moueris & submurmuras, quòd alij nihilo meliores, ista consequuntur: verùm si se ipsos perdunt alij, an te quoque cum ceteris voles perditum? cur tantopere alios circumspectas, hominum vana iudicia tanti facis, & incertissima sermonum aura, opinionumque varietate perturbaris? Redi ad te ipsum, Deum solum consule, solam salutem tuam cogita, & magna animi tranquillitate cognosces, in rebus humanis, non casum, non artem, non dominari fortunam, sed, vt Propheta loquitur, *Dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud: Iuxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti?*

Daniel. c. 4.

Scio hunc esse quasi nodum Gordium qui nequaquam solui posse videatur: adeò se hîc multi inuoluunt: quem vt densiùs innectant, altiùs etiam à philosophis argumenta repetentes, aiunt, ex debiliore, non ex potentiore causæ parte effectus esse iudicandos, quippe faciliùs imperfecta & praua, quàm perfectiora & rectiora deriuantur; hinc ex necessaria, & (vt loquuntur) contingente causa effectus oritur non necessarius; ex immortali & mortali quod conflatur, ex animo nempe & corpore, mortale est; ex negante & affirmante propositione complexio quæ colligitur, negans est. Similiter igitur, inquiunt, cùm præscripta Superiorum, vel affectu, vel quacunque humana arte in aliquam partem flectuntur, vt ab hominibus, non vt à Deo accipienda erunt. Cui argumento vt dilucidissimè satisfaciam, Omitto id apertè S. Scripturæ locis cap. 2. allatis repugnare, quare nec verum esse posse: sed vt funditus omnis ex animis dubitatio euellatur, Dico, id quod primò in argumento sumitur esse falsissimum, iis in rebus omnibus quarum sibi peculiarem procurationem sumpsit Deus; eiusmodi autem est gubernationis cura: hoc verò ideo fit, quòd in Deo tanta vis ad agendum inest vt omnem alterius causæ defectum supplere, vim omnem contrariam elidere, & quà volet possit inflectere. Cuius rei clarissimum in rebus ad fidem Christianam spectantibus exemplum habemus: etenim in legitimis approbatisque Conciliis, sunt ea necessariò credenda quæ definiuntur, nec tamen earum definitarum rationes quæ proferuntur, eadem necessitate credendæ sunt: cuius non alia est ratio, quàm quod profitemur, ad sententiam eiusmodi complecten-

plectendam inductione quidem humana persuasos, at vt definirent occulta vi impulisse Deum, humanæque inductioni auctoritatem inseruisse diuinam: quod nisi voluisset, cogitationes eorum in alia omnia conuertisset. Non secùs existima, humana in Superiorum inductione, vim tamen ad eum, qui consequitur, effectum esse diuinam. Elucet illud idem in ea quam (vt Nazianzenus loquitur) *sanctus quidam olim surripuisse dicitur patris benedictione, patre per cibum ac orat. 2. pilorum figmentum circumuento, ac re bona, non bene per insidias captata.* Certè si patris verba mentemque spectamus, nequaquam illi benedixit, quippe scisscitatus fuerat, Quis es tu fili mi? iterumque, Tu es filius meus Esau? Et vbi non eum, sed alium fuisse audiit, expauit stupore vehementi, & vltra quàm credi posset admiratus est: ergo non Iacobo, sed ipsi Esau, in quem mens patris ferebatur, vtilia esse illa vota debuerunt: at aliud sensit Isaac, Benedixi, inquit, & erit benedictus; quippe diuinum aliquid suis se verbis insinuans perceperat. Quid est igitur quòd pronus ad humana, tam ægrè diuinæ prouidentiæ vim agnoscere videris? times forsan ne tot rebus prouidendis fatiscat, multitudine obruatur, minutiis offendatur? non vides in tam multis, miris & improuisis casibus, agnoscendam quæ se vbique prodit prouidentiam? audesque de illa dubitare, sine qua homo non esses? quid enim? an potuit vlla seminaria vis animum tibi procreare? iam si in eo tam frequente tantæque arduitatis effectu, id agnoscis, fatere quoque in ceteris, quæ licet singula minùs necessariò illam summam Dei potestatem exigant, exigunt tamen singula prouidentiam singularem, ne si incertæ hominum prouidentiæ relinquantur, vbique à fine suo exerrent. Maneat igitur fixumque sit, non humanis artibus, commendationi, intercessioni, sed diuinæ, quæ efficaciam illis concessit, prouidentiæ effectum esse tribuendum. Quid igitur, inquies, si à Deo istud est, quid est quòd postquam pessimè (vt assolet) ista omnia cesserint, eos puniri dicimus, quòd à diuinæ prouidentiæ recto ordine, ad humanum astum deflexerint? ô hominem nimis in sententia sua pertinacem? annon à te, quod volo, asseri apertè vides? Ecce enim propterea id ipsum quod homo optabat, fieri voluit Deus, vt per id quod malè appetierat, bene puniretur: & re vera, homo quidem ille à diuinæ prouidentiæ fiducia, suæ voluntatis errore deflectere nitebatur; sed sapientissimus Deus admirabili suæ prouidentiæ vi, sic eum continuit, vt quasi errandi facultate concessa, errorem errore puniens, nouâ prouidentiæ punienti viam sterneret. At, inquis, quid si nō malè cesserint artes? Quid scis, ô homo, quid in æternum iudicabit Deus? quid bene, quid malè denique cessurum sit? tu vide vt bene agas, & bene tibi erit. sed & cur tàtopere alios de humanis artibus incusas? crede mihi, qui toties istas crepas, istas ceteris obiectas, totus in illis habitare, illas egregiè videris factitare: ausim vel iuratus affirmare, nō aliam quàm ex illis tibi spem esse, qui nonnisi ex illis, bene ceteris esse censes. ô vanissimā & Religioso viro prorsus indignā cogitationē! Per Deum immortalē, inde te confestim recipe, Deoq; soli vt decet confide & viue.

§. 4. *De damnis quæ putantur emersura.*

Postremum, & vt plurimum, cùm in rem ventum fuerit, molestissimum est, Quomodo cum Superioris iussione consentiet atque conspirabit is cui reiuspiam cura demandata est, videtque secùs imperari quàm rei vtilitas exigat: vt si præceptori, vel scholarum præfecto, Superior iubeat quæ sunt præter scholasticæ disciplinæ bonum, & discipulorum commodis officiunt, vel si prohibeat id fieri quod magnam illis vtilitatem importaret: si concionatori is concionandi modus prohibeatur qui populo placet, is imperatur qui displicet. nec difficile est vt similia vsus quotidianus exempla nobis suggerat.

Cùm autem hîc pænè omnia ex prudenti circumstantiarum æstimatione pendeant, pauca tantùm breuiter & vniuersè dicam, è quibus singulorum, quæ ortè euenient, diiudicatio sumatur. In primis autem animaduertatur varietas eorum, quibus aliquid sub aliquo Superiore demandatum est: qui sunt duplicis generis. Horum primi, sui immediati Superioris merum instrumentum sunt, nec vllam habent agendi vim propriam, quam non à Superiore immediato sumant mutuam: quales sunt propè omnes quos passim *subordinatos Officiales* nuncupant, & quicunque Religiosa munia obeunt. Pauci alij sunt qui ex ratione commissi muneris, auctoritatem propriam ab immediato, & per immediatum non deriuatam possident. Qui autem tales sunt, possunt, ac etiam cùm id muneris commissi vtilitas poscit, debent potiùs ad rectam sui muneris administrationem, quàm ad Superioris immediati sensum intueri: idq; propterea quòd in officio sibi credito, non ab hoc, sed ab alio mediato pendent, eiusque voluntatem & desideria toto conatu explere debent: sic tamen, vt magna semper humilitate, reuerentiæ erga suum Superiorem exempla præbeant, modestèque & sensim ab eo quod non rectè voluerit declinent: quod ni fecerint, pessimo exemplo omnem Religiosam disciplinam labefactant, pacem perturbant, ordinem euertunt, cui vt consultum sit, hi sunt quibus maximè incumbit. De quibus quia rariores sunt, ista sufficiant. At verò in ceteris, si quando inferior officij sibi demandati rationes & vtilitatem apud Superiorem vrget, ac nihilominus Superior id omitti vel fieri iubet, quo omisso vel facto grauia præuidentur incommoda, si præceptum absque peccato potest perfici, nec est ad manum qui id auertat, obsequendum est: quippe neglectæ obedientiæ, quàm cuiuslibet alterius damni grauius est incommodum; sperandumque fore vt vel arceat, vel præuisa incõmoda refarciat Deus: quod si minimè fecerit, maximus tamen eius cultus, & præ omnibus illi gratissimus est obedientia, quam roborari, & eiusmodi nonnunquam casibus exerceri cupit.

Atque vt etiam hîc ab insidiatrice iudicij nostri prauitate caueamus, diligentissimè nobis inuigilandum est, ne vnquam affectum nostrum quod libri 2. c. 4. latiùs

latiùs monui, ita in rem aliquam ferri sinamus, vt eam suiipsius causa diligamus, sed tantùm eatenus quatenus ab obedientia nobis commendatur: semper obedientia sit nobis modus, sit norma, sit finis, quiduis quouis modo diligendi, curandi, promouendi, conseruandi: frequenter id nobis ipsi repetamus, id inculcemus animo; nihil nos hîc, nihil istic nisi obedientiam quærere: sumere, ponere curam omnem, separari, adiungi, reuocari, auocari, vtcunque obedientiæ placuerit: cetera rum nihil ad nos: interimque dum in rem aliquam ex obedientiæ affectu & iussu incumbimus, caueamus ne illecebrosa natura se insinuet, amorisq; nimij blanda vincula furtim innectat. Quapropter vnumquemque certò statuere oporter, non huius aut illius rei auctus & incrementa, non discipulorum doctrinam, non concionum frequentiam, non animorum salutem, sed perfectam cum diuina voluntate consensionem, quæ in obedientia sita est, nobis esse pro fine propositam: nihil nos in discipulos, aut in aliam rem vllam iuris obtinere, nihil esse quod nos tangat, nisi eatenus, & eo modo quo Superiori libuerit: si quid iussum fuerit quo felices rei progressiones retardantur, non magis id detrimentum curemus, quàm si in regionibus dissitis & à nostra cura semotis accidisset. Et re vera, sub illa profectus & honorificè peragendi negotij specie, frequenter nimius latitat amor nostri: approbationes hominum, & vanas laudes ambimus, veremur ne minore quàm ceteri apparatu vel applausu docuisse, scenam instruxisse, conciones habuisse videamur, ideoque per simulationem tuendi honorem communem, vel cupiditati nostræ, vel ambitioni patrocinamur, quasi si in eiusmodi splendore, vel affectatiore apparatu Religionis existimatio ageretur. Inanissimi hominum ladeóne demissè de nostra Religione, vel de nobis ipsis tam magnificè sentimus, vt nostra aliqua derisiuncula, vel deiectione, continuò putemus de totius Religionis vel Collegij existimatione detractum? firmioribus hæret illa radicibus; quamque Dei dono, certisque virtutum exemplis consecuta est, eandem intemeratam seruabit auctoritatem, quamdiu iisdem vestigiis perget insistere. quod formidandum magis videtur, hoc est; ne, si pro sincera humilitate, verisque Maiorum virtutibus, adumbratæ quædam fucatæque succedant, tunc sensim honorem ignominia, venerationem contemptio excipiat. Quod ne accidat, anxias, de negotiorum exitu, curas mittamus, obedientiæ, Deoque per eam nos regenti, omnia committamus; in inuio viam faciet, deque omni laqueo euellet pedes nostros.

En quantopere sincera de diuinæ prouidentiæ fauore fiducia, cuicunque ad perfectam obedientiam contendenti est vndecunque necessaria; vt sua omnia prospera & aduersa, bona & mala, magna & minima, credat sibi inde prouentura, moderanda, & in fines optimos dirigenda: vereque & sincerè cum Propheta dicere possit, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Nonne sui, suarum virium, actionum, munerum, vitæ necisque curam omnem, domino resignat iumentum? ô vtinam ita nos Deo, ita Superioribus! tunc verè vel cadaueris, *Psalm. 72.*

ueris, vel ſcipionis, vel ſtatuæ paradigma obediendo expreſſerimus: tunc id quod Propheta ſubiungit, Deo bono concinemus, *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me*, & verò quàm id mihi ſalutare fuerit ſenſi; tu enim Domine, *cum gloria ſuſcepiſti me*. Quare, hoc expertus, quid mirum ſi ſubitò exclamem, *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant ſe à te* tuaque prouidentia, *peribunt, perdes omnes qui fornicantur abſte. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam:* non carnem, non aſtum, non fraudes, non fauores potentum & magnatum, ſed Dei mei prouidentiam adamare, ea ſola fretum eſſe, in eam ſperare, mihi bonum & optimum eſt. Illudunt cetera, & in fumos abeunt, at prouida Dei bonitas manet in æternum, & ſibi confidentibus bene facit in æternum.

Ille verò, qui ſe totum diuinæ prouidentiæ voluerit fidere regendum, caueat inprimis ne ſortem æmuletur alienam, vel tempus Deo quaſi præfigat: ſunt enim qui quoſdam intuentes flatu leniore feliciùs prouehi, & in altum ridente proſperitate euehi, ſe quaſi deteriore fato natos lugent, & graui ſortis pondere preſſos gemunt: atqui animaduertere deberent hereditatem ad quam initio feſtinarur, in nouiſſimo carere benedictione, non ea eſſe meliora quæ blandiùs arrident, multis aduerſas admodum & exitiales eſſe res ſecundas, eamque prudentis gubernationis humanæ, nedum prouidentiæ diuinæ, iuſtiſſimam eſſe legem, vt nonniſi per infima deueniatur ad ſumma, neque dulcia mereatur qui nunquam amara guſtauit, nec maiorum cenſeatur eſſe capax, qui in paruis necdum ſe probare potuit. Importuna & retundenda ſunt illa quorundam deſideria, qui geſtiunt protinus erumpere; priùs propè docere quàm diſcere, imperare quàm parere volunt. Sed & quoſdam reperias, qui cùm aliquamdiu afflicti iactatique patienter perſtiterint; tandem abiecto diuinæ prouidentiæ clypeo, à bene cœptis reſiliunt, ad humanas artes, interceſſiones, locorum & officiorum mutationes ac apologias, à patiente ſilentio, & cæleſtis opis exſpectatione tranſfugiunt. Atqui perſeueratum oportuerat, & ſi pauxillum adhuc toleratum fuiſſet, paratum Dei auxilium adfuiſſet: at propterea defuit, quia qui cor intuetur, & quem nullum latet ſecretum, is vidit patientiæ illius imperfectum, & quantum ipſamet fauentioribus rebus obicem poneret. Armemur ergo patientia, omnem rerum in ſpeciem magnarum cupiditatem amputemus, ad virtutem, atque adeò ad ipſum Deum, ſenſim, & magno niſu ſic tendamus, vt nos diuinæ prouidentiæ fiducia ſubnixos, nulla temporis diuturnitas, nulla profectus lentitudo, vel rei difficultas exterreat, quin cuicunque rerum euentui & progreſſioni placidiſſimè acquieſcamus, memores verbi quod ſapientiſſimè Iudith,

cap: 8. *Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum, diem conſtituiſtis ei?* non eſt noſtrûm, vel noſſe, vel præfinire tempora, quæ in ſua poteſtate poſuit Deus, cui mille anni ſicut

vnus

vnus dies ; & quamuis longum tempus , æternitati breue eſt.

Ad quam beatam æternitatem vtinam hæc ſancta nobis obedientia proficiat , cui retinendæ, & grauioribus quæ in ea occurrerent, incurſionibus propellendis hæc ſcripta ſunt. Faciat bonus Deus vt ad maiorem ſuam gloriam, obedientium pacem cedant.

Liber Collegij Soc. Jes. Paderborn. A. 1624

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN